UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1746. usque ad Annum 1749

**Luxemburgi, 1753**

urn:nbn:de:hbz:466:1-74761

Visual Library

Th 495 a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibl. Theodor. Paderb.

# MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

SEU EJUSDEM

# CONTINUATIO,

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt Editionibus; Romanæ, & Lugdunensi.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS.

## TOMUS DECIMUS-SEPTIMUS,

Complectens Constitutiones BENEDICTI XIV. ab Anno 1746. usque ad Annum 1749.

Collegii Universitati Paderborn 1777




*Juxta Exemplar* ROMÆ, Ex Typographia Sacræ Congregationis de Propaganda Fide *editum* 1749.

LUXEMBURGI,

Sumptibus HENRICI-ALBERTI GOSSE & Soc. Bibliopol. & Typograph.

M D C C L I I I.

*CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





# INDEX
## INITIORUM
## SINGULARUM CONSTITUTIONUM
### *QUÆ IN HOC TOMO XVII. CONTINENTUR.*


*Quamvis.* I. pag. 1
*Salutaris.* II. 4
*Declarasti Nobis.* III. 8
*Redditæ Nobis.* IV. 13
*Accepimus.* V. 17
*Apostolicæ Sedis.* VI. 18
*Pontificia.* VII. 28
*Ubi primum.* VIII. 29
*Militanti.* IX. 32
*Ecclesiastica.* X. 33
*Vinea electa.* XI. 35
*Misericordiæ studium.* XII. 41
*Negotiatores Cæli.* XIII. 46
*Humani generis.* XIV. 51
*Ad nuptiale convivium.* XV. 56
*Septuagesimum secundum.* 62
*Communem Cœlo.* 70
*Sollicitudinem.* XVI. 72
*Accepimus.* XVII. 77
*Ad universæ.* XVIII. 79
*Paterni prorsus.* XIX. 85
*Ad radicandum.* XX. 87
*Justitiæ & pacis.* XXI. 88
*Candor.* XXII. 93
*Quemadmodum.* XXIII. 97
*Devotam.* XXIV. 98
*Ex quo.* XXV. 101
*Per binas.* XXVI. 105
*Impositi Nobis.* XXVII. pag. 106
*Postremo mense.* XXVIII. 110
*Jampridem epistola.* XXIX. 138
*Laborantibus.* XXX. 147
*Decet.* XXXI. 149
*Dum universi.* XXXII. 150
*Inter multa.* XXXIII. 157
*Pia Mater.* XXXIV. 161
*Notum tibi est.* XXXV. 166
*Cum a Nobis.* XXXVI. 172
*Romani Pontificis.* 182
*In supereminenti.* XXXVII. 184
*Apostolici.* XXXVIII. 186
*Ad Centumcellas.* XXXIX. 188
*Causarum.* XL. 191
*Quamvis jam.* XLI. 199
*Apostolici muneris.* XLII. 200
*In Castris Militantis.* XLIII. 204
*Rerum humanarum.* XLIV. 205
*Inter cætera.* XLV. 210
*Postulatum.* XLVI. 214
*Si data.* XLVII. 220
*Exemplis.* XLVIII. 225
*Constantem.* XLIX. 227
*Concreditum.* L. 228
*Magnæ Nobis.* LI. 230
*Præclara Militiæ.* LII. 233
*Quo die.* LIII. ibid.
*Postquam.* LIV. 240

| | | | |
|---|---|---|---|
| *De Congregatione.* LV. | pag. 261 | *Quanta Reipublicæ.* LXII. | pag. 280 |
| *Paſtoralis.* LVI. | 262 | *Non multi.* LXIII. | 283 |
| *Eccleſiæ.* LVII. | 267 | *Sinceræ fidei.* LXIV. | 285 |
| *Cœleſtis.* LVIII. | 271 | *Cum, ſicut.* LXV. | 286 |
| *Ad tuas manus.* LIX. | 272 | *In Sacroſancta.* LXVI. | 287 |
| *Rerum Eccleſiaſticarum.* LX. | 274 | *Dum omnibus.* LXVII. | 300 |
| *Quod expenſis.* LXI. | 276 | *Minime.* LXVIII. | 303 |



# INDEX
## ARGUMENTORUM
### *EARUMDEM*
## CONSTITUTIONUM.

ANNO MDCCXLVI.

PONTIFICATUS ANNO VI.


I. JURISDICTIO Episcoporum in Ecclesias Parochiales Regularium pro Indiarum Regionibus declaratur. 24. *Februarii.* *pag.* 1.

II. Archiconfraternitati Doctrinæ Christianæ de Urbe conceditur Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis de Planctu. 9. *Martii.* *pag.* 4

III. Super Celebratione Duarum Missarum eadem die per unum Sacerdotem. 16. *Martii.* *pag.* 8

IV. De Præsentatione Dignioris inter approbatos ab Examinatoribus ad Parochiales Ecclesias Jurispatronatus Ecclesiastici, cum resolutione nonnullorum dubiorum. 9. *Aprilis.* *pag.* 13

V. Christifideles Indulgentias visitantibus Ecclesiam concessas, etiam Sanctissima Eucharistia non exposita, lucrantur: Et de frequenti ejusdem Sanctissimæ Eucharistiæ expositione. 16. *Aprilis.* *pag.* 17

VI. Nova methodus servanda in conficiendis, retinendisque rationibus proventuum, & expensarum Cameræ Apostolicæ. 18. *Aprilis.* *pag.* 18

VII. De Regularibus extra Claustra degentibus, & sese translatos asserentibus. 27. *Maji.* *pag.* 28

VIII. Literæ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomina confirmantur; & pœnæ in delinquentes statuuntur, cum præfinitione Ordinis procedendi in hujusmodi Causis. 2. *Junii.* *pag.* 29

IX. Ordo Præcedentiæ per Votantes Signaturæ Justitiæ & Gratiæ tum in sedendo, tum in Voto ferendo servandus. 7. *Junii.* *pag.* 32

X. Oc-

X. Occurritur Abusibus in expeditione resignationum Beneficiorum inductis, ad eludendam Constitutionem Gregorii Papæ XIII. incipien. *Humano.* 15. *Junii.* *pag.* 33

XI. Canonizatio Beati Fidelis a Sigmaringa Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum Præfecti Missionis Apostolicæ in Rhætia, & Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Proto-Martyris. 29. *Junii.* *pag.* 35

XII. Canonizatio Beati Camilli de Lellis Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis. 29. *Junii.* *pag.* 40

XIII. Canonizatio Beati Petri Regalati Sacerdotis Professi Ordinis Minorum, Regularis Observantiæ inter Hispanos Restitutoris. 29. *Junii.* *pag.* 46

XIV. Canonizatio Beati Josephi a Lionissa Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum. 29. *Junii.* *pag.* 51

XV. Canonizatio Beatæ Catharinæ de Ricciis Florentinæ Monialis Professæ Ordinis Prædicatorum. 29. *Junii.* *pag.* 56

Orationes Consistoriales, quæ dictæ fuerunt in Consistoriis habitis die 18. Aprilis, 8. 10. 11. 13. & 14. Junii pro Canonizatione BB. Fidelis à Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Josephi à Leonissa, & Catharinæ de Ricciis; una cum ejus Homilia, quæ habita est die Natali Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli inter Missarum solemnia, postquam solemne Canonizationis Decretum promulgavit. *pag.* 62

Homilia Sanctissimi Domini Nostri Benedicti PP. XIV., quæ habita est inter Missarum Solemnia die Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli Principalium Romanæ Urbis Patronorum, quo die solemne quinque Beatorum Canonizationis Decretum in Sacrosancta Vaticana Basilica pronunciavit. *pag.* 70

XVI. Definitio, ac determinatio Causarum inter Regimen Bononiæ, & Communitates Medicinæ, Ganzanighi, Villæfontanæ &c. 9. *Martii.* *pag.* 72

XVII. De retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam & visibiliter exposita super Altaribus, ad quæ Missarum Sacrificia peraguntur. 16. *Julii.* *pag.* 77

## PONTIFICATUS ANNO VII.

XVIII. De Residentia Episcoporum. 3. *Septembris.* *pag.* 79

XIX. Firmanæ Congregationi, quoad Gubernium tam Politicum, quàm Oeconomicum Civitatis & Comitatus Firmi, privativa jurisdictio tribuitur. 6. *Septembris.* *pag.* 85

XX. Literæ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus Complicum nomina, confirmantur, & ampliantur. 28. *Septembris.* *pag.* 87

XXI. Distinctio inter Causas Rotales, & Prælatitias, ac Jura Notariorum scribendi, & actitandi in illis respectivè præfiniuntur: & nova methodus statuitur in Auditorio Rotæ observanda, pro celeriori Causarum expeditione. 9. *Octobris.* *pag.* 88

XXII. Divisio Territorii Episcopatus Fluminis Januarii in Brasilia, & nova erectio Episcopatuum Mariannensis, & Sancti Pauli, necnon Prælaturarum Gojasiensis, Cujabaensis etiam in Brasilia. 6. *Decembris.* *pag.* 93

XXIII. Indulgentiæ tam docentibus, & addiscentibus Methodum Orationis mentalis, quàm ipsam Orationem mentalem

mentalem peragentibus conceſſæ. 16. *Decembris.* *pag.* 97

XXIV. Super Congregationibus Generalibus Clericorum Regularium Societatis Jeſu. 17. *Decembris.* *pag.* 98

ANNO MDCCXLVII.

XXV. De libero ingreſſu Clericorum Sæcularium in Ordines Regulares. 14. *Januarii.* *pag.* 101

XXVI. De Clauſura Monialium, & admiſſione Famularum in Monaſteria. 24. *Januarii.* *pag.* 105

XXVII. De Ordinationibus Regularium. 27. *Februarii.* *pag.* 106

XXVIII. De Baptiſmo Judæorum, ſive Infantium, ſive Adultorum. 28. *Februarii.* *pag.* 110

XXIX. Super Cultu Sancti Lucæ Caſalii. 28. *Februarii.* *pag.* 138

XXX. Aſſignatio annuæ præſtationis favore Collegii Pœnitentiariorum Baſilicæ Lateranenſis. 13. *Martii.* *pag.* 147

XXXI. Sequitur Declaratio præcedentis Conſtitutionis. 27. *Maji.* *pag.* 149

XXXII. Præfinitio Juriſdictionis Abbatiæ Farfenſis, & Sancti Salvatoris Majoris, quoad Loca & Eccleſias in alienis Diœceſibus exiſtentia. 15. *Martii.* *pag.* 151

Schedula Motus proprii ſuper ſecunda diſmembratione Juriſdictionis dictæ Abbatiæ. 12. *Auguſti.* *pag.* 155

XXXIII. De Juriſdictione Epiſcopi Tuſculani in Clerum, & Populum Territorii Abbatiæ Cryptæ Ferratæ. 24. *Aprilis.* *pag.* 157

XXXIV. Ampliatur Epiſcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo conſtitutis; etiam per alios tam in Civitatibus, quàm in Diœceſibus, ab ipſis ſubdelegatos. 9. *Aprilis.* *pag.* 161

XXXV. De reſumendo, ac retinendo Titulo Epiſcopi Anconæ, & Humanæ. 22. *Aprilis.* *pag.* 166

XXXVI. Super Aſſignatione Archiepiſcopatus Nicoſienſis Cardinali Delle Lanze. 4. *Auguſti.* *pag.* 172

PONTIFICATUS ANNO VIII.

XXXVII. Erectio Publicæ Univerſitatis Studii generalis in Collegio Societatis Jeſu Civitatis Sancti Dominici Inſulæ Hiſpaniolæ. 14. *Septembris.* *pag.* 184

XXXVIII. Super abuſu libelli Repudii Converſorum a Judaiſmo ad Fidem Catholicam. 16. *Septemb.* *pag.* 186

XXXIX. De Ædificiis, & Jure congrui in Civitate Centumcellarum, ejuſque Suburbiis. 30. *Septembris.* *pag.* 188

XL. De Juriſdictione Epiſcopi Spirenſis in Eccleſiam Collegiatam Beatæ Mariæ Virginis *in Bruchſal*, ejuſque Capitulum. 16. *Decembris.* *pag.* 191

XLI. De Officio Scriptorum Sacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ. 13. *Decembris.* *pag.* 199

XLII. Unio Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Chriſtianæ, cum diverſis Ordinationibus. 15. *Decembris.* *pag.* 200

XLIII. Beatificatio Ven. Servi Dei Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congregationis Somaſchæ. 22. *Septembris.* *pag.* 204

XLIV. Reformatio Tribunalium Urbis

in Judiciis Criminalibus, & quoad expeditiones Commissionum, cum opportunis ordinationibus. 16. *Decembris.* *pag.* 205

ANNO MDCCXLVIII.

XLV. Ad Archiepiscopos, & Episcopos Ditionis temporalis Pontificiæ super Bacchanalibus. 1 *Januarii.* *pag.* 210

XLVI. Super Operibus Venerabili Sorori Mariæ a Jesu de Agreda attributis sub titulo: *Mystica Civitas Dei, & Miraculum Divinæ Omnipotentiæ.* 16. *Januarii.* *pag.* 214

XLVII. De Ordine servando in Causis super nullitate Professionis Regularis. 4. *Martii.* *pag.* 220

XLVIII. Præscribitur Ritus impertiendi Pontificiam Benedictionem super Populum, servandus a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas hujusmodi statis diebus a Sancta Sede indulta fuit. 19. *Martii.* *pag.* 225

XLIX. Societati Jesu tribuitur unus Locus inter Consultores Congregationis Sacr. Rituum. 24. *Aprilis.* *pag.* 227

L. De renovationibus Investiturarum, & aliarum concessionum Bonorum directi Dominii Cameræ Apostolicæ. 12. *Junii.* *pag.* 228

LI. Ad Poloniæ Regni Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos: De concessione, & executione Dispensationum Apostolicarum super impedimentis Matrimonii. 29. *Junii.* *pag.* 230

LII. S. Stephani Papæ & Martyris Militibus conceditur, ut Ense ad latus instructi coram Romano Pontifice comparere possint. 8. *Julii.* *pag.* 233

LIII. De libero, & mutuo Commercio inter Provincias, Civitates, & Loca Ditionis temporalis Sanctæ Sedis. 8. *Julii.* *ibid.*

LIV. De nova Martyrologii Romani Editione. 1. *Julii.* *pag.* 240

LV. Pro Elevatione Corporis Ven. Servi Dei Josephi a Matre Dei Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scolarum Piarum. 17. *Julii.* *pag.* 261

LVI. Super designatione Confessariorum extraordinariorum pro Monialibus. 9. *Augusti.* *pag.* 262

LVII. Erectio Seminarii Missionum in Conventu Sanctæ Mariæ de Rosario, & Febri, in Monte Mario, Fratrum Ordinis Prædicatorum Congregationis S. Marci. 10. *Julii.* *pag.* 267

LVIII. Beatificatio Ven. Servi Dei Josephi Calasanctii a Matre Dei, Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. 7. *Augusti.* *pag.* 271

LIX. De concessione, & executione Dispensationum Matrimonialium: altera Epistola ad Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos Regni Poloniæ. 8. *Augusti.* *pag.* 272

LX. De Pallii Benedictione, & traditione. 12. *Augusti.* *pag.* 274

PONTIFICATUS ANNO IX.

LXI. Indultum celebrandi tres Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, pro Regnis, & Dominiis Hispaniarum, & Portugalliæ. 26. *Augusti.* *pag.* 276

LXII. Erectio Duarum Cathedrarum in Archigymnasio Urbis. 11. *Octob.* *p.* 280

LXIII. Decretum, quo prohibetur cuilibet in posterum Libros, Scripturas, aliaque Opera quæcumque Typis imprimere, seu aliter in lucem edere, in quibus de imminutione dierum Festorum de Præcepto, sive pro, sive contra eam agatur. 14. *Novembris.* *pag.* 2

LXIV. Nova conceſſio privativi Judicis in cauſis Cameræ Capitolinæ. 11. *Decembris.* *pag.* 285.

LXV. Feſtorum dierum reductio in Regno Neapolitano citra Pharum, & in Diœceſibus Meſſanenſi, & Panormitana. 12. *Decembris.* *pag.* 286.

LXVI. Erectio Cathedralis Eccleſiæ Pinatolien. 23. *Decembris.* *pag.* 287.

LXVII. Super conſervatione, & refectione Viarum Publicarum. 30. *Decembris.* *pag* 300.

ANNO MDCCXLIX.

LXVIII. Aſſeritur identitas Corporis Sancti Joannis de Matha, quod Matriti colitur, occaſione donationis antiqui Sarcophagi, ubi illud Romæ aſſervabatur. 3. *Februarii.* *pag.* 303.

# BULLARIUM ROMANUM.

## TOMUS DECIMUS-SEPTIMUS,

## SIVE

## CONTINUATIONIS PARS UNDECIMA.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

# BENEDICTI XIV.

## PONTIFICIS CCLI.

## CONSTITUTIONES, EPISTOLÆ &c.

ANNO 1746.

ANNO 1746.

I.

## JURISDICTIO EPISCOPORUM in Ecclesias Parochiales Regularium pro Indiarum Regionibus declaratur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium a Pontificis providentia in asserenda Episcoporum jurisdictione.

QUAMVIS ad confirmandum Ecclesiastici regiminis ordinem, superiori Pontificatus Nostri anno, videlicet octavo Idus Novembr. 1744. Apostolicas Literas ediderimus, quarum initium est: *Firmandis, atque asserendis*, in quibus non modò Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Decretis, ac Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus inhærentes, jurisdictionem Episcoporum in omnes, & quoscumque Regulares Animarum curam personarum sæcularium exercentes constabilivimus; verum etiam judicia sequentes in peculiaribus controversiis prolata a Congregationibus Generalibus Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Ecclesiasticis discutiendis negociis auctoritate Apostolica præpositorum, certos & congruos limites constituimus, quibus tum Episcopalis auctoritas in prædictorum Regularium Ecclesias, atque personas, tum exemptiones in hujusmodi rerum genere ab ipsis Regularibus prætensæ, & pluribus in casibus eisdem debitæ, continerentur: Has tamen alteras pari auctoritate Literas adjicere compellimur, ut hac ipsa in re Parochialium etiam Ecclesiarum, quæ in Indiarum Regionibus sunt, optimo regimini, atque utiliori administrationi, quantum cum Domino possumus, similiter consulamus.

Eamdem peculiariter firmare intendit pro Indiarum Regionibus.

Sanè ubicumque Animarum cura personarum sæcularium adnexa sit Monasteriis, seu Domibus Regularium Virorum sive Mulierum, quicumque hujusmodi curam exerceat, sive is Regularis, sive sæcularis Sacerdos existat, in his, quæ pertinent ad ipsam curam, & ad Sacramentorum administrationem, Episcopi Diœcesani jurisdictioni, visitationi, & correctioni subesse debet; ipso jubente Sacro Tridentino Concilio *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regularibus*, per hæc verba: *In Monasteriis, seu Domibus Virorum, seu Mulierum, quibus imminet Animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum Familia, personæ tam Regulares, quàm Sæculares hujusmodi curam exercentes subsint immediatè in iis, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita.* Cujus etiam Concilii providentiâ ulteriùs statutum est, ut nemo ad animarum curam in prædictis Ecclesiis, etiam ad tempus, sive amovibiliter ad nutum, exercendam, admittatur vel deputetur, absque consensu Episcopi, & sine examine coram ipso, vel coram ipsius Vicario antea faciendo; sic enim decrevit: *Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu, ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo.*

Personæ Curam Animarum exercentes, quamvis Regulares, jurisdictioni Ordinariorum subsunt ex Concilio Tridentino.

Nemo ad Curam assumi debet, ex eodem Concilio, nisi de consensu, & approbatione Ordinarii.

Equidem aliàs beatæ memoriæ Prædecessori Nostro Sancto Pio Papæ V. ex parte claræ memoriæ Philippi II. Hispaniarum Regis Catholici exposito, quod in partibus Indiarum Maris Oceani, propter deficientiam Presbyterorum, Officia & munia Parochialia a Religiosis Viris exercebantur, qui, magno animarum fructu, Indorum conversiones promovebant, & Ecclesiæ Sacramenta eisdem administrando, ac Verbum Dei prædicando & explicando, Religioni ac pietati utilem navabant operam; idem Pius Prædecessor, supplicationibus super hoc ex parte dicti Philippi Regis humiliter sibi porrectis incli-

S. Pius V. anno 1567. ex specialibus causis indulsit, ut Regulares in Indiis Maris Oceani independenter ab Ordinariis Curam exercere possent.

natus, per suas Literas incipien. *Exponi Nobis*, datas apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii anno MDLXVII., omnibus & singulis Religiosis, quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, in dictis Indiarum partibus, in eorumdem Ordinum Monasteriis, vel de suorum Superiorum licentia extra illa commorantibus, ut in locis ipsarum partium eis de simili licentia assignatis, vel assignandis, Officium Parochi, Matrimonia celebrando, & Ecclesiastica Sacramenta ministrando, prout eatenus consueverunt, (dummodo ipsi in reliquis ejusdem Concilii Tridentini formam observarent) exercere, & Verbum Dei, quatenus Indorum illarum partium Idioma intelligerent, de suorum Superiorum licentia, in eorum Capitulis Provincialibus obtenta, prædicare, ac confessiones audire, liberè, & licitè valerent, secluſa etiam Ordinariorum Locorum licentiâ, per hæc expressa verba: *Ordinariorum Locorum, & aliorum quorumcumque licentiâ minimè requisitâ*, facultatem, auctoritate Apostolica concessit, & indulsit: Volens insuper, & eadem auctoritate statuens, *Ne in locis dictarum partium, in quibus essent Monasteria Religiosorum, qui Animarum curam exercerent, aliquid per Episcopos innovaretur.*

Concessionem hujusmodi effectu caruisse, plura suadent.

Verùm hujusmodi Privilegium, sive Indultum a Sancto Pio Prædecessore, ut præfertur, concessum, immutatis forsan rerum circumstantiis, executione & effectu caruisse oportet. Siquidem apertè conspicimus Episcopos prædictarum Regionum, non multos post annos, suam in præmissis auctoritatem, & jurisdictionem resumpsisse. Etenim in prima Synodo Limana Provinciali anno Domini 1532. celebrata, præsidente in ea Sancto Turribio, tunc, dum in humanis agebat, Ecclesiæ Limanæ Archiepiscopo, ipsius Synodi *Cap. 16.* ita expresè cautum reperimus: *Nullus posthac Clericus Parochiam Indorum absque Episcopi collatione suscipiat, vel administret: qui aliàs susceperit, etiamsi proprio Rectore Parochia destituta sit, anathemate feriatur. Idem a Regularibus observetur.* Eidemque Limanæ Synodo consonat Provincialis itidem Synodus Mexicana anno Domini MDLXXXV. sub bonæ memoriæ Petro Moja de Contreras Archiepiscopo congregata, & successive, nempe anno MDLXXXIX. ab Apostolica Sede examinata, & approbata, quæ sub Titulo: *De Visitatione propriæ Provinciæ §. III.* statuit, ut infra, videlicet: *Visitent Episcopi Ecclesias, & quas Doctrinas vocant, seu Conditiones, ubi Religiosi commorantur &c. Visitent etiam Religiosos in prædictis Doctrinis, seu Conditionibus degentes, quoad Animarum curam, quam exercent; eosque paterno zelo corrigant, eorum honori & bonæ famæ prospiciant, atque id omne præstent, quod ad effectum ejusmodi necessarium sit, juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini;* Collimantibus in eumdem scopum his, quæ præscribuntur inferius *Tit. de Regularibus, & Monialibus §. XIX.* ibi: *Juxta id, quod a Concilio Tridentino decretum est, & per Schedam Regiæ Majestatis dispositum, Regulares qui Indorum curam gerunt, ab Ordinariis visitari, eisdemque Subditi esse debent, tam quoad Doctrinam edocendam, quàm quoad Sacramenta administranda.*

I. Disositio Synodi Provincialis Limanæ anno 1582.

II. Et Synodi Provincialis Mexicanæ anni 1585.

Quamvis verò subinde a piæ memoriæ Gregorio Papa XIV. Prædecessore quoque Nostro aliæ Apostolicæ Literæ, quarum initium est: *Quantum Animarum*, aliæque incipientes: *Exponi Nobis*, anno MDXCI. emanaverint, per quas superius relatæ Sancti Pii Prædecessoris Literæ confirmatæ fuerint, & innovatæ; quum tamen felicis recordationis Prædecessor pariter Noster Clemens Papa VIII., per suas Literas in simili forma Brevis sub die VIII. Novemb. anni MDCI. expeditas, quæ incipiunt: *Religiosorum quorumcumque*, in forma specifica confirmaverit, & approbaverit resolutionem Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, per quam firmatum extiterat, *Regulares, qui ab eorum Superioribus nominati, & a Locorum Ordinariis, seu eorum Officialibus approbati*, ad Animarum curam in Indiarum partibus exercendam, *ob penuriam Sacerdotum sæcularium*, mitterentur, non quidem habendos, & reputandos esse, tamquam Regulares extra Claustra vitam degentes; siquidem aliquot per singulas hebdomadas diebus ab Ecclesiis sibi commissis discedentes, in propriis Religiosis Domibus versabantur; sed *in concernentibus curam Animarum, Ordinario Loci subesse; in reliquis verò, non Ordinario Loci, sed suis Superioribus subjectos remanere, de quorum licentia extra Claustra degunt.* Quum deinde similis recordationis Gregorius Papa XV. etiam Noster Prædecessor in sua generali, & perpetuo valitura Constitutione, quæ incipit: *Inscrutabili*, per quam omnes indistincte Regulares Animarum curam sæcularium personarum exercentes, aut quoquo modo Sacramenta administrantes, Episcoporum visitationi, & correctioni subjecit; quibuscumque contrariis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, & cujusvis alterius Instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, nec non Statutis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus, indultis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, specialiter, & expresè de Apostolicæ potestatis plenitudine plenissime derogaverit. Quum insuper Noster quoque Prædecessor Innocentius Papa X. in suis pariter Literis Apostolicis anno MDCXLVII. datis, quæ incipiunt: *Cum, sicut accepimus*, confirmans præfatæ Congregationis resolutionem editam in Causa *Angelopolitana* Indiarum Occidentalium novæ Hispaniæ, approbaverit ipsius Congregationis sententiam, quæ ad propositum Dubium: *An Bulla Pii V. la 34. in ordine* (ea nimirum, cujus Nos superius meminimus) *concessa instante, & supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium sit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur.* Respondit: *Agendum cum Sanctissimo, an velit declarare, Bullam non esse revocatam; illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum.* Quum denique ipsi Catholici Hispaniarum Reges, de Sacrorum Canonum observantia optime meriti, & de Tridentini Concilii executione solliciti, Episcopis per Indias sibi subjectas constitutis opem auctoritatemque præstiterint, ut legitima jurisdictione in Regulares Animarum curam exercentes in suis respective Diœcesibus, pacifice fruerentur: jam constat, ipsis fatentibus Hispanæ Nationis Scriptoribus, neminem ex Regularibus nunc in iis Regionibus ad obeunda Parochialia munia in personas sæculares admitti, nisi prævio examine, & approbatione Episcoporum Localium, sive ipsorum respective Officialium; & tam Concilii Tridentini Decreta, quàm Romanorum Pontificum Constitutiones hujusmodi Decretis consentaneas, in prædictis Regionibus suum robur, & observantiam obtinere.

Et licet Literæ Pii V. a Gregorio XIV. confirmatæ fuerint.

III. Nihilominus Clemens VIII. Regulares Animarum Curam in Indiis exercentes Ordinariis subjectos voluit.

IV. Gregorius XV. generaliter omnes Regulares Curam exercentes Ordinariis subjecit.

V. Innocentius X. juxta Votum dictæ Congreg. Literas S. Pii V. in locis ubi esset defectus Parochorum, suffragari decrevit.

VI. Regulares in dictis Regionibus ad Curam actu non admittuntur, absque examine, & approbatione Episcoporum.

Neque porrò in Indiis Orientalibus ignota sunt eorumdem Apostolicorum, & Conciliarium Decretorum statuta: Siquidem ex Civitate Goana, celeberrimo in Indiis Orientalibus Lusitaniæ Regno subjectis emporio, nuperrime accepimus, Venerabilem Fratrem modernum ipsius Civitatis Archiepiscopum, ipso præsertim favente Charissimo in Christo Filio Nostro Joanne Illustri Portugalliæ, & Algarbiorum Rege, cujus

Archiepiscopus Goæ jurisdictionem in Regulares ad Curam Animarum deputatos exercet.

per-

perspecta pietas, & Ecclesiasticæ disciplinæ zelus hac etiam in re clarissime emicuerunt, atque adjuvante dilecto Filio Nobili Viro Marchione Castri Novi in prædictis Regionibus Pro-Rege, ac strenuo Regiæ voluntatis Administro; concessam sibi a Tridentina Synodo jurisdictionem, & facultatem, quoad examen, & approbationem Regularium ad Animarum curam personarum sæcularium deputatorum, intra Diœceses suæ fines, plenissime, ut par erat, exercuisse.

Pontifex Concilii Tridentini Decreta, & Constitutiones in hac re editas, in omnibus Indiarum Orientalium Regionibus locum habere decernit.

Sed quoniam eorum, quæ benè statuta sunt, quæque ad optimum Ecclesiarum statum maxime pertinent, perpetua & generalis executio, atque inconcussa observantia, magnopere Nobis cordi esse debet; neque committendum, ut ullus in posterum dubiis, & controversiis aditus pateat in hujusmodi rerum genere, in quo maximum Ecclesiasticæ disciplinæ momentum vertitur; idcircò motu proprio, & certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, volumus, statuimus, & ordinamus, prædicta Tridentinæ Synodi Decreta, singulasque Apostolicas Constitutiones, tam a Prædecessoribus Nostris, quàm a Nobis, in eorumdem Decretorum confirmationem, ampliationem, & extensionem editas, quoad Episcoporum jura, ac debitam ipsis subjectionem a Regularibus Animarum curam personarum sæcularium exercentibus; ut nempe Regulares ipsi, etiam quantumvis exempti, ad hujusmodi curam obeundam, sine prævio Ordinariorum Locorum examine, & approbatione, accedere, aut in ea se ingerere nequeant, & in iis omnibus, quæ ad prædictam curam quoquomodo pertinere dignoscuntur, eorumdem Ordinariorum jurisdictioni, visitationi, & correctioni subjaceant; deinceps tam in prædicta Goana, quàm in reliquis Indiarum Orientalium Civitatibus, Diœcesibus, atque Provinciis, locum omnino habere, ac perpetuò, & incommutabiliter observari debere: Decernentes & declarantes, præsentes Nostras Literas omnes, & singulos Regulares quorumcumque tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinum, Militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, & cujusvis alterius Instituti etiam speciali mentione digni, ac necessario, & in individuo exprimendi, ac quibusvis privilegiis, & exemptionibus suffulti, omnino arctare & afficere, eosque ad plenam, & integram præmissorum observantiam fore efficaciter obligatos.

Et sub hac dispositione Regulares cujuscumque Instituti comprehendit.

Insuper easdem præsentes, etiam ex eo, quod Superiores Regulares, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac substantiali, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ, resultante, aut quocumque alio colore, vel causa quantumvis privilegiata, etiam in corpore juris clausa, ac tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret; notari, impugnari, invalidari, in jus, vel ad controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, sive aliud quodcumque facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari posse; sed ipsas semper perpetuoque validas, firmas, & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere: sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, ac alios quavis auctoritate & potestate fungentes, in quavis Causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: Et si secùs super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Præsentes nullo defectu notari posse statuit.

Aliter judicari prohibet.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo; nec non memoratis Sancti Pii V., & Gregorii XIV. Prædecessorum prædictorum respective Literis, cæterisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, etiam specialiter in favorem quarumcumque personarum, atque dictorum Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, etiam prædictæ Militiæ Sancti Joannis Hierosolymitani, & cujusvis alterius Instituti, etiam Societatis Jesu, ac Monasteriorum, Collegiorum, Domorum, ac Locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis, & in Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & Personarum, quacumque Ecclesiastica, vel Sæculari dignitate fulgentium instantiam, seu eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, & extensionis, concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, quoad ea, quæ præsentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, ac quævis exquisita forma servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis plenissimè derogat.

Et quia difficile foret præsentes Literas, ad singula quæque loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferri, etiam volumus, & eadem Apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in Judicio, & extra, ac ubi opus fuerit, eadem prorsus adhibeatur, fides, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fidem transumptis tribuit.

Nulli ergò omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, innovationis, declarationis, sive extensionis, & ampliationis, derogationis, voluntatis, statuti, ac decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Dat. die 24. Febr. 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, sexto Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

*D. Card. Passioneus.*

J. Datarius.

VISA DE CURIA

I. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

---

II. Archiconfraternitati Doctrinæ Christianæ de Urbe conceditur Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis de Planctu.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. SALUTARIS Doctrinæ fontes immensa Dei bonitate humano generi reseratos, ad alendas, ac roborandas potissimum teneras Ecclesiæ plantas assiduâ curâ derivari, & singulis quibusque succrescentibus stirpibus abunde propinari, pro impositio Nobis Pastoralis Officii munere, cupimus; ut veniens statuto tempore Cœlestis Paterfamilias, ac debitos ex eis fructus requirens, non ipsas arbores, tamquam infructuosas, succidi, & in ignem mitti jubeat, sed in beata Cœli vireta, æternum victuras, per suam misericordiam transferri concedat. Qua quidem de re, quum anxiam sollicitudinem Nostram jam pridem communicaverimus cum Venerabilibus Fratribus universis Episcopis Ecclesiæ Dei, per Encyclicas Literas datas die VII. Februarii anni MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno II., quibus plura distincte præscripsimus, quæ ad opus Dei in singulis Diœcesibus promovendum apta & opportuna esse censuimus; in hac verò illustriori Dominici Agri portione Nobis peculiariter concredita, ex qua voluit Deus ipsum veluti Cœlestium aquarum Caput ad universam Terræ superficiem irrigandam dimanare, hunc ipsum in scopum vigilando, atque instando, diligentiam studiumque Nostrum hucusque conferre non destiterimus; magnopere expedire judicavimus animum Nostrum intendere ad stabiliendum augendumque in hac Alma Urbe saluberrimum Institutum eximiæ Sodalitatis Doctrinæ Christianæ nuncupatæ, in eadem olim Urbe fundatæ, atque erectæ, cujus operosa, & assidua pietas exercetur in adjuvandis ejusdem Urbis Parochis, ad hoc, ut Pueri, & Adolescentes utriusque sexus, Catholicæ Fidei rudimentis, ac necessariis Christianæ Doctrinæ institutionibus informentur; proindeque ejusdem utilitatibus, & commodis, ad Dei gloriam, & Fidelium Animarum profectum, Prædecessorum Nostrorum exempla sequentes, uberiùs consulere decrevimus.

Status Archiconfraternitatis Doctrinæ Christianæ de Urbe. Sanè postquam Sanctæ mem. Pius Papa V. Prædecessor Noster per suas Literas in forma Brevis, datas sub Annulo Piscatoris die XXI. Octobris anni MDLXXII. Pontificatus sui anno VII., Congregationem Doctrinæ Christianæ in Alma Urbe jam tum institutam, & canonicè erectam, pluribus, ac peculiaribus gratiis, atque favoribus cumulaverat; recolendæ memoriæ Paulus Papa V. etiam Prædecessor Noster per similes Apostolicas Literas in forma Brevis, datas Tusculi die VI. Octobris anni MDCVII. Pontificatus sui anno III., ipsam Congregationem, nec non singulas illius Personas, & Ecclesias, nempe Sancti Martini Regionis Arenulæ, & Sanctæ Agathæ Regionis Transtyberinæ, eidem Congregationi Apostolica auctoritate concessas, sub Sua, & Sedis Apostolicæ protectione suscipiens, eamdem Congregationem Doctrinæ Christianæ in Basilica Principis Apostolorum in Archiconfraternitatem perpetuò erexit, & instituit, illiusque perpetuum Administratorem, & Protectorem constituit, & deputavit pro tempore existentem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem in Urbe prædicta, ejusque Districtu Romani Pontificis Vicarium in spiritualibus Generalem; ac ipsam Archiconfraternitatem, illiusque pro tempore Confratres, potestate & auctoritate aggregandi alias quascumque ejusdem Doctrinæ Christianæ Confraternitates per Orbem canonicè institutas, & instituendas, aliisque facultatibus, nec non Indulgentiis, & spiritualibus gratiis abundè ditavit. Deinde etiam felicis recordationis Decessor Noster Clemens Papa XII., ut adeo pium, ac necessarium opus, cujus ipse Præsidis munere olim perfunctus fuerat, majoribus semper incrementis augeretur, eidem Archiconfraternitati redditus Congregationis Sancti Josephi in Ecclesia Sancti Pantaleonis Regionis Montium, ipsamque Ecclesiam, Apostolica auctoritate etiam perpetuò applicavit, concessit, & assignavit.

Verum quum hujusmodi redditus, aliique ex piis Confratrum, aliorumque Fidelium largitionibus & dispositionibus adepti, impares adhuc esse dignoscantur ingentibus expensis, & sumptibus, quæ ipsa Doctrinæ Christianæ Archiconfraternitas sustinere solet; dum, inter cætera, ad promovendam in Populo immaculatæ Doctrinæ frequentiorem audientiam, & respective sedulam Christianarum Institutionum explicationem, complura præmia diligentioribus pueris, & puellis per singulas Urbis Parochias distribuere, Mulieribus autem Doctrinam ipsam edocentibus, quæ per easdem Parochias dispertitæ, trecentarum numerum excedunt, Dotalia subsidia constituere, & Vestes elargiri consuevit; Quum etiam præfatæ Ecclesiæ, quas ipsa Archiconfraternitas possidet, ambo quidem nimis angustæ, alia verò ob nimiam ab Urbis centro distantiam, alia ob ruinosum, ad quem redacta est, statum, minus aptæ sint frequentioribus Populi conventibus, & piis hujusmodi Instituti exercitiis, quæ proinde huc illuc identidem transferri oportet: Nos, quibus saluberrimi hujus operis conservatio, atque etiam incrementum, magnopere, ut prædiximus, cordi esse debet, eamdem Archiconfraternitatem non modò amplioribus proventibus augere, sed etiam in aptiori, & laxiori Ecclesia collocare, & sub speciali cœlestis præsidii tutela constituere deliberavimus.

Et satis nimirum ampla, & decenter extructa, & ad Religionis memoriam insignis est Ecclesia Beatæ Mariæ de Planctu, olim Sancti Salvatoris in Cacaberis nuncupata, in qua Deiparæ Imago asservatur, celeberrimis in Alma Urbe prodigiis clara; quæ quidem Imago olim ad ipsam Ecclesiam, de consensu tunc existentium tam SS. Laurentii & Damasi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis dictæ Parochialis Ecclesiæ Collatoris, quàm ejusdem Ecclesiæ Rectoris translata fuit; & in qua subinde Confraternitas sub invocatione ejusdem Beatæ Mariæ de Planctu canonicè erecta extitit, quæ postmodum nova Ecclesiæ, & Oratorii Ædificia, qualia nunc conspiciuntur, non sine ingenti pecuniarum impendio exstrui curavit; ibique Dei cultum, & Beatissimæ Virginis honorem assiduis pietatis, & religionis operibus ad hunc diem laudabiliter prosequuta est. Hanc igitur Ecclesiam, ejusque Oratorium, una cum redditibus, & proventibus eidem adnexis, & ad

* De Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis de Planctu.

hujus-

hujuſmodi Sodalitatem Beatæ Mariæ de Planctu pertinentibus, prædictæ Archiconfraternitati Doctrinæ Chriſtianæ concedere & applicare, non ſolum ipſi Archiconfraternitati, adeoque univerſo dilectiſſimæ Urbis Populo proficuum & utile, ac ſaluberrimi hujus Inſtituti exercitiis aptum, & opportunum fore reputavimus, verum etiam gratum, & acceptum futurum eſſe duximus clementiſſimæ Cœli Reginæ, quæ quum ſit increatæ Sapientiæ Mater, & Spiritus Sancti Sponſa, pium iſtud opus, ad agnitionem & amorem Dei, & præceptorum ejus unicè directum, ope ac patricinio ſuo fovere, & promovere non recuſabit.

Archiconfraternitas in ea erecta ſupprimitur.

His ergò, aliiſque rationabilibus Cauſis Nobis notis, animumque Noſtrum moventibus adducti, omnemque ſtatum, proprietates, & jura prædictæ Archiconfraternitatis Beatæ Mariæ de Planctu, præcipuè verò Inſtrumentum ipſum olim, ut accepimus, confectum ſuper conceſſione Eccleſiæ, conventioneſque inter tunc exiſtentes Rectorem, & ipſam Archiconfraternitatem B. Mariæ Virginis de Planctu, illiuſque Officiales initias die XXII. Julii anni MDXLVI. per acta quondam, tunc in humanis agentis, cognominati Ceccarelli Cauſarum Curiæ Capitolii Notarii, ac Literas in forma Brevis ſel. recordationis Pauli Papæ III. etiam Prædeceſſoris Noſtri ſuper Inſtrumenti, & conventionum ejuſmodi approbatione, & confirmatione expeditas, & debitæ executioni demandatas die XIII. Aprilis anni MDXLVIII., ſeu alio veriori tempore; nec non Literas recolendæ memoriæ Pii Papæ IV. etiam Noſtri Prædeceſſoris ſuper approbatione Statutorum dictæ Confraternitatis Beatæ Mariæ Virginis de Planctu, cum conceſſione Indulgentiarum, illiuſque erectione in Archiconfraternitatem, datas X. Kalendas Januarii anni MDXLII.; item Literas felicis recordationis Clementis Papæ VIII. Noſtri pariter Prædeceſſoris, data die XV. Septembris anni MDXCIV., ſeu alio veriori tempore; Literas demùm ſimilis recordationis Pauli Papæ V. Noſtri itidem Prædeceſſoris, die VIII. Aprilis anni MDCXIV. expeditas, per quas Titulus collativus dictæ Parochialis Eccleſiæ perpetuò ſuppreſſus, & extinctus fuit, ac inibi pro exercitio Curæ Animarum perpetua Vicaria certis modo & forma, ac cum diverſis legibus, & conditionibus tunc expreſſis, Apoſtolica auctoritate erecta, & inſtituta fuit; dominio Eccleſiæ prædictæ, illiuſque redditibus, dictæ Archiconfraternitati Beatæ Mariæ Virginis de Planctu, ejuſque Cuſtodibus in perpetuum attributis; quæ quidem Pauli V. Prædeceſſoris Literæ executioni demandatæ fuerunt in vim Sententiæ emanatæ die XVI. Septembris anni MDCXV. a tunc exiſtente Romani Pontificis in Urbe, ejuſque Diſtrictu Vicarii Viceſgerente, & iterum a Congregatione Sacræ Viſitationis Apoſtolicæ die XXVIII. Julii anni MDCCXII., & a Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorio nuperis Deciſionibus emanatis die IV. Junii anni proximè præteriti coram dilecto Filio Magiſtro Canilliac, uno ex ejuſdem Auditorii Auditoribus: Omniaque & ſingula a dicta Archiconfraternitate B. Mariæ de Planctu, illiuſque Cuſtodibus, tam verbo inſinuata, quàm ſcripto deducta, ac illarum & illorum veros, & integros tenores, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes: ipſa Archiconfraternitate Beatæ Mariæ Virginis de Planctu, ejuſque Cuſtodibus auditis; Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in prædicta Parochiali Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis de Planctu, illiuſque Oratorio præfatam Archiconfraternitatem ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis de Planctu, illiuſque ſtatum, eſſentiam, denominationem, ſtatuta, conſuetudines, & decreta, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roborata, privilegia quoque, & indulta, quibuſcumque illa ſint concepta formulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, ac vinculis munita (firma tamen inibi remanente perpetua Vicaria prædicta pro exercitio, & adminiſtratione Curæ Animarum Parochianorum, in eodem ſtatu, & terminis, in quibus illa de præſenti reperitur; & præſervatis, favore Confratrum ejuſdem Archiconfraternitatis Beatæ Mariæ de Planctu, nec non aliarum Confraternitatum per Orbem ipſi aggregatarum, Apoſtolicis gratiis, & privilegiis inferius exprimendis) Apoſtolica auctoritate tenore præſentium in perpetuum diſſolvimus, ſupprimimus & extinguimus; eamque, una cum illius denominatione, ſtatu, & eſſentia hujuſmodi, perpetuò diſſolutam, ſuppreſſam, & extinctam eſſe & fore, eadem auctoritate decernimus, & declaramus.

Eique ſubrogatur Archiconfraternitas Doctrinæ Chriſtianæ de eadem Urbe.

Porrò aliam Archiconfraternitatem prædictam Doctrinæ Chriſtianæ ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, illiuſque Officiales, & Confratres a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Cenſuris, ſententiis, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes (& prævia diſmembratione, ſeparatione, & ſejunctione ab eadem Archiconfraternitate Eccleſiarum Sancti Martini in Arenula, & Sancti Pantaleonis in Regione Montium, ei Apoſtolica auctoritate, ut prædiximus, conceſſarum, quas voluntati, & diſpoſitioni noſtræ reſervamus) ipſam Doctrinæ Chriſtianæ Archiconfraternitatem in ſæpedicta Eccleſia Beatæ Mariæ de Planctu, ejuſque Oratorio, prædictæ Archiconfraternitati per præſentes a Nobis ſuppreſſæ & extinctæ, in omnibus & per omnia plenariè ſubſtituimus; eidemque Archiconfraternitati Doctrinæ Chriſtianæ Eccleſiam ipſam Beatæ Mariæ Virginis de Planctu, illiuſque Sacriſtiam, & Oratorium, una cum membris, pertinentiis, annexis, & connexis ſuis, omnique ſacra, etiam argentea, & pretioſa ſupellectili, & jocalibus; item bona, tam mobilia, quàm ſtabilia, res, proprietates, Loca Montium, cenſus, canones, fructus, redditus, proventus, obventiones, & emolumenta univerſa in quibusvis rebus conſiſtentia, & undecumque provenientia, & ad ipſam Archiconfraternitatem a Nobis per præſentes ſuppreſſam, & extinctam hactenus ſpectantia, & pertinentia, dicta Apoſtolica auctoritate pariter in perpetuum concedimus, aſſignamus, & ſubjectivè unimus, annectimus, & incorporamus, ac reſpectivè applicamus, & appropriamus; Ipſamque præterea Archiconfraternitatem Doctrinæ Chriſtianæ in omnibus juribus, & ad omnia jura, ac quaſcumque actiones, tam activas, quàm paſſivas, reales, perſonales, & mixtas, quæ eidem ſuppreſſæ Archiconfraternitati quomodolibet competebant, & competere poterant, &, ſi illa ſuppreſſa, & extincta non fuiſſet, deinceps competerent, & competere poſſent, etiam ad effectum ſuccedendi in quibuſcumque ſubſtitutionibus, ad favorem ipſius ſuppreſſæ Archiconfraternitatis quomodolibet forſan factis, & ordinatis, etiamſi de illis ſpecialis, & individua mentio facienda eſſet, plenariè, integrè, & omnimodè ſubrogamus, & admittimus.

Sine præjudicio implementi omnium onerum.

Nè autem pia Legata, Miſſarum onera, Anniverſaria, annua ſuffragia, Cappellaniæ, ſubſidiorum dotalium, & panis diſtributiones, Hoſpitalis viſitatio, & alia quæcumque onera, quæ prædicta Archiconfraternitas a Nobis per præſentes ſuppreſſa, & extincta, ex piis Fidelium

dispositionibus, quomodolibet supportare, & adimplere tenebatur, debitis fraudentur implementis: Nos omnia, & singula onera hujusmodi firma, salva, & illæsa esse volentes, illa ad dictam Archiconfraternitatem Doctrinæ Christianæ, juxta prædictas dispositiones, & laudabiles suppressæ Archiconfraternitatis consuetudines, in posterum etiam, ut hactenùs omninò adimplenda, transferimus. Quamobrem Congregationi secretæ ejusdem Doctrinæ Christianæ per præsentes committimus, & injungimus, ut omnia & singula onera, & obligationes hujusmodi curet sollicitis studiis fideliter adimpleri: tribuentes insuper eidem Congregationi Secretæ omnium & singulorum reddituum, & obventionum administrationem; cujus tamen exactam, atque fidelem rationem in fine cujuslibet anni, Nostro & Romani Pontificis pro tempore existenti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali in Urbe, & ejus Districtu Vicario, perpetuo dictæ Archiconfraternitatis Protectori, reddere teneatur.

Et distributionis subsidiorum Dotalium, ut his præscribitur.

Ut verò etiam dotalia subsidia, quæ ex redditibus suppressæ Archiconfraternitati aliàs obvenientibus distribuebantur, atque in posterum, ut præfertur, distribui debebunt, non modò pauperibus & honestis, sed aliunde etiam dignis, ac potissimum in Christiana Doctrina peritissimis Puellis concedantur, volumus pariter, & mandamus, ut merita, & requisita singularum Puellarum ad prædicta subsidia concurrentium, & adspirantium per Deputatos Congregationis Generalis Doctrinæ Christianæ diligenter examinentur, & perpendantur, & illæ cæteris omnibus præferantur, quæ præter qualitates a Testatoribus requisitas, peculiare, ac distinctum sibi meritum acquisierint vel in explicando, vel in addiscendo Doctrinam Christianam. Reservamus tamen liberæ dispositioni Primogeniti pro tempore existentis Familiæ de Burgheſiis nominationem ad duo Subsidia Dotalia per quondam Aloysium Zannini ordinata, prout ab ipso pio Institutore eidem Primogenito attributa fuit. Itidem concedimus Prælato, & Deputatis pro tempore Conservatorii Puellarum, quæ vulgò *le Zoccolette* dicuntur, facultatem nominandi ad unum ex Dotalibus Subsidiis, a quondam Joanne Maria Santucci ordinatis ad favorem Puellarum Regionis Arenulæ, in qua prædictum Conservatorium situm reperitur; ut scilicet hujusmodi Dotale Subsidium uni semper ex Puellis in eodem Conservatorio existentibus, ad liberam eorundem Prælati & Deputatorum electionem, & nominationem, concedi debeat; ad quem effectum, ipsas memorati Conservatorii Puellas, quatenus opus sit, specialibus Indultis, & Privilegiis a prædicto Clemente XII. Prædecessore per suas Literas in forma Brevis die xx. mensis Octobris anni MDCCXXXV. expeditas eis desuper concessis, frui & gaudere posse, & debere volumus, & statuimus.

Executio.

Igitur, ut suppressio, extinctio, unio, concessio, assignatio, aliaque præmissa suum debitum sortiantur effectum, Dilecto Filio Nostro Joanni Antonio Tituli SS. Silvestri, & Martini in Montibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Guadagni nuncupato Nostro in Urbe, & Districtu prædictis Vicario, per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut ipse duos graves, & idoneos Viros deputet, qui ipsius Archiconfraternitatis Doctrinæ Christianæ nomine, & pro ea, dimissionem, consignationem, & traditionem prædictæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis de Planctu, illiusque Sacristiæ, & Oratorii, annexorumque. & connexorum quorumcumque, nec non Clavium Sacræ Imaginis, omnisque sacræ, etiam pretiosæ, & argenteæ supellectilis, jocalium, pecuniarum, Archivi scripturarum, & librorum, ac generaliter omnium, & singulorum bonorum mobilium, & immobilium ad prædictam Archiconfraternitatem a Nobis per præsentes suppressam, & extinctam quomodolibet de præsenti spectantium, & pertinentium, recipiant, & acceptent: Contra verò ipsi Archiconfraternitati per præsentes suppressæ, & extinctæ, illiusque Custodibus, Officialibus, & Superioribus nunc existentibus, in virtute sanctæ Obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut ipsi nostræ voluntati hujusmodi humiliter obsequentes, per eorum Camerarium, & alterum Officialem, plenariam & integram omnium, & singulorum prædictorum consignationem, & traditionem fideliter faciant, & adimpleant; ita quod liceat dictæ Archiconfraternitatis Doctrinæ Christianæ Deputatis, ejusdem Archiconfraternitatis nomine, & pro ea, prædictæ Ecclesiæ, illiusque Oratorii, membrorum, & pertinentiarum, nec non bonorum, rerum, proprietatum, jurium, reddituum, proventuum, aliorumque præmissorum veram, realem, actualem, & corporalem possessionem per se, vel alios liberè apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, ipsosque redditus percipere, exigere, & levare, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ.

Gratiæ præservatæ favore Confratrum olim B. M. V. de Planctu.

Quia verò piæ devotionis affectus, quo Custodes, & Confratres prædictæ suppressæ Archiconfraternitatis assiduis Dei obsequiis insistere, ac Beatissimæ Virginis cultum, & ipsius Imaginis venerationem augere, & promovere, aliaque Pietatis opera juxta eorum institutum studiosissimè hactenùs exercere non destiterunt, singulari laude, ac specialibus Apostolicæ benignitatis favoribus cumulari meretur; idcircò Nos illis omnibus & singulis, qui hoc tempore Archiconfraternitatem prædictam a Nobis, ut præfertur, suppressam, & extinctam, constituebant, concedimus & indulgemus, ut ipsi, non obstantibus suppressione, & extinctione hujusmodi, si recurrentibus Beatæ Mariæ Virginis festis diebus, unam aliquam, quam singuli maluerint, ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Ecclesiam devotè visitaverint, eas omnes & singulas Indulgentias, pœnitentiarum relaxationes, & spirituales gratias eidem suppressæ Archiconfraternitati, illiusque Confratribus a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quomodolibet concessas, consequantur, quas ante suppressionem, & extinctionem hujusmodi, consueta Pietatis, & Christianæ charitatis opera juxta eorum Institutum exercendo, consequi poterant.

De Confraternitatis aggregatis.

Rursùs quia, sicut accepimus, dictæ suppressæ Archiconfraternitati aliæ in aliis Orbis partibus canonicè erectæ Confraternitates unitæ, & aggregatæ reperiuntur: Nos ipsarum quoque Confraternitatum aggregatarum indemnitatibus consulere volentes, dicta Apostolica auctoritate decernimus, omnes pariter, & singulas Indulgentias, & spirituales gratias eisdem Confraternitatibus aggregatis, & illarum respective Confratribus per ipsam suppressam Archiconfraternitatem in vim Literarum aggregationis canonicè participatas, propter suppressionem prædictam eisdem Confraternitatibus aggregatis nullatenùs cessare, neque extinctas esse; itaut dictæ Confraternitates, earumque respectivè Confratres, quatenùs in piis sui respectivè instituti operibus permanserint, eas, prout hactenùs, etiam futuris temporibus consequi valeant. Et nihilominùs si eædem Confraternitates, prævia Ordinariorum locorum licentia, & approbatione, Institutum etiam Archiconfraternitatis Doctrinæ Christianæ assumere vellent: Nos ampliationi, & dilatationi adeò pii, & salutaris operis intenti, concedimus ipsi Archiconfraternitati Doctrinæ Christianæ de Urbe, ut easdem Confraternitates, servatis servandis, sibi etiam aggre-

gare, unire, & incorporare, omnesque & singulas Indulgentias, & spirituales gratias ipsi Archiconfraternitati Doctrinæ Christianæ de Urbe a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris concessas, (quas hic pro singillatim, & in specie expressis haberi volumus) eisdem Confraternitatibus, earumque Confratribus communicare, & ad eas, eosque extendere possit, & valeat.

Demandatur erectio Congregationis pro uberiori Doctrinæ Christianæ explanatione.

Insuper spiritualibus Juventutis profectibus efficaciùs intendentes, volumus, ut in prædicto Oratorio dictæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis de Planctu, Congregatio, aut Sodalitium certi, ac præfiniti numeri Adolescentum, a Congregatione Secreta Doctrinæ Christianæ eligendorum, & adscribendorum, sub titulo, & invocatione ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, erigatur & instituatur; qui omnibus & singulis Dominicis, & solemnioribus ipsius Beatæ Virginis festis diebus, in eodem Oratorio convenientes, peculiaribus Doctrinæ Christianæ institutionibus, atque uberioribus Catechismi explicationibus informentur, ac Religionis & Pietatis Operibus eis præscribendis exerceantur. Omnibus vero & singulis Adolescentibus Sodalitio hujusmodi adscriptis, & adscribendis, quoties ipsi diebus prædictis hujusmodi institutionibus, & explicationibus, aliisque piis exercitationibus in dicto Oratorio interfuerint, quadraginta dies de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus in forma Ecclesiæ consueta. Item illi ex Adolescentibus prædictis, qui per annum aliis omnibus diligentior in dicti Oratorii frequentia, prædictisque institutionibus, & exercitationibus magis assiduus repertus fuerit, nominationem ad subsidium Dotale, per quondam Franciscum Menicucci ordinatum, eisdem modo & forma, quibus hujusmodi nominatio Confratri magis assiduo suppressæ Archiconfraternitatis prædictæ competebat, pariter concedimus, & attribuimus.

Vicarii Curati sustentationi provideur.

Demùm, ut congruæ sustentationi Vicarii Curam Animarum Parochianorum dictæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis de Planctu exercentis consultum remaneat: Volumus, & mandamus, ut Archiconfraternitas Doctrinæ Christianæ eidem Vicario nunc & pro tempore existenti, pro illius congrua sustentatione prædicta, singulis annis scuta centum monetæ Romanæ currentis de juliis decem pro quolibet scuto hujusmodi, & alia scuta viginti ejusdem monetæ pro pensione Domus persolvere, & subministrare, eidemque minuta incerta, prout illa hactenùs percepit, & percipit de præsenti, concedere teneatur; hac tamen lege, ut idem pro tempore Vicarius proventus illos, qui ei a prædicto Paulo V. Prædecessore usque ad summam sexaginta ducatorum auri de Camera pro congrua ipsius sustentatione assignati fuerunt, nullatenus de cætero exigere, aut prætendere possit; Sed omnes, & singuli proventus hujusmodi deinceps in commodum dictæ Archiconfraternitatis omnino cedant, & cedere debeant.

Exemptio a quindenniis &c.

Cæterum, quatenùs opus sit, dictam Archiconfraternitatem Doctrinæ Christianæ a quacumque solutione mediæ annatæ, & quindennii, ad quam, & quod eadem Archiconfraternitas, ratione prædictæ unionis, & applicationis, aliorumque præmissorum teneri, & obligata esse dici posset, ac a quacumque obligatione desuper Cameræ Nostræ Apostolicæ, & illius Officialibus facienda, penitùs eximimus, & totaliter liberamus; atque ad annatam, quindennium hujusmodi solvendum, & se desuper obligandum nullatenùs teneri, neque ad id per Cameram, seu illius Officiales præfatos, aut alios quoscumque ullo unquam tempore cogi, vel compelli, & ob non solutionem, seu obligationem hujusmodi a quoquam quovis prætextu, colore, vel ingenio molestari, aut inquietari minime posse, neque debere, volumus pariter, atque decernimus.

Clausulæ prælervativæ, & decretæ salutaria.

Præsentes quoque Literas, etiam ex eo, quod prædicta Archiconfraternitas a Nobis suppressa, illiusque Custodes, & quicumque alii in præmissis interesse habentes, aut habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus, & conditionis, etiam specifica mentione digni, existant, illis non consenserint, vel, quantum ipsis libuisset auditi non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac substantiali, sive ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo, solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, seu occasione, vel causa, quantumvis justa, privilegiata, & rationabili, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præsentium necessariò exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam & terminos juris, aliudve facti, gratiæ, aut justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, & impetrato quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari: Sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac alios quavis auctoritate & potestate fungentes, in quavis causa & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogationes.

Non obstantibus singulis Pauli III., Pii IV., Clementis VIII., & Pauli V. Prædecessorum prædictorum Literis prædictis, ac quatenùs opus sit, de non tollendo jure quæsito, de unionibus, & applicationibus committendis, vocatis quorum interest, de exprimendo vero annuo valore, & Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Nobis, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac postremi Lateranensis Concilii, uniones & applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, nec non ejusdem Clementis VIII. formam servandam in aggregationibus præscribendis, ac felicis recordationis Pauli II., Pauli IV., dicti Pii V., & Sixti V., aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, annatas, & quindennia Cameræ, & Cancellariæ Nostris in unionibus solvi præcipientium, nec non prædicti Pii IV., de gratiis interesse ejusdem Cameræ quomodolibet concernentibus in dicta Camera infra certum tunc expressum tempus insinuandis, & registrandis, aliàs gratiæ ipsæ nullius

sint roboris, vel momenti, aut aliàs quomodolibet disponentium, aliisque quibusvis etiam in Provincialibus, & universalibus Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibusvis Superioribus, & Personis in contrarium præmissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, & innovatis, nec non quibuscumque piorum Oblatorum, aut Testatorum voluntatibus, ac dispositionibus, sive in donationibus, aliisque contractibus inter vivos nuncupatis, sive in eorum Testamentis, Codicillis, aliisque ultimis voluntatibus, cum quibuscumque conditionibus, & legibus, etiam caducitatis, & subrogationis alterius operis pii, adscriptis, atque statutis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ ad hoc servatâ, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissimè, & plenissimè, ac specialiter & expresse, Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus derogamus, eaque respectivè, ad effectum, de quo supra, commutamus, ac derogata, & commutata esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio. Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc Nostrarum Suppressionis, Extinctionis, Dissolutionis, Absolutionis, Subrogationis, Applicationis, Unionis, Concessionis, Reservationis, Præceptorum, Mandatorum, aliorumque præmissorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datâ die 9 Martii 1746. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI., VII. Idus Martii, Pontificatus Nostri Anno VI.

J. Datarius.

Pro D. Card. Passionco

*Joannes Florius Substitutus.*

Visa de Curia.

I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

---

III. Super celebratione duarum Missarum eâdem die per unum Sacerdotem.

*Venerabili Fratri Antonio Episcopo Oscensi.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Dubium ab Episcopo Sanctitati Suæ propositum. Declarasti Nobis, in sacra Visitatione, qua Diœcesim tuam perlustrasti, deprehendisse nonnullos Rectores Ecclesiarum Parochialium, quibus alia quoque Ecclesia a Parochiali longè sejuncta commendata est, quam ob exiguos proventus alii Sacerdoti committere nequeunt, qui Pro-Rectoris munus sustineat: hinc fieri, ut Rectores ipsi rem Divinam in utraque Ecclesia Festis diebus conficere non dubitent, ut populus uterque parere possit Ecclesiæ præcipienti Fidelibus, ut festis diebus Missæ Sacrificio interfint. Nobis etiam exposuisti, decrevisse in tua Synodo id minime licere Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, quoties alius Sacerdos præsto sit, qui Sacrum facere possit in una ex iis Ecclesiis, quæ Rectoribus subjiciuntur; id autem attulisse tam gravem Rectoribus ipsis molestiam, ut Synodalis Decreti executionem parumper differre censueris, donec sententiam in hac re Nostram, Nostramque voluntatem intelligeres. Quamobrem prudentiam tuam in primis commendamus, totiusque Hispanæ gentis in hanc Sedem Apostolicam observantiam, ob quam, si fortè aliquid incerti dubiique contigerit, ad Romanum Pontificem confugere, consiliumque ad explicandas difficultates deposcere consuevit. Deinde tuæ Synodi Decretum æquitati ac Disciplinæ Ecclesiæ maximè consentaneum esse respondemus; ita ut demandari executioni debeat, nec vanis omnino Rectorum querimoniis imminui, vel labefactari. Decretum Synodale Episcopi.

Quamvis nonnulli ex Theologis Moralibus (& quidem nimis indulgenter) plures rationes & causas excogitaverint, ob quas Sacerdos eodem die Sacrificium Missæ bis offerre posse videatur, quemadmodum facilè videri potest 3. *Summæ* Sancti Antonini *tit. 3. cap. 6. num. 5.* item *lib. 3. Summæ* Sancti Raymundi *tit. 24.*, & in Summa Hostiensis *ad tit. de celebratione Missarum num. 14. & seqq.* & in Summa Sylvestrina *in verb. Missa primò. §. Septimo quæritur*, & in Summa Armilla *in verb. Missa num. 15.* id tamen unanimi consensu permittitur Sacerdoti, qui duas Parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum Parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam: tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant ejusmodi Rectori, cum festi dies incidunt, bis Sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciat. Et Suarez *in 3. part. Divi Thomæ tom. 3. quæst. 73. art. 2. disput. 80. sect. 3.* de hac hypothesi loquens, inquit, in ea tantùm hodie licere duas Missas eodem die celebrare: *Casus de pluribus Parochiis est proprius, ac fere solus in usu.* At vero si in altera ex his Parochiis Sacerdos aliquis deprehendatur, qui rem Divinam facere possit, tum illarum Rectori nequaquam licet in utroque loco Sacrificium iterare, eo quod alterius Sacerdotis operâ populi necessitati satis consulatur. Ita probant unanimes Pasqualigus *de Sacrificio Missæ tom. 1. quæst. 381. num. 2.* Vericellus *de Apostolicis Missionibus tit. 1. de Privilegiis Regularium dub. 18. §. 31. num. 201.* Giribaldus *de Sacramentis tract. 5. cap. 7. dub. 2. num. 15.* Rotarius *in Theologia Morali Regularium tom. 3. cap. 2. punct. 11. num. 5.* Tournelius *in Prælectionibus Theologicis, de Sacramento Eucharistiæ part. 2.* juxta Parisiensem editionem *pag. 346.* Schmalzgrueberius *tit. de celebratione Missarum num. 41.* Quod si Scriptores isti vestras in manus nondum pervenerint, aliorum testimoniis rem plane cognoscetis, nempe Cardinalis Zabarellæ *in cap. Consuluisti, num. 3. de celebratione Missarum*, ubi hæc habentur: *Si est alius, qui celebrare possit, non celebrabit Sacerdos alia vice, dummodo ille alius sit paratus celebrare, & sit jejunus*: Petri de Ancharano *in Commentariis ad eumdem Textum num. 1. Intellige, si non sit alius ibi paratus ad celebrandum, & ille sit jejunus*: Cardinalis Toleti *in Summa lib. 2. cap. 3. num. 4.* Laymann *in Theolog. Morali lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 6.* Salmanticensium *Theolog. Moral. tom. 1. tract. 5. de Sacrificio Missæ cap. 5. punct. 1. num. 12.* juxta quartam editionem, quæ Matriti facta est *anno* 1717. Gavanti *ad Rubricas Missalis part. 3. tit. 12. num. 7.* Sententia Doctorum in hac materia.

At supervacaneum est plures auctoritates præstantium virorum congerere, cum id satis Decretum Synodi Limanæ.

superque constet ex septima Synodo Diœcesana, quam Sanctus Turribius *anno* 1592. celebravit *cap.* 3. *tom.* 4. Conciliorum Hispanorum, quæ simul collegit vir eximius inter Hispanos Cardinalis de Aguirre *pag.* 687. Porro hæc verba: *Juxta dispositionem Concilii Provincialis celebrati in hac Civitate anno* 1567., *quantum convenit, & per locum juris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum, Hispanorumque Parochis nostri districtus, ut diebus Dominicis, & festivis ex præcepto servandis, possint celebrare duas Missas in duabus Ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui in loco unius Ecclesiæ assistunt, non possint commode accedere ad audiendam Missam in altera.*

Quando juxta dictum Decretum Parocho liceat duas Missas eadem die celebrare.

Ex his apertissime deprehenditur concedi Parocho, qui duas Ecclesias distantibus omnino locis positas habeat, bis Sacrificium Missæ instituere, ne diebus festis Ecclesiæ præceptum a populo violetur; ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem priùs obtinuerit, uti Nos inferius explicabimus. Ex verbis autem depromptis ex eodem Capite tertio Limanæ Synodi, quæ mox subjiciemus, certi limites eidem Parocho statuuntur, ipsique perscribitur, ut uno tantùm loco Sacrum conficiat, si in altero Sacerdos occurrat, qui populo rem Divinam operari possit: *Cum autem habuerint alium Sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum Ecclesiarum, non poterit Parochus celebrare in utraque, sed unam Missam tantum in una, quandoquidem alter Sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi.*

Non ignoramus, auctoritatem Limanæ Synodi suæ Diœcesis finibus solum concludi. At, cum Sanctus Turribius regendæ Ecclesiæ peritissimus, & virtutum omnium gloria clarissimus semper habitus sit, ipsius legibus, ac Diœcesanis institutis eam saltem fidem atque auctoritatem, vimque, ut ajunt, directivam, adhibendam & adscribendam nemo inficiabitur, quam Itali omnes, aliique extra Italiam S. Caroli Borromæi Synodis omni tempore præstiterunt: neque in dubium quis revocare poterit, Sanctum Turribium, virum adeo singularem (pro cujus Canonizatione, cum Promotoris Fidei munus adhuc in minoribus gereremus, plurimum laboris impendimus) conferre plurimum, ut, si propositæ rei examen instituamus, illius sententia reliquis anteponatur; lætandumque idcirco Nobis jure merito videmus, qui Commentarium *de Sacrificio Missæ* in lucem proferentes, Italico sermone a Nobis conscriptum, cum Bononiensem Sedem administraremus, idem plane asseruimus, quod pro illustranda præsenti quæstione superius attulimus, & opinionem nostram auctoritate confirmavimus ejusdem Synodi Sancti Turribii, uti liquidò constat ex nostro Commentario, quod commemoravimus *tom.* 2. *part.* 4. *sect.* 2. *num.* 38. *& seqq.* & præcipuè *num.* 40., quod quidem primò Bononiæ Typis evulgatum fuit, ac nuper latinè redditum, ac typis impressum Patavii, lucem publicam rursus aspexit.

Confirmatur sententia ex aliis Conciliis.

Quod si Limanæ Synodo alia quoque Concilia adjungi velint, illud in medium proferri poterit, quod sub Mauritio Archiepiscopo Rothomagensi *anno* 1231. coactum est, quemadmodum legitur in Collectione Regia Maxima Conciliorum ab Harduino compilata *tom.* 7. *pag.* 186.: *Nullus audeat Missam bis in die celebrare, aut cum duplici Introitu, nisi in humana necessitate &c. & hoc, ubi non est, nisi unus Sacerdos:* alterum, quod Nemausi *anno* 1284. coactum fuit, cum Martinus IV. Apostolicam hanc Sedem obtineret, uti patet ex Collectione Labbeana *tom.* 11. *part.* 1. *pag.* 1213.: *Si omnes Parochiani ad unam Missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab Ecclesia & remotis, sicut est in montanis, nec sunt in Ecclesia duo Sacerdotes, &, dicta prima Missa, postmodum Parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum Sacerdos Missam aliam celebrare. Tamen si in prima Missa, post receptionem Corporis, & Sanguinis profusionem acceperit, non debet secundam Missam in prædictis casibus celebrare.*

Ea potissimum verba diligenter observari debent: *Ubi non est, nisi unus Sacerdos*: nec non alia: *nec sunt in Ecclesia duo Sacerdotes*: ex quibus clarè perspicimus, non licere Parocho, si alius Sacerdos præsto sit, duo Sacra perficere diebus festis, ut populus Missæ Sacrificio interfit, sive Missa celebranda sit in duabus Ecclesiis inter se distantibus, ut in supra citata Synodo Limana, sive una tantum sit Ecclesia, in qua Missa celebratur, & ad quam insimul universus populus convenire non potest, ut in Synodo Nemausensi. Hi quippe duo casus eodem jure censendi sunt, uti præcipuè advertit Theophilus Raynaudus *tom.* 17. *Operum* editionis Lugdunensis *pag.* 8.

Et ex sententia aliorum Doctorum.

Quæ huc usque dicta sunt, Canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur. Neque verò copiam Ecclesiasticæ eruditionis ostentabimus, ut cognitum id perspectumque faciamus, quod tamen facili negotio, si opus esset, consequeremur, cum duo præclari Scriptores postremis his temporibus congesserint casus omnes, quibus ante Decretales Prædecessorum Nostrorum Innocentii III. atque Honorii III. plures uno die Missæ ab eodem Sacerdote celebrabantur. Hi sunt Saintebeuvius *tom.* 3. *Resolutionum casuum conscientiæ cas.* 83. & Pontas *in Dictionario casuum conscientiæ, in verb. Missa cas.* 15. De hoc ipso argumento luculenter desseruit is, qui suis adnotationibus undecimam Sancti Leonis Epistolam illustravit, juxta editionem, quæ ultimo facta est. De ipso Nos quoque verba fecimus *in Commentario de festis diebus Domini Nostri ac Beatæ Virginis Mariæ part.* 1. *num.* 667. *& seqq.* Quamobrem, his prætermissis, illud affirmabimus, ex communi totius Ecclesiæ disciplina permitti tantùm Sacerdotibus hoc tempore, ut die Natali Salvatoris Nostri ter Sacrum faciant, vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur Fideles, uti ostendit Canon: *Nocte sancta de Consecratione dist.* 1. vel quia (si plurimi facienda videantur argumenta, quibus author Telesphorus illius Canonis impugnatur) Parens ac Magistra Ecclesia eum ritum die Natali Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuò commendaret veterem disciplinam, ob quam Sacerdos idem plura Sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrebant. Id Nos testimoniis præstantium virorum indicavimus in Commentario nostro, quod superiùs nominavimus, *part.* 1. *num.* 665. *& seqq.*

Id permittitur die Natali Domini.

Excepta die Dominicæ Nativitatis, juxta hodiernam disciplinam non licet Sacerdoti eodem die Sacrificium iterare. Argumenta minimè desumimus ex Decreto Alexandri Papæ II. *Can. Sufficit, de Consecratione, dist.* 1. ubi Pontifex ita decrevit: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere; & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest*: etenim Pontifex ita rem prosequitur: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit*: quibus verbis Alexander II. non improbare videtur eum Sacerdotem, qui saltem ob allatam causam bis uno die celebraret. Deinde sic Pontifex concludit: *Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures facere Missas, non æstimo evadere damnationem.* Porro ex his facili conjectura perspicere quisque potest,

Examinantur Decreta Pontificum, nempe Alexandri II.

Alexan-

Alexandrum II. Decreto solùm cavere, ne sordidæ utilitatis, sive assentationis gratia Sacrificium iteretur. Vasquesius idem Decretum sic explicat *in 3. part. Divi Thomæ tom. 3. quæst. 83. art. 2. cap. 5. num. 43.: In prædicta Epistola solum damnantur, qui pro pecuniis aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures Missas celebrare: de iis vero, qui ex sola devotione plures celebrarent, nihil dicitur.* Eamdem rem maxime declarant ea, quæ Thomassinus scripta reliquit *De veteri & nova Ecclesiæ disciplina par. 3. lib. 1. cap. 72. num. 6.* ubi clarè ostendit, libertatem pluries una die celebrandi, necessariò coërcendam fuisse, ut quorumdam Sacerdotum avaritiæ modus imponeretur.

Innocentii III.

Igitur omittentes Alexandri II. Decretum, alterius Prædecessoris nostri, nimirum Innocentii III. auctoriaate, ac Decretali rem nostram comprobamus, *Cap. Consuluisti, de celebratione Missarum: Respondemus*, inquit, *quod excepto die Nativitatis Dominicæ &c. sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Equidem Alexander II., uti superius commemoravimus, & Innocentius III. ubi sunt hoc eodem verbo *sufficit*: at secundo tantùm loco per id verbum præceptum indicitur: nam si quis integram Innocentii Decretalem percurrat, apertissimè cognoscet, id petitum fuisse a Pontifice, *utrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare.* Porro illud *valeat*, idem prorsus significat, ac *liceat*. Cum igitur responsum dederit Pontifex, sufficere *Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare*; illud *sufficit*, Sacerdotes adigit præcepto, ne plura Sacrificia uno die faciant.

Honorii III.

Ita Vasquesius interpretatur eo loco, quem paulo ante indicavimus *num. 44. Nam quod quæsitum fuit, utrum valeat celebrare, idem est, ac si quæreretur, utrum liceat ei celebrare. Cum ergo respondit Pontifex*, sufficit &c. *hoc verbum denotat præceptum prohibens, plusquam semel celebrare.* Neque mirari quis debet, si idem verbum *sufficit*, consilium uno loco, alio autem præceptum præferat. Id ipsum quippe etiam contigit in verbo *non oportet*: quod juxta varias rerum circumstantias, in Jure Canonico modò solum honestatis officium ac decentiam denotat, modò vero necessitatem atque præceptum, uti pluribus exemplis demonstrat Baldellus *disput. Theolog. tom. 1. lib. 5. dub. 21. num. 4.* Verùm ex Honorio III. qui post Innocentium III. Pontifex renuntiatus fuit, in textu *Te referente*, sub eodem titulo *de celebratione Missarum*, manifestò deprehenditur, illud verbum *sufficere*, de quo in Decretali Innocentii III., cum præcepto conjungi. Rem totam, sicuti gesta est, recensebimus, uti constat ex Gonzalez, qui Decretalem integram ejusdem Honorii describit.

Casus ejus decretalis.

Syponti nus Archiepiscopus (eam modò civitatem vulgo Manfredoniam appellant) feriâ quintâ majoris hebdomadæ Sancta Olea de more in Ecclesia Cathedrali rite consecrabat. Eâdem die mane se conferebat ad Montem Garganum, ut peregrinos exciperet, qui magnâ frequentiâ in eum locum Religionis causa confluebant. Ejus loci Clerus ac populus Archiepiscopum magno studio rogarunt, ut Sacrum iteraret; quod tamen ille facere recusavit, donec super hac re Pontificis Honorii III. responsum sibi redderetur. Pontifex initium desumit a verbis ipsis Innocentii III. Prædecessoris sui, nempe: *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam & valde est felix, qui celebrat dignè unam.* Post hæc præcipit Archiepiscopo, ut Syponti rem Divinam peragat, ubi Sacrum Chrisma conficere debebat, & in Ecclesia Montis Gargani Sacrificium offerre prætermittat; hisque utitur verbis, quibus illud *sufficit*, ab Innocentio III. scriptum, cum præcepto omnino copulari declarat: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cœnæ Domini in Ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare.* Innocentius, qui, excepto die Nativitatis Dominicæ, prohibuit Sacerdoti plures Missas unâ die celebrare, *in cit. Cap. Consuluisti, de celebratione Missarum*, addidit: *nisi causa necessitatis suadeat.* At Honorius, qui *in Cap. Te referente, eodem tit. de celebratione Missarum*, Archiepiscopo Sypontino rescripsit, ipsi fas non esse, post rem Divinam peractam, dum Sacrum Chrisma conficiebat in Ecclesia Sypontina, aliam Missam celebrare in Ecclesia Montis Gargani, declaravit, causam necessitatis ab Innocentio admissam, nunquam adesse, cum alius invenitur Sacerdos, qui secundam Missam celebrare potest: secundam quippe Missam noluit ab Archiepiscopo in Ecclesia Montis Gargani celebrari, ex quo inverisimile ipsi visum est, quod alius non adesset Sacerdos, qui Missam in eadem Ecclesia celebrare posset, juxta monitum Cardinalis de Turrecremata *in Can. Sufficit, sub num. 4. de Consecratione, dist. 1.* En ejus verba: *Quod autem in Decretali Te referente, Episcopus videtur reprehendi, quod bis celebraverat die Cœnæ, est propter hoc, quia non erat necesse, quod Episcopus celebrasset, nisi in illa Ecclesia, in qua de consuetudine debebat Chrisma conficere, quia hoc non potest, nisi Episcopus, & aliam Missam celebrare poterat simplex Sacerdos, quia verosimile est, Episcopum posse per Vicarium celebrare, & in illa Ecclesia plures Sacerdotes fuisse.* Quod etiam ante Cardinalem a Turrecremata, jam fuerat adnotatum ab Hostiensi *in Cap. Te referente num. 3.*, ab Antonio de Butrio *super eodem textu num. 3.*, & ab Abbate *super eodem quoque textu in fine tit. de celebratione Missarum.*

Quid de Episcopis, qui habent duas Cathedrales.

Præterea casum proponunt Episcopi, qui præesset duobus Episcopatibus inter se vicinis; ut in Archiepiscopo Sypontino contigisset, si Summi Pontifices Alexander III., & Innocentius III. sententiam non protulissent contra Garganicos contendentes, Ecclesiam suam Episcopalem esse, & unitam Ecclesiæ Sypontinæ, quemadmodum legitur apud Ughellium de Metropoli Sypontina tractantem *tom. 7. Italiæ Sacræ*: quæruntque, an sub obtentu Chrisma conficiendi in utraque Ecclesia, quod sine celebratione Missæ consecrari decenter nequit, posset, ea die bis Sacrificium offerre; & unanimiter respondent, id non licere: & sic rem componunt, quod uno anno in una Ecclesia celebret Missam feria quinta in Cœna Domini, & conficiat Chrisma; & alio anno id ipsum faciat in alia Ecclesia; & ab una ad aliam Chrisma consecratum, uti moris est, transmittat: Reque sic composita, asserunt, nullam ex suis Ecclesiis Chrismate carituram esse, subditosque unius, vel alterius Episcopatus nullatenus excludi a commoditate audiendi Missam quintâ feriâ in Cœna Domini, in qua maximopere expedit, ut audiant Missam; ea quippe celebrari poterit a Sacerdote in Ecclesia, in qua eo anno Episcopus Chrisma non conficit, cum verisimile non sit, alium non reperiri Sacerdotem, qui ea ipsa die Sacrum in ea facere possit; veluti prosequuntur Hostiensis, Antonius a Butrio, & Abbas *locis citatis.*

Hæc sunt, quæ ex Jure Canonico desumpsimus. Sed cum Glossa *in Cap. Consuluisti, in verb. necessitatis, de celebratione Missarum*, necessitati addat utilitatem, & vel utilitatem, vel necessitatem satis esse dicat, ut unus Sacerdos eodem die bis Missam celebrare possit, bene deprehendimus, Parochos, de quibus agitur, posse tum utilitatem, tum necessitatem prætexere, ut sibi putent fas esse bis in die celebrare, etiamsi alius sit Sacerdos, qui Sacrum

facere

facere valeat: utilitatem quippe in eo constituent, quod, bis ipsi celebrando non subministrabunt Sacerdoti celebraturo eleemosynam pro Missa, quam celebrabit; necessitatem in sua inopia constituent, ob quam nequeunt prædictam eleemosynam alteri Sacerdoti Missam celebranti elargiri. At neutrum eis suffragari potest.

Et utilitas quidem non suffragatur: quidquid enim sit de titulo utilitatis; qui illum admittunt, illum explicant & intelligunt, non de utilitate celebrantis, sed Missam audientis. Sic docet Cardinalis Zabarella *in Cap. Consuluisti, num. 3. de celebratione Missarum.* En ejus verba: *Considera, quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis, non celebrantis.* Et concordant super eodem Capitulo Antonius a Butrio *num. 4.*, Abbas *num. 2.*, & cæteri, quos vocant Repetentes; & præclarè inter recentiores docuit Vericellus *de Apostolicis Missionibus tit. 1. de privilegiis Regularium dub. 18. num. 201.* Utilitas autem proposita non populum, sed Parochum respicit, & sic celebrantem, & non audientem.

Causa utilitatis non sufficit ut bis celebretur.

Minus quoque prodest necessitas ex inopia desumpta; cum plura sint expendenda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primò, an revera Parochi tantâ premantur egestate, ut alteri Sacerdoti stipendium Missæ nequeant suppeditare: si enim inopia adeo magna non sit, Episcopali auctoritate, juxta Caput quartum Concilii Tridentini *sess. 21. de Reformatione*, adigi poterunt, ut Sacerdoti Missam celebraturo eleemosynam elargiatur, uti sapienter admonet Engel. *ad tit. Decretalium de celebratione Missarum num. 3.* Secundò, si Parochis tenues omnino anguste proventus obveniant, videndum, an populus etiam in eadem paupertate versetur: quemadmodum enim Episcopus adigere potest Sacerdotem, ut populo Sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo, ut celebranti Sacerdoti consuetum stipendium elargiatur. Id etiam ex Tridentino Concilio desumitur *sess. 23. cap. 14. de Reformatione*, ubi hæc leguntur: *Curet autem Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus &c. Missas celebrent:* siquidem illud verbum *Curet*, præceptum inferre in hac gravissima causa, non est dubitandum. Hoc pacto Concilii sententiam explicat Pasqualigus, qui scriptum ita reliquit *de Sacrificio Missæ quæst. 844. num. 11.*: *Si in aliquo Oppido sit unus tantùm Sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis, & adsint alii simplices Sacerdotes, poterit Episcopus eos cogere ad celebrandum diebus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit, quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam Missam; & ideo cum Sacerdotes habeant ratione Ordinis munus suum addictum populo, poterit Episcopus eos cogere, ut impendant officium suum populo, offerendo Sacrificium, ut absque difficultate possit adimplere præceptum audiendi Sacrum. In tali tamen casu tenebitur populus aliquid contribuere iis Sacerdotibus pro substentatione; quia, cum ministrent populo, æquum est, quod accipiant aliquid pro substentatione.*

Neque paupertatis ex inopia Ecclesiæ.

Porro difficile prorsus videtur, omnia hæc simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc, Ven. Frater, ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri largè consuevisti, stipendium pro re Divina facienda Sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut Sacrificium iterent Parochi, quibus non deest alius Sacerdos, qui diebus festis populo ministret.

Perpendit rationes Parochorum.

Post hæc, quæ a Nobis prolata ad veritatem illustrandam dici possunt, ad ea sermonem transferimus, quæ ab ipsis Parochis proponi audimus. Vehementer ipsi conqueruntur, si facultas iterandi Sacrificii diebus festis ipsis adimatur; eo quod munere suo perfungi nequeant, quod non solùm constituitur in celebranda & applicanda Missa pro populo, cum festi dies peraguntur, sed etiam in explicandis Religionis mysteriis, tradendaque pueris Christiana disciplina, cum ad Sacrum audiendum in Ecclesiam conveniunt.

Incredibilem ex hoc voluptatem sane percepimus. Etenim quum olim fel. record. Prædecessor Noster Innocentius Papa XIII., ad discutienda Hispani Cleri gravissima negocia ab insigni viro bonæ memoriæ Ludovico hujus S. R. E. Cardinali Belluga nuncupato proposita, peculiarem Congregationem præstantium aliquot ejusdem S. R. E. Cardinalium deputasset; Nobisque tunc in minoribus constitutis ipsius Congregationis Secretarii munus demandasset; meminimus non parum temporis, plurimumque laboris Nobis opus fuisse, ut falsam omnino probaremus opinionem, ob quam Parochi Hispani se immunes ac liberos dictitabant ab edocendis instruendisque Christianâ doctrinâ pueris, eo quod hujusmodi exercitationes in aliis quoque Ecclesiis haberentur; aut quia Concionatorum operâ studioque satis fideles instruerentur; aut etiam ob vetustissimam consuetudinem, quæ Parochos ipsos ab hoc onere vindicare videbatur. Quæ omnia leguntur in Constitutione, quæ incipit *Apostolici ministerii*, quam præfatus Innocentius Prædecessor promulgavit, in qua §. 9. recensentur ac refelluntur ea omnia, quæ modò commemoravimus.

Quas rejicit.

His autem per transennam adnotatis, jam responsum quæstioni faciamus, videlicet non esse iterandum die festo Sacrificium, si Parocho alius Sacerdos operam suam navare possit, etiamsi Catechismus eodem die, Fideique mysteria populo explanari debeant. Hæc enim fieri possunt ejusdem Sacerdotis ministerio, qui ad Sacrum conficiendum inducitur: quemadmodum Nos ipsi statuimus in Bononiensi Diœcesi, cum in ea sedem haberemus, haud ignorantes, id consentaneum esse Decretis, quæ super hac re Pontifices Romani non semel ediderunt. Id Nos ostendimus *Instit. 3. tom. 3. nostrarum Institutionum Ecclesiasticarum*, quæ Bononiæ impressæ fuerunt. Accedit, quod Parochus, qui die festo fideles instituendos in utraque Ecclesia libenter suscepisset, si iterandi Sacrificii facultas traderetur, id facilius consequi possit, si in altera solùm Ecclesia rem Divinam faciat, ac populum edoceat, deinde ad aliam se conferat Ecclesiam, ubi a Sacrificio abstineat, & Christianæ Legis instituta dumtaxat populo declaret.

Tui præterea Parochi queruntur, quod ipsis hanc facultatem impertiri dubites, quam a tuis Decessoribus semper impetrarunt. Certissimum illud est Missionariis tantùm a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die Sacrificium bis operentur; reliquis verò Sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur; cujus sanè judicium ad ipsos Sacerdotes nequaquam pertinet. Ita testatur Vericellus *de Apostolicis Missionibus tit. 4. de privilegiis Regularium quæst. 19. num. 202. Quæres primò, an ad celebrandas duas Missas in locis, ubi adest talis necessitas, requiratur licentia Episcopi? Respondetur affirmative, seclusis privilegiis Missionariorum. Ita a Sacra Congregatione resolutum.* Certum quoque est, facultates ejusmodi, nisi necessitas id postulet, nunquam concedi; vel, si aliquando concedantur, non haberi tamquam alicujus Sacerdotis privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis. Fagnanus id fatetur *Cap. In ordinanda, num. 37. de Simonia*: *Miratur Sacra Congregatio agi de his licentiis concedendis; nam id nonnisi ex magna necessitate fieri debet, & magna cautela, ut puta in locis, ubi perpaucissimi sunt Sacerdotes, vel adsunt impedimenta adversariorum Fidei, vel*

*quid simile &c. Nec concedi potest hæc licentia ab Episcopo generaliter, quasi privilegium alicujus Sacerdotis, sed tantùm in aliquo casu particulari, necessitatis causa ab Episcopo examinanda.* Itaque cum ejusmodi causam necessitatis haud deprehenderis, nunquam Parochos tuos probabimus, si ipsi de te conquerantur, Nos prudentiam Fraternitatis Tuæ magnopere commendamus, Teque agnoscimus animum, mentemque tuam conformasse exemplo prædicti Sancti Caroli Borromæi, qui *in prima Synodo Provinciali cap. 5.* abrogavit *licentias a suis Prædecessoribus concessas plures Missas celebrandi.*

Quid de consuetudine.

Parochi postremò, ut causam suam tueantur, vetustissimam adducunt consuetudinem. Nos, utrum ratione, an temere id asserant, examinare prætermittimus. Solùm inquirimus, utrum ea consuetudo rationem præscriptionis, aut præsumptionis sibi comparaverit; & utrumque falsum, & alienum judicamus. Non utique Jus Divinum, sed Jus Ecclesiasticum prohibet, eadem die ab eodem Sacerdote Sacrificium iterari. At non omnia, quæ Juris tantùm Ecclesiastici sunt, præscribi possunt. Si etenim juxta Civiles Leges, *sanctæ res* præscribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per præscriptionem aliquid obtentum, vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiæ, quarum observantiam Sacrum Tridentinum Concilium in Missarum celebratione Sacerdotibus omnibus præcipit, uti colligitur ex Decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ.*

In nonnullis regionibus mos inoleverat, quod Parochi duarum Parochiarum feriâ sextâ majoris hebdomadæ Officium faciebant, primùm in una ex Parochiis, & deinde illud iterabant in altera. Jejunii præceptum in sumptione Eucharistiæ non est Juris Divini, sed Ecclesiastici, teste Cardinali Bona *Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 21. num. 2.* ubi refert, initio non omnibus in locis universos prædictâ lege obstrictos fuisse: cumque, hoc minimè obstante, animadversum fuisset, Parochum celebrantem Officium in secunda Parochia, non jejunum sumere Eucharistiam sub specie panis; sumpserat enim in Officio, quod celebravit in prima Parochia, particulam Hostiæ consecratæ die præcedenti, unà cum vino non consecrato, & sic jejunium fregerat naturale; reprobata fuit consuetudo, etsi, uti asserebatur, pietati & devotioni innixa. Hoc exemplo perculsi alii Parochi duarum Parochiarum, aliam induxerunt consuetudinem, ut in utraque Parochia Officium feriæ sextæ majoris hebdomadæ celebrare possent; prætermittendi videlicet hausturn vini in primo Officio, quod in prima Parochia celebrabant, sumentes tantummodo speciem panis, ut jejuni in secunda Parochia Officium facerent, Missamque, quæ dicitur Præsanctificatorum, celebrarent. At hæc quoque consuetudo fuit reprobata, utpote contraria ritui Ecclesiastico, quem & Ordo Romanus, & Sacramentarium Sancti Gregorii præscribunt, & adhibet universalis Ecclesia. Franciscus Sylvius magni nominis Theologus *tom. 5. suorum Operum* editionis Antuerpiensis *Orat. 1.* quæ est unica *de Officio Parasceves*, rem graphicè exponit, nec Parochorum consuetudini censet esse ullo modo deferendum. De hac eadem re plura habentur apud Suarez *in 3. part. Divi Thomæ tom. 3. quæst. 73. art. 2. disput. 80. sect. 3.* Et Nos ipsi hæc omnia exposuimus *in nostro Tractatu de Sacrificio Missæ*, typis Patavinis edito, *sect. 2. §. 39.* Et *in alio Tractatu de Festis Domini Nostri Jesu Christi par. 1.* typis quoque Patavinis edito, *§. 336. & seqq.* confutavimus errorem Græcorum Schismaticorum, qui volunt, in Missa Præsanctificatorum, per immersionem Particulæ in Calicem ex Sacratissima Hostia detractæ, transubstantiationem fieri vini in Sanguinem Christi; & diximus, Sacerdotem in Officio feriæ sextæ majoris hebdomadæ, sumere Christi Corpus & Sanguinem, cùm utrumque revera sit sub specie panis, præcedenti licèt die consecrati.

Præscriptionem excipit præsumptio, de qua modò sermo habendus est. Equidem non ignoramus Jurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis immemorabilis afferri posse in medium quemcumque gratiosum titulum, & etiam privilegium Apostolicum, quod utpote nullo certo documento probatum, præsumptum appellatur. Sed, cæteris prætermissis, ne hæc epistola longior evadat, subdimus, hæc intelligi posse de illis privilegiis, quæ impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset; non verò de illis, quæ cùm postulantur, negari omnino consueverunt; ne præsumptio plus habeat roboris, & momenti, quàm veritas.

Romanis Pontificibus mos est, ut ea negotia, quæ ipsi per se expedire nolint, ad Congregationes rejiciant examinanda; ut earum consilio rem expediant. *Anno 1657.* cùm in Civitate, quàm dicunt *de Assumptione*, in Provincia Paraguarienſi, pars magna Nobilium domi se contineret, utpote decenti apparatu vestium carens, nec accederet ad Ecclesiam, ut Sacrum die festo audiret, Episcopus exoravit, ut sibi facultas daretur celebrandi Missam antelucanam Nobilium prædictorum gratiâ, & aliam ante meridiem, ut reliquus populus Missæ præcepto diebus festis satisfaceret. De hac re actum fuit in Congregatione Concilii *die 1. Septembris 1657.* nec petitio fuit exaudita, eâ potissimùm de causa, quod imperceptibile visum est, alium non adesse Sacerdotem, qui Missam antelucanam celebraret pro Nobilibus; quemadmodum colligitur *ex lib. 21. Decretor. pag. 56.*

Præterea vobis omnibus notum est, in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & in Comitatu Catalauniæ, die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quemlibet Sacerdotem Sæcularem bis Missam celebrare posse, & ter quemlibet Sacerdotem Regularem; quod singulare privilegium antiquæ consuetudini, & famæ Apostolici privilegii concessi vel a Julio III., vel a Paulo III. Summis Pontificibus innititur. De dicto privilegio egimus *in supra citato nostro Commentario de Sacrificio Missæ sect. 2. §. 31.* & latiùs dum munere fungebamur Secretarii Congregationis Concilii, cùm Causa quædam *Castellana* pertractaretur, quemadmodum videri potest in Thesauro Resolutionum prædictæ Congregationis *tom. 2. pag. 168.*, & plura quoque de dicto privilegio relata fuerunt a bonæ memoriæ Cardinali Lanfredino, dum ipsum Secretarii munus obiret, & de quadam Causa *Oriolen.* ageret, de qua *tom. 5. ejusdem Thesaur. pag. 384. & seqq.* Viri, qui dignitate, & præstantia supra cæteros eminebant, Summis Pontificibus humillimè supplicarunt, non ut quidem rem novam permitterent, sed ut tantùm ad quasdam alias regiones memoratum privilegium extenderent, ob quod Presbyteri tum Sæculares, tum Regulares in die Commemorationis omnium Defunctorum rem Divinam iteratò faciebant, precesque suas singulari pietate, & rationibus undequaque petitis cohonestarunt: negotioque a Summis Pontificibus remisso ad Congregationem Concilii, hæc precibus hujusmodi morem haud gessit, sed petentes, uti fieri cum principibus viris consuevit, urbanè dimisit, quemadmodum recensuimus *in citato nostro Tractatu de Sacrificio Missæ sect. 2. §. 32.* editionis Patavinæ.

Porro si denegatum fuit Episcopo petitum privilegium celebrandi bis in die festo, ut Nobiles

satis-

satisfacerent præcepto audiendi Missam, eo quod alius aderat Sacerdos, qui Sacrum facere poterat; si principum virorum vota exaudita non fuerunt, qui tantùm pro extensione privilegii precabantur, & talis privilegii, quod unicam tantùm diem quolibet anno respiciebat; unusquisque facili negotio cognoscere poterit, quid a Sede Apostolica factum esset, si simplices Parochi facultatem petiissent bis celebrandi, ubi alius non deesset Sacerdos, qui Parocho operam suam præstare posset, & bis celebrandi, non unicâ die intrà annum, sed tot diebus, quot per anni cursum festi dies celebrandi fidelibus præcipiuntur.

Decretum Episcopi servandum decernitur.

Ut Fraternitati Tuæ postulatis responderemus, negotium unico verbo cognoscimus Nos absolvere potuisse, dicendo nimirum, tuam Constitutionem Synodalem observandam esse. Henricus enim Boich, antiquus Juris Canonici Professor, *in Comment. ad Cap. Te referente, num. 2. de celebratione Missarum*, docet a nemine binas Missas eâdem die celebrari posse, si id sit vetitum in Constitutione Synodali. Sed hæc scribenda ad te putavimus, ut tuum religionis eximium studium nostris laudibus prosequeremur. certamque normam, ac rationem ante oculos propositam haberes, ad quam consilia tua, tuamque mentem tutissimè conformares. Quapropter tres dies in privata nostra Bibliotheca manè insumpsimus, quos vacuos, ac liberos ab audiendis Ministris, molestisque negotiis nacti sumus, ut has literas conficeremus. Postremò te summopere iterumque commendantes, qui hujus Sedis Apostolicæ in dubiis rebus sententiam consiliumque exquisieris, Benedictionem Tibi nostram, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XVI. Martii MDCCXLVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Dat. die 16. Martii 1746.

---

IV.

De Præsentatione dignioris inter approbatos ab Examinatoribus ad Parochiales Ecclesias Jurispatronatus Ecclesiastici, cum resolutione nonnullorum dubiorum.

*Venerabili Fratri Archiepiscopo Florentino.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

REDDITÆ Nobis sunt Literæ Tuæ, quibuscum una ad Nos misisti disceptationem Advocati Petri Brogiani, ut de iis, quæ a Te proponebantur, quæ nostra sententia sit, diceremus.

Tria dubia Pontificis proposita.

Primum: *An Patronus Ecclesiasticus teneatur in foro externo præsentare ad Beneficium Curatum eum, qui inter approbatos ab Examinatoribus magis idoneus, & magis dignus est?*

39. Similmente vogliamo, che tutti li ordini de' pagamenti diretti alla Depositeria Generale, o ad altri, tutti li ordini di consegnare Robe, Monizioni, Armi, e simili, e generalmente tutte le ordinazioni di qualunque sorta, quali si daranno dal Tesoriere Generale, dal Commissario dell'Armi, dal Commissario del Mare, o da altri, come sopra, debbano registrarsi in Computisteria, e debbano essere sottoscritte dal Computista, ad effetto, che possa tenerle a calcolo in conto di quelli, a quali saranno dirette, o anche ad effetto che dopo giustificato l'adempimento di tali ordinazioni possa spedirsi l'ordine del pagamento, come altre volte fù prescritto nell' enunciato Chirografo di Urbano VIII. Nostro Predecessore; e mancando il suddetto Registro, e sottoscrizione del Computista, vogliamo, che dette ordinazioni non abbiano alcuna esecuzione, e che le consegne, e pagamenti, che mai si facessero in virtù delle medesime, non debbano essere abbonati, e bonificati.

Le alterazioni de' Monti, che sono d'interesse della Camera, devono essere registrate in Computisteria.

Ingiungendosi all' Amministratore generale di darne nota &c.

40. Egli è parimente necessario per ben regolare la Scrittura Camerale, che tosto che seguono traslazioni de' Monti, o attergazioni in favore della Camera, aggiunte, ammissioni, & altre somiglianti cose, che sono di suo interesse, se ne dia notizia alla Computisteria, ad effetto di registrarle ne' Libri: E perciò vogliamo, & ordiniamo, che in avvenire sia peso, e cura dell'Amministratore generale de' Monti di dare prontamente alla Computisteria dentro il termine di otto giorni nota distinta, e copia di tutte le suddette traslazioni, aggiunte, ammissioni, attergazioni, e di ogn'altro atto, che passi per la sua Segreteria, in cui abbia, e possa avere interesse la nostra Camera, altrimenti cada nella pena di dieci scudi di moneta il giorno, da applicarsi come sopra.

I Segretarj della Camera devono dare alla Computisteria le copie degl' Istromenti, Chirografi &c.

41. Al medesimo fine, seguendo l'orme di Urbano VIII. nel detto suo Chirografo, e di Clemente XII. in detta sua Costituzione, vogliamo, ordiniamo, e comandiamo, che li Segretarj di Camera diano onninamente alla Computisteria suddetta le copie di tutti li Chirografi, Istromenti, e di ogn'altro contratto, nel quale abbia interesse la Camera, a spese della medesima per la Scrittura solamente, dentro il termine di giorni quindici, dopo che saranno emanati, e respettivamente stipolati; e questo non solo ad effetto di conservarle in Computisteria, ma ancora per regola della Scrittura, ed in caso di mancanza, dopo spirato il detto termine vogliamo, che quel Segretario, che avrà mancato, incorra la pena di scudi dieci, da applicarsi come sopra, senza che possa ammetterli alcuna scusa, o purgazione di mora. Così ancora il Sostituto Commissario, e li Sollecitatori della Camera saranno tenuti sotto la medesima pena dare alla Computisteria nota distinta di tutte le risoluzioni, e di tutte le sentenze, quali escono dalla piena Camera in quelle cause, nelle quali la medesima Camera fà figura di Attrice, o di Rea convenuta, immediatamente che saranno risolute, e lo stesso anche di tutte le altre cause di prima istanza avanti il Cardinal Camerlengo, Monsignor Tesoriero, e di qualunque altro Giudice Camerale.

Il Sostituto Commissario, ed i Sollecitatori devono anche ad essa dare nota di tutte le Sentenze, Decreti &c.

42. Inoltre vogliamo, che li medesimi Sollecitatori, dopo stipolati l'Istromenti degli Appalti, o Amministrazioni, siano obbligati d'insistere, che gl'Appaltatori, & Amministratori diano con effetto le sicurezze promesse dentro il termine prescritto ne' medesimi Istromenti, riconoscere in Segreteria de' Monti, se l'abbiano effettivamente date, e respettivamente nella Computisteria, se siano alla medesima giunte le note, e copie, delle quali come sopra è stato incaricato l'Amministratore de' Monti, e mancando a questa loro precisa incombenza, siano tenuti a tutti i danni, ed interessi. Di più li stessi Sollecitatori sieno tenuti & obbligati, continuamente, ed almeno ogni due giorni portarsi ciascheduno alla computisteria, sì per l'effetto suddetto, come per altri bisogni, che possono giornalmente occorrere, e particolarmente per prender le notizie de' debbitori; E finalmente ancor essi vogliamo, che debbano dar nota di tutte le Subaste, traslazioni de Monti, e stipolazioni di contratti colla Camera, dentro il termine di quindici giorni dopo che quelle saranno seguite, e mancando incorrino per ogni volta nelle pena di scudi dieci, da esiggersi, & applicarsi come sopra.

De'Sollecitatori, e varie loro incumbenze.

43. Affinchè li due Sollecitatori della Camera possano più facilmente adempire le suddette incombenze, & uno di essi non possa scaricarsi sopra l'altro, ingiungiamo, & incarichiamo a Monsignor Tesoriero Generale di fare in scritto frà di essi una giusta, & adeguata divisione a suo arbitrio degli Appalti, e delle altre materie Camerali, sopra le quali cadono le riferite incombenze, e secondo tal divisione ognuno di loro, dovrà esattamente eseguire quanto gli spetta.

Divisione dell'incombenze da farsi frà i due Sollecitatori.

44. Così pure essendo Noi pienamente persuasi quanto sia necessario per la buona amministrazione del nostro Erario, e regolamento della Scrittura, che si tenga *la Congregazione de' residui* providamente istituita da Clemente XII. in detta sua Costituzione nel §. *Et ad hoc*, variando solamente in qualche parte dalla medesima; Vogliamo, ordiniamo, e comandiamo, che detta Congregazione debba radunarsi, e

Della Congregazione de Residui con alcune ordinazioni circa d'essa.

tenersi

tenersi onninamente sei volte almeno l'anno avanti il Tesoriere Generale pro tempore, coll'intervento dell'Avvocato Fiscale, Commissario della Camera, Computista generale, Sostituto Commissario, & li due Sollecitatori, cioè in Febbraro, Aprile, Giugno, Agosto, Ottobre, e Decembre, dentro li primi dieci giorni di ciascuno di detti mesi, & che sia cura, e peso del Computista di ricordarne a Monsignor Tesoriero l'intimazione. Affinche poi la medesima si faccia con buon'ordine, e profitto, ordiniamo in primo luogo, che il Computista sia tenuto qualche giorno prima portare, e lasciare in mano di Monsignor Tesoriero la lista, e nota esatta di tutti li debbitori della Camera fino a quel tempo: Che questa stessa nota, e lista debba leggersi in Congregazione, e prendersi sopra ciascuno di essi debbitori le risoluzioni, che si stimeranno espedienti per la più sollecita esiggenza, e sicurezza della Camera: Che il Sostituto Commissario scriva le suddette risoluzioni, e che queste medesime debbano leggersi nell'altra sequente Congregazione, affinche il Commissario, e gli altri Ministri Camerali diano conto ciascheduno di loro delle incombenze appoggiategli con dette risoluzioni nella Congregazione antecedente, e così di mano in mano, e di Congregazione in Congregazione, talmente che in ciascuna Congregazione non solo debbano prendersi le convenienti risoluzioni sopra ciascuno de' debbitori, che di tempo in tempo si andaranno facendo, ma inoltre debba esiggersi il dovuto conto, se sono state, e come sono state eseguite le precedenti risoluzioni, affinche possino darsi in essa Congregazione, quando bisogni, li ulteriori provvedimenti: Che se mai in qualche Congregazione non si arrivasse a finire tutte le cose suddette, vogliamo, che la medesima si continui nel giorno seguente, o nel primo non impedito, com'è stato di sopra disposto per la Congregazione de' Conti.

Oltre la nota de' debbitori liquidi solita portarsi al Papa dal Tesoriero, deve il Commissario della Camera portare la nota de' debbitori litigiosi, e lo stato delle liti.

45. E perchè nella prelodata Costituzione di Clemente XII. al §. *Ad hæc* si trova già incaricato il Tesoriere Generale di portare ogni volta al Sommo Pontefice pro tempore la suddetta lista, e nota de' debbitori, perciò Noi non solo approviamo, confermiamo, & nuovamente incarichiamo il medesimo Tesoriero, e suoi Successori di portare a Noi, & a Nostri Successori pro tempore la suddetta nota de' debbitori nella prima udienza dopo ciascuna Congregazione, ma di più vogliamo, & ordiniamo, che il Commissario della Camera similmente ci porti, e ci presenti nella medesima udienza un'altra nota a parte di tutti li debbitori litigiosi, e lo stato, nel quale si trovano, e si andaranno di mano in mano trovando le cause de' medesimi in qualunque modo pendenti o nella Congregazione de' Conti, o in altro Tribunale Camerale, e che sia specialmente tenuto riferire, se nella detta Congregazione de' Conti siano state decise, e risolute tutte le partite controverse, com'è stato da Noi poco sopra ordinato, ad effetto che non resti per tal causa ritardato il corso della Scrittura, e la formazione del Bilancio generale di ogn'anno nel tempo determinato.

Il Computista debba tenere un'esatto Inventario de' Libri, e Scritture della Computisteria col suo Indice.

Parimenti proseguire il Catastro degl'Effetti della Camera.

46. Vogliamo in fine, che il Computista debba fare, e tenere un'esatto Inventario di tutti li Libri, e Scritture della Computisteria col suo Indice, e dimostrazione, & che debba esserne fedel custode, come già fù prescritto da Pio IV. in detta sua Bolla, e nel Chirografo di Urbano VIII., e che il più volte nominato Francesco Simonetti proseguisca incessantemente l'opera già da lui incominciata del Catastro generale di tutti gli Effetti, Proventi, Dazj, Tasse, Gabelle, & ogn'altra Entrata, e Capitale, dal quale si forma lo intiero Stato, e Patrimonio della Camera, secondo le notizie, che di mano in mano potrà acquistare colla sua diligenza, siccome fù ordinato in detta Bolla di Clemente XII. al §. *Postquam igitur*, e da Noi stessi in detto Nostro Chirografo delli 31. Decembre 1743., volendo Noi, che a tal'effetto possa egli costringere, & obbligare ciascuna Persona, che possa avere tali notizie, a somministrargliele prontamente, anche mediante le opportune gravatorie da spedirsi a sua istanza da Monsignor Tesoriero, e suoi Successori, ai quali specialmente diamo la facoltà d'invigilare sopra il Computista, e riferire a Noi, e Nostri Successori, se mai da lui non si adempissero le incombenze, che se li appoggiano nella presente Cedola di nostro Moto proprio.

Per l'esecuzione, ed osservanza delle riferite disposizioni, si riserva Nostro Signore di deputare una Congregazione particolare &c.

47. Con la scorta di questa distinta, e regolata Scrittura, e del suddetto annuale Bilancio tanto di Scrittura, che di Cassa, speriamo con l'ajuto di Dio, che potremo facilmente tanto Noi, che li Nostri Successori distinguere, osservare, o giudicare, se vi saranno cresimenti di spese, diminuzioni di Entrate, contrazioni di nuovi debbiti, avvanzi, o disavvanzi considerabili, & a misura del bisogno prendere i dovuti provvedimenti, per ben regolare l'economia del Principato, e gl'interessi della Camera, promuovere il commercio, & isgravare, quando sia possibile, i nostri amatissimi Sudditi, ch'è il fine, e l'oggetto, al quale fin'ora sono stati, e saranno sempre diretti tutti li nostri pensieri, e le nostre cure; & a questo effetto deputaremo una Congregazione particolare composta di alcuni Cardinali, e Prelati, alla quale ingiungeremo il peso, non solo d'invigilare sopra la puntuale esecuzione, & osservanza di tutte, e singole cose contenute, & ordinate nella presente Cedola; Ma inoltre di esaminare, e discutere a capo per capo tanto le spese, quanto l'Entrate della nostra Camera, quali risultano da detto Bilancio, e suggerire a Noi quelli provvedimenti, che potranno prendersi, per diminuire le dette spese, e migliorare l'Entrate, in vantaggio del nostro Erario, e sgravio de Sudditi; Poiche così è mente, e volontà Nostra precisa. Volendo, e decretando, che la presente nostra Cedola ammettendosi, e registrandosi in Camera, a tenore della Costituzione di Pio IV. Nostro Predecessore de regiſtrandis, vaglia, e debba aver sempre, ed in ogni futuro tempo il suo plenario effetto, esecuzione, e vigore, colla Nostra semplice sottoscrizione, e che non gli si possa in alcun tempo mai opporre di surrezione, orrezione, nè di alcun'altro vizio, e difetto della Nostra volontà, & intenzione; e che così, e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse, e ciascheduna di esse giudicarsi, decidersi, definirsi, & interpretarsi dal Reverendissimo Cardinal Camerlengo, da Monsignor Tesoriero Generale, eziandio nella Congregazione Camerale, e de' Conti respettivamente, dalla piena Camera, e da qualsivoglia altro Giudice, e Tribunale, abbenche Collegiato, e composto de' Reverendissimi Cardinali, togliendo loro, & a ciascuno di essi la facoltà, & autorità di giudicare, decidere, definire, & interpretare diversamente, dichiarando Noi sin d'adesso preventivamente affatto nullo, irrito, & invalido tutto ciò, che scientemente, o ignorantemente si facesse in contrario: ancorche non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti il Commissario della Nostra Camera, e tutti quelli, che vi avessero, o pretendessero d'avervi interesse. Non ostanti, nelle parti contrarie alle sopradette Nostre disposizioni, l'accennata Bolla di Pio IV. *de Reformatione Cameræ*, il Chirografo d'Urbano VIII., la suddetta recente Costituzione di Clemente XII., la Regola della Nostra Cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, e qualsisiano altre Costituzioni, Chirografi,

Clausole generali, e speciali, e derohghe per la sussistenza del Chirografo.

rografi, Moti proprj, Decreti, Ordinazioni, e Sanzioni Apostoliche Nostre, e de' Nostri Predecessori, in qualunque tempo, modo, e forma emanate intorno alle cose contenute, & espresse nella presente Cedola, Leggi, Statuti, Riforme, usi, stili, consuetudini, ed ogn'altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto questa volta sola, & all'effetto predetto, specialmente, & espressamente deroghiamo. Data dal Nostro Palazzo Apostolico Quirinale questo dì 18. Marzo 1746.

Data a dì 18. Marzo 1746.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Pontifex Motu proprio &c. præinsertam Schedulam in ampliſſima forma confirmat.

*Ne igitur ea, quæ pro felici, prosperaque directione, & administratione ipsius Ærarii Pontificii, ad publicam salutem utilitatemque, a Nobis in præinserta Schedula provide ordinata, volita, statuta, decreta, & sancita sunt, debita executione ullo unquam tempore in aliquo fraudentur; Nos primùm omnium iisdem Motu, scientia, & potestatis plenitudine eandem præinsertam Schedulam, omniaque & singula in ea contenta, & expressa, & a Nobis per eam, ut præmissimus, ordinata, approbata, dispositа, volita, mandata, decreta, statuta, & sancita harum etiam tenore confirmamus, & approbamus, eisque perpetuum & inviolabile præsentis Nostræ perpetuò valituræ Constitutionis robur & firmitatem adjicimus, atque iterum, & ex integro ea omnia & singula: in omnibus & per omnia, juxta præinsertæ Schedulæ Nostri motus proprii, seriem, continentiam, & tenorem, eadem Apostolica Auctoritate ordinamus, disponimus, volumus, mandamus, statuimus, decernimus, atque sancimus; eademque ab iis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, perpetuò observari, & exactissimè impleri jubemus, atque præcipimus.*

Congregationem particularem deputat pro ejusdem executione, & observantia.

*Præterea Motu, scientia, auctoritate, & potestatis plenitudine similibus, peculiarem Congregationem ex nonnullis S. R. E. Cardinalibus, nec non aliquibus Romanæ Curiæ Prælatis compositam instituimus & deputamus: Cui quidem Congregationi Nos Ven. Fratrem Nostrum Hannibalem Episcopum Portuen. S. R. E. Camerarium* S. Clementis, *ac Dilectos Filios Nostros Antonium Xaverium Tit. S. Stephani in Monte Cœlio* Gentili, *Dominicum Tit. SS. Duodecim Apostolorum* Riviera, *Sylvium Tit. S. Priscæ* Valenti *Nostrum Secretarium Status, Presbyteros, & Hieronymum S. Angeli in Foro Piscium Diaconum* Columna, *respectivè nuncupatos, ejusdem S. R. E. Cardinales, nec non Dilectos etiam Filios Magistros Joannem Baptistam Mesmerum Thesaurarium Nostrum Generalem, Joannem Julianum Rubini prædictæ Cameræ Nostræ Commissarium Generalem, & Clementem Argenvilliers Auditorem Nostrum, tamquam ipsius Congregationis cum definitivi suffragii jure Secretarium, adscribimus.*

Congregationis hujusmodi officium & scopus.

*Hujus autem Congregationis, & Personarum eam pro tempore constituentium munus sit, & assidua cura, non modo præmissorum omnium & singulorum plenam executionem, & exactissimum implementum urgere, & promovere; verum etiam ad omnia & singula genera & capita tàm expensarum, atque onerum, quàm redituum & proventuum Cameræ Nostræ Apostolicæ sollicitum dirigendo considerationis intuitum, opportuna pro tempore consilia & remedia excogitare, Nobisque & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus insinuare, quæcumque ad optimum ipsius Cameræ regimen, & Publici Ærarii emolumentum, ad subditarum Civitatum & Communitatum levamen, ac Populorum incolumitatem utilitatemque, in Domino existimarint salubriter expedire. Quapropter volumus & mandamus, hujusmodi Congregationem semel singulis mensibus, nimirum prima Feria tertia cujuslibet mensis, quæ de cætero impedita non fuerit, incipiendo a prima Feria tertia mensis Julii proximè futuri, (quo nimirum tempore rationes dati & accepti, quæ pertinent ad elapsum annum millesimum septingentesimum quadragesimum quintum, confectas, atque inter se collatas fore præcepimus), & sic deinceps de mense in mensem, in Palatio Nostro, & in Ædibus solitæ habitationis præfati Nostri Secretatii Status, indesinenter congregari; eidemque prædictum Franciscum Simonetti in præinserta Schedula sæpè memoratum, sive alium pro tempore Cameræ Nostræ prædictæ Ratiocinatorem Generalem, semper interesse; ut communibus studiis atque consiliis, quæcumque super præmissis examinanda fuerint, expendantur, & quæ justa & utilia visa fuerint, statuantur & impleantur.*

Quibus temporibus, & quo in loco haberi debeat.

Clausulæ præservativæ.

*Decernentes easdem præsentes Litteras, atque omnia & singula, tàm in his, quàm in præinserta Schedula Nostri Motus proprii contenta atque statuta, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam revocari posse; sed illa semper valida, firma, & efficacia esse & fore, ac ab omnibus & singulis ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non S. R. E. Cameravium, & quoscumque alios Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, & Nuncios, Thesaurarium quoque Generalem, etiam in Camerali, & Computorum respectivè Congregatione, ac Clericos Præsidentes, aliosque Ministros, & Officiales Cameræ prædictæ, ac alios quavis potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogationes.

*Non obstantibus omnibus his, quæ in præinserta Schedula non obstare voluimus, atque aliis quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Sanctio.

*Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Confirmationis, Approbationis, Præcepti, Mandati, Statuti, Sanctionis, Decreti, Deputationis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Data Pontif. anno 6. die 18. Aprilis 1746.

*Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, quartodecimo Kalendas Maji, Pontificatus Nostri Anno sexto.*

*D. Card. Passionеus.*
J. Datarius.
Visa de Curia
I. C. Boschi.
L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die 6. Maji anni* 1746.

---

VII.

De regularibus extra Claustra degentibus, & sese translatos asserentibus.

*Venerabili Fratri Bernardo Episcopo Sancti Pauli in America Lusitana.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Pontificia commendatione nostra prosequimur debitum tuæ erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem obstrictæ obedientiæ obsequium,

& laudabile paſtoralis ſollicitudinis, ac vigilantiæ officium, quo ſupplex ab eadem Apoſtolica Sede conſulta petis, quibus inſtructus in commiſſa Tibi iſtius Diœceſis adminiſtrations Te pro munere Fraternitati Tuæ injuncto provide ſapienterque cum æterna Chriſtifidelium ſalute gerere debeas. Reperiri ſiquidem, ad Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam refers, quamplurimos in ipſa Diœceſi Tua Regulares Viros, qui habitu, & ſuper habitu Mozzettam induti extra Clauſtra in Sæcularium Hominum domibus degentes, ad Terram colendam, ſæcularia negotia obeunda, ac mercaturam faciendam incumbunt; adeoque mores a Religioſa vita longe alienos pravoſque non ſine bonorum offenſione, ac ſcandalo præſeferunt. Alios præter ea ſignificas Regulares Viros eſſe, qui ex uno ad alterum Religioſum Ordinem ſe Apoſtolica auctoritate tranſlatos fuiſſe aſſerunt; atque adeo in hoc altero Ordine conſtituti, facultatem licentiamque ſibi ineſſe jactant, qua ſibi liceat extra Clauſtra itidem commorari, agriculturam pariter exercere, & mercaturæ operam navare. Nos itaque Fraternitati Tuæ in memoriam revocamus, omnes & ſingulos Regulares Epiſcopo in Civilibus ſubjectos eſſe, eoſdemque Religioſos, cujuſvis Ordinis, & Inſtituti ſint, extra Clauſtra degentes, & delinquentes ſubjectos eſſe Ordinario Loci, uti Sedis Apoſtolicæ Delegato, qui eos viſitare, punire, & corrigere poteſt, uti conceptis verbis ſtatutum eſt a Concilio Tridentino *ſeſſ. 4. cap. 3. de reformatione.* Præterea laudatum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. de Reformatione cap. 11.*, quoad tranſlatos ſtatuit, ac præſcribit, ut quilibet tranſlatus in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in Clauſtro perpetuo maneat. Unde fit, ut ſuper quolibet tranſlatorum hujuſmodi extra Clauſtra commorante, ac degente Antiſtes loci Ordinarius vigore memorati Decreti Concilii Tridentini *ſeſſ. 6. cap. 3. de Reformatione*, omnem habeat juriſdictionem, illamque libere, & licite exercere poſſit, & valeat. Quo autem pacto Te cum tranſlatis quibuſcumque ſibi Apoſtolica auctoritate, ut extra Clauſtra libere vivant, indultum fuiſſe aſſerentibus agere oporteat, certiorem facimus, nemini juxta ordinatas, ſtatutaſque regulas ex una ad aliam Religionem, niſi in illa, ad quam quemvis transferri contigerit, vigeat Clauſtralis, ac Regularis obſervantia, & quæ non ſit hoſpitalaria, aut militaris, tranſitum impertiri. Quod ſi vero aliquando audieris cum aliquo Religioſo Viro ab Apoſtolica hac Sancta Sede benignè diſpenſatum fuiſſe, ut vel in habitu Sacerdotis Sæcularis permanere, vel ad aliam Religionem, in qua Clauſtralis, & Regularis obſervantia non vigeat, tranſire poſſet, Te doctum volumus, id ſane perraro, & graviſſimis, rationalibuſque de cauſis fieri: Hiſce demum ita expoſitis, cum ad Fraternitatem Tuam relatum fuerit, eſſe ac reperiri quemlibet Religioſum Virum, qui ſe Indulto quocunque hujuſmodi donatum uti, frui, ac gaudere contendat, eumdem opus eſt, ut ad tale Indultum Tibi oſtendendum primum, etiam adhibita vi, compellas, atque inſimul, poſtquam illud perlegeris, diligenter expendas cauſas in ipſo Indulto contentas & expreſſas, veræ ne, an falſæ ſint. Quod ſi illud Indultum commonſtrare, & tradere detrectaverit, adverſus ipſum, juris ordine ſervato, ſtatim procedas juxta facultatem Tibi attributam in ſupradicto Tridentinæ Synodi *cap. 3. ſeſſ. 6. de reformatione.* Et ſi Indulti cauſas minimè veras eſſe compereris, ne dubites ſuper ejus ſubreptione, ſeù obreptione pronuntiare, & adverſus Religioſum procedere extra Clauſtra ſine facultate degentem. Cæterum Fraternitati Tuæ perſuaſum eſſe optamus, Nos nunquam paſſuros eſſe, ut quæcumque Apoſtolicæ noſtræ caritatis ſupremæque auctoritatis ad oves Tibi creditas, de quibus diſtricta a Te non minùs Nobis, quàm Paſtorum Principi JESU CHRISTO Æterno Judici ratio reddenda eſt, ſaluberrimè paſcendas regendaſque conducentia exoraveris, officia a Fraternitate Tua deſiderentur. Interim Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem paramanter elargimur.

Nonnulli Regulares ſe extra Clauſtra degere poſſe.

Alii, ad alium Ordinem translatos ſe eſſe ex Indulto Apoſtolico aſſerebant.

Pontif. reſponder Regulares tam in Civilibus, quàm extra Clauſtra degentes Ordinario ſubjectos eſſe.

Unde ipſum Ordinarium eos corrigere debere.

Circa prætenſos tranſlatos refert ad quos Ordines ſoleat Sancta Sedes tranſlationes concedere.

Et tradit formam contra ipſos prætenſos tranſlatos procedendi.

Datum in Arce Gaudulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Maji MDCCXLVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

*Cajetanus Amatus.*

Dat. die 27. Maii 1746.

---

VIII.

Literæ jam editæ adverſus Confeſſarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomina, confirmantur; & pœnæ in delinquentes ſtatuuntur, cum præfinitione Ordinis procedendi in hujuſmodi Cauſis.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

UBI primum de perverſa quadam, & abſurda praxi in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando apud nonnullos Confeſſarios in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis introduci cœpta, non ſine animi Noſtri dolore, nuntium accepimus non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum, ſed ita gravibus, ſolidiſque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent; præmittere non potuimus, quin continuò datis ad Venerabiles Fratres eorumdem Regnorum, ac Ditionum Archiepiſcopos, & Epiſcopos Apoſtolicis Noſtris Literis, remedium naſcenti malo quam prompuſſime adhiberemus. Earum verò Literarum die ſeptima menſis Julii ſuperioris anni milleſimi ſeptingenteſimi quadrageſimi quinti editarum, quas præſenti huic noſtræ Conſtitutioni inſerendas exiſtimamus, hic tenor erat:

Delatus aliàs in Sacramento Pœnitentiæ abuſus.

Literis Sanctiſſimi Domini, quæ hic inſeruntur, reprobatus fuerat.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

*SUprema omnium Eccleſiarum ſollicitudo, & Divina Jeſu Chriſti omnium Paſtorum Principis, cujus vices planè immerentes gerimus, charitas aſſiduè urget Nos, ut pro commiſſa divinitùs imbecillitati Noſtræ univerſi Dominici gregis curâ ſemper advigilantes, periculis animarum, ſicubi forte ſuperimpenderint, per omnes Chriſtiani Orbis Populos, ac Nationes opportunè, quantum cum Domino poſſumus, occurramus; atque iis præcipuè Regnis, & Locis peculiari quodam Apoſtolicæ Noſtræ charitatis ſtudio, auctoritatiſque providentiâ conſulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quammaxime floreant, callidus humani generis hoſtis nocere Fidelibus dum aperto bello deſperat, per inſidias molitur, in Angelum ſcilicet ſeſe lucis transfigurans, & ementitâ boni ſpecie incautis illudens; quâ ex arte non minora ſæpe animarum detrimenta, quam ex aggreſſione manifeſtâ, eſſe proventura nequiſſimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentiſſimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos Antiſtites ſummâ cum Sacerdotalis virtutis veſtræ commendatione præſidetis, & quibus pro ſingulari erga Catholicam Eccleſiam, atque Apoſtolicam hanc*

Relati abuſus expoſitio.

*Sanctam Sedem observantiâ meritæ debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures Nostras, nonnullos istarum partium Confessarios salvâ zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longè aberrantes, perversam quamdam, & pernicioſam praxim in audiendis Christifidelium confessionibus, & in saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento administrando, invehere atque introducere cœpisse; ut videlicet, si fortè in pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem pœnitentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur; sed, quod detestabilius est, denuntiatâ quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent; immo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum, sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum speciosо prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi vel falsas, & erroneas sequendo, vel veras, & sanas male applicando, perniciem tam suis, quàm pœnitentium animabus conscisceret; ac sese prætereа plurium gravium damnorum, quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Judice constituerent. Et verò jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est: Nec fieri potuit quin eâ de causâ & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantùm, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta sint. Tristia Nos hæc nuntia cum accepimus, simul audivimus, contra exitialem hujusmodi abusum protinùs justâ indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos Filios Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Nunum a Cunha in iisdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquisitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonensem; atque utrumque sollicitè gliscenti malo compescendo, atque eradicando adlaborasse. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ullâ ex parte Apostolico Nostro Ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re Nostram apud Vos obscuram, & ambiguam esse sinamus; Notum Vobis esse volumus, memoratam superiùs praxim penitùs reprobandam esse, eamdemque a Nobis per præsentes Nostras in forma Brevis Literas reprobari, atque damnari, tamquam scandalosam, & pernicioſam, ac tam famæ proximorum, quàm ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, & necessario usu Fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de pastorali vestrâ vigilantiâ nihil est, quod dubitemus; Supremi tamen Officii quoque Nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis Nostræ apertâ significatione, & Apostolicis insuper hortationibus nostris intentiùs acuere, & excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, & efficacioribus quibusque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenuè insectemini, ac penè nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque divinæ misericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore Nostro ad abluendas, dealbandasque in sanguine suo animas amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro, ac prudentiâ luculentiora Nobis certò pollicemur vestræ pietatis, & observantiæ argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrimâ cœlestium charismatum copiâ conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur.*

Scandala inde exorta.

Item Cardinalium Inquisitoris, & Patriarchæ sollicitudines.

Pontifex damnat relatam praxim.

Episcoporum diligentiam contra eam excitat.

*Volumus autem, ut præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

*Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vij. mensis Junii* MDCCXLVI. *Pontificatus Nostri Anno Quinto.*

*Cajetanus Amatus.*

Has porrò Nos Literas in forma Brevis tunc datas iterum præsentibus Nostris confirmamus, & roboramus, easque ab omnibus, & singulis fideliter, exactèque observari injungimus, atquæ præcipimus.

Confirmatio earumdem Literarum.

Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, & ordinis, etiam speciali, & individua, ad effectum, ut hisce Nostris præsentibus comprehendantur, mentione & expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato Nostro Brevi exponitur, ac reprobatur; vel scribere, aut loqui præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem; vel ea, quæ in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temerè detorquere, seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Et pœnæ in docentes oppositum contradicentes, malè interpretantes.

Et quia non modo cavendum est, ut, quæ sunt a Nobis in præinsertis Literis decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione salva sint, & immunia; verum etiam ne quis in Sacramenti Pœnitentiæ administratione ab eorum omnimoda observantia unquam recedat; idcirco omnibus & singulis Confessariis utriusque Cleri tam Sæcularis, quàm Regularis, quantumvis exempti, & quacumque speciali, & expressa mentione aliàs fortasse nominandi, graviter & districtè, Divini interminatione judicii, atque in virtute sanctæ obedientiæ, prohibemus, ne, conformiter ad prædictam reprobatam praxim, pœnitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cujus socium, aut socios habuerint, ipsis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur, interrogare præsumant, de nomine socii, seu complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis, sive circumstantiis, expressionem magisque individuam ejusdem complicis manifestationem concernentibus; eidem pœnitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore subjiciendos.

Et in Confessarios contrafacientes.

Præterea quoniam contra damnatum hujusmodi exitialem abusum, ne cum animarum pernicie radices agat, necesse ducimus modum, ac formam etiam in foro externo procedendi, & ultrices adversus reos pœnas imponendi, statuere, atque ordinare; omnesque super hoc exorituras, vel etiam jam exortas dissensiones componere, & penitùs amputare; volumus, decernimus, ac declaramus, quod docentes, ut supra, licitam esse praxim a Nobis jam reprobatam, vel in ejusdem praxis defensionem scribentes, aut loquentes, vel ejusdem reprobationem in memorato Nostro Brevi contentam impugnantes, aut perverse interpretantes, in Officio Sanctæ Inquisitionis prædictorum Regnorum, atque Ditionum severè puniantur, & contra eos, & eorum quemlibet in eodem Offi-

Ordo procedendi contradictos delinquentes.

Tàm docentes, contradicentes, male interpretantes,

cio procedatur, non minus, ac contra illos ibidem procedi solet, qui asserunt, tradunt, tuentur opiniones scandalosas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica rejectas, & condemnatas.

Quàm Confessarii contrafacientes cum suspicione pravi dogmatis.

Similiter in eodem Officio procedendum erit, & procedi volumus, ac statuimus, contra Confessarios quoque, ut supra, delinquentes, ac de nomine complicis pœnitentem interrogantes, eidemque pœnitenti, nisi illud sibi manifestet, absolutionem denegantes: Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convestitus, quæ sic agentem Confessarium de adhæsione ad prædictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.

In Officio Inquisitionis judicandi, & puniendi.

Itaque contra prædictos omnes, & singulos Delinquentes tam sæculares, quàm quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuscumque dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, & quorum specialis, & nominatim mentio facienda sit, prædictorum Regnorum, ac Ditionum Inquisitores, potestate a Nobis traditâ, & quatenus opus sit, præsentium tenore de novo concessa, prout in causis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Sancti Officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines, & decreta, diligenter inquirant, & præcedant, & quos in aliquo ex ejusmodi excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab officio confessiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ ac passivæ, si Regulares fuerint, aliasque pœnas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

Et eidem a scientibus denunciandi.

Quicumque verò alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse cognoverit, eum, intra terminum dierum, in Edictis Sancti Officii ejusmodi Inquisitionis prælgi solitum, eidem Sancto Officio denunciare teneantur: alioquin pœnas non denunciantibus per eadem Edicta infligi consuetas incurrant. Veruntamen ab hujusmodi onere denunciandi justis de causis eximi volumus, & eximimus personam ipsam pœnitentem dumtaxat in causa propria, idest in casu, quod suum peccatum confitens, a Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujusmodi ab obligatione eundem Confessarium denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quàm ex propria, ut dictum est, confessione, noverit Confessarium aliquo ex superius enumeratis, & Sancto Officio denunciandis modis deliquisse, tunc eum & ipse denunciare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

Confessarii verò contrafacientes absque dicta suspicione, judicandi & puniendi erunt ab Ordinariis.

Quod si Confessarii de complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut, quamvis imprudens, & malus, simplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, idest iis circumstantiis destitutus, quæ de prava crudelitate, vel de mala adhæsione ad praxim in sæpe dicto Nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem Confessarium suspectum reddant; tunc istiusmodi delictum, neque denunciationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium, per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in sua cujusque Diœcesi omnino spectabit.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut præfertur, constitutis, ac suis unicuique Judici Ecclesiastico juribus assignatis, & distributis; hanc Nos deinceps regulam ab omnibus observari, ac custodiri volumus, & mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit; quæ tamen haud unquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper præclarâ inclytæ Lusitanæ Nationis universis erga Sedem Apostolicam observantiâ, & obedientiâ, nec non eximia tum istius Sanctæ Inquisitionis Officii, tum cujusque loci Ordinariorum nunquam defutura vigilantia. Quapropter quæcumque aliter, quàm præsentibus Nostris decrevimus & constituimus, sive in Edictis præfati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum Mandatis, aut Pastoralibus Literis, vel Decretis antehac statuta prodierint, ea Nos, quoniam post Apostolicam hanc a Nobis propositam agendi, seu judicandi normàm minus necessaria fore censemus, definere jam, & cessare, ac, veluti nunquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque sancimus.

Hæc procedendi regula servanda decernitur.

Et aliter a quocumque antehac statuta abrogantur.

Decernentes easdem præinsertas, nec non præsentes nostras Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias speciali, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocari, citati, & auditi, neque causæ, propter quas tum præinsertæ, tum præsentes emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas præsentes, easdemque præfatas in forma Brevis Literas, firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis præmissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, & inviolabiliter observari.

Clausulæ pro Literarum validitate & executione.

Sicque & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, potestate, & præeminentia fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Edictis quoque prædicti Inquisitionis Officii, & quorumcumque Ordinariorum, etiam Episcoporum, & Metropolitanorum Mandatis, Literis Pastoralibus, sive Decretis, nec non ejusdem Officii, & quarumcumque Ecclesiarum etiam Episcopalium & Metropolitanarum, & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Inquisitionis Officio,

Derogationes.

illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliisque Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Prælatis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus & formis; & cum quibuscumque etiam efficacissimis, & insolitis derogationibus, clausulis, atque decretis, etiam Motu, & Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, vel aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis & insertis, formasque hujusmodi pro plene, & exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Fides habenda transumptis.

Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra, ubique habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergò omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum condemnationis, reprobationis, confirmationis, sanctionis, prohibitionis, ordinationis, abrogationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 2. Junii 1746.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, quarto Nonas Junii, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

---

IX. Ordo Præcedentiæ per Votantes Signaturæ Justitiæ & Gratiæ tum in Sedendo, tum in Voto ferendo servandus.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

### *Ad futuram rei memoriam.*

MILITANTI Ecclesiæ, quæ est sicut Castrorum acies ordinata, per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam, quamvis nullis nostris meritis præsidentes, illud præcipue inter cætera permagna, & ampla Apostolicæ procurationis nostræ munera studiosius curare debemus, ut eas providentissime tradamus, statuamusque regulas, quibus ab ipsis ejusdem Ecclesiæ Prælatis in hac Romana Curia ad laboriosa, & difficillima totius Catholici Orbis expedienda sive Gratiæ, sive Justitiæ negotia Nobiscum adlaborantibus rite sancteque servatis, nulla potissimum quoad præcedentiam inter eos confusio, & inordinatio inducatur, quemadmodum iisdem regulis nondum apprime constitutis, experientia constat, maximam inductam fuisse confusionem inordinationemque. Duo in hac ipsa Romana Curia nostra sunt Tribunalia antiquissima sane, & aliis interdum, quàm de præsenti, nominibus celeberrima; alterum quidem Signaturæ Justitiæ dictum, in quo duodecim tantum numerantur Prælati Votantes nuncupati; alterum vero Signaturæ Gratiæ appellatum, in quo totidem Prælati Votantes habentur. In horum sane numero Nos pariter olim, dum in Minoribus essemus, fuisse gloriamur. Porro nunquam utrique Votantes tamquam in sive Corporis, sive Tribunalis speciem conveniunt; ea propter nulla quidem hac in parte necessaria est Apostolicæ nostræ providentiæ ratio; sed hoc præsertim præcipimus, & mandamus, ut quotiescumque tam ipsi Signaturæ Justitiæ, quàm Signaturæ Gratiæ Votantes pro suis respectu proprii Tribunalis seorsim obeundis adimplendisque muneribus invicem convenire debent, idem inter ipsos tum in sedendo, tum in votum, sive suffragium ferendo præcedentiæ Ordo servetur, qui ad hanc usque diem retentus servatusque est. Quoniam, ut plurimum accidere potest, ut sive unus, sive plures ex utroque Signaturæ Justitiæ, & Gratiæ Tribunali Votantes quacumque ex causa sive Prælatitio, sive quocumque alio habitu induti quomodolibet, & ubicumque insimul reperiri possint: Hinc est, quod Nos motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine volumus & mandamus, ut in hujusmodi conventu ille Votans, qui in suo Tribunali antiquior, & prior constitutus fuerit, hoc modo præcedat, videlicet: Ut Votans prior in Signaturæ Justitiæ Tribunali adlectus, quàm Signaturæ Gratiæ Votans in suo admissus fuerit, huic secundo dicto Signaturæ Gratiæ Votanti præcedat ille Signaturæ Justitiæ Votans; ita pariter huic Signaturæ Justitiæ Votanti præcedere debeat ille Signaturæ Gratiæ Votans, qui antequam Signaturæ Justitiæ in suum Tribunal admitteretur, jam in proprium itidem Tribunal receptus fuerat: Quod si contigerit ambos alterius Signaturæ Votantes eodem die quemque Tribunali constitutos fuisse, tunc præcedentia illi detur, qui in Prælatura quacumque antiquior, & prior reperitur. Traditam itaque statutamque regulam in præmissis, dummodo nullus alius præcedentiæ titulus intercedat, omnino servandam, custodiendamque esse volumus, & mandamus. Verum cum aliquis Votans alterius Tribunalis hujusmodi sive Episcopali charactere insignitus, sive Protonotarii Apostolici dignitate ornatus, sive quocumque alio ejusdem Romanæ Curiæ munere, vel officio decoratus reperiatur, præcipimus insuper & mandamus, ut nulla habita Signaturæ Justitiæ, aut Gratiæ Votantis ratione, sed ea dumtaxat præcedentia illæsa remaneat, quæ Votanti respectu sive characteris Episcopalis, sive Dignitatis Protonotarii Apostolici, sive cujusvis alterius muneris præcedentiam hac in re requirentis competit, & debetur. Denique statuimus, & decernimus hujusmodi præcedentiam, cum quivis Votans in utroque Signaturæ Justitiæ, & Gratiæ Tribunali adscriptus fuerit, a primæva ipsius Votantis in altero utriusque Signaturæ Tribunali receptione, & admissione, & non aliter esse repetendam, & definiendam. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque

spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Junii MDCCXLVI. Pontificatus Nostri anno VI.

*D. Card. Passionеus.*

---

X.

Occurritur abusibus in expeditione resignationum Beneficiorum inductis, ad eludendam Constitutionem Gregorii Papæ XIII. incipien. *Humano.*

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

Ecclesiastica ministeria & officia nec ab obtinentibus temerè deseri, aut minus recta ratione vel causa dimitti, nec a minus idoneis assumi & exerceri, neque demum ullo pacto in cupiditatis & avaritiæ fomentum transferri volentes Prædecessores Nostri Romani Pontifices, plura peculiariter observanda statuerunt in admittendis Beneficiorum sive Officiorum Ecclesiasticorum dimissionibus, ac cessionibus, & eorumdem sic per resignationem vacantium provisionibus & concessionibus, quæ omnia non modo Nostram approbationem & confirmationem promereri, sed etiam quò certiùs propositum reipsa sortiantur effectum, uberioribus providentiæ Nostræ consiliis, prout rerum necessitas suasit, stabilienda, & amplianda Nobis esse judicavimus.

Pontifex Prædecessorum Providentiam circa dimissiones Beneficiorum prosequitur.

Indicat præscripta a S. Pio V. per Schedulam sui Motus proprii: Cogit Nos.

Postquam enim beatæ memoriæ S. Pius Papa V. Prædecessor Noster per suam Schedulam Motus proprii, quæ incipit: *Cogit Nos*: Anno Domini MDLXVII. die xiij. Martii, Pontificatus sui Anno II. editam, methodum & formam designaverat servandam in expeditione Literarum Apostolicarum, super gratiis Resignationum quorumcumque Beneficiorum sive Officiorum Ecclesiasticorum; certasque opportunas clausulas, expressiones, & limitationes, in hujusmodi Literis respectivè apponendas provida ordinatione præscripserat; sequenti anno MDLXVIII., per suam Constitutionem, quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ Dei*: datam apud S. Petrum Kalendis Aprilis, definivit & declaravit, quænam Beneficiorum, & Officiorum hujusmodi resignationes seu dimissiones ab Episcopis, & aliis ad id facultatem habentibus, quibusque ex causis recipi & admitti possent, aliaque in ipsis dimissionibus, seu resignationibus, nec non eorundem Beneficiorum resignatorum collationibus respective cavenda decrevit; censuras in contravenientes pronunciando, aliasque pœnas respective statuendo, prout in Schedula, & Constitutione prædictis plenius continetur.

Item per Constitutionem: Quanta Ecclesiæ Dei.

Cum verò adhuc præfati Sancti Pii Prædecessoris Leges & Ordinationes, ad compescendas fraudes & simulationes, quæ in hujusmodi Resignationibus hominum malitiâ committebantur, non satis prodesse, experiendo compertum esset, placuit felicis recordationis Gregorio Papæ XIII. Prædecessori pariter Nostro in sua Constitutione, quæ incipit: *Humano vix judicio*: data apud S. Petrum Nonis Januarii, Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXIII. Pontificatus sui XII., decernere & constituere, ut omnes & quæcumque resignationes, cessiones, sive retrocessiones, quæ deinceps de quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus tam Virorum, quàm Mulierum, Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Militarium, Regularibus, etiam electivis, & manualibus, ac etiam de jurepatronatus Laicorum illustrium, & aliàs quomodocumque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio, aut in possessorio litigiosis, etiam de quibus in Consistorio disponi consuevit, seu debet, in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, ex quacumque causa, & quolibet modo fierent, & ab illo, seu illius mandato admitterentur, & super eis provisiones, & quæcumque aliæ dispositiones, sive temporales, sive perpetuæ, aut ad id mandata Apostolica, sub quacumque forma, & quibuscumque, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac piis Locis quantumvis privilegiatis, facta, publicari deberent, unà cum Literis Apostolicis desuper confectis, intra sex menses, si Beneficia citra Montes essent, ultrà vero Montes, intra novem menses, a data concessionis Gratiæ numerandos. Cumque de forma & loco hujusmodi publicationum explendarum, plura distinctè præscripsisset; illud etiam providè constituit, ut ii, in quos de Beneficiis hujusmodi resignatis, seu cessis, sub quacumque forma disponi vel mandari contigisset, intra dictum respective tempus, eorumdem Beneficiorum possessionem, vigore Literarum Apostolicarum desuper confectarum, apprehendere deberent, vel, si propter litem, aut aliud legitimum impedimentum, hujusmodi possessionem reipsa apprehendere non potuissent, saltem Literas Apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta esset, Judici, seu Executori illarum, vel aliis, ad quos pertineret, intra illud tempus præsentare, & apud illum, vel illos, pro ipsarum Literarum executione instare, & possessionem hujusmodi instanter petere tenerentur. Quod si quicquam præmissorum omnium omissum fuisset, dictis terminis, ut cuique præscripti sunt, elapsis, voluit & decrevit, omnes dispositiones & gratias resignatorum & cessorum Beneficiorum hujusmodi, cum omnibus inde sequutis, irritas & inanes esse, nullamque aliam gratiam super iisdem, his quibus concessa fuissent, suffragari, sed eos ad hujusmodi Beneficia quandocumque obtinenda inhabiles & incapaces fore & esse: ipsaque Beneficia censeri statim a prima resignatione seu cessione, eò ipso vacavisse, & vacare; & tanquam sic a principio vacantia, a Sede Apostolica dumtaxat impetrari, & respectivè concedi posse; & aliàs, prout in prædicta Constitutione latiùs, & uberius continetur.

Refert dispositа a Gregorio XIII. in Constitutione: Humano.

Memorat sui Constitutionem prohibentem fieri resignationes cum pensione, & pacto eam extinguendi.

Nos ipsi demum ad Romanæ & universalis Ecclesiæ gubernacula, licet immerentes, evecti, hanc ipsam Resignationum materiam retractare coacti sumus, propter delatam ad aures Nostras nonnullorum malitiam, qui malis artibus, & per illicita pacta, fraudulento verborum & formalitatum circuitu tecta hujusmodi Beneficiorum resignationes cum reservatione Pensionum, per anticipatas deinde pecuniarum solutiones extinguendarum, in detestabilem negociationem convertebant; quapropter hujusmodi pacta & conventiones pro abolitione, seu cassatione Pensionum, per anticipatas vel anticipandas terminorum earumdem Pensionum solutiones, contemporaneè ad ipsas Beneficiorum resignationes inita, atque conventa, per aliam Constitutionem Nostram, quæ incipit: *In sublimi*: datam IV. Kalendas Septembris Anni MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno secundo, damnavimus, improbavimus, & omnino irritavimus; pluraque desuper opportunè statuimus atque

sancivimus,

sancivimus, per quæ illicitarum pactionum hujusmodi exterminationi satis consultum esse & fore in Domino confidimus.

Dolet artes adinventas fuisse ad eludendam dictam Gregorianam Constitutionem.

Sed neque tot salubres & providas ordinationes & Constitutiones valuisse ad eliminandas omnis generis fraudes & corruptelas, quas hominum malitia & radix malorum omnium cupiditas in hac resignationum materia invenit, magno cum animi Nostri mœrore accepimus. Siquidem ad eludendam præfati Gregorii Prædecessoris consultissimam Legem & Constitutionem, plures adinventæ sunt artes, quarum præsidio resignatorum Beneficiorum possessio, eorumque fructuum & reddituum perceptio, vel nunquam, durante resignantium vita, vel nonnisi diuturno tempore elapso, contra Pontificis opinionem & voluntatem, & contra ipsam admissæ resignationis naturam, in resignatarium cum effectu transiret.

Ea sunt 1. Literarum Expeditio nimium protracta præsidio prorogationum, & restitutionum ad publicandum.

Nonnulli enim negotiorum Datariæ Nostræ Expeditores, postquam super brevi & compendiaria supplicatione, in qua resignantis & resignatarii nomina, cognominaque, ac Titulus, & qualitas Beneficii resignandi adscripta sunt, obtinuerunt *Præsentatam*, quam vocant, a Substituto Subdatarii semel apponi; mox ad libellum supplicem super ipsa resignationis gratia exhibitum emanare curarunt rescriptum Datarii, seu Pro-Datarii, Pontificiæ voluntatis & annuentiæ testem; vel etiam supplicationem in forma a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice signari; nil amplius solliciti de expeditione Literarum Apostolicarum (quas intendunt sub Data illius diei, qui in prædicta præsentata, seu deinceps in supplicatione adscriptus fuit, quandocumque sibi libuerit, expedire), compluribus prorogationibus ad publicandum sive in integrum restitutionibus successivè se muniunt; quarum quidem terminos quum ad diem illum initio sibi propositum accommodaverint, minimè dubitant de validitate gratiæ resignationis, quantumvis longè post assensum Pontificis, Apostolicas super ea Literas expedire distulerint.

2. Iteratio Præsentatæ super una resignatione identidem captæ.

Alii verò, quum supradictam tantummodo *Præsentatam* in officio Subdatarii reportaverint, minime urgent pro obtinendo rescripto Datarii, aut signatura supplicationis; neque pro expeditione Literarum Apostolicarum, aut pro prorogationibus, vel in integrum restitutionibus ullo pacto instant, sed retento apud se mandato Procuræ ad resignandum, novas identidem Præsentaras, tanquam ex integro iterum iterumque referre curant, usque dum, resignantis vitâ ad interitum vergente, vel aliàs quandocumque ipsi maluerint, resignationis negotium ulterius promovendum sibi esse ducant; tuncque dumtaxat deprompta unâ ex obtentis Præsentatis, quam sibi magis expedire judicaverint, sub illius data, & vigore prioris illius mandati, requisitum consensum præstant, atque Apostolicas Literas expediunt.

3. Possessio, & publicatio usque ad obitum resignantis dilata.

Alii demum, præfato rescripto obtento, signataque supplicatione, non desistunt ante, vel post expeditionem Literarum Apostolicarum multiplices prorogationes ad eas publicandas, aut etiam elapso ipsarum prorogationum termino, restitutiones in integrum adversus hujusmodi publicationis omissionem, petere & obtinere, ut interim, publicatione prædictæ minime sequuta, nec possessione Beneficii per resignatarium adepta, ipsius detentio, fructuumque perceptio penes resignantem, quamvis jampridem se Beneficio abdicaverit, usque ad ejus obitum remaneat; nec nisi eo defuncto, vel saltem morti proximo, hujusmodi possessio in resignatarium seu cessionarium (cui, favore obtentarum prorogationum, vel restitutionum in integrum nihil de suo jure deperit) cum effectu tandem transferatur.

Nos igitur hujusmodi fraudes, & colluſiones, in quibus cum animarum pernicie, & recti ordinis subversione, jurium quoque Apostolicæ Sedis detrimentum conjunctum esse animadvertimus, & quarum aliquas judicialibus controversiis non ita pridem locum dedisse, eâque ratione detectas fuisse novimus, de medio tollere, atque in futurum præcavere volentes, Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione Nostris, memoratam Gregorii Prædecessoris Constitutionem de publicandis intra certum tempus prædictarum resignationum gratiis, & de capienda resignatorum Beneficiorum possessione, in omnibus & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus; Utque relatis artibus eadem Constitutio in posterum dolosè, ut præfertur, eludi, & effectu fraudari amplius non valeat, hac Nostra pariter perpetuo valitura Constitutione in primis Datariæ Nostræ Notario, seu Notariis, quos de excipiendis sive extendendis consensibus pro quorumcumque Beneficiorum, sive Officiorum Ecclesiasticorum, cujuscumque qualitatis & naturæ existant, resignationibus, etiam ex causa permutationis, ac cessionibus, & retrocessionibus quibuscumque, tàm simplicibus, quàm cum pensionis, aut fructuum, vel alia qualibet reservatione, quæ in manibus Nostris, aut Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium a quibuscumque, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, sub quacumque forma, & qualibet ex causa, & favore cujuscumque personæ, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium prædictorum, aut etiam Locorum piorum quantumvis privilegiatorum, ad quemcumque effectum fient, pro parte cujuscumque Personæ etiam specifica mentione dignæ, ut supra, in posterum rogari continget, districtè vetamus atque interdicimus, ne hujusmodi consensus admittere, recipere, & extendere, ac super ipsis instrumenta conficere, seque de iis rogare audeant seu præsumant, quoties mandata Procuræ, quæ ad hujusmodi consensus præstandos exhibebuntur, adscriptam habeant Datam seu diem anteriorem octo mensibus, quoad Personas existentes citra Montes, vel duodecim, quoad Personas ultra Montes constitutas, quos quidem menses ab ipso die, quo hujusmodi mandata ad consentiendum eisdem Notariis actu exhiberi continget, numerandos & computandos esse decernimus; non obstante quacumque anteriori Præsentata, seu Rescripto obtento, aut etiam supplicatione sub quacumque data jampridem manu Nostra aut Successorum Nostrorum signata.

Confirmat d. Constitutionem Gregorianam.

Inhibet Notario Datariæ ne recipiat consensus super resignationibus quoties Mandata Procuræ habeant Datam anteriorem 8. Mensibus quoad Citramontanos, vel 12. quoad resignantes ultra montes degentes.

Vult signari supplicationem infra duos menses decurrendos a Data Rescripti.

Insuper volumus & mandamus, post rescriptum a Nostro, & Romani pro tempore Pontificis Datario factum super admissione cujuscumque resignationis, sive cessionis, aut retrocessionis hujusmodi, a quocumque, & favore cujuscumque Personæ, vel Loci pii, ut supra, intra duos ad summum menses, a data rescripti hujusmodi decurrendos, remota omni mora & prætextu, signandam esse supplicationem, & successive expediendas esse Litteras Apostolicas; itaut intra sex menses a Data concessionis Gratiæ numerandos, quoad Beneficia citra Montes posita, & intra novem, quoad ea, quæ ultra Montes existunt, eorumdem resignatorum Beneficiorum possessio capi, ipsæque resignationum Gratiæ cum Litteris Apostolicis desuper confectis publicari valeant, & cum effectu possessio capiatur, & Litteræ respectivè publicentur, ad normam prædictæ Gregorianæ Constitutionis, & juxta formam ibi præscriptam.

Item ne primam quidem prorogationem amplius concedi nisi

Ubi verò justis & rationabilibus de causis aliquam prorogationem ad publicandum postulari necesse sit; nolumus hujusmodi prorogationes, ne pro prima quidem vice, amplius concedi,

nisi

nisi docto prius in Officio Subdatarii, non autem alterius cujuscumque Datariæ prædicta Officialis, de Apostolicis Litteris expeditis. Post primam autem aut secundam ad summum prorogationem hujusmodi, aliàs ulteriores prorogationes ad publicandum, etiam quoad gratias resignationum ad hunc diem de præterito admissas, seu concessas, & nondum exequutioni demandatas, aut publicatas, nemini amplius in posterum conceci volumus, nisi (præter expeditionem Litterarum Apostolicarum, ut supra) coram Datario pro tempore justificatum fuerit legitimum impedimentum, propter quod eædem Apostolicæ Litteræ exequutioni mandari, aut publicari non possint. Hoc enim concludenter probato, & non aliàs, eidem Datario relictam volumus facultatem concedendi tot ulteriores prorogationes ad publicandum, quot necessariæ erunt usque ad hujusmodi legitimi impedimenti remotionem.

Post primam, vel secundam, ulteriores prorogationes concedi vetat.

Relinquit facultatem Datario concedendi alias prorogationes justificato impedimento, usque ad illius remotionem.

Quod si constiterit vel, post elapsum tempus, ut supra, præscriptum, præfatos consensus super Beneficiorum resignationibus præstitos, sive admissos, & extensos, vel intra aliud præfinitum tempus, aut supplicationes minimè signatas, aut Litteras confectas, & expeditas in posterum non fuisse, vel etiam, elapso tempore in Constitutione Gregoriana præfixo, aut alio ulteriori termino per concessas ritè prorogationes obtento, non fuisse captam possessionem, vel factam Litterarum publicationem, ut supra; aut demum, ad novas obtinendas prorogationes, falsum, & insubsistens impedimentum dolosè allegatum fuisse; in quolibet ex hisce casibus, volumus & decernimus, ipsas resignationum gratias, cum omnibus inde sequutis, nullas, irritas, cassas, & inanes esse, & censeri perinde ac si nunquam admissæ, & concessæ fuissent; nec ullam aliam gratiam super hujusmodi Beneficiis, aut etiam restitutionem in integrum his, quibus concessa fuerant, concedi debere, aut concessam ullatenus suffragari; sed eosdem inhabiles, & incapaces esse ad hujusmodi Beneficia sic resignata & cessa quandocumque obtinenda; ipsaque Beneficia tanquam ab initio vacantia apud Sedem, ab alio quolibet impetrari, & respectivè ad libitum ejusdem Apostolicæ Sedis alteri cuilibet conferri posse.

Statuit pœnas per inobservantiam præsentium incurrendas.

Præsentes quoque Litteras, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in jus, vel controversiam revocari posse, sed illa semper, & perpetuo valida, & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Clausulæ salutares.

Non obstantibus quibusvis resignantium aut cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, & clausulis in ipsismet resignationibus, seu cessionibus, aut Procuratorum Constitutionibus & mandatis, ac aliàs etiam ad præservationem suorum jurium, & significationem, quod non aliter, nec alio modo resignant, seu cedunt, appositis, omnibusque & singulis aliis, quæ idem Gregorius Prædecessor in relata Constitutione voluit non obstare; Datariæ quoque usibus, stilis, tolerantiis, permissionibus, & consuetudinibus etiam diuturnis, & inveteratis, in contrarium præmissorum quomodolibet facientibus vel extantibus; Quibus omnibus & singulis, illorum omnium & singulorum qualitates præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quatenus eisdem præsentibus adversantur, specialiter & expresè, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

Cæterum Dilecto Filio Magistro Joanni Jacobo Millo Datario Nostro, ejusque in Officio hujusmodi Successoribus in perpetuum, cæterisque ejusdem Datariæ Nostræ Officialibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, ipsarum tenore præsentium injungimus, & mandamus, ut hanc præcepti Nostri formam & methodum a Nobis præscriptam præ oculis habentes, eam pro virili parte singuli adamussim observent, & ab aliis exactissimè observari faciant; pœnales quoque sanctiones Nostras adversus temerè contravenientes exequutioni cum effectu demandent.

Injungit Datario & aliis ad quos spectat, ut præsentium observantiam diligenter curent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, inhibitionis, irritationis, annullationis, voluntatis, præcepti, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, decimo septimo Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Data Pontif. anno 6. die 15. Junii 1746.

*D. Card. Passionеus.*

*J. Datarius.*

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die 25. Junii 1746.*

---

Canonizatio Beati Fidelis a Sigmaringa Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum Præfecti Missionis Apostolicæ in Rhætia, & Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Proto-Martyris. XI.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

VINEA electa, quam plantavit dextera Domini, cujus unica vitis Christus, tot autem palmites, quotquot in Christo radicati Fideles interiori gaudent ipsius vivificæ nutritionis illapsu, providam circa se Cœlestis Agricolæ curam, & sollicitudinem in eo potissimum experitur, quod omnes palmites non ferentes fructum, justo judicii rigore succidi, & tolli; fructiferos verò, atque feraces, ut fructum plus afferant, salubri ac pia severitate purgari, nunc quidem occultè presentit, nunc autem apertiùs, atque evidentiùs agnoscit. Hanc sanè æquabilem Divinæ simul justitiæ bonitatisque rationem manifestè agnoscimus in præclaro Beati Martyris Fidelis certamine; in quo & detestantes miramur eorum duritiam cordis, obcœcatamque sævitiam, qui a felici, qua portabantur, radice, suâ culpâ semel excisi, oblatam sibi a Domino pacem, & gratiam pervicaciter repulerunt, Angelum verò pacis, evangeli-

lizantem sibi bona, apprehensum, & cœsum occiderunt; & illius triumpho plaudentes gratulamur, qui in Dei, & Ecclesiæ charitate fundatus, post multos bonorum operum fructus, animam demum, ac vitam suam, oblationem acceptam Domino meruit exhibere. Sicut enim illi vesano erroris spiritu in furorem acti, & sanguinem justi per summum scelus effundentes, satis declararunt, nequaquam se ad Regnum dilectionis Filii Dei pertinere; ita dum gloriosus Martyr pro Catholicorum Dogmatum integritate, & errantium proximorum salute, perpetuos labores, ærumnas, pericula, mortem denique ipsam fortiter subiit, profecto vitam suam, non tam inimicorum ferro præcisam amisisse, quàm veluti maturum Cœlestibus horreis fructum in manus Dei depositisse dicendus est.

B. Fidelis ortus, & vita ante ingressum in Religione.

Hunc itaque Beatum Virum, Catholicæ Fidei præconem, adsertorem, Martyrem, solemni judicio Nostro, cum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, nec non Patriarcharum, plurimorumque Archiepiscoporum, & Episcoporum Romæ congregatorum consilio & assensu, agnitum atque probatum, Apostolica Auctoritate humilitati Nostræ divinitùs concessa, universæ Ecclesiæ Dei colendum, & venerandum proponimus: Qui Sigmaringæ Constantiensis Diœcesis in Svevia Oppido, honeste Rojorum stirpe, Catholicis piisque parentibus ortus anno Domini MDLXXVII. & salutari lavacro tempestivè regeneratus, innocenter exactâ pueritia, & sequenti ætate in honestissimarum disciplinarum, & scientiarum studiis cum laude transactâ, nobilibus deindè adolescentibus Italiam, Galliamque peragrantibus comes, & gubernator datus, sex fermè annorum spatio, tum eorum, tum propriæ eruditioni, & virtuti promovendæ, sedulam navavit operam. Mox utriusque juris lauream Friburgi adeptus, Advocati munus Ensishemii in Alsatia professus est. Verùm quum ipsius animus desideriis sæcularibus neutiquam inhærens, ad Christianæ perfectionis studium interiori Dei voce traheretur; turbulentas Fori controversias, atque suspecta negocia citò dimisit, seque Divinis obsequiis plenissimè dedicaturus, sacris simul Ordinibus initiari, & in religiosam familiam Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum admitti postulavit.

Capuccinorum Religionem ingreditur.

Utriusque voti compos effectus, post primum Missæ Sacrificium die Festo ejusdem S. Francisci religiosissime peractum, arctioris Instituti habitum, atque rationem, novumque Fidelis nomen (quum antea Marcus vocaretur) velut in auspicium præclaræ Fidei, quam Deo & Ecclesiæ usque ad mortem præstiturus erat, assumpsit.

Ipsius virtutes.

Evangelicæ paupertatis, continentiæ, obedientiæque vota, ad quæ toto constituti Tyrocinii decursu, omnium virtutum exercitatione se comparaverat, eo spiritu emisit, ut semper hoc ipsum inter maxima erga se Divinæ largitatis beneficia commemoraverit, quod ad ea profitenda vocatus fuerit, & admissus. Quare de ipsorum implemento omni ex parte sollicitus, & quum privatam in Cœnobio vitam ageret, Regularis vitæ disciplinam summo studio, atque humilitate servavit; & quum deinceps, ex obedientia, Conventus Veldkirchiensis regimini diù præfuit, consummatum se perfectionis Magistrum aliis etiam exhibuit; pro Dei gloria, & animarum salute zelo flagrans, in exhortandis ad pietatem, & concordiam Fratribus alacer, in corripiendis cum mansuetudine potens, in obeundis pro subditorum cura, & levamine abjectis quibuscumque ministeriis, laboriosus, & humilis. De sua verò perfectione, & salute super omnia sollicitus, assiduus fuit in rerum Divinarum meditatione: Ideoque cæteris, post nocturna precum, & laudationum officia è Choro discedentibus, ipse in Ecclesia flexis genibus coram Sanctissimo Sacramento ad auroram usque in oratione Dei perseverare consuevit: Insuper, præscripta Horarum Canonicarum psalmodia minimè contentus, duo alia Officia, nimirum de Beatissima Virgine Maria, & de S. Francisco Patriarcha suo, quotidie recitabat. Quod autem sæpe a Domino flagitabat, ut sibi daretur vitam ab omni peccati labe immunem traducere, id, ut securiùs obtinere mereretur, corpus suum ciliciis, aliisque voluntariis castigationibus afflictum perpetuâ fere inediâ extenuabat, non ea tantum jejunia exactissimè observans, quæ ex legibus sui Ordinis maximam anni partem comprehendere dignoscuntur, sed iis etiam id ultro adjiciens, ut solemnibus Adventus, & Quadragesimæ jejuniis, & Sanctorum quorundam pervigiliis a quocumque obsonio abstineret, tum reliquis omnibus per annum Secundis, Quartis, & Sextis Feriis, solis leguminibus victitaret: In Deiparæ verò, & Sanctorum Ordinis Sancti Francisci pervigiliis, pane tantummodo & aqua vesceretur; nec nisi sub vesperam plerumque cibo sese reficeret. Somno tandem ita parco utebatur, ut tribus, aut quatuor ad summum horis dormiendo transactis, reliquam noctis partem orationi, lectioni, scribendisque concionibus tribueret.

Charitas erga Proximum singularis.

Quæ quidem, atque alia plura interiorum virtutum exercitia quum Fidelis Dei Servo assidua, & perpetua fuisse, probatum fuerit; mirari satis non potuimus, quamodo idem, dilatatis charitatis suæ spatiis, adeò se totum proximorum saluti promovendæ tradiderit, ut quasi nil aliud egisse, nil aliud cogitasse toto vitæ suæ tempore videatur. Quum enim a primis usque Religiosæ professionis annis, exacto Theologiæ curriculo, Sacramentalibus Fidelium Confessionibus excipiendis, & Prædicationi verbi Dei operam dare jussus fuerit, difficile dictu est, qua diligentia & labore, qua libertate ac zelo, qua contentione, quo fructu, eximias hasce Sacerdotalis officii partes omni tempore impleverit. Omnia vitiorum genera, pravas omnes consuetudines immaculatis Christianæ sanctimoniæ legibus adversantes, quâ fidelibus exhortationibus, quâ liberiori voce, & mirabili quadam eloquentiæ vi insectatus, novos populo mores induxisse visus est. Præcipuam verò curam studiumque adhibuit in investigandis Hæreticorum impietatibus, ac fallaciis, si quem forte aditum in Catholicorum animos, vel per seductorum fraudes & artificia, vel per Diaboli suggestionem, & ultroneam præsumptionis temeritatem, iis patefieri posse dubitaret; eisdemque profligandis, nec suâ tantum operâ, sed Magistratuum quoque, ac Principum auctoritate, undequaque eliminandis fugandisque feliciter adlaboravit.

Denique charitatis suæ plenitudinem ad externum quoque Proximorum levamen, & auxilium extendens, omnes calamitosos paterno sinu complexus, pauperum numerosos greges collectis undique eleemosynis sustentabat: Pupillorum, ac Viduarum solitudinem, comparata eisdem Potentiorum, ac Principum ope, sublevabat; Carceribus inclusos, omnibus, quibus poterat, spiritualibus, & corporalibus solatiis juvare, ægrotos quoslibet sedulò invisere, recreare, ac Deo conciliatos ad extremam subeundam luctam armare non desistebat. Quo quidem in genere nullam habuit uberiorem meritorum segetem, quam quum Austriacus exercitus in iis Regionibus stationes habens, epidemico morbo universim ferè correptus, miserandum de se pabulum languoribus, & morti præbebat. Tunc enim videre licuit, qua charitatis flamma succensus Fidelis esset, dum

horrendas

horrendas morborum, & funerum ſpecies minimè refugiens, ægrotos Milites ſingulatim inviſere, ſolari, eorum ulceta contrectare, tabem & pudorem abſtergere, cibos ac medicamenta ipſis ſuppeditare, denique Eccleſiæ Sacramenta indefeſſo ſtudio miniſtrare, in deliciis habuit.

Missionibus in Rhætia præficitur.

Quum itaque Sanctiſſimis Salvatoris Noſtri exemplis, atque præceptis, tam accuratè inſiſtens, duplici dilectionis ſpiritu ſe plenum oſtenderet, id optimo jure aſſequutus eſt FIDELIS, ut ad Apoſtolici muneris conſortium, Divino conſilio, Superiorum judicio, Romanæ Sedis auctoritate, adlegeretur; quò tandem eximiæ ſuæ charitatis, cujus illuſtria diù dederat ſpecimina, heroicum illum actum expleret, quo ſanè majorem nemo præſtat, ut animam ſuam poneret pro Dei gloria, & proximorum ſalute. Quum etenim fel. recordat. Prædeceſſores Noſtri Romani Pontifices Paulus V. & Gregorius XV. decreviſſent, graſſanti per conterminam Italiæ Rhætiam Hæreticorum dogmatum contagioni, per Orthodoxæ doctrinæ prædicationem, ſalutaria admovere remedia, & validum ſimul aggerem, nè latiùs error propagaretur, objicere; viſum eſt ex Cappuccinorum potiſſimum Familia delectos Viros, ipſo præſide, ac duce FIDELI, in hujuſmodi opus deſignare, qui animas diabolica fraude deceptas ad Eccleſiæ gremium revocare, eas verò, quæ Dei beneficio a peſtifera labe adhuc ſervabantur intactæ, in ſanctæ Religionis Fide conſervare niterentur.

Hic verò excelſa FIDELIS virtus, quæ antea velut anguſtis concluſa limitibus ſe continuerat, tamquam latiſſimo ſibi aperto ad currendum ſtadio, totam ſe exſeruit, & pleniſſimè manifeſtavit. Nec enim aſſequi dicendo poſſumus, quo animi fervore, ac zelo, quam invicta patientia, atque conſtantia, quàm aſſiduis duriſque laboribus, impoſitum ſibi munus fuerit executus; nunc ſtantes in fide confirmans, nunc nutantibus opportunè ſuccurrens, hic lapſos ad pœnitentiam recocans, illic obfirmatos in impietate cum omni fiducia increpans, & impugnans, non modò in Catholicorum Eccleſiis, ſed in ipſis quoque Hæreticorum Ædibus, per vicos præterea, atque plateas, per domos, & ruſticana tuguria, per aſpera & invia montium, in ſudore & angore, in fame & frigore & nuditate, in periculis & vitæ diſcrimine; itaut admirabilis zeli, ſanctitatis, atque doctrinæ teſtimonium ab ipſis etiam ſtupentibus Hæreticis extorqueret.

Excitabat eum ad præclaros exantlandos labores, non modo ſuſcepti officii ſublimitas, & uberrimus animarum fructus, quem in multis quotidie Hæreticis ex omni ordine, atque ætate ad Eccleſiæ ſinum redeuntibus aperte cernebat; verùm etiam occulta quædam, & blanda ſpes illius obtinendi finis, quem multò ante ſibi propoſitum, & votis ardentibus expetitum, vix tamen ſe aliquando aſſecuturum fore putaverat, ut ſcilicet dignus efficeretur pro nomine Chriſti ſanguinem, & vitam profundere.

Perſecutio in eum excitatur.

Et quidem non diù tulit humani generis hoſtis, hunc ſibi Virum tot prædas è faucibus eripere, dumque fiduciam conceperat, novas in dies Nationes, nova Regna in ſuam poteſtatem ſe redacturum, jam fere ſibi ab acquiſitis imperio ſuo terris migrandum eſſe. Videns ergò FIDELEM plura quotidie ad deſtructionem erroris, & Catholicæ veritatis propagationem utiliter conſtituere, ejuſque conſilia incredibili populi voluntate, auctoritate quoque Principis in tota Regione conſtabiliri, nonnullos ex pervicaciſſimis impietatis ſectatoribus diabolico furore complevit; miſitque in cor eorum, ut Virum Dei, profanorum dogmatum, rituumque deſtructorem, Apoſtolicæ Miſſionis ducem, de medio tollerent. Qui quum noviſſent eum in quodam Oppido, Luceyn nomine, commorari, miſerunt ad ipſum aliquos ex vicino

Ipſius Martyrii narratio.

Sevienſi Pago, qui pietatem verbo ſimulantes, rogarent eum, ut proximo die Dominico, ad eorum Eccleſiam concionaturus ſe ſe conferret; oſtendentes haud inutilem apud ipſos fore ſalutaris doctrinæ prædicationem. Quamvis autem multa eſſent, quæ inſidiarum ſuſpicionem FIDELI meritò facerent; ne tamen Apoſtolico muneri aliqua ex parte deeſſe videretur, quum præſertim martyrii certamen ſibi nequaquam declinandum putaret, conſtituta die, quæ fuit VII. Kalendas Majas anno ſalutis MDCXXII., eorum ſalutis cupidior, quam vitæ ſuæ, ad præfatum Sevienſem Pagum tempeſtivè perrexit: Cumque in primis Omnipotenti Deo immaculatam Hoſtiam obtuliſſet, ſeque Euchariſtici Panis alimento roboraſſet, Divini ardoris incendia ſpirans, ſuâque voluntate jam Martyr, ſuggeſtum conſcendit: In quo quum inſtantis mortis præſagium inveniſſet in hæc verba conſcriptum: *Hodie prædicabis, & non amplius*; non ideo tamen formidine fractus, nec de concepto zeli fervore quidquam remittens, cœpit frequentiſſimo populo libera voce, ut ſolebat, veritatem annunciare, hortarique errantes, ut redirent ad Eccleſiam intemeratæ Fidei alumnam, nutricem beatæ ſpei. Cum ſubito armatis hominibus Templum completur, qui impetu facto, inſaniſque clamoribus elatis, concionem perturbant, cunque omnes in unum FIDELEM arma, fuſtes, tela dirigerent, quidam ex ipſis ignito globulo exploſo, irrito quamvis ictu, eundem trajicere conatur. Tum demum FIDELIS extremam ſibi vitæ horam adventaſſe conſpiciens, è cathedra deſcendit, & ante Majorem Aram in genua provolutus, quum ſe, vitam, & ſanguinem ſuum in holocauſtum Deo lubens obtuliſſet, ſuumque agonem, Eccleſiæ pacem, ipſos demum perſecutores ſuos, crudelia corda, cruentos animos, Domino commendaſſet, ſcuto Fidei, & lorica ſpei armatus, per oſtium è latere Eccleſiæ patens, ad non dubiam mortem impavidus properavit. Qua in re non minor apparuit illius magnanimitas & fortitudo, quàm ſi atrociſſimos cruciatus, atque diuturnos dolores corpori ſuo inuſtos fortiter patienterque toleraſſet. Quis enim putet minorem vim adhibitam eſſe homini, cujus animo præſentis mortis aſpectus, perſpicuum cædis periculum, non ſine tumultu horrendiſque minis, objectum eſt; quam ſi ipſius corpus afflictum fuiſſe tormentis, atque vulneribus, quæ fortes ſæpe viri naturali quadam virtute conſtanter tuliſſe memorantur? Verumtamen hanc fortitudinem Militi ſuo donavit is, qui pro illo prior in Cruce ſanguinem fudit.

Vix itaque FIDELIS è Templi foribus modico ſpatio proceſſerat, quum impiorum manus cum gladiis, haſtis, ferratiſque fuſtibus eum circumſiſtunt, ac furentium belluarum more in ipſum irruentes, vulneribus ſupra viginti confodiunt, atque immaniſſimè contundunt. Ille autem ſereno vultu horrendos ictus excepit, ſublatiſque, quantum poterat, in Cœlum oculis, lætus & hilaris, quod ſibi datum eſſet pro Eccleſiæ Fide glorioſam mortem occumbere, in manus Dei, cui omnia vivunt, ſpiritum exhalavit.

De fama Sanctitatis, & Miraculorum S. Fidelis.

Invicta FIDELIS in perferenda morte conſtantia, Chriſtianaque animi magnitudo, cujus non ſuſpecti teſtes facti ſunt ipſi Sicarii, Hæreticos quoque in admirationem traxit, & alicujus ex ipſis mentem ita illuſtravit, ut paulò poſt ex magiſtro erroris, diſcipulus fieret veritatis. Catholici verò, quibus & illius vitæ ſanctitas, & prædicationis veritas, & pretioſæ mortis cauſa perſpectæ erant, minimè dubitarunt FIDELEM ipſum Martyris loco habere, ejuſque opem apud Deum in anguſtiis, & neceſſitatibus implorare. Itaque ſeptimo poſt menſe conciſas FIDELIS exuvias ex eo loco, ubi primum humatæ fuerant, ad Eccleſiam Curienſem, triumphali veluti pompa, Auſtriacis comitantibus copiis, atque univerſo Clero, & Populo obviam prodeuntibus, detulerunt. Neque

verò distulit Altissimus, editis signis, atque prodigiis, ostendere quàm accepta sibi essent præstita Martyri suo obsequia, & vota fidelium ipsius interventioni commendata. Etenim ille idem Archiducis Austriæ Exercitus haud ita multò post contra rebellantes illius Regionis Hæreticos arma ferens, non occulto dumtaxat Fidelis præsidio, sed & ipsius visibili ductu, quem & complures Milites, & ipsemet Hæreticorum Dux, clarissima in luce, strictoque gladio sibi minitantem conspexerunt, insignem de perduellibus victoriam reportavit. Cumque innumeri quotidie Fideles, qui se Martyris precibus commendabant, in rebus etiam naturæ vires prætergredientibus, votorum compotes fieri se testificarentur; eaque fama per universam Ecclesiam in dies magis augeretur; visum est Apostolicæ Sedi, instante potissimum Venerabili Cœtu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis Propagandæ Fidei præpositorum, (qui, post eam Congregationem constitutam, primum hunc ex Missionariis a se ablegatis pro Christo mortem oppetiisse gloriabantur), legitimas Inquisitiones, atque Processus auctoritate Apostolica confici; ut, si de Fidelis martyrio pro Catholicæ Fidei causa perpesso, &, juxta tutissimam Ecclesiæ Romanæ disciplinam, de miraculis præterea ipsius intercessione a Deo patratis, ritè constitisset; debitus ipsi cultus in terris, cum Sanctis Martyribus, quorum consortium in Cœlis obtinuerat, ab Ecclesia exhiberi posset.

Actorum series.

Cœpta sunt igitur usque a temporibus felic. record. Prædecessoris Nostri Urbani Papæ VIII., eoque annuente & jubente, hujusmodi Inquisitionum acta, quæ per integrum ferè sæculum continuata, tandem, instantibus clar. memor. Carolo VI. Hispaniarum Catholico, & Romanorum Rege in Imperatorem electo, & Charissima in Christo Filia Nostra Elisabetha Christina earundem Hispaniarum Catholica, ac Romanorum Regina Illustri, nunc ipsius Caroli Vidua, aliisque supremis Principibus, nec non prædicta Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium de Propaganda Fide, magnoque numero Antistitum, & Procerum Germaniæ, totoque præfato Ordine Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, sub piæ memoriæ Benedicto Papa XIII. similiter Prædecessore Nostro ad examen deducta, & primò quidem pro validis agnita, mox ad eruendas Martyrii, & Miraculorum prædictorum probationes, totius Congregationis Sacrorum Rituum judicio subjecta fuerunt. Cumque Nos ipsi tunc in minori statu Promotoris Fidei munus gerentes, pro officii Nostri debito, quæcumque super duplici hujusmodi judicii capite animadverti, aut objici poterant, diligentissimè adnotare, & tam voce, quàm scripto deducere non omiserimus; triplici ipsius causæ examine, ut moris est, in prædicta Congregatione Sacrorum Rituum præmisso, idem Benedictus Prædecessor, audito ejusdem Congregationis consilio, causâque cognitâ, die XXIV. Februarii anni MDCCXXIX. pronunciavit, constare de Martyrio in odium Fidei Catholicæ a Fideli perpesso, ac de veritate quatuor potissimum Miraculorum ad invocationem ipsius Beati Viri a Deo editorum; quorum primum fuit, quod exorto in Arce Majenfeldensi maximo incendio, eoque inter aptissima ignis alimenta, ligna nimirum, & pyrii pulveris cumulos, increbescente, invocata apud Deum Fidelis ope, statim restinctum fuit: Secundum, quod Monialis quædam, nomine Cæcilia Mussingerin, horribili inflammatione mamillæ, cum suspicione cancri, plures jam dies excruciata, admotis glorioso Martyris Reliquiis, perfectam sanitatem illicò recuperavit: Tertium, quod oculus Infantis Pauli Francisci Papussin a primis ipsius vitæ diebus humore diffluens, apertoque foramine, & pellicula superinducta, excipiendæ luci jamjam ineptus, quum a medica facultate auxilium frustrà quæreretur, concepto a Matre voto in honorem ipsius Fidelis, naturali integritati restitutus fuit: Quartum denique, quod Gaspar Stigher ob quinquennales dorsi dolores ad omnem fere corporis motum impotens factus, quum se Fidelis patrocinio commendasset, ad tactum mucronis, quo Dei Servus confossus fuerat, momento temporis convalescens, non itineri modò, sed & rusticis quibusque laboribus ipsa die se dedit, integris viribus exindè utens. Quare, audito iterum præfatæ Congregationis consilio super tuto progressu ad formalem ipsius Servi Dei Beatificationem, idem Benedictus Prædecessor, per suas Literas in forma Brevis datas die XXI. Martii ejusdem anni, ipsum Fidelem in Beatorum Martyrum numero recenseri, ejusque memoriam, imagines, atque reliquias religiosè coli, Divina quoque Officia, & Missas in ipsius honorem a Fratribus Minoribus prædicti Ordinis Cappuccinorum, universoque Clero nonnullarum Civitatum & Oppidorum, celebrari permisit.

Decretum de Martyrio, & causa martyrii.

Miracula pro Beatificatione approbata.

Solemnis Beatificatio.

Cum autem Beati gloria, novorum prodigiorum famâ, & impensiori Fidelium cultu in dies amplificaretur, & præfati Supremi Principes, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, aliique per Orbem Antistites, & Proceres, idemque Cappuccinorum Ordo pias super eo instantias iterarent, placuit fel. record. Decessori Nostro Clementi Papæ XII., non solum Lectiones proprias de ipsius Beati Fidelis vita, & Martyrio a prædicta Sacrorum Rituum Congregatione recognitas, in ejusdem Officio recitari, ejusque nomen in Martyrologio Romano describi; sed etiam, reassumptâ causâ, novos auctoritate Apostolica Processus instrui concessit super Miraculis, quæ post indultam ipsi venerationem accidisse dicebantur: Cumque hujusmodi Processus ante omnia ritè, & validè confectos esse constiterit; ex quatuor Miraculis inibi recensitis, & in prædicta Congregatione Sacrorum Rituum semel, bis, tertiò, audito semper oretenùs, & in scriptis Dilecto Filio Promotore Fidei, examinatis, duo præcipuè reperta sunt plenissimis probationibus testata, & omnem naturæ vim excedentia; quæ quum deinde Nos ipsi privatis studiis accuratissimè discusserimus, ea tandem, invocato sæpe Divini Luminis auxilio, solemni Decreto Nostro, die XVIII. Januarii anni MDCCXLIV. in Festivitate Cathedræ Beati Petri Apostoli edito, approbavimus, & publicavimus.

Causa reassumitur pro Canonizatione.

Novâ Miracula pro Canonizatione approbata.

Unum eorum accidit Dilecto Filio Fr. Candido a Mediolano Sacerdoti professo præfati Ordinis Minorum Cappuccinorum, qui epileptico morbo per decennium laborans, postremo infirmitatis suæ anno nullam ferè diem, nullam noctem, ab iteratis, gravibusque ejusdem morbi accessibus liberam habuerat; & stomachi temperie labefactatâ, cibum retinere non valens, corporis viribus adeo destitutus remanserat, ut in lectulo projectus ne cibum quidem manibus suis ori admovere posset. Hic post inutilem plurium medicamentorum usum, Beati Fidelis opem implorans, ejusque Imaginem a Confessario sibi benedicente oblatam devoto mentis affectu veneratus, perfectam sanitatem, corporisque vires, ac robur, nulla interjecta convalescentiæ mora, recuperavit; itaut ipsa die, communis Instituti observantiam resumere, & plurium milliarium iter peragere non dubitavetit, deindèque laboriosis quibusque officiis obeundis idoneus, & a quocumque prædicti morbi incursu exemptus extiterit. Alterum evenit in puero Josepho Kirner, qui antequam per ætatem pedibus suis incedere posset, dira rachitide in inferioribus corporis partibus correptus, eâque jam per triennium perseverante, nullo modo poterat cruribus pedibusque se substentare: Cum autem ipsius Mater ad Beati Fidelis Aram supplex eum detulisset, ab Omnipotenti Deo obtinuit, ut statim consolidatis ipsius basibus, relictisque fulcris, quibus corpus regere consueverat, per se ambulans & exiliens, domum redierit, ac deinceps

Decretum de tuto processu ad Canonizationem.

libero pedum, & crurum usu gavisus fuerit.

His itaque novis miraculis, ut prædiximus, cognitis & approbatis, quum jam Beati Martyris glorificatio ipsius Dei voce manifestè declarari videretur, accepto prius consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aliorumque in prædicta Sacrorum Rituum Congregatione suffragium habentium, Spiritus Sancti lumine Nostris aliorumque precibus implorato, tandem die XXIV. mensis Aprilis ejusdem anni MDCCXLIV. ipsius glorioſi Martyrii anniversaria, post sanctum Sacrificium Deo oblatum in Ecclesia Fratrum Cappuccinorum, ad Altare, in quo expositæ erant ejusdem Beati FIDELIS Reliquiæ, publicum Decretum edidimus, quo causam hanc in præfata Congregatione absolutam denunciantes, ad solemnem ipsius Beati Canonizationem servatis servandis quandocumque procedi posse declaravimus.

Consistorium Secretum.

Pro cujus Decreti exequutione, quum præter superius enunciatos, Charissima quoque in Christo Filia Nostra Maria Theresia Hungariæ, & Bohemiæ Regina Illustris, in Romanorum Imperatricem electa, aliique Catholici Principes, & Populi, Ecclesiarumque Pastores demissas Nobis preces obtulissent, Nos, ut in tanto negocio nihil contra Sanctionum, & Constitutionum Apostolicarum statuta, & tutissimum Prædecessorum Nostrorum morem ageremus, primum quidem congregatis coram Nobis die XVIII. elapsi mensis Aprilis in Consistorio secreto universis Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de præclaris Beati Viri meritis verba fecimus, & adhibitas in hujus causæ discussione, ad normam Decretorum Apostolicæ Sedis, exactissimas diligentias, prolataque tum a Nobis, tum a Prædecessoribus Nostris, ut præfertur, matura judicia, Nos ipsi distinctè exposuimus: Cumque eorum unanimis sententia fuerit, ut supremam gravissimo judicio manum, servata tamen consueta in hujusmodi causis tractandis Ecclesiæ Romanæ praxi, tandem imponeremus: Ideò accitis ad Urbem compluribus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis per Ecclesias constitutis, uberem primò Relationem de ipsius Beati vita, virtutibus, martyrio, ac miraculis, in publico Consistorio, coram Nobis universoque Ecclesiasticorum Ordinum consessu, per Dilectum Filium Virgilium Montecatinum Nostræ Consistorialis Aulæ Advocatum oretenus exponi; mox aliam ex authenticis monumentis prædictæ Congregationis Sacrorum Rituum collectam, scriptoque traditam, omnibus & singulis, quorum suffragia exquirebantur, exhiberi mandavimus.

Consistorium Publicum.

Deinde die VIII. currentis Junii, coactis iterum coram Nobis in Consistorio semipublico prædictis S. R. E. Cardinalibus, tum etiam Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Romana Curia præsentibus, adstantibus quoque Apostolicæ Sedis Notariis, & Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, prædictorum consulentium suffragia, & quidem omnia in unum sensum pro Beati Canonizatione convenientia, lætantes audivimus; quorum etiam exempla a singulis subscripta in Tabulariis Romanæ Ecclesiæ jussimus asservari. Nos autem infirmitatis Nostræ conscii, ut spiritum consilii de Cœlo Nostris, atque fidelis populi precibus obtinere mereremur, generalibus indictis jejuniis, publicas in designatis per Urbem Ecclesiis obsecrationes plurium dierum spatio, concessa etiam in eum finem orantibus Indulgentia, fieri præcepimus. Tum adveniente hac die Apostolorum Petri & Pauli natalitio dicata, solemni supplicationis ritu ad Ecclesiam Beati Petri in Vaticano procedentes, unà cum omnibus prædictis Venerabilibus Fratribus Nostris, cæterisque Romanæ Curiæ, & Nostræ Aulæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus, universoque Clero Sæculari, & Regulari, & devotissimo Populo, Divinam opem advocantibus; auditis iterum enixis Christianorum Principum, Ecclesiarum, & Populorum postulationibus, quas Nobis repræsentavit Dilectus Filius Noster Joachimus Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Portocarrero nuncupatus; post sacros Hymnos, Litanias, aliasque preces de more decantatas; ad laudem, & gloriam Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad Fidei Catholicæ exaltationem, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostra, & de præmissorum omnium Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio, & assensu, prædictum FIDELEM a Sigmaringa Sacerdotem Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum, de cujus vita sanctè tradueta, & morte pro Catholicæ Fidei propagatione perpessa, deque miraculis ipsius intercessione patratis plenissimè constabat, & constat, Sanctum Christi Martyrem esse pronunciavimus, & Sanctorum Martyrum Catalogo adscriptum, ab universa Catholica Ecclesia honorari, & coli, decrevimus, definivimus, & respectivè mandavimus: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Omnibus quoque Christifidelibus, qui singulis annis die XXIV. Aprilis, vere pœnitentes, & confessi, Ecclesiam Cathedralem Curiensem, in qua sacrum Martyris Corpus asservatur, devotè visitaverint, septem annos, & totidem Quadragenas de injunctis eis, seu aliàs debitis pœnitentiis, eadem auctoritate misericorditer in Domino relaxantes.

Indulgentiæ.

Mox Omnipotenti Deo cum Angelis, & Sanctis ejus humillimam gratiarum actionem, demissasque preces per ipsius Sancti merita offerentes, ad sacram Beati Petri Apostoli Confessionem sacrosanctum Missæ Sacrificium cum commemoratione ejusdem Sancti FIDELIS Martyris, nec non Sanctorum Camilli, Petri, & Joseph Confessorum, Sanctæque Catharinæ Virginis a Nobis pariter Sanctorum albo ritè adscriptorum, solemnitèr celebravimus, ac denique humiliatis in conspectu Domini Fidelibus cunctis ibi præsentibus, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam largiti fuimus.

Cardinalium, & Episcoporum suffragia in Consistorio semipublico.

Gratulemur igitur invicto Orthodoxæ Religionis Præconi, cui donatum est pro Christo, non solum, ut crederet in eum, sed etiam, ut pateretur pro eo, atque ita per momentaneum tribulationis certamen, ad æternum Beatitudinis triumphum perveniret in Cœlis, ubi eum pro Catholicæ Fidei dilatatione, & pro temporum Nostrorum tranquillitate, apud Auctorem pacis Nostræ, & consummatorem Fidei suæ, deprecatorem fore confidimus.

Ut autem præmissa omnia perpetuæ futurorum temporum memoriæ commendentur, Nos ea præsentium Litterarum Apostolicarum tenore in omnium per universum Orbem notitiam deduci voluimus; mandantes, ut earumdem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Præsentium transumptis auctoritas tribuitur.

Solemnis Canonizatio.

Nulli ergò omnino hominum liceat paginam hanc nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Dat. Pontificatus Anno VI. die 29. Junii 1746.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI., III. Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.




† Ego T. Episcopus Ostien. & Veliternen. Card. Rufus Decanus, & S. R. E. Vice-Cancellarius.
† Ego A. Episcopus Portuensis Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.
† Ego V. Episcopus Præneslinus Card. Petra, Card. Pœnitentiarius.
† Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.
†
† Ego V. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.
†
†
†
†
†
† Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.
†
†
†
† Ego F. Tit. S. Mariæ Transtyberym Presbyter Card. Burghesius.
† Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. Gentili.
† Ego Fr J. A. Tit. SS. Sylvestri & Martini Presbyter Card. Guadagni.
† Ego T. Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Aquaviva.
† Ego D. Tit. Basilicæ SS. Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.
† Ego J. B. Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Spinula.
†
†
†
†
† Ego R. Tit. S. Sabinæ Presbyter Card. de Ilcio.
†
†
†
† Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passionei.
† Ego S. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Valenti.
†
† Ego J. F. Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.
† Ego C. Tit. SS. Joannis & Pauli Presbyter Card. Paulutius.
†
† Ego C. A. Tit. S. Mariæ de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.
†
†
†
†
†
†
† Ego F. Tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Card. de Ricciis.
† Ego A. Tit. S. Sylvestri in Capite Presbyter Card. Rufus.
† Ego C. Tit. S. Mariæ de Ara-Cœli Presbyter Card. Calcagnini.
† Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.
† Ego F. Tituli S. Matthæi in Merulana Presbyter Card. Tamburrini.
† Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besozzi.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Carolus S. Mariæ in Via lata Diaconus Card. de Marinis.
† Ego Alexander S. Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Albanus.
† Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.
† Ego Agabitus S. Agathæ Diaconus Cardinalis Mosca.
†
†
† Ego C. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.
† Ego M. SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Card. Bolognettus.
† Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.
† Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.
† Ego A. S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. Tanari.
† Ego H. S. Adriani Diaconus Cardinalis Bardi.
† Ego D. SS. Viti & Modesti Diaconus Card. Ursinus.
†

D. Card. Passionеus.
J. Datarius.
Visa de Curia.
J. C. Boschi.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

XII.

Canonizatio Beati Camilli de Lellis Fundatoris Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

MISERICORDIÆ ſtudium, Cœleſtis Patris exemplo, inculcatoque ſæpius Salvatoris Noſtri præcepto commendatum, Diſcipulos Chriſti, Eccleſiæque Filios ab omnibus humanarum Societatum ſectatoribus ita diſcernit, ut qui dilectionem habuerint ad invicem, ii demum ſupereminentem omni ſcientiæ diſciplinam percepiſſe, ii verè ad Regnum Fili Dei pertinere dignoſcantur. Hæc charitatis lex non lapideis Iſraëlitarum cordibus inſculpta, non Levitico generi hæreditate tranſmiſſa, non Aaronis ſtirpi cum Sacerdotii prærogativa tributa fuit, ſed in Fidelium cordibus per Spiritum Sanctum ſuaviter copioſèque diffuſa, ſicut alienigenam Samaritanum languenti Judæo proximum fecit, ita univerſas Orbis Terræ Nationes Fraternitatis vinculo inter ſe copulavit. Per hunc dilectionis ſpiritum verè renovata eſt facies Terræ; dum genus humanum, peccatorum, & conſequentium pœnarum vulneribus fauciatum, non amplius hanc lacrymarum vallem pro exilii atque ſupplicii loco, ſed pro charitatis exercitatione, ac beatæ peregrinationis diverſorio habere cepit; humanæque infirmitates jam inter unius Corporis membra communes redditæ, patientibus quidem factæ ſunt in expiationem delictorum, & cauſam ſalutis æternæ; compatientibus verò meritorum augmentum, & obtinendæ ſibi, quam alii præſtitiſſent, miſericordiæ fiduciam attulerunt. Hoc ſpiritu de Cœlo repletus ſuperiori ſæculo B. CAMILLUS DE LELLIS piam calamitoſorum omnium, præcipuè verò ægrotantium curam in ſe ſuſcepit, quoſque nec patriæ, nec ſanguinis conjunctione ullo modo attingebat, urgente charitate Chriſti, pluſquam paternis fraterniſque officiis complecti & ſublevare, proprium ſibi munus aſſumpſit. Quin etiam quum ſe videret, nec ad omnes ubique in tribulatione conſtitutos, nec, ultra præfinitum ſibi vitæ curſum, ad futuras ætates operam ſtudiumque ſuum extendere poſſe: propagato in alios ejuſdem ſpiritus ſui fervore, iiſque perenni charitatis nexu, & Religioſi Voti propoſito obligatis, ſpiritualem, ac temporalem Infirmorum curam ipſis perpetuò commiſit, & commendavit. Cujus quidem Beati Viri virtutes, quum ad illud perfectionis faſtigium, quod humana ratio, & naturæ vires aſſequi nequeunt, Dei gratiâ pertigiſſe conſtiterit; ejuſque Sanctitatem Omnipotens Deus, illuſtribus editis miraculis, in conſpectu filiorum hominum magnificare dignatus fuerit; Nos eum meritò ex hac veritatis Cathedra, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia frequenti numero congregatorum aſſenſu & conſilio, Eccleſiæ univerſæ colendum, & venerandum, populis invocandum, Fidelibus cunctis imitandum proponimus, & præſentium Literarum tenore denunciamus.

S. CAMILLI ortus, & adoleſcentia.

Natus eſt is Buclanici Theatinæ Diœceſis oppido in Marrucinis Anno Domini MDL., non ſine futuræ Sanctitatis præſagiis, quum Mater, quæ ipſum provecta jam ætate conceperat, viſa ſibi in ſomnis fuerit Puerum peperiſſe, Crucem in pectore geſtantem, & Chorum ducentem aliorum complurium Cruce ſimiliter ſignatorum. Quibus tamen auſpiciis minime reſpondit CAMILLI adoleſcentia, ab eo in vitiis, maximeque in effuſo alearum luſu tradueta, cum valetudinis, fortunarum, & famæ diſpendio; ut etiam probroſâ paupertate adactus, abjectiſſimis primùm miniſteriis a natalium ſuorum conditione alieniſſimis, in Noſocomio Incurabilium de Urbe, mox laborioſæ militiæ in Venetorum Caſtris, denique in Sipontino Fratrum Cappuccinorum Conventu famulatui ſe addicere compulſus fuerit; ubique inconſtans, ubique ſibi aliiſque gravis: nunquam tamen a miſerentis Dei longanimitate deſertus, qui, & eum ſemper a profundiore abyſſo, a blaſphemiarum ſcilicet impietate, aleatoribus adeo familiari, arcere dignatus fuerat: & tandem oſtenſurus in eum divitias miſericordiæ ſuæ, excitavit ipſum aliquando a ſomno mortis, & in manu potenti & brachio extento a perditionis via ad ſalutis tramitem revocavit. Cum enim quadam die iter agens CAMILLUS, accepta quondam faſtidientibus auribus piarum exhortationum verba ſolus ſecum recoleret, & quaſi ruminans animo volutaret; interiori luce ſubito perculſus, ac peccatorum ſuorum conſcientia, divinorumque judiciorum timore perterrefactus, humi ſe proſtravit; nec inde prius ſurrexit, quàm anteactæ vitæ crimina vehementiſſimo doloris actu deteſtatus, de cuſtodiendis in poſterum juſtificationibus Domini immutabiliter conſtituerit. Ex eo tempore novus homo factus CAMILLUS, non modo ab omni vitiorum genere deinceps abſtinuit, ſed ad ſublimiorem Chriſtianæ perfectionis metam contendere cepit: S. Franciſci habitum in Ordine Fratrum Cappuccinorum Siponti induit. Sed veteri ulcere, quod olim in tibia contraxerat, identidem recrudeſcente, bis a dolentibus Superioribus dolens dimiſſus, ab hac ſibi cariſſimâ arctioris vitæ ſemitâ deflectere coactus eſt.

Ipſius ad Deum converſio, & ſanctioris vitæ initium.

Romam reverſus, vetus Hoſpitium ſuum, S. Jabobi ſcilicet Domum, Incurabilium nuncupatam repetiit, ac, Deo ſic diſponente, ejuſdem bonorum adminiſtrationi præfectus fuit. Quo in munere quum ſe CAMILLUS non tam hominibus, quàm Deo ſervire cogitaret, maxima ſedulitate ac diligentia, Infirmorum neceſſitatibus ſublevandis ſe totum dicavit. Sed quum ea in re non ſatis ſibi obſecundare videret eos, qui temporali mercede conducti, in ipſius Noſocomii miniſteriis adhibebantur, ſecum cogitare cepit quomodo ferventiores Operarios, præſtantioribus propoſitis ſpiritualium meritorum præmiis, compararet. Communicavit conſilium hac de re ſuum cum S. Philippo Nerio tunc in humanis agente, a cujus præceptis nutuque pendebat; quo approbante atque hortante, cum paucis primò ejuſdem Noſocomii Miniſtris, mox cum ampliori piorum Fidelium numero, Sodalitatem quandam inſtituit Laicorum hominum, qui ſe Divinis obſequiis, & ægrotantium curæ, in ipſa primùm S. Jacobi Domo, pro Dei amore & futuræ vitæ mercede, manciparunt, & contempta propriorum commodorum ratione, ſuperatiſque Divino præſidio invidorum calumniis, in inſtituto conſtanter perſeverantes, brevi tempore extra prædictam quoque domum charitatem ſuam dilatarunt; cumque proprium ſibi domicilium in Urbe conſtituiſſent, inde ad omnium pauperum ægrotantium levamen tàm in Noſocomiis, quàm in privatis Domibus accurrentes, incredibilem Urbi univerſæ utilitatem attulerunt. Hæc autem utilitas tunc major evaſit, quum multis Eccleſiaſticis Viris CAMILLO ſe ſe adjungentibus, ipſoque CAMILLO, de prædicti S. Philippi directoris ſui conſilio, poſt exacta in Scholis Collegii Romani, ſingulari humilitatis exemplo, Literarum ſtudia, ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promoto; ſpiritualis non minus quàm temporalis vitæ ſubſidia

Societatem inſtituit Miniſtrantium Infirmis.

Quæ deinde plurimùm aucta, à Sixto V. confirmatur, & privilegiis ditatur.

ægrotis quibuſque præſtare ceperunt. Ea re permotus ſapientiſſimus Pontifex Sixtus Papa V. Prædeceſſor Noſter, per ſuas Literas Apoſtolicas datas apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Martii anni MDLXXXVI. hujuſmodi Inſtitutum, Omnipotentis Dei, atque ejus pauperum ægrotorum famulatui dicatum, ac voluntariæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ propoſito, nulla tamen voti ſponſione, adſtrictum, collaudans atque commendans, perpetuo approbavit & confirmavit ſub denominatione *Congregrationis Miniſtrantium Infirmis*, eidemque complura Indulta & Privilegia tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus benignè conceſſit; inter quæ illud ſpecialibus Literis die XXVI. Junii ejuſdem anni datis indulſit, ut illius Sodales, pro habitus proprii diſtinctione, Crucem fulvi coloris ad latus dextrum veſtium ſuarum aſſutam deferrent.

Eadem in Congregationem Regularem erigitur a Gregorio XIV.

Sed quum hujuſmodi Congregatio paucorum annorum decurſu, CAMILLO præſide & promotore, non ſolum fructuoſior evaderet, ſed & ſpectabilium Virorum numero aucta, ad ampliorem Domum S. Mariæ Magdalenæ de Urbe in Regione Columnæ translata fuiſſet, omniumque eidem adſcriptorum jam ſenſus eſſet, ut ſub prudentiſſimis Legibus & Regulis ab eodem CAMILLO præſcriptis, ac ſolemni paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ profeſſione, in perenni miniſterio ægrotantium, ne excepto quidem peſtiferæ contagionis caſu, Religioſam vitam degere optarent; exhibitis felicis recordationis Prædeceſſori pariter Noſtro Gregorio Papæ XIV. hujuſmodi Regulis, iiſque examinatis, & approbatis, placuit eidem Gregorio præfatam Congregationem in Ordinem Regularem erigere, ſub nomine, & nuncupatione *Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis*, ejuſque Profeſſores in quibuſcumque locis tunc & deinceps commorantes, ſub immediata & ſpeciali ſua & Apoſtolicæ Sedis protectione perpetuò ſuſceptos, ampliſſimis gratiis & privilegiis de Apoſtolica liberalitate ditare; prout in ipſius Gregorii Prædeceſſoris Literis, datis apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ MDXCI. Kalen. Octobris, plenius atque diſtinctius continetur.

Ejus Congregationis utilitas, & fructus.

Ex hac nova charitatis ſchola, mirum quanta in omnium ordinum homines, tum corporum, tum animarum præcipuè utilitas dimanavit. Non jam ægrotantes ad morborum ærumnas, ſolitudinis ac derelictionis mærorem acceſſiſſe doluerunt: Non jam tranſactæ vitæ reatibus gravati imminentis mortis diſcrimen abſque peccatorum expiatione ſubire timuerunt: Non jam humani generis adverſarius miſeros mortales in extremis laborantes infeſta rabie circumſiſtens, eos a ſuſceptorum Sacramentorum robore imparatos, aut Fidelium exhortationum ſolatio & ſubſidio deſtitutos invenit. Reddita Noſocomiis mundities, allevati Miniſtrorum labores, animarum Paſtores ubique adjuti, in anxietatibus, curis, & ſollicitudinibus ſublevati; ut minimè ſit mirandum, tot hujus Inſtituti domos, & tunc modico temporis intervallo per Italiam univerſam, per Siciliam, aliaſque remotiores Provincias, & deinceps per Europæ totius Regiones, plaudentibus Civibus, Epiſcopis adnitentibus, erectas eſſe; in quibus, cum magno populorum fructu & emolumento, viget eximiæ charitatis ſpiritus per CAMILLUM in ipſius Filios, atque diſcipulos diffuſus & propagatus.

S. Camilli Fundatoris Virtutes.

Ipſe verò ſaluberrimi operis inſtitutor atque promotor, cum omnes, quas aliis tradiderat, Chriſtianæ perfectionis Leges exactiſſimè implevit; tum eam præcipuè, quæ plenitudo Legis eſt, dilectionem: Cujus profectò Nobis datum eſt, ex collectis de ipſius vitâ, & rebus geſtis certiſſimis monumentis, tam ſublimitatem, atque profundum, quàm latitudinem, longitudinemque dignoſcere.

Pietas in Deum.

Sublimis profecto charitas, quæ a Deo procedens, & in Deum ipſum ſe referens, creata omnia, quæ aliis inordinatæ cupiditatis fomenta eſſe ſolent, vel tanquam pietatis in Deum argumenta, vel tanquam occaſiones miſericordiæ in proximos exercendæ, unicè intuebatur. Hinc, quum ex omnibus rebus, quæcumque ipſius ſenſibus obverſabantur, nova quotidie amandi laudandique Creatoris incitamenta ſumeret, novas charitatis flammas conciperet; in aſſiduos de Deo ſermones in flagrantiſſimos Divini Amoris actus, non ſine lacrymis, identidem erumpebat; tantoque cor ejus æſtuabat ardore, ut ſenſibilem aliquando lucem è vultu ſuo radiantem emitteret; & nihilominus ingemiſcens, quod ſe infinitæ bonitati pro merito diligendæ imparem agnoſceret, infinitas ſibi animas dari voluiſſet, quas in Dei amore totas impenderet. Hoc deſiderio incenſus, ad operoſa miniſteria proximis præſtanda eo ſpiritu accedebat, ut Omnipotenti Deo, quem in pauperibus intuebatur, obſequium aliquod pro viribus exhiberet; ab eaque cogitatione nunquam mentem animumque avertebat. Itaque Cœleſtem fere vitam in terris ducens, nonnunquam viſus eſt per mirabiles exſtaſes a ſenſibus omnino alienatus, totoque corpore in aëra elevato ac ſuſpenſo, beatorum ſpirituum conſortio ſeſe miſcere: Unde & eorum ope ac præſidio, complura vitæ diſcrimina mirabiliter evaſit; & S. Philippi Nerii teſtimonio compertum eſt, Angelos ipſius Sociorum lateribus, dum Infirmis miniſtrarent, adſtantes apparuiſſe. Sed & aliis ſupernaturalibus donis a Deo cumulatus, ſpiritu prophetiæ, gratia curationum, & mirabili in naturæ leges imperio, adhuc vivens, innumera Cœleſtis favoris, quo fruebatur, argumenta dedit.

Humilitatis, & pœnitentiæ ſtudium.

Ab ea tamen virtutum ſuarum, & ſupernorum chariſmatum ſublimitate oculos declinans CAMILLUS, eoſque in propriæ humilitatis profunditate libentius defigens, nec unquam oblivione captus purgationis veterum ſuorum delictorum, ſæpe ſe inter omnes peccatores peſſimum appellabat, ſeque indignum, qui inter homines viveret, ac deſtinatum æternis ignibus titionem intimo animi ſenſu profitebatur; ex quo ſane humilitatis fonte prodierunt aſſidua, quibus corpus afflictabat, pœnitentiæ ac mortificationis exercitia; præcipuè verò demiſſus ille mentis habitus, quo pauperibus & ægrotis, quos ſibi in Dominos adſciverat, in abjectis & laborioſis quibuſque officiis ſine requie miniſtrabat atque inſerviebat. Neque verò ob præclaram, Deoque, & hominibus acceptiſſimam Religionem a ſe fundatam, ſapientiſſimè adminiſtratam, latiſſimèque propagatam, ullo modo efferebatur; quinimmo delatum ſibi fortè Fundatoris nomen refugiens, ipſam quoque Ordinis Præfecturam, quam per XXVII. annos in omni patientia & ſollicitudine geſſerat, tandem, firmato jam ipſius ſtatu & regimine, humiliter a ſe abdicavit & ſponte dimiſit; ut ita, cum eo, a quo didicerat mitis eſſe & humilis corde, fratribus ſuis jam dicere poſſet: *Ego autem in medio veſtri ſum, tanquam qui miniſtrat.* Qua tamen ex re iidem novam utilitatem ſunt conſequuti; dum ab ipſo Ordinis moderatore, a quo ſapientiſſimas leges atque vivendi Regulas ad eum diem acceperant, deinceps etiam perfectæ ſubjectionis & obedientiæ formam,

ipsius exemplа intuentes, desumere potuerunt.

Charitas erga proximos, maximè infirmos.

Sed jam videamus qua latitudine dilatatum sit cor ejus, ut charitatis suæ fructus ad omnes proximos in tribulatione & angustia positos derivaret. Quo in genere non hic omnia recensenda ducimus, quæ CAMILLUS assiduè pro pauperibus sustentandis, alendis, hospitio accipiendis, pro virginibus tuendis & collocandis, pro viduis ac pupillis defensandis sublevandisque gerebat. Unum pro cunctis opus, quod sibi suisque Alumnis proprium & præcipuum sumpserat, ut ægrotantium animabus corporibusque succurreret, immensam propè illius charitatis amplitudinem satis demonstrat. Quis enim tota Urbe infirmabatur, cum quo commiserationis affectu non infirmaretur CAMILLUS? ad quem non accurreret, ac vel ipse præsens inserviendo & consolando usque ad extremum adesset, vel subrogatis Sociis desideratam opem afferret? Quem reperit inopia pressum, ægritudine prostratum, aut nimio mortis metu perterritum, cui non opportuna corporis animique subsidia contulerit, eumque in æternæ salutis fiduciam erexerit? Quem vitiis atque peccatis irretitum, vel Religionis mysteria & dogmata ignorantem, quin eum ad melioris vitæ propositum, ad Divinæ bonitatis sinum reducere studuerit, vel in doctrina Fidei, & in lege Domini erudierit? Quin etiam constat, aliquos Hæreticos in Urbe morbo correptos, CAMILLI charitate & comitate devinctos, ejusque instructionibus, atque hortationibus illustratos, adjuvante Divina gratia, Ecclesiæ Catholicæ restitutos fuisse.

Quibus in rebus quum per omnes Urbis Regiones, ac domos magni ipsius fuerint, & quotidiani labores; tum verò in publicis Xenodochiis, & potissimum in Hospitali Domo Sancti Spiritus in Saxia, illius opera adeò assidua fuit, ut ibi cogitationum atque studiorum omnium scopum, ibi veluti perpetuam vitæ suæ sedem collocasse videretur. Ibi non solum Famuli, & Inservientes, sed ipsi quoque Præpositi viderunt eum in omnis officii ministerio sibimetipsis præeuntem, quæque inter plures dispertita sunt munera, eundem unum omnia amplectentem, ac mira sedulitate obeuntem. In eo habuerunt ægroti, quidquid homines ferè ab amicis, propinquis, parentibus desiderare consueverunt: Nec major est amantissimæ Matris sollicitudo erga unicum languentem Filium, eâ, quam CAMILLUS singulis quibusque ægrotantibus præstabat; eorum desideria prævertens, eorum solatium, commodum, munditiem, ac potissimum animæ expiationem, rectamque Sacramentorum perceptionem procurans; In eos verò peculiariter intentus, a quibus cæteri vel contagionis metu, vel morborum nausea & horrore refugiebant, eos ipse ulnis amplexari, fovere sinu, suisque vestibus tegere non recusabat. Ibi sæpe laboriosas noctes laboriosissimis diebus continuavit, nec ulcerati cruris, nec gravis herniæ incommodo & dolore detentus, nec cibi, nec somni, nec requietis memor, non semel ob extremam corporis defatigationem, spirituum deliquio captus, in terram semianimis corruit.

Grassante peste in Urbe, quid præstiterit CAMILLUS.

Reliquum erat, ut præsenti experimento proposito, videretur, an CAMILLI charitas ad illum, quem cum Sociis professus fuerat, gradum revera pertingeret, ut nimirum ægrotis Fidelibus, quos etiam pestis incessisset, opem & ministerium præstaret. Et quidem quatuor vix annis post indultam novo Ordini Apostolicam confirmationem, invasit Urbem contagiosa lues, cum extrema Annonæ caritate conjuncta, ut duplici clade perculsa Civitas, funeribus, luctu, vastitate completa fuerit. Alios morbi vis, alios inopia & fames, plurimos desperatio & horror ad mortem ducebant; omnes verò metus, ac præsens vitæ periculum, ad salutem & securitatem alibi conquirendam, vel saltem discrimini non objiciendam adigebant. At verò CAMILLUS, propria incolumitate vitâque contempta, minime dubitavit cum suis Alumnis pro salute publica se devovere. Itaque visus est, non modo publicis omnibus Nosocomiis sine intermissione adesse, ac miseris ægrotantibus operâ, consilio, exhortationibus opem ferre; verùm etiam incredibili sollicitudine privatas quaslibet Domos ingredi, quandoque etiam, si occlusæ essent fores, adhibitis scalis per fenestras penetrare; remotissima quæque loca, obscuras cryptas, immunda stabula anxiè circumire; languentes, afflictos, inedia dejectos conquirere, atque omnes, quibuscumque poterat, subsidiis juvare, ac reficere; eorum plagas curare, tabem abstergere, sordes eluere, lectos purgare; Præterea novum aperuit Xenodochium in ipsa Religionis suæ Domo; alterum in Regione Cælimontana ad Sanctum Sixtum; alterum quoque ad Clivum Capitolii in via Rhedarum nuncupata constituit; illucque ægrotos undique comportari curavit, complures etiam propriis sublatos humeris ipse detulit; per omnes denique Urbis vastissimæ Regiones alacer operâ, voce, animo præstò fuit, ut non sine causa judicatum fuerit, clementissimum Dominum, qui etiam in ira sua misericordiæ recordatur, deliberato in Urbem flagello, opportunum levamen per CAMILLUM, ejusque propositi Sectatores opponere voluisse.

Quid, exundante Flumine.

Ea tempestate sedata, ecce biennio post, novum calamitatis genus novam CAMILLO præbuit occasionem ardentissimæ charitatis suæ erga periclitantes proximos ostendendæ. Quum scilicet Tiberis aquarum copia plus nimio auctus, magnam Urbis partem inundasset, jamque adjacentes Sancti Spiritus Ædes invadens, inferiora ipsius cubicula occupasset, commotus tanto Infirmorum periculo CAMILLUS, in medias aquas prosiliens, cæpit ægrotos ipsos, eorumque grabatos humeris suis aliò transferre, nec prius ab opere cessavit, quàm immenso trium dierum labore in tuto omnia collocata conspexerit.

Quod si, veritatis æternæ testimonio, majorem hanc dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis; quid ni heroicam agnoscamus fuisse charitatem CAMILLI, qui minimè detrectavit pro pauperibus Christi vitam sæpe suam in manifestum discrimen adducere, nec unquam animam suam pretiosiorem fecit eâ, cujus desiderio flagrabat, proximorum salute?

Quid aliis in Civitatibus & Oppidis.

Neque verò unius Romanæ Urbis ambitu se continuit ipsius dilectionis amplitudo, sed alias quoque Regiones ac Civitates complexa est, ad quas Instituti sui fructum, utilitatemque propagavit; Italiam verò universam ferè benefaciendo peragravit, mirifica charitatis opera ubique exercens, omniumque necessitatibus opportunè succurrens. Mediolanum grassante & Noiam Urbes pestifera contagione, quo tempore alii earum Urbium commercia omni ratione vitabant, quin etiam earum Cives aliò evolare posse cupiebant, ultro ingressus est CAMILLUS, dilectionis ignem in sinu portans, atque utrobique admiranda illa virtutis exempla, quæ Roma olim conspexerat, pari omnium ordinum admiratione renovavit. Buclanicum Patrium

Oppidum ut audivit Annonæ difficultate graviter afflictum, illicò Româ eò se contulit, suosque Cives impensis providentiæ & charitatis officiis, illustribus quoque impetratis a Deo prodigiis, mirificè recreavit.

Solemnis Beatificatio.

Ipsius sancta mors.

Denique inextinctam charitatis suæ flammam usque ad exitum vitæ, usque ad metam præclari cursus feliciter perduxit; cumque diuturno triginta trium mensium languore, lentaque, & molesta febri probatus fuisset, prænunciatum sibi cœlitùs mortis diem animo concupiscenti præstolando, nil aliud præter Dei & proximi dilectionem in corde & in ore habens, nil aliud Sociis, ac Discipulis suis commendans, tandem Ecclesiæ Sacramentis piè & religiosè susceptis, die XIV. Julii Anno salutis MDCXIV., ætatis suæ LXV. ad regnum perfectæ charitatis migravit.

Nec dubitarunt quicumque ipsius laborum agnovere certamina, quin ipsi coronam justitiæ reddidisset justus Judex; qui etiam, editis potentiæ suæ signis, devota frequentis populi ad ejus funus confluentis officia sibi accepta esse monstravit. Cumque de hujusmodi Miraculis, ac potissimum de perspecta Servi Dei sanctitate, universalis fama, & constans hominum judicium esset, cito deventum est ad legitimorum Processuum constructionem, quibus Ordinaria primùm, mox etiam Apostolica auctoritate confectis, eorumque validitate approbata, post maturum omnium examen iteratis vicibus resumptum, Nobismetipsis olim, pro munere Promotoris Fidei, quod gerebamus, minutissima quæque dubitationis capita proponentibus, tandem a felic. record. Prædecessore Nostro Benedicto Papa XIII., cum consilio Congregationis Sacrorum Rituum, judicatum est constare de CAMILLI Virtutibus in gradu heroico; ut patet ex decreto ab eo edito die XXIV. Julii anni MDCCXXVIII.

Heroicæ CAMILLI Virtutes juridicè approbantur.

Mox examinatis in eadem Congregatione Miraculis, quæ post CAMILLI obitum, ejusdemque intercessione evenisse dicebantur, hujusque examinis summa ad Nos ipsos in Petri Cathedra jam sedentes delata, post invocatam Divini luminis opem, ac reiteratam collectarum probationum considerationem, visum est Nobis duo potissimum ex novem propositis indubitanter approbanda esse; unum nimirum de enormi Polypo in naribus cujusdam Puellæ Viterbiensis suborto, & plures jam menses pervicaciter permanente, qui ex solo contactu fili subuculæ Servi Dei, penitus evanuit; Alterum de lethali morborum congerie, maligna scilicet febri, pulmonum & pleuræ inflammatione, gutturis etiam ulcere, quibus Catharina Dondula sexto jam mense uterum ferens, correpta, & ad extremum vitæ, Medicorum etiam judicio, deducta fuerat, sed omnia solo haustu aquæ, in qua comminutus fuerat pulvis è cubiculo Servi Dei collectus, illico depulsa fuerunt, itaut ægra non modo sanitatem, sed pristinas etiam vires momento temporis recuperaverit. Quæ quidem Miracula quum Nos Decreto edito die XXVI. Septembris Anni MDCCXLI. approbata publicaverimus, mox præfatæ Congregationis consilium audierimus super Beatificationis honoribus eidem Dei Servo tutò deferendis, die demum secunda Februarii Anni MDCCXLII. in Festivitate Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, quo die olim CAMILLUS superni luminis radio illustratus, ad bonam frugem conversus fuisse perhibetur, aliud Decretum protulimus de ejusdem formali Beatificatione peragenda; cujus solemnia deinde in Basilica Principis Apostolorum de Urbe rite celebrata fuerunt vigore Literarum Nostrarum Apostolicarum die VII. ejusdem mensis, & anni, sub Annulo Piscatoris editarum.

Miracula pro Beatificatione approbata.

Indultam Beato Viro venerationem, ac summo Fidelium studio eidem exhibitam, nova subsequuta sunt Miracula, quæ manifestam Dei voluntatem de ipsius glorificatione in Terris augenda ostendere videbantur. Tribus itaque Episcopis, ad inquirendum super hujusmodi Miraculis, auctoritate Nostra Apostolica de more delegatis, cognitâque Processuum ab ipsis confectorum validitate, ex tribus Miraculis in prædicta Sacrorum Rituum Congregatione accuratissimè discussis, audito, ut par erat, Peritorum judicio, novisque inquisitionibus super sanationum obtentarum perseverantia legitimè peractis, duo potissimum, tamquam approbatione nostra digna, Nobis proposita fuerunt, quæ quum revera, privatis Nostris studiis adhibitis, & invocato lumine Spiritus Sancti, clarissima in luce posita esse judicaverimus, die prima Maji superioris anni MDCCXLV. Decreto Nostro approbavimus, & publicavimus.

Causa reassumitur.

Primum est sanatio Luciæ Theresiæ Petri Puellæ ex Oppido Caprarolæ, quæ quum ab ipsa nativitate, ob pravam Thoracis structuram, magna respirandi difficultate laborasset, & procedentibus annis, ingravescente Asthmate, accedentibus purulentis, & sanguineis excretionibus, ac summa virium prostratione, externo quoque contracto gibbo, gravem sibi, aliisque vitam haud longe protrahere posse ostenderet; in maxima morborum hujusmodi intensione, quum, invocatâ Beati CAMILLI ope, aquam bibisset præfato pulveri admixtam, unius noctis spatio a morbis omnibus expedita, & perfecta valetudinis firmitate donata fuit.

Miracula pro Canonizatione approbata.

Alterum est instantanea sanatio Margaritæ Castelli duodeviginti annorum Puellæ ex Oppido Marini, quæ ob vitium sanguinis ab utero matris contractum, malignis pustulis sæpè afflicta, tandem earum numero in immensum aucto, itaut universum ipsius corpus unicâ crustâ, sanie taboque manente, coopertum appareret, acutâ quoque febri superveniente, omnique amissa motus, & sensuum facultate, jamjam expiratura judicabatur; quum subitò imposita ipsi Imagine Beati CAMILLI, ac brevi prece ab ipsius Sorore & Matre emissâ, velut a somno mortis excitata, perfectè convaluit; corpus repente detumuit, crustæ deciderunt, reliquit eam febris; itaut è lecto statim surgens, integerrimis viribus incedere & operari potuerit, neque deinceps inveteratæ hujusmodi affectionis incommoda amplius perpessa fuerit.

Consulta deindè fuit eadem Sacrorum Rituum Congregatio, an rebus ita se habentibus, ad solemnem Beati CAMILLI Canonizationem tutò procedi posse censeret; omnibusque Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus eandem Congregationem constituentibus, nec non dilectis Filiis ejusdem Congregationis Consultoribus in partem affirmativam consentientibus, Nos deinde, maturâ ponderatione præmissa, ac ferventibus Deo oblatis precibus, tandem anno superiore die XVII. Augusti, illius diei anniversaria, quo Inscrutabilis Divini consilii altitudo Nos immerentes ad Summi Pontificatus apicem evexit, publico Decreto edito, hujusmodi Congregationis sententiæ Nos quoque adhærere declaravimus.

Decretum de tuto progressu ad Canonizationem.

Ur-

Urgebant verò pro hujus Decreti implemento non solum communia Fidelium Populorum, ac in primis dilectæ Urbis Nostræ vota, sed & enixæ preces, ac supplicationes antedictæ Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus, & olim clar. memoriæ Philippus III., & Philippus IV. Hispaniarum Reges Catholici, plurimique Ecclesiastici, & Sæcularis Ordinis Proceres apud Prædecessores Nostros Romanos Pontifices suas preces adjunxerant, & suas nuper postulationes Nobis humiliter exhiberi mandaverant Carissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ Rex Illustris, ejusque Conjux Carissima in Christo Filia Nostra Maria Amalia utriusque pariter Siciliæ Regina Illustris, & cum aliis pluribus Antistitibus & Principibus, dilecti Filii Nobiles Viri Neapolitanæ Civitatis Electi. Quapropter communicato consilio cum universo Collegio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in Consistorio secreto die xviij. elapsi mensis Aprilis coram Nobis habito, hisque similiter, audito a Nobismetipsis Causæ statu ac meritis, ad uteriora, servatis servandis, progrediendum esse suadentibus; Nos demum, convocatis per Literas compluribus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis per Ecclesias constitutis, eorum quoque suffragia, ut in tanti momenti judicio fieri consuevit & decet, audire deliberavimus.

Consistorium secretum.

Itaque expositis primùm in plenario publicoque prædictorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Antistitum, omniumque Ordinum Romanæ Curiæ Confessu, per dilectum Filium Julium Cæsarem Fagnanum Nostræ Consistorialis Aulæ Advocatum, ejusdem Beati Camilli gestis, Virtutibus, & Miraculis, iisdemque præterea in summaria Relatione ex monumentis prædictæ Sacrorum Rituum Congregationis fideliter desumptâ, una cum Actorum serie, prædictorum omnium judicio subjectis; die decima currentis Junii eosdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos universos coram Nobis in Consistorio semipublico congregatos adstantibus de more dilectis Filiis Sedis Apostolicæ Notariis, & Causarum Palatii Nostri Auditoribus, requisivimus, an ad solemnem ipsius Beati Canonizationem deveniri posse censerent; cumque omnes unanimi sensu id a Nobis præstandum esse suaderent, exhibitis quoque in scriptis per singulos suffragiis, quæ in Romanæ Ecclesiæ Tabularium inferri jussimus: Nos quidem tunc eos omnes hortati sumus, ut pro impetrando Nobis superni luminis adjutorio, suas Deo preces offerrent; mox generalia per Urbem jejunia indiximus, designatisque Ecclesiis cum Indulgentia ab omnibus Christifidelibus Nobiscum orantibus consequendâ, iteratis etiam Sacrificiis, Deum omnipotentem precati sumus, ut sedium suarum assistricem sapientiam ad illuminandas mentis Nostræ tenebras emittere dignaretur.

Consistorium publicum.

Cardinalium, & Episcoporum sententiæ in Consistorio semipublico.

Demum adveniente hac die Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Martyrio consecrata, in splendidissimo Ecclesiæ Romanæ jubilo, præcedentibus cum prece omnibus Cleri Sæcularis & Regularis Ordinibus, & subsequentibus Aulæ Nostræ, & Curiæ Officialibus, atque Ministris, frequentissima Consacerdotum corona stipati, ad Sacram Beatissimi Apostolorum Principis memoriam in Vaticano, solemnis supplicationis ritu processimus: Ubi exhibitis Nobis iterum a dilecto Filio Nostro Joachimo Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali Portocarero nuncupato, prædictorum Supremorum Principum, & Procerum, Ecclesiarumque, & Congregationis Clericorum Regularium precibus & obsecrationibus, Dei nomine cum gemitibus invocato, ad laudem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad Triumphantis Ecclesiæ gloriam, & Militantis consolationem, atque præsidium, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostra, ac de congregatæ Fraternitatis, ut supra diximus, assensu & consilio, prædictum Camillum de Lellis Diœcesis Theatinæ Sacerdotem, Fundatorem Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, de cujus præcellenti Fide & charitate, cæterisque Virtutibus in gradu heroico, nec non de Miraculis ipsius intercessione a Deo patratis, plenissimè constabat, & constat, Sanctum esse definiendo pronunciavimus, & pro Sancto ab omnibus habendum, atque colendum ediximus, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; omnibusque Christifidelibus, qui singulis annis die xiv. Julii verè pœnitentes, & confessi Ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Urbe, Congregationis præfatæ Clericorum Regularium, in qua ipsius Sancti Corpus religiosè asservatur, devotè visitaverint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu aliàs debitis pœnitentiis, eadem auctoritate in perpetuum misericorditer relaxavimus. Denique in obsequium Omnipotentis Dei decantato Laudis, & Confessionis Hymno, incruentam salutis Nostræ Hostiam ad Altare Confessionis Beatissimi Petri Apostoli in Spiritu humilitatis obtulimus, cum commemoratione etiam ipsius S. Camilli Confessoris, nec non Sanctorum Fidelis Martyris, Petri, & Josephi Confessorum, & Catharinæ Virginis, quos pariter Sanctorum Albo ritè adscripsimus, omnibusque ibi præsentibus plenariam peccatorum Indulgentiam largiti fuimus.

Solemnis Canonizatio.

Indulgentiæ.

Exultet igitur Ecclesia Sancta Dei, & jucundetur in Domino, qui secundum promissiones suas, sanctitatis & dilectionis spiritum in ea conservat, & fovet. Excitentur Fideles ad præclara Sancti hujus persequenda vestigia, ut ipsius mereantur suffragiis adjuvari; qui quum in illo Regno Beatitudinis, in quod neque luctus, neque dolor ingreditur, non habeat, cui assueta misericordiæ suæ exhibeat officia, Nos hic in tantis angustiis, & calamitatibus constitutos, suâ intercessione sublevare, & flagella Divinæ iracundiæ a Nobis iubens studebit avertere.

Ut autem præmissa omnia ad consolationem, & eruditionem Christianæ plebis ubique innotescant, Nos ea, præsentium Literarum Apostolicarum tenore, & auctoritate, publicanda, atque edicenda esse censuimus; mandantes, ut earundem præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus ndes ab omnibus habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Præsentium Literarum exemplis auctoritas tribuitur.

Nulli ergò omnino hominum liceat paginam hanc nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo

Dat. Pontificatus Anno

simo quadragesimo sexto, tertia Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.




† *Ego T. Episcopus Ostien. & Veliternen. Card. Rufus Decanus, & S. R. E. Vice-Cancellarius.*
† *Ego A. Episcopus Portuensis Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.*
† *Ego V. Episcopus Prænestinus Card. Petra, Card. Major Pœnitentiarius.*
† *Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.*
†
† *Ego V. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.*
†
†
†
†
†
† *Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.*
†
†
†
† *Ego F. Tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.*
† *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. Gentili.*
† *Ego Fr. J. A. Tit. SS. Sylvestri & Martini Presbyter Card. Guadagni.*
† *Ego T. Tit. S. Cœciliæ Presbyter Card. de Aquaviva.*
† *Ego D. Tit. Basilicæ SS. Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*
† *Ego J. B. Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Spinula.*
†
†
†
†
† *Ego R. Tit. S. Sabinæ Presbyter Card. de Ilcio.*
†
†
† *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*
† *Ego S. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Valenti.*
†
† *Ego J. F. Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.*
† *Ego C. Tit. SS. Joannis & Pauli Presbyter Card. Paulutius.*
† *Ego R. Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis de Hieronymis.*
† *Ego C. A. Tit. S. Mariæ de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.*
†
†
†
†
† *Ego F. Tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Card. de Ricciis.*
† *Ego A. Tit. S. Sylvestri in Capite Presbyter Card. Rufus.*
† *Ego C. Tit. S. Mariæ de Ara-Cœli Presbyter Card. Calcagnini.*
† *Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.*
† *Ego F. Tituli S. Matthæi in Merulana Presbyter Card. Tamburrini.*
† *Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besozzi.*
†
†
†
†
†
†
†
† *Ego Carolus S. Mariæ in Via lata Diaconus Card. de Marinis.*
† *Ego Alexander S. Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Albanus.*
† *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*
† *Ego Agabitus S. Agathæ Diaconus Cardinalis Mosca.*
†
†
† *Ego C. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*
† *Ego M. SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Card. Bolognettus.*
† *Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.*
† *Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.*
† *Ego A. S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. Tanari.*
† *Ego H. S. Adriani Diaconus Cardinalis Bardi.*
† *Ego D. SS. Viti & Modesti Diaconus Card. Ursinus.*
†

D. Card. Passioneus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
I. C. Boschi.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.
*Registrata in Secretaria Brevium.*

---

Canonizatio BEATI PETRI REGALATI Sacerdotis Professi Ordinis Minorum, Regularis Observantiæ inter Hispanos Restitutoris. XIII.

## BENEDICTUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

NEGOTIATORES Cœli, qui, fidelibus Redemptoris nostri promissionibus innixi, quæcumque Mundus appetit, quæ caro concupiscit, quæ Dæmon pollicetur, omnia relinquunt, ut Christum bajulantem sibi Crucem, per asperam angustamque viam prosequantur, non modo inæstimabilem bonæ negotiationis fructum in æternæ vitæ possessione percipiunt, sed etiam in terris centuplum, pro omnibus, quæ dimiserunt, utilissimâ commutatione lucrantur. Dum enim vitæ hujus oblectamentis, per mortificationis, & continentiæ studium renunciant, puris tranquillisque voluptatibus, de conscientiæ serenitate, ac Divini favoris suavitate, replentur; dum anxias Mundi divitias, Evangelicam paupertatem amplexi, a se abdicant, supernorum charismatum thesauris abundè ditantur; & pro vanis fluxisque honoribus, quos contemnunt, veram solidam-

que

que gloriam, non ſolum coram Angelis Dei, ſed etiam coram hominibus adipiſcuntur. Vidit hæc Cœleſti lumine edoctus BEATUS PETRUS REGALATUS, Ordinis Minorum Alumnus, ejuſque diſciplinæ, quam Sanctus Patriarcha Franciſcus diſcipulis ſuis tradiderat, perfectiſſimus ipſe Sectator, & in aliis quoque Reſtitutor. Guſtavit, quam ſuave ac bonum eſſet, abnegatis ſæcularibus deſideriis, uni Deo adhærere; reliquit, quæ ſua erant, ut Chriſtum lucrifaceret: Verum in ipſis etiam voluntariæ paupertatis anguſtiis dilatatum eſt cor ejus, ut quarum rerum nec poſſeſſione, nec affectu tenebatur, in eas mirum ſæpe jus & imperium, ſupra id quod naturæ leges ferunt, Deo concedente, exerceret. Nunc denique ad immenſum Gloriæ pondus, quâ is jamdudum in Cœlis potitur, non exiguus in Terris acceſſit honoris cumulus, decreto eidem cultu univerſæ per Orbem Eccleſiæ, cui Nos, licet indigni, Divina voluntate præſidentes, ipſum Beatum Virum, Chriſtianarum Virtutum perfectione, & Miraculorum claritate illuſtrem, inter Sanctos Confeſſores a Nobis, cum conſilio Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia frequenti numero congregatorum, rite ac ſolemniter adſcriptum, religioſa veneratione proſequendum, & proficua devotione invocandum proponimus, ac præſentium Literarum tenore denunciamus.

Sancti Petri Regalati ortus, & initia.

Valliſoleti, Nobili Hiſpaniæ Urbe, natus eſt PETRUS Anno ſalutis MCCCXC., ex Nobilibus piiſque parentibus, quorum diſciplinâ, & exemplis eruditus, ac Divinâ præſertim gratiâ præventus, cœpit a puero ad Chriſtianæ perfectionis leges vitam moreſque ſuos componere, & conformare; quin etiam vix decimo ætatis anno tranſacto, domeſticis facultatibus honoribuſque contemptis, Franciſcani Inſtituti habitum, ac profeſſionem expetere. Reſtitit quidem ab initio amantiſſima Mater, & piis Filii deſideriis obſecundare triennio toto recuſavit; verum is in ſancto propoſito firmiter perſeverans, eumque præferens Matri, quem præferre jubemur, & animæ Noſtræ, inſtando & obſecrando, tandem obtinuit, ut ad Religioſæ vitæ Tyrocinium, mox etiam ad ſolemnia emittenda Vota in patriæ Civitatis Cœnobio admitteretur. Ex eo tempore quum in ſuſcepto perfectionis curriculo, per internæ humilitatis, externæque mortificationis ſtudium, per aſſidua Orationis, & contemplationis exercitia, per ſollicitam puri cordis, & ſenſuum cuſtodiam, novos ſemper progreſſus faceret, numquam reſpiciens retro, ſed ad perfectiora, & ſublimiora extendens ſe ipſum; ad illud brevi pervenit virtutis faſtigium, ut & in omnibus religioſi Viri officiis toti Sodalitio exemplis ſuis præluceret, & ſanctioris diſciplinæ in Minorum Familia non nihil tunc temporis laxatæ in priſtinum ſplendorem reſtituendæ, inſpirante Deo, conſilium caperet, eodemque adjuvante, ad effectum mirè perduceret.

Ordinem Minorum ingreditur.

Ejuſque Reformationem unà cum Petro Villacretio promovet.

Etenim occaſionem nactus, quâ Vir pius, ac prudens Frater Petrus Villacretius ejuſdem Ordinis Profeſſor, poteſtate a Superioribus ſibi facta, Hiſpaniæ Cœnobia peragrabat, ut ex iis, qui a ſubinducta libertate ad perfectiorem vivendi rationem tranſire cuperent, peculiarem veluti gregem conflaret, in quo priſtina Franciſcanæ Regulæ puritas, & auſteritas reviviſceret, nihil cunctatus PETRUS ſe illi ſocium adjunxit, & in ſolitariam Domum propè Aquileriam Oxomenſis Diœceſis Oppidum permiſſu Epiſcopi extructam, habens cum eo ſeceſſit. Ibi in perpetuis pietatis, & pœnitentiæ exercitationibus ambo viventes, non ſolum Cœleſtium gratiarum copiam, ſed etiam hominum admirationem ſibi conciliarunt; ut eâ permoti quamplurimi, tum ex ipſo Fratrum Minorum Ordine, tum è ſæculari Clero, & e Populo, in eorum Societatem admitti certarint, eorumque diſciplinæ ſe inſtituendos tradiderint. Quare cum nova Reformatorum Familia ad eum numerum aucta fuiſſet, ut jam Aquilerienſibus Ædibus contineri minimè poſſet, alterum ejuſdem Inſtituti Cœnobium de Abroxo nuncupatum in Agro Tribulano ad Ripam Durii Fluminis conſtrui, opus fuit.

Reformatorum Cœnobia gubernat.

In horum Conventuum regimine, quoties naſcentis Reformationis negocia Villacretium aliò vocabant, PETRUS REGALATUS ipſius vices ſuſtinere conſuevit. Cum verò idem Villacretius, poſt obtenta a felicis recordationis Martino Papa V. Prædeceſſore Noſtro, quem præſens adierat, quæcumque ad ipſius Reformationis firmitatem, atque dilatationem maximè optaverat, ex hac vita piè migraſſet, communi Religioſorum Voto in ipſius locum ſuffectus eſt PETRUS, qui ſicut eum viventem in prælaudati operis conſtitutione, & adminiſtratione, conſilio ſuo, atque opera maximè juverat, ita deinceps non modo Aquilerienſe Cœnobium, in quo præcipuum fixit domicilium, ſed Tribulanum etiam, quod modò per ſe ipſum, modò per Vicarios a ſe delegatos regebat, ad perfectioris diſciplinæ normam ſanctiſſimè gubernavit.

Ipſius religioſæ virtutes.

Fuit in eo ad Socios, Subditoſque in via Mandatorum Dei dirigendos, non ſolum eximius zelus, & aſſidua vigilantia, verum etiam in omni virtutum genere præclari exempli lux, & auctoritas. Quorum enim jejunorum obſervantiam ad mentem Sancti Fundatoris in uſum reduxerat, ea ipſe & exactè ſervabat, & voluntariis abſtinentiæ rigoribus cumulabat, quum nullum ferè obſonii genus ad panem, & aquam plerumque adjiceret, &, præter dies Dominicos, nihil omnino ad veſperam ſumeret; quinimò totos ſæpè dies abſque ullo cibo tranſigeret in laboribus, aut orationibus, quarum etiam amore nonnunquam integras noctes inſomnes ducebat, vel humi cubando, curabat, ut ne quid ſomni caperet, præter id, quod ineluctabilis naturæ neceſſitas poſtulabat. Duris præterea flagellis, aſperrimis ciliciis corpus affligere, & in ſervitutem redigere non deſinebat. Paupertatis verò adeò amator fuit, ut quæ præ cæteris attrita, & laceræ veſtes eſſent, eas ipſe ſibi deligeret, nec unquam ferè ſandaliis aliove calceamenti genere uteretur, ſed nudis plerumque pedibus ad humilitatis, & pœnitentiæ exercitium, incederet.

Pietas in Deum.

Quare cum ſibi, ac mundo crucifixus omnino eſſet, minime eſt mirandum, ſi totum cor ejus ſibi vindicavit Cœleſtium amor, cujus virtute fortiter tractus, ac dulcedine ſuaviter illectus, ineffabilia Divinitatis attributa, & Redemptionis noſtræ myſteria, præſentiſſimo animi ſenſu aſſiduè contemplabatur, adeoque in piis meditationibus affectibuſque inardebat, ut ſæpe clariſſimus locis ſplendor ex ipſius corpore diffuſus, non ſolum ad cubiculi ambitum, ſed longè latèque ſupra Cœnobii tectum emicaret; cujus rei cauſa a finitimis cognita, *Domus Dei* nomen Cœnobio inditum fuit, quo etiam uſque in præſentem diem appellatur. Ex frequentibus verò mentis exceſſibus, quibus ad interiora cum Deo colloquia admittebatur, quum Cœleſtium virtutum formam in ſe referret, earum quoque exemplar aliorum animis imprimere vehementer optabat. Hinc ortum habuit zelus ille ardentiſſimus, quo ad animarum ſalutem opportuniſſimis rationibus procurandam accendebatur, neque ſolum Religioſos Viros curæ ſuæ peculiariter commendatos, exemplis præceptiſque ſuis ad perfectionis culmen ducere ſatagebat; ſed cæteris etiam omnibus operâ, conſilio, ſermone, ac potiſſimum impenſis miſericordiæ, & charitatis officiis, tutiſſimam ad Cœlum viam

Charitas in Proximos.

com-

commonstrare, & complanare curabat. Hic erat præcipuus ipsius scopus, & cùm pauperes Christi ægritudine afflictos, eosque maximè, quos propter horrificam morborum speciem, aut contagionis periculum, ab aliis derelictos conspiciebat, per se ipse adjuvare, hospitio recipere, laboriosa curatione sublevare gestiebat; & cùm, corrogata a divitioribus stipe, calamitosis omnibus opem ferre, potissimùm verò Christifidelibus apud barbaros in captivitate detentis, libertatem impetrare studebat; cùm demùm inimicitias omnes, & simultates inter fideles componere omni studio nitebatur: ut scilicet peccata, & vitia eliminaret, pericula, occasionesque peccandi omnibus subtraheret, & Proximos a se adjutos, non sibi, sed Christo lucrifaceret, atque ad Divinæ Bonitatis amorem, ad Evangelicæ legis observantiam adduceret. Denique purgantium Defunctorum cruciatus pio commiserationis affectu respiciens, oblatis Deo precibus, Sacrificiis, jejuniis, aliisque voluntariis sui corporis castigationibus, prolatam ipsis æternæ Beatitudinis possessionem accelerare curabat.

Extrema vitæ, & obitus.

His aliisque virtutibus apud suos, exteroscque clarus, Miraculorum quoque gratiâ, aliisque supernaturalibus donis illustris, cum ad sexagesimum sextum ætatis annum perveniisset, jamque prospiceret, haud procul esse depositionem Tabernaculi sui, de apto idoneoque Rectore gregi suo post se relinquendo sollicitus, longum asperumque iter ingressus est, ut Lupum Salazarium antiqui Instituti cultorem, ac vindicem, ad id muneris suscipiendum suaderet. Eâ re impetratâ, quum Tribulanum Cœnobium in reditu visitasset, inde ad Aquilerienſe se contulit, ubi lethali morbo correptus, decubuit, exactoque inter acerbos cruciatus, atque languores integro Quadragesimæ cursu, tandem die sancto Paschæ Eucharistici Panis viatico munitus, & sequenti die ab Episcopo Palentiæ Oleo Sancto unctus in nomine Domini, quum dilectissimos Fratres ad severioris disciplinæ custodiam, ad paupertatis studium, ad imitationem Christi etiam, atque etiam hortatus esset, animam suam in manus Dei fidenter amanterque commendans, justorum somno obdormivit tertio Kalendas Aprilis Anno salutis MCCCCLVI.

PETRI corpus, ut piis Fidelium turbis ad Cœnobium undique concurrentibus satisfieret, per aliquot dies inhumatum remansit; cumque nullas interim mortalitatis injurias pateretur, tandem in communi Fratrum Sepulchro conditum fuit; unde tamen post triginta sex annos translatum fuit ad prænobile loculamentum, quod ipsi clar. mem. Elisabetha Castellæ Regina ex alabastrite marmore extrui curavit.

Ibi & propter constans hominum judicium de Servi Dei sanctitate, & propter Miraculorum frequentiam, assidua venerationis & cultus obsequia a piis Fidelibus ipsi delata fuerunt.

Acta sub Urbano VIII.

Et sanè de generali ipsius Sanctitatis, Virtutum, & Miraculorum fama, Testes sunt antiqui Processus auctoritate Ordinaria super eo confecti, qui cum ante hos centum viginti annos ad hanc Sanctam Sedem delati fuissent, & pro legitimo cultu eidem Servo Dei asserendo, Apostolicæ definitionis oracula, instantibus etiam Catholicis Hispaniarum Regibus, universoque Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, vehementer expeterentur; visum est sel. recordat. Urbano Papæ VIII, Prædecessori Nostro, signatâ Chirographo suo Commissione, ad discutiendam in specie ipsius Beatificationis, & Canonizationis Causam, novorum Processuum constructionem demandare. Quibus deinde ad Urbem allatis, & trium antiquiorum tunc temporis Causarum Palatii Apostolici Auditorum examini subjectis, quum hi, pro sua integritate & prudentia, eorum validitatem & relevantiam plenissimè approbantes, in luculenta Relatione eidem Urbano Prædecessori exhibita, tam præclaras Servi Dei virtutes in gradu heroico, quàm illustria in vita, & post mortem ejus intercessione patrata Miracula, satis demonstrata esse censuissent; idem Urbanus Prædecessor ipsius Causæ judicium remisit Congregationi Sacrorum Rituum: Quæ post approbatam eorundem Processuum validitatem, & examinis formam, quum decrevisset, unà cum dubio de Regalati virtutibus, alterum quoque de Miraculis ipsius intercessione sequutis proponi, & expendi; quatuor infrascripta Miracula ad trutinam vocavit. Primum, quod olim in visitatione Conventuum Aquileriæ & Tribuli, quam Dei Servus pedes peragebat, intermedium spatium quadraginta millium passuum unius horæ intervallo confecisset. Alterum, quod quum collectas è communi Mensa reliquias aliquandò deferret ad pauperes, ob idque a Vicario sibi occurrente objurgaretur, quod supra modum in exteros se liberalem præberet, quumque is nil aliud, quam flores deferre se asseveraſſet, flores revera in sacculo reperti sunt, quos neque anni tempus, neque Regionis natura suppeditare potuerant. Tertium, quod Durii Fluminis aquas, quoties increbuissent, & navicula deesset ad transfretandum, extento super eas pallio, non semel sicco pede transierit. Quartum denique, quod pauperi post ipsius obitum assuetâ eleemosyna præ Cœnobii foribus fraudato, eâque de re ad ipsius PETRI sepulchrum conquerenti, exerto è sepulchro brachio, panem porrexerit. Hisque admirabilibus sanè prodigiis, quæ etiam a vetustissimis temporibus marmoreo Servi Dei sarcophago insculpta ceruebantur, maturè discussis & approbatis; peracto quoque virtutum examine; eadem Congregatio Decretum edidit die XVI. Novembris anni MDCXXX., quo tam Virtutes ejusdem Servi Dei, quàm ipsa prædicta Miracula comprobata fuerunt.

Virtutum, & Miraculorum approbatio.

Quum verò paulò post, super hujusmodi judiciorum ordine & methodo, nova & consultissima ejusdem Urbani Papæ VIII. Decreta prodiissent, proindeque inducta fuisset necessitas ostendendi, quod iis paritum esset; antequam ad ulteriora in hac Causa procederetur, opus fuit planum facere, quod per centum annos, immò veriùs per duo ferè sæcula ante eorundem Decretorum editionem, publicus cultus ipsi Dei Servo præstitus fuerat. Quare post aliquot annorum silentium, percrebescentibus religiosis Catholicorum Principum & Populorum votis, instantibus quoque quamplurimis Episcopis, universoque prædicto Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, Anno Domini MDCLXXV. a felic. record. Prædecessore pariter Nostro Clemente Papa X., de consilio præfatæ Congregationis Sacrorum Rituum, signata fuit Commissio pro reassumptione Causæ in statu & terminis, cum facultate in primis, & ante omnia conficiendi Processum particularem super paritione Decretis Urbani Papæ VIII. de non cultu editis, seu super casu ab eisdem excepto: & consequenter ab Episcopo Oxomensi, vigore Literarum a prædicta Congregatione ipsi directarum, confectus fuit hujusmodi Processus, ac sententia ritè prolata super Cultu eidem Beato Viro a centenario tempore, & ultra, publicè exhibito, ac proindè de casu a præfatis Urbani VIII. Decretis excepto: Quam porrò sententiam prædicta Congregatione Sacrorum Rituum revisam, & approbatam, sanctæ memoriæ Prædecessor pariter Noster Innocentius Papa XI. Apostolica auctoritate confirmavit, & roboravit, Decreto edito die XVII. Augusti anni MDCLXXXIII.

Approbatio cultus.

Itaque non solum ipsius Beati PETRI cultus impensioribus Fidelium studiis per totam Hispaniam aliasque Regiones frequentari cœpit, verùm etiam subsequutis Apostolicæ Sedis Indultis magnopere auctus fuit: Concessâ primùm in ipsius honorem

Ejusdem cultus amplificatio.

ANNO 1746.

Officii Divini, ac Missarum celebratione per Ordinem Fratrum Minorum de Observantia, & per aliquas Hispaniæ Diœceses: Mox extenso per gradus hujusmodi Indulto ad universam Franciscanorum Familiam, & ad omnes Hispaniarum Civitates, atque Diœceses, cum Oratione etiam, & Lectionibus propriis, ab eadem Congregatione Sacrorum Rituum examinatis, & approbatis: Demum permissa ab eodem Innocentio Translatione Corporis ipsius B. PETRI ad novum, atque splendidius Sacellum, piorum sumptibus in ipsius honorem excitatum.

Judicium super novis Miraculis institutum.

Quoniam verò, juxta Apostolicarum sanctionum Decreta, ad solemnem Beati Canonizationem minimè procedi poterat, nisi demonstratum fuisset, nova, post indultam venerationem, miracula supervenisse; ideò quum delatum fuerit ad sel. record. Prædecessorem Nostrum Benedictum Papam XIII. nonnulla Miracula ab Omnipotenti Deo ad invocationem ejusdem Beati PETRI recens patrata fuisse, placuit ipsi Apostolica auctoritate necessarias facultates delegare Episcopis Oxomensi, & Palentino, ut juxta instructiones iis transmittendas, super hujusmodi assertis Miraculis Testes examinarent, aliasque legitimas probationes colligerent. Hinc delatis ad Urbem Processibus ab iis confectis, eorumque validitate, nec non examinis formâ, in Congregatione Sacrorum Rituum recognita, & juxta ipsius Congregationis consilium, a fel. pariter record. Clemente Papa XII. Decessore Nostro approbatâ; mox etiam alio Processu ejusdem Clementis auctoritate constructo super novissimo Miraculo, ut ferebatur, in Diœcesi Palentina edito, cujus pariter Processus validitas approbata fuit: De hujusmodi Miraculorum relevantia, secundùm collectas probationes, a Dilecto Filio Magistro Ludovico de Valentibus Promotore Fidei diligenter excussas, actum primò fuit inter præfatæ Congregationis Consultores coram Dilecto Filio Nostro Antonio Xaverio Tituli S. Stephani in Monte Cœlio Presbytero S. R. E. Cardinali Gentili nuncupato, hujus Causæ Ponente a Nobis deputato. Deinde, novis animadversionibus ab eodem Fidei Promotore exaratis, iterum iidem Consultores coram universis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus præfatæ Sacrorum Rituum Congregationi præpositis, in Quirinali Palatio Nostro congregatis, sententias suas dixerunt: Atque ita demum Causa plenè discussa, & per novissimas prædicti Promotoris animadversiones accuratissimè cribrata, ad Nostrum judicium delata fuit. Nos verò, omnibus gestorum probationibus examinatis, & tam facti, & juris allegationibus, quàm Peritorum judiciis, & consultationibus perlectis; auditis etiam oretenus tum Causæ Postulatoribus, & Patronis, tum etiam præfato Promotore Fidei; Congregationem generalem prædictorum omnium tam Cardinalium, quàm Consultorum die secunda Junii Anni MDCCXLIV. coram Nobis coëgimus.

Et quamvis ex tam exquisita rerum omnium discussione, & Consultorum suffragiis, quæ Nobis antea in scriptis oblata perpendimus, quin etiam in Summarium redacta eidem Cardinalium Congregationi per Nosmetipsos exposuimus, ac denique ex consiliis prædictorum Venerabilium Fratrum Nostrorum in eadem Congregatione a Nobis auditis, jam satis omnia videri potuissent clarissima in luce collocata: Nihilominus, ut uberiorem Cœlestis luminis gratiam perseveranti oratione impetrare mereremur, Nostram adhuc sententiam proferre distulimus, usque ad diem Festum S. Bonaventuræ ejusdem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci; quo die, celebrata Missa in Ecclesia S. Mariæ Ara-Cœli nuncupata, solemni Decreto edito, duo infrascripta Miracula ipsius B. PETRI intercessione a Deo obtenta approbavimus, & publicavimus.

ANNO 1746.

Miracula pro Canonizatione approbata.

Primum est de Cœco illuminato, Didaco nimirum Sacerdote, cognomento Plasentia, qui cum epileptico paroxismo correptus in domesticum focum prunis ardentibus refertum corruisset, eoque casu plenam ferventis aquæ ollam subvertisset, ustulatâ facie, crematis palpebris, & oculorum acie labefactatâ, omnem videndi facultatem penitùs amisit, nec eam quatuor circiter mensium spatio, pluribus etiam remediis adhibitis, ulla in parte recuperavit. Verùm quod neque a natura, neque a Medicorum arte obtinere jam ampliùs sperabat, id ei ab Omnipotenti Deo mirabiliter concessum fuit per merita B. PETRI REGALATI, cujus Cucullum oculis suis admoveri curavit; dum ad illius Reliquiæ contactum, illicò perfectissimum oculorum usum recepit, quem ad mortem usque haud imminutum retinuit.

Alterum recentiùs Miraculum experta fuit Birgitta Ortega in sanatione horrendi ulceris, quod ipsi ex prævio tumore, & intercluſa sanie, in sinistra lumborum regione obortum, cùm integumenta omnia, quibus renes continebantur, & duas quoque costas maligna corruptione depascendo absumpsisset, contracto demùm callo, & acerbissimis doloribus cum febri accedentibus, jam propè erat, ut ipsam Mulieris vitam præcideret. Cum tamen illa ad Beati sepulchrum adduci se postulasset, ibique ipsius opem apud Deum cum lacrymis imploràsset, iter ingressa, ut domum rediret, sensit se repentè sanatam, atque ulceris locum inspiciens, invenit amplissimam fistulam coaluisse, & cicatrice inducta, nullas alias morbi reliquias jam superesse: Quin etiam auctis sibi corporis viribus, optima deinceps usa est valetudine, dum vita fuit.

De tuto progressu ad Canonizationem.

His itaque duobus Miraculis cognitis, & approbatis, illud definiendum supererat, an res eò adducta videretur, ut ad solemnem Beati Canonizationem tutò procedi posset: Qua in re quum jampridem dubitatum fuisset, an obstaret Decretum a Nobis editum die XXIII. Aprilis Anni MDCCXLI., quo scilicet, inter alia, statuimus, in Causis Servorum Dei per viam Cultus immemorabilis, sive Indulti procedentibus, & in quibus virtutes ex Testibus dumtaxat de auditu, sive ex coævorum Scriptorum testimoniis probatæ fuissent, quum post approbationem Cultus immemorabilis, ad solemnem Canonizationem transitus fieri vellet, non duo solum, ut olim obtinuerat, sed quatuor in posterum Miracula ritè probari debere: Hujusmodi dubitatio a Nobis sublata fuerat per aliud Decretum die secunda Augusti ejusdem anni prolatum, quo declaravimus, hanc Causam ab ea lege exceptam esse, & censeri debere; ob eam nimirum justissimam rationem, quod quum jam usque a temporibus Urbani, Papæ VIII., ut supra diximus, unà cum heroicis B. PETRI virtutibus, quatuor simul Miracula approbata fuerint, jure dici poterat prædicto generali Decreto Nostro antecedenter paritum fuisse, proindeque ad ipsius Beati Canonizationem, non quatuor, sed duo tantum Miracula approbanda superesse. Itaque prædicta quæstione proposita in Congregatione generali Sacrorum Rituum coram Nobis habita die XXII. Septembris Anni MDCCXLIV., unanimis omnium sensus fuit, ut ad solemnem B. PETRI Canonizationem servatis servandis quandocumque procedi posset: Nosque ipsi deinde solemne Decretum in eandem sententiam edidimus die VI. Octobris ejusdem anni.

Cumque Charissimi in Christo Filii Nostri Philippus V., & Elisabetha Conjux, Hispaniarum Reges Catholici, cum reliquis ipsorum Regiæ Familiæ Principibus, oblatas jam

pridem a Prædecessoribus suis Apostolicæ Sedi preces & postulationes pro hujus Beati Viri Canonizatione omni studio foverent, accederentque in eum finem complurium Venerabilium Fratrum Hispaniæ Antistitum, totiusque religiosissimi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci vota, & obsecrationes; Nos, ut in hoc gravissimo negocio juxta præscriptam servatamque a Prædecessoribus nostris agendi normam procederemus, universi primum Collegii Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in Consistorio secreto VI. Idus Aprilis coram Nobis congregatorum sententiam, atque consilium exquisivimus. Quibus, post auditam a Nobis gestorum seriem, & Beati Viri præclara merita, ad legitimam Causæ hujus absolutionem unanimi voce Nos adhortantibus; non viciniores modò, sed etiam remotiores per Italiam Episcopos, & Archiepiscopos moneri curavimus, ut circiter Kalendas Junias, quibus commodum esset, ad urbem sese conferrent; quò, & instantem Natalem diem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, veteri more, nobiscum una celebrarent, & Nobis de sæpedicti B. PETRI RECALATI, nec non BB. Fidelis a Sigmaringa Martyris, Camilli de Lellis, & Josephi a Leonissa Confessorum, & Catharinæ de Ricciis Virginis, solemni Canonizatione deliberantibus, consiliorum suorum suffragia, prout Spiritus Sanctus ipsis suggessisset, exponerent.

Consistorium Secretum.

Ut autem præclaræ ipsius B. PETRI virtutes, ejusque insignia Miracula, nec non adhibitæ cautiones in totius Causæ discussione, neminem laterent, indicto priùs coram Nobis plenario consessu omnium Ecclesiasticorum Ordinum, & Collegiorum, ac Magistratuum Romanæ Curiæ, mandavimus a Dilecto Filio Josepho Ascevolino nostræ Consistorialis Aulæ Advocato de præmissis omnibus verba fieri; mox etiam exactam eorundem narrationem ex authenticis documentis religiosè collectam, ac Typis impressam, omnibus suffragium laturis exhiberi curavimus. Demum convocatos in Consistorio semipublico die XI. currentis Junii universos Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, nec non Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, qui jam frequentes undique in Urbem convenerant, conceptis verbis requisivimus, an ad ipsius B. PETRI Canonizationem deveniendum Nobis esse censerent. Ipsi verò summo animorum consensu, gravibusque rationibus, omnes in affirmativam Sententiam ire comperti sunt. Qua de re a Dilectis Filiis Apostolicæ Sedis Notariis ibi præsentibus publica Instrumenta confici, ac præter ea suffragiorum ipsorum exempla a singulis prædictis subscripta in Tabularium Ecclesiæ Romanæ inferri mandavimus.

Consistorium Publicum.

Cardinalium, & Episcoporum suffragia in Consistorio semipublico.

Nos autem priusquam de summa rei definiendo pronunciaremus, ut, quid placitum esset coram Deo, ab ipso Patre luminum edoceri mereremur; indictis per Urbem jejuniis, designatisque Ecclesiis, cum Indulgentia ab iis consequenda, qui Nobiscum Cœlestem opem implorarent, orationibus, & obsecrationibus instare non prætermisimus; donec hac die corruscante Sanctorum Apostolorum Petri Pauli & Natalitio dicatâ, magnam venerandæ solemnitatis lætitiam, novo Ecclesiæ gaudio, per definitivæ hujusmodi Sententiæ prolationem, cumulare decrevimus. Quarè, præeuntibus supplicationis generalis ritu, omnibus primùm Cleri Regularis Ordinibus, tum Ecclesiarum Collegiatarum, & Basilicarum, etiam Patriarchalium, Cleris atque Capitulis, nec non præfatæ Congregationis Sacrorum Rituum Consultoribus, Nos ipsi demum cum Dilectis Filiis Aulæ Nostræ Officialibus, & Familiaribus, cum Schola Cantorum, cunctisque Romanæ Curiæ Prælatorum Collegiis, Presbyteris quoque Pœnitentiariis Sacerdotali veste indutis, denique cum Venerabilibus Fratribus Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis, qui ad octoginta fere adfuerunt, universoque Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, ex Apostolicis Ædibus prodeuntes, frequenti Procerum, & Magistratuum numero stipati, & subsequentibus Apostolicæ Sedis Notariis, ac Regularium Ordinum Generalibus Superioribus, ad Basilicam Beatissimi Apostolorum Principis in Vaticano, Cœlestis Sponsæ ornatu fulgentem, Nos læti contulimus; quo Nos vocabat, & ipsa memorabilis diei festivitas, & antiquissima Prædecessorum Nostrorum consuetudo, quibus solemne fuit præclaros hujuscemodi Sanctorum triumphos non alibi, quàm apud memoriam ejusdem Beatri Petri Apostoli, celebrare.

Solemnia Canonizationis.

Ibi quum Dilectus Filius Noster Joachimus Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Portocarrero nuncupatus, pororante Dilecto Filio Virgilio Montecatino Nostræ Consistorialis Aulæ Advocato, enixas, quas supra innuimus, supremorum Principum, Ecclesiarum, & Ordinum preces, atque postulationes, pro BEATI PETRI REGALATI, aliasque pro Beatorum Fidelis, Camilli, Joseph, & Catharinæ Canonizatione Nobis instanter repræsentasset; Nos quidem ad gravissimi Judicii definitionem, absque iterata Cœlestis auxilii invocatione, procedere non audentes, decantatis cum Venerabili Consacerdotum cœtu, & devotissimo Populo Sanctorum Litaniis, Deum Optimum Maximum per omnium electorum suorum merita precati sumus, ut Sedium suarum assistricem sapientiam in cor nostrum immittere dignaretur. Cumque adhùc instantiùs pro exoptatæ Sententiæ prolatione ab eodem Cardinali Promotore urgeremur: Nos iterum in genua provoluti, Paraclitum Spiritum Sanctum Hymno, & Oratione solemni rogavimus, ut lucis suæ radium emittens, mentis nostræ tenebras discuteret, & trepidantem adhùc fragilitatem nostram virtutis suæ robore confirmaret. Denique ad reiteratas, & instantissimas præmissorum obsecrationes, quin potiùs ad manifesta universæ Catholicæ Ecclesiæ vota, ad maturas deliberationes ritè præhabitas, & declaratum jampridem Ecclesiastici Senatus consilium respicientes, eâque auctoritate suffulti, quam Dominus Noster Jesus Christus Beatissimis Apostolis Petro, & Paulo, Nobisque, licèt immerentibus, tribuit, in honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Fidei Catholicæ exaltationem, & Christianæ Religionis augmentum, definitivo pronunciato Decreto, prædictum PETRUM REGALATUM Ordinis Minorum Sancti Francisci Sacerdotem expresè Professum, Regularis disciplinæ adsertorem, & vindicem, Christianarum virtutum præstantia, & Miraculorum gloria fulgentem, unà cum supradictis Fideli, Camillo, Joseph, & Catharina, Sanctum esse declaravimus, & Sanctorum Catalogo adscripsimus; statuentes ipsius Petri memoriam inter Sanctos Confessores non Pontifices ab Ecclesia universali quotannis die XIII. Maji pia devotione recoli debere; in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Instantiæ.

Decretum.

Mox decantato pro debita gratiarum actione consueto Laudis, & Confessionis Hymno, Nostrisque & Ecclesiæ precibus prædictorum Sanctorum interventioni commendatis, ad Aram Basilicæ Maximam supra Sacratissimam Confessionem Beati Petri Apostoli, incruentam Salutis Nostræ Hostiam oblaturi, reverenter accessimus. Porrò post Evangelicam Lectionem a Diaconis utrâque linguâ recitatam, continere labia Nostra non potuimus, quin in tam justâ sanctâque lætitiâ, Sacerdotalibus vocibus ex abundantia gaudii Nostri erumpentibus, splendidissimam alloqueremur Venerabilium Fratrum, Dilectorumque Filiorum Coronam: ut

quos devota Religio, & Apostolicæ Sedis reverentia, non ex Urbe modò, aut ex finitimis locis, sed ex longinquis etiam, & ultramarinis Regionibus, ad Sepulchra Apostolorum frequentes attraxerat, antiquis Beatorum Principum victoriis lætantes, & recenti Sanctorum triumpho plaudentes, ad eorum virtutes pro viribus imitandas, ad eorumdem Patrocinia studiosè demerenda, atque in præsentibus potissimum calamitatibus, quibus Ecclesia Dei jamdiù conflictatur, enixè imploranda, Paterno affectu, & sermone accenderemus. Denique, concessâ omnibus adstantibus plenariâ peccatorum Indulgentiâ, his verò, qui singulis annis, prædicta die XIII. Maji, ejusdem SANCTI PETRI REGALATI exuvias, aliisque statutis diebus aliorum Sanctorum prædictorum Sepulchra devotè visitaverint, septem annis, & totidem Quadragenis de injunctis eis, seù aliàs debitis pœnitentiis, auctoritate prædicta in perpetuum relaxatis: Omnipotenti Deo vota nostra reddentes, Sacrosancta Mysteria, pro totius Mundi salute, pro Ecclesiæ pace, pro sanctæ Plebis incolumitate, solemni ritu peregimus.

Indulgentiæ.

Quoniam verò post prolatam a Nobis, ut præfertur, hujusmodi Canonizationis, & Adscriptionis Sententiam, ab eodem Cardinali Promotore Nobis humiliter supplicatum fuit, ut super præmissis omnibus Apostolicas Litteras perpetuò valituras decernere, atque edere dignaremur; ideò Nos justissimæ petitioni annuentes, præsentium Litterarum tenore, atque ex certa scientia, & Apostolicæ auctoritatis Nostræ plenitudine, omnia & singula prædicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, universæque Catholicæ Ecclesiæ denunciamus: Mandantes, ut earundem præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Literæ decernuntur.

Eorumque exemplis fides tribuitur.

Si quis verò paginam hanc Nostræ Definitionis, Decreti, Adscriptionis, Mandati, Statuti, Relaxationis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum,

Sanctio.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI., III. Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno VI.

Dat. Pontificatus Anno VI. die 29. Junii 1746.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.




† Ego T. Episcopus Ostien. & Veliternen. Card. Rufus Decanus, & S. R. E. Vice-Cancellarius.

† Ego A. Episcopus Portuensis Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.

† Ego V. Episcopus Prænestinus Card. Petra, Major Pœnitentiarius.

† Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.

†

† Ego V. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.

†

†

†

†

†

† Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.

†

†

†

† Ego F. Tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyter Card. Burgheſius.

† Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. Gentili.

† Ego Fr. J. A. Tit. SS. Sylveſtri & Martini Presbyter Card. Guadagni.

† Ego T. Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Aquaviva.

† Ego D. Tit. Baſilicæ SS. Duodecim Apoſtolorum Presbyter Card. Rivera.

† Ego J. B. Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Spinula.

†

†

†

†

† Ego R. Tit. S. Sabinæ Presbyter Card. de Ilcio.

†

†

† Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Paſſioneus.

† Ego S. Tit. S. Priſcæ Presbyter Card. Valenti.

†

† Ego J. F. Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.

† Ego C. Tit. SS. Joannis & Pauli Presbyter Card. Paulutius.

†

† Ego C. A. Tit. S. Mariæ de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego F. Tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Card. de Ricciis.

† Ego A. Tit. S. Sylveſtri in Capite Presbyter Card. Rufus.

†

† Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.

† Ego F. Tituli S. Matthæi in Merulana Presbyter Card. Tamburrini.

† Ego D. J. Tit. S. Crucis in Hieruſalem Presbyter Card. Beſozius.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Carolus S. Mariæ in Via lata Diaconus Card. de Marinis.

† Ego Alexander S. Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Albanus.

† Ego Nerius S. Euſtachii Diaconus Card. Corſinus.

† Ego Agabitus S. Agathæ Diaconus Cardinalis Moſca.

†
†
† *Ego C. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*
† *Ego M. SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Card. Bolognettus.*
† *Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.*
† *Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.*
† *Ego A. S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. Tanari.*
† *Ego H. S. Adriani Diaconus Cardinalis Bardi.*
† *Ego D. SS. Viti & Modesti Diaconus Card. Ursinus.*
†

D. Card. Passionеus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
I. C. Boschi.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.
*Registrata in Secretaria Brevium.*

XIII. Canonizatio BEATI JOSEPHI A LEONISSA Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum.

## BENEDICTUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. HUMANI generis Redemptor, Dei Filius, Sapientia Patris, ita mentes hominum, disjecta veteri, qua operiebantur, caligine, novo doctrinæ Cœlestis splendore illustravit, ut simul ad ejus lumen ductumque sequendum, maximis & pretiosis promissis languentia corda erexerit & excitaverit. Ita porro dum nos edocuit, abjecta de perituris divitiis sollicitudine, Thesaurum non deficientem in Cœlo nobis parare, in eoque cogitationes & corda nostra defigere; simul etiam certissimam hujusmodi Thesauri adipiscendi spem nobis ostendit, in Dei & Patris nostri benignitate fundatam, cui placuit, humilitati nostræ Regnum æternum disponere & destinare. Quod si terreni Regni, quantumvis caduci, fastigium, vilioribus mercibus, aut parvo agello, luteisve casis, nemo non anteferret; si momentaneam oblectationis voluptatem nemo præ Imperii gloria, amplissimaque dominatione, non aspernaretur; quis erit profectò, qui mundanas, quantivis pretii, opes, potentiam, honores, comparare audeat cum ineffabili Cœlestis Regni beatitudine, quam Christus Dominus pusillo Electorum suorum gregi promisit? Cujus gloria non in opinione hominum, sed in Divinæ Gloriæ communione sita est; in qua bonum, quod possidetur, desideriorum mensuram excedit; ubi denique in visione ac fruitione Dei, atque in beata Sanctorum societate, plena est felicitas, perpetua jucunditas, & secura tranquillitas.

Ad hanc Cœlestis Regni promissionem advigilans, hunc veræ felicitatis fontem sitiens BEATUS JOSEPH A LEONISSA, Religiosum Institutum Fratrum Minorum Sancti Francisci, quos Cappuccinos appellant, plena voluntate, & constanti devotione professus, desertam a vitiis, inviam adversariis potestatibus, & aridam a deliciis sæcularibus terram incolere statuit, ut tandem in sancto apparere Deo mereretur, atque ad illius Beatitudinis & Gloriæ consortium feliciter pervenire. Quam sanè præclaram mercedem ipsius sanctæ conversationis, diuturnæ pœnitentiæ, strenuorumque laborum, quos pro Dei honore & proximorum salute ad mortem usque toleravit, eidem Beato Viro in Cœlesti Patri a Deo retributam fuisse, eumque propterea inter Sanctos Confessores cum Christo regnantes ab Ecclesia universa colendum & venerandum esse inspectis heroicis ipsius virtutibus, necnon miraculis ejus intercessione a Deo editis, apud Nos & Apostolicam Sedem ritè probatis, cum consilio & assensu Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia congregatorum, deque attributæ Nobis potestatis plenitudine, nuper definiendo pronunciavimus, ac præsentium Literarum tenore edicimus, statuimus, atque decernimus.

S. JOSEPHI ortus & initia. Leonissæ Aprutii Oppido, ex Joanne de Desideriis & Francisca de Paulinis, in Spoletana Diœcesi, anno MDLVI. natus est JOSEPH, in Baptismate Euphranius dictus, & primò quidem apud Parentes piè ac liberaliter educatus fuit; postea verò iis defunctis, Viterbii, ubi Patruus publicè docebat, adolescentiæ ætatem castè integrèque transegit. Cum autem soli Deo perseveranter adhærere statuisset, oblatas sibi a Patruo honestissimas nuptias, perpetuo virginitatis proposito se obstringens, constanti animo recusavit; seque tandem ab omnibus mundi periculis, insidiis, fallaciis, terroribus, in perfectam Filiorum Dei libertatem vindicaturus, ad Religiosa Cappuccinorum Claustra apud Assisium confugit, ubi, frustra obnitentibus consanguineis, & minas etiam adhibentibus, quo eum a sancto proposito avocarent, arctiorem Sancti Francisci Regulam professus est.

JOSEPH pauper spiritu. Quo autem mentis ardore suave Christi jugum JOSEPH amplexus esset, facilè apparuit ex incredibili studio, quo & statim ad capessendum virtutum omnium culmen totus incubuit, & nunquam deinceps a suscepto perfectionis cursu deflexit. Religiosæ paupertatis & spiritu & reipsa eximius cultor, in summa rerum inopia, in qua hujusmodi Instituti sectatores vitam degunt, complura invenit, quæ suis usibus voluntariè detraheret.

Mitis & humilis. Mitis animo & humilis corde, se totum, suasque actiones & voluntates, arbitrio Superiorum, quorum mandata aperto capite, & flexis genibus excipere solebat, penitus permisit; ut quum sine eorum jussu cuicumque rei ineptum se esse duceret, eorum accedente nutu, difficilia quæque aggredi non dubitaret: Quum verò nihil de se suisque viribus præsumeret, & ne suas quidem preces apud Deum quidquam valere putaret, aliorum orationibus assiduè se commendabat: Denique in vilissimis quibusque exercendis ministeriis, in ferendis contemptibus & ludibriis lætus & alacer, tunc solum tristari videbatur, quum aut munus honorificum suscipere cogeretur, aut meritæ ipsius virtuti laudes tribuerentur.

Pœnitentiæ deditus. At verò seipsum, pro abjecta, quam de se fovebat, opinione, sic asperè duriterque tractabat, ut difficile sit alium reperire, qui novissimis hisce sæculis pœnitentiæ ac mortificationi magis addictus fuerit. Quum etenim perpetuum ferè jejunium sibi indixisset, non alio plerumque pane, quàm duro ac mucido, non alio obsonio, quàm putridis ac semiustis leguminibus, aut crudis oleribus, non alio potu, quàm corruptis aquis, aut vino cineribus conferto vitam sustentabat; & nihilominus crucifigendæ carnis suæ cupidior in dies, inusitatis flagellorum generibus suas in se ipsum manus armabat, quibus corpus suum acerrimè dilaniaret; & quia non semper id ipsi licitum erat, horrida cilicia, ferreas catenas, ferreos circulos, ferream loricam, ad continuum sui cruciatum adhibebat: Et tamen hilari fronte, ac læto vultu Apostolicæ prædicationis ministerium idimplens, tanto spiritus fervore afflicta membra regebat, ut nec æstus, nec frigora, nec soles, nec imbres, nec famem, nec sitim, neque labores sentire videretur; dummodo aliquod faceret animarum lucrum, ac Dei cultum & gloriam propagaret.

Justi-

Justitiæ cupidus & Divini cultus amplificator.

Justitiam enim esuriens & sitiens, nec de propriâ solùm perfectione sollicitus, sed ad aliorum quoque salutem procurandam ardentissimo studio intentus, quum prædicandi & evangelizandi munus ex odebientia gereret, incredibili labore ac zelo, nec minore animarum fructu, toto vitæ suæ cursu illud obivit. Frequens illi erat uno eodemque die pluries diversis populis, diversis argumentis, diversis in locis sacras conciones habere: nec tamen ideo restinctâ ardoris sui flammâ, gaudebat privatis exhortationibus homines a vitiis avocare, ad virtutem inflammare, pueros & rudes Fidei elementis, Christianâque doctrinâ imbuere. Quin etiam ad Infidelium terras, ad ipsam Mahumetanæ impietatis arcem quum accessisset, non modo Fidelibus in Babylonis captivitate degentibus opportuna attulit conservandæ Religioni præsidia, sed plures Infideles ad Christianæ veritatis lucem quum adduxisset, exterminandæ impietatis cupidissimus, non dubitavit ipsum Imperii Tyrannum in Palatii sui penetralibus intrepida charitate adoriri, ut ei Evangelium Christi annunciaret. Quod sanè magnanimum facinus, quum inscrutadili Dei judicio in irritum cessisset, regressus Joseph in Italiam, reliquum vitæ spatium in Dominicæ Vineæ cultura, per Aprutii potissimum, & Umbriæ Provincias impendit.

Misericors in proximos.

In eas porro geminum Doctrinæ & Misericordiæ suæ thesaurum effudit; & sicuti, impositum sibi Apostolicum Ministerium adimplens, pro æterna animarum salute utilissimè semper adlaboravit; ita ad sublevandos omnes in hujus vitæ angustiis & afflictionibus constitutos, admirabilis charitatis opera indesinenter exercuit. Quos enim ad Cœlestis beatitudinis sedem veluti manuducere conabatur, eos in mundi hujus calamitatibus oppressos jacere, quantum in ipso erat, minimè patiebatur. Itaque parum est, quod pauperes omnes ad se confugientes, immò veriùs studiosissimè a se conquisitos, omni ratione juvabat, quod iis non solùm mensæ reliquias, sed ipsum paratum sibi cibum, atque etiam labores manuum suarum largiebatur; quod ægrotos quoslibet invisere, eosque piis hortationibus assiduisque officiis ac ministeriis reficere nunquam prætermittebat; quod carceribus inclusos solari, pascere, atque iis, vel judicum clementiam, vel creditorum benignitatem conciliare curabat: Sed extant ad hunc usque diem eximiæ ipsius charitatis perennia monumenta in publicis Hospitiis, pro infirmorum, aut peregrinorum perfugio, in Montibus Pietatis pro pauperum subsidio, per earum Regionum Civitates & Oppida, ipso potissimum hortante, promovente, accurante, erectis, dotatis, instructis.

Orationi, ac divinorum contemplationi deditus.

Cum autem in assiduis hujusmodi prædicationis & beneficentiæ operibus immensi essent ipsius labores, æquum profectò erat, ut congruam vicissim corpori animoque suo quietem & relaxationem non invideret. Hanc Joseph in religiosa Divinarum precum recitatione, ac potissimum in solitaria oratione, atque in rerum Cœlestium meditatione capiebat; quarum amore, integras sæpe noctes ante Crucifixi Domini sui effigiem insomnes ducebat; atque in ejus bonitatis sinu acquiescens; in immensæ illius charitatis profundum se immergens, ipsi suam, ipsi Ecclesiæ causam, ipsi laborum suorum fructum impensè amanterque commendabat. Ad quem porro divinæ amicitiæ gradum Joseph evectus fuerit, tutò conjicere licet ex singularibus donis, quibus glorificavit eum Deus in conspectu hominum; ut nimirum secreta cordium introspiceret, absentia, tanquam videns enunciaret, futura prædiceret, naturæ atque elementis mirabiliter imperaret. Quis autem valeat enarrare beatas illas communicationes ac spirituales delicias, quibus Omnipotens Deus fidelem Servum suum cumulare solebat? Satis hæc manifestè apparebant ex frequentibus adspirationibus, affectibusque ardentissimis, quibus, in mediis etiam ministerii sui occupationibus, prægustatæ suavitatis memor, totus in Deum ferebatur; satis intimam illius animæ unionem cum Deo testabatur imperturbabilis illa pax, quam secum & cum proximo in omni rerum vicissitudine constanter servabat.

Pacificus.

Hanc pacem, quam Salvator Noster, sua morte nobis acquisitam, exemplis præceptisque suis commendatam, veluti paternam hæreditatem discipulis suis reliquit, hanc Joseph in omnium Fidelium cordibus sedulò plantare curavit, in eâque potissimum evangelizandâ prosperos atque mirabiles successus obtinuit. Ardebant eo sæculo inter finitimas prædictarum Regionum Civitates inimicitiæ, inter Familias discordiæ & simultates, inter plerosque Cives dissensiones & odia; indeque tumultus & rixæ, frequentesque cædes & homicidia, cum populorum excidio, Deique offensâ, in dies oriebantur. Hanc ergo veluti furentium leonum silvam ingressus Joseph, succinctus pectora baltheo charitatis, & calceatus pedes in præparatione Evangelii pacis, fidei scutum, galeamque salutis assumens, & gladio spiritus, quod est Verbum Dei, instructus; tumentes undique iras compressit, odia restinxit, atque efferata dudum corda Christianæ pacis suavitate demulsit; ut nova prorsus Regionis facies, novi populorum mores brevi tempore apparuerint; ipsi verò tanquam restitutori pacis, & fundatori publicæ quietis, maxima apud homines parta gloria, majus autem præmium, pacificis a Deo promissum, in Cœlis assertum fuerit.

Adversa patitur propter fidem, & justitiam.

Verum quo majorem adipiscendi Cœlorum Regni securitatem Servo suo faceret Deus, permisit eum in tentationes varias incidere; gravissimasque persecutiones pro justitia perpeti; ut ipsius virtus per tribulationum ignem probata inveniretur in laudem & gloriam in die Domini Nostri Jesu Christi: Nam præter immane supplicium, eidem Constantinopoli ab Infidelibus irrogatum, quum intra Palatii septa deprehensum, quò ad annunciandum Christi fidem penetraverat, sublimi è trabe ferreis uncis suspenderunt, atque igne sumoque suppositò pene suffocarunt; innumeras etiam ab improbis Christianis injurias atque molestias sæpè sustinuit, dum pro suscepto sanctæ prædicationis officio, hominum vitia viriliter oppugnans, atque ita pervicacium offensionem incurrens, verberibus sæpe, & colaphis, & contumeliis impetitus, aliquando etiam in vitæ discrimen adductus fuit. Quæ tamen omnia, quum nec ipsius mansuetudinem neque constantiam loco demovere valuerint, totidem Josepho gradus facta sunt ad cœlestem triumphum, quem ipsi tandem a justo Judice tributum fuisse non est dubitandum.

Ipsius sancta mors, miraculis illustrata.

Id enim evincit ipsius pretiosa mors, quam apud oppidum Amatricis Reatinæ Diœcesis, post diuturnam infirmitatem in pietatis, & patientiæ exercitationibus transactam, anno ætatis suæ quinquagesimo septimo, ab Incarnatione Domini MDCXII., placidè obiit in osculo Domini; & manifestè ostendunt illustria signa atque miracula, quæ ab Omnipotenti Deo, tum sæpe Josepho vivente, tum etiam in ipsa ejus morte, & post illam, edita fuerunt; inter quæ id sanè mirabile fuit, quod defuncti corpus assidua maceratione, ac morbi vi antea squallidum, inusitatâ coloris & speciei venustate repente florere, & suavissimum odorem exhalare cœpit; intima verò ipsius viscera, medico cultro dissecta, nulla imbuta fœce, sed lacteo quodam humore tota redundare reperta sunt. Innumeras

verò gratias, ad JOSEPHI invocationem a Deo se obtinuisse testati sunt Fideles, qui ad ipsius tumulum undique frequentes convenerunt, propter conceptam de ipsius sanctitate opinionem; quâ etiam impellente, JOSEPHI Cives, post aliquot annos, pium illud facinus audacter perpetrarunt, ut nocte quadam, occasione data, ad Amatricis oppidum accedentes, venerandum ipsius corpus asportarent, & Leonissam deferrent; firma spe ducti, magnum sibi adversus ingruentes calamitates in illius possessione, ac Servi Dei patrocinio præsidium fore.

Series actorum in causa ipsius Beatificationis.

Cumque ad legitimum instruendum judicium de ipsius Beatificatione & Canonizatione, nihil deesset eorum, quæ per Sacrorum Canonum & Constitutionum Apostolicarum Decreta requiruntur; nonnulli primum Processus a Locorum Ordinariis constructi, mox etiam alii Apostolica Auctoritate confecti fuerunt; ex quibus desumptæ sunt tum Virtutum Theologalium & Cardinalium, iisque adnexarum, quæ in JOSEPHO emicuerunt, tum etiam Miraculorum, ejus intercessione a Deo editorum, plenissimæ probationes; quibus per Dilectos Filios Consultores Congregationis Sacrorum Rituum, deinde per Ven. Fratres Nostros S. R. E. Cardinales eidem Congregationi præpositos, maturè & ex ordine discussis, sanctæ memoriæ Prædecessor Noster Clemens Papa XII. auditis eorum consiliis, die XV. Julii Anni MDCCXXXIV. definivit; *Constare de* JOSEPHI *Virtutibus in gradu heroico*; ac similiter triennio post, die nempe VIII. Junii Anni MDCCXXXVII. de duobus Miraculis constare decrevit; nimirum de puero, qui a nativitate palpebras inter se adeo junctas habebat, ut lucis usura ipsi perpetuo intercluſa judicaretur; imploratâ verò super eum JOSEPHI ope, oculos statim aperuit, perfectumque visionis sensum deinceps obtinuit: deque Josepho Novello, qui quum gravissimo vulnere in genu sauciatus fuisset, invocato Servi Dei nomine momento temporis sanatus fuit. Et consequenter, de ipsius pariter Congregationis consilio, idem Prædecessor ad publicum cultum JOSEPHO indulgendum progressus est: Qua de re expeditis Apostolicis Litteris die XIX. ejusdem mensis & anni, ejus Beatificationis Solemnia in Basilica Lateranensi celebrata fuerunt, aliaque religiosi cultus obsequia, ad formam Indultorum in iisdem Litteris contentorum, ipsius Beati Viri memoriæ summo Fidelium studio fuerunt exhibita.

Approbantur ipsius heroicæ virtutes.

Item miracula hìc enunciata.

Beatificatio.

Altero autem biennio vix elapso, quum eidem Clementi Prædecessori pro parte Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum, totius Religionis suæ nomine, expositum fuisset, ipsius Beati Viri Sanctitatem novis atque frequentibus Miraculis a Deo illustrari, communibusque Populorum Votis, atque etiam postulationibus clar. mem. Caroli VI. Hispaniarum Catholici & Romanorum Regis in Imperatorem electi, nec non Carissimorum in Christo Filiorum Nostrorum Magnæ Britanniæ, Poloniæ, atque Sardiniæ Regum, aliorumque supremorum Principum & Magnatum, complurium præterea S. R. E. Cardinalium, Antistitum, Ecclesiarum, atque Universitatum, expeti, ut de solemni ejusdem Beati Canonizatione, juxta Ritum & praxim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tandem ageretur; placuit eidem Prædecessori, præfata Congregatione approbante, pro hujusmodi Causæ reassumptione Commissionem signare, & compilationem novorum Processuum, super indicatis Miraculis post indultam JOSEPHO venerationem sequutis, auctoritate Apostolica, nonnullis Episcopis de more delegare.

Causa reassumitur.

Quorum Processuum validitate approbata, Nobis jam Dei voluntate in Petri Cathedra sedentibus, sex potissimum Miracula in præfata Sacrorum Rituum Congregatione iteratis vicibus ritè discussa fuerunt; de quibus, postquam Nos ipsi suffragia Consultorum perlegimus, & Cardinalium prædictorum consilia audivimus in Congregatione Generali coram Nobis habita die XXII. Septembris Anni MDCCXLIV., nihil Nos quidem tunc pronunciavimus, sed invocato sæpius Divini luminis adjutorio, noviſque diligentiis jussu Nostro peractis, ut quædam tollerentur difficultates in animo Nostro subortæ, dum interim privatis studiis rem totam ad summum judicii rigorem exigeremus, demum die prima Maji Anni MDCCXLV., in Festo Sanctorum Apostolorum Jacobi & Philippi, celebratâ Missa in Basilica Lateranensi, publico Decreto edito, infrascripta duo Miracula tertii generis omni ex parte probata esse declaravimus.

Nova miracula examinantur & approbantur.

Primum est consolidatio crurium & femorum pueri Josephi Dionysii, qui inferiora hujusmodi membra adeo debilia & flaccida ab utero Matris attulerat, ut iis nullo modo corpus sustentare posset; quin immò quum eorum membrorum carnes, linteoli ritu, quaquaversum complicarentur, ossibus ea carere omnino putabantur: Hunc Mater biennii jam ætate nil proficientem, ad Aram adduxit, sub qua BEATI JOSEPHI corpus requiescit; cumque Omnipotentem Deum pro deplorata filii sanitate per ipsius Beati merita cum lacrymis exoraſſet, exaudita est oratio ejus, ita ut puerum inde pedibus suis incedentem domum reduxerit. Miraculum I.

Alterum est sanatio Antoniæ Morelliæ, cui congesta tabes in sinistra thoracis regione interiora viscera adeo infecerat, ut licèt Chirurgi manu externus tumori hiatus apertus fuerit, attamen non ex eo solum, sed sæpe etiam ex ægrotantis ore, sanies mixta sanguine alternatim fluere perrexerit; assiduusque dolor cum tussi, & febri, hecticam Mulierem biennio toto afflictam detinuerit; vulnus autem contracto callo, in fistulam degeneraverit, ex qua spiritus per respirationem pectore exceptus adeo liberè permeabat, ut aliquando candelæ flammam extingueret. In hoc desperato valetudinis statu, quum oleo ex lampade ante corpus BEATI JOSEPHI ardente fistulæ labia inuncta fuissent; unius noctis spatio fistula coaluit, abscessit febris, & dolor, tussis cessavit, color, viresque redierunt, atque integra, & perseverans valetudo Mulieri est restituta. Miraculum II.

Decretum de tuto progressu ad Canonizationem.

His igitur probatis, quum in præfata Sacrorum Rituum Congregatione coram Nobis coacta die III. Augusti ejusdem Anni MDCCXLV., proposita fuerit quæstio, an tuto procedi posset ad solemnem BEATI JOSEPHI Canonizationem, nemini dubium fuit, quin juxta praxim Apostolicæ Sedis, & Prædecessorum Nostrorum Decreta, omnia jam ad hujusmodi effectum abundè suppeterent; Nosque ipsi demum die XVII. ejusdem mensis & anni, in anniversario assumptionis Nostræ, solemne Decretum edidimus de eadem Canonizatione, servatis servandis, quandocumque peragenda.

Consistorium secretum.

Pro cujus decreti executione quum prædictorum supremorum Principum, & Antistitum, ac Populorum vota, demissæque Ordinis prædicti Fratrum Minorum Cappuccinorum preces, Nos urgere non desisterent; Tandem communicato consilio cum universo Collegio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in Consistorio secreto die XVIII. elapsi mensis Aprilis coram Nobis congregatorum eorumque assensu accepto; complures Ven. Fratres Archiepiscopos & Episcopos ex tota fermè Italia ad gravissimum consilium advocavimus; eorumque judicio totam hujus causæ seriem, atque omnia, quæ de virtutibus & miraculis BEATI JOSEPHI probata fuerant, tum oretenus in Consistorio publico coram Nobis habito, in quo Dilectus Filius Philippus Maria Pirellius Aulæ Nostræ Consistorialis Advocatus ipsius

Consistorium publicum.

Beati Cauſam peroravit, tum etiam in ſcriptis exponi mandavimus; traditâ nempe ſingulis diſtinctâ præmiſſorum omnium relatione, ex authenticis monumentis præfatæ Congregationis Sacrorum Rituum religioſè deſumptâ. Quibus præmiſſis, aliud Conſiſtorium die XIII. labentis menſis Junii coëgimus, in quo, præter Ven. Fratres Noſtros S. R. E. Cardinales, prædictos quoque Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Romana Curia præſentes ſedere juſſimus, atque adſtantibus Apoſtolicæ Sedis Notariis, & duobus antiquioribus Cauſarum Palatii Noſtri Auditoribus, ſuper expetita BEATI JOSEPHI prædicti Canonizatione ſententias dicere. Cumque omnes ad unum pro ſuprema ipſius Beati glorificatione non aſſenſum modò ſuum, ſolidis rationibus confirmatum, ſed enixa etiam ſtudia & vota ſua declaraſſent; Nos quidem eâ de re a prædictis Apoſtolicæ Sedis Notariis publica Inſtrumenta confici, ac præterea prolatorum ſuffragiorum exempla a ſingulis ſubſcripta colligi, & in Tabularium Eccleſiæ Romanæ inferri mandavimus; Verumtamen antequam ad ferendam hujuſmodi definitivam ſententiam adduceremur, indictis per Urbem generalium jejuniorum diebus, deſignatiſque ad ſupplicationes Eccleſiis, cum Indulgentia ab iis conſequenda, qui ſuas cum Noſtris obſecrationibus jungerent, publicas Eccleſiæ preces apud Deum Patrem luminum interponere curavimus, ut ad dirigendos ſenſus Noſtros juxta viam ſuam, gratiæ ſuæ auxilium Nobis non denegaret.

Cardinalium, & Epiſcoporum ſententiæ in Conſiſtorio ſemipublico.

Tandem hac die, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli triumphis decorata, in Baſilica Vaticana, ad quam ſolemni ritu Nos præceſſerunt omnes Cleri Sæcularis & Regularis Ordines, omnia Magiſtratuum & Officialium Romanæ Curiæ Collegia, cum prædictis Ven. Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Eccleſiaſticum conventum celebrantes, antequam ſacra myſteria conficeremus, exhibitis Nobis iterum iterumque a Dilecto Filio Noſtro Joachimo Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero S. R. E. Cardinali Portocarrero nuncupato, per organum Dilecti Filii Virgilii Montecatini Conſiſtorialis Aulæ Noſtræ Advocati, prædictorum Chriſtianorum Principum, Eccleſiarum, & Populorum poſtulationibus, ac votis pro ipſius BEATI JOSEPHI A LEONISSA, quemadmodum etiam pro Beatorum Fidelis a Sigmaringa Camilli de Lellis, Petri Regalati, & Catharinæ de Ricciis ſolemni Canonizatione, imploratâ prius Cœleſtium Spirituum, & Sanctorum omnium interceſſione, atque invocato Paraclyto Spiritu, ad honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, ac de conceſſa humilitati Noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, ipſum B. JOSEPHUM Ordinis Minorum Cappuccinorum Sacerdotem, omnium Chriſtianarum virtutum laude, plurimorumque miraculorum gloria, maturo Noſtro, & adſtantium Fratrum Noſtrorum judicio cumulatiſſimum, unà cum præfatis Fideli, Camillo, Petro, & Catharina, Sanctum eſſe decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum Catalogo adſcripſimus, ejuſque memoriam, quam in ſubſequuta Miſſæ celebratione Nos ipſi ſolemniter venerati ſumus, ab univerſa Eccleſia quotannis die IV. Februarii religioſè coli mandavimus; in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Omnibus quoque Chriſtifidelibus ad tantæ ſolemnitatis celebritatem congregatis, Plenariam, his verò, qui ſingulis annis, prædicta die, ad ejuſdem Sancti Corpus venerandum acceſſiſſent, ſeptem annorum & totidem quadragenarum Indulgentiam, in forma Eccleſiæ conſueta, miſericorditer in Domino largiti fuimus.

Solemnia Canonizationis.

Indulgentiæ.

Gaudeant igitur in Domino univerſæ familiæ gentium, & in vocibus exultationis jubilent Deo, qui Eccleſiam ſuam perpetua miſeratione cuſtodiens, præclaris eam Sanctorum exemplis quotidie inſtruere, meritis atque præſidiis roborare non deſinit; ut quibus per Filium ſuum ſanctiſſima vitæ documenta tradidit, ampliſſimamque Cœleſtis Regni hæreditatem promiſit, iiſdem per Sanctos ſuos, nova ad currendam ſalutis viam incitamenta, novam ſemper attingendæ metæ fiduciam præbeat; ipſo adjuvante & donante, qui eſt juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio Noſtra; qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Ut autem præmiſſa omnia ad univerſæ per Orbem Eccleſiæ notitiam perducantur, eorumque memoria perpetuis futuris temporibus, ad Dei gloriam, & Fidelium eruditionem, indeficiens perſeveret; Nos ea præſentibus Apoſtolicis Litteris complecti & roborare voluimus; mandantes, ut harum tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Fides habenda tranſumptis.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Sanctio.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, tertio Kalendas Julii, Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Dat. Pontificatus Anno VI. die 29. Junii 1746.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.




† *Ego T. Epiſcopus Oſtien. & Veliternen. Card. Rufus Decanus, & S. R. E. Vice-Cancellarius.*
† *Ego A. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.*
† *Ego V. Epiſcopus Prænestinus Card. Petra, Major Pœnitentiarius.*
† *Ego P. A. Epiſcopus Albanen. Card. Caraffa.*
† *Ego I. Epiſcopus Tuſculanus Card. Accorambonus.*
† *Ego V. Epiſcopus Sabinen. Card. Bichius.*
†
†
†
†
†
†
† *Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.*
†
†
†

† *Ego F. Tit. S. Mariæ Tranſtyberim Presbyter Card. Burgheſius.*
† *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. Gentili.*
† *Ego Fr. J. A. Tit. SS. Sylveſtri & Martini Presbyter Card. Guadagni.*
†
† *Ego D. Tit. Baſilicæ SS. Duodecim Apoſtolorum Presbyter Card. Rivera.*
† *Ego J. B. Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Spinula.*
†
†
†
†
† *Ego R. Tit. S. Sabinæ Presbyter Card. de Ilcio.*
†
†
† *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Paſſioneus.*
† *Ego S. Tit. S. Priſcæ Presbyter Card. Valenti.*
†
† *Ego J. F. Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.*
†
†
† *Ego C. A. Tit. S. Mariæ de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.*
†
†
† *Ego F. Tit. S. Pancratii Presbyter Card. Lantes.*
†
†
†
†
† *Ego F. Tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Card. de Ricciis.*
† *Ego A. Tit. S. Sylveſtri in Capite Presbyter Card. Rufus.*
†
† *Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.*
† *Ego F. Tituli S. Matthæi in Merulana Presbyter Card. Tamburrini.*
† *Ego D. J. Tit. S. Crucis in Hieruſalem Presbyter Card. Beſotius.*
†
†
†
†
†
†
†
†
† *Ego Alexander S. Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Albanus.*
† *Ego Nerius S. Euſtachii Diaconus Card. Corſinus.*
† *Ego Agabitus S. Agathæ Diaconus Cardinalis Moſca.*
†
†
† *Ego C. S. Mariæ in Portica Diaconus Card. Sacripantes.*
† *Ego M. SS. Coſmæ & Damiani Diaconus Card. Bolognettus.*
† *Ego H. S. Angeli in Foro Piſcium Diaconus Card. Columna.*
† *Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.*
† *Ego A. S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. Tanari.*
† *Ego H. S. Adriani Diaconus Cardinalis Bardi.*
† *Ego D. SS. Viti & Modeſti Diaconus Card. Urſinus.*
†

D. Card. Paſſioneus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
J. C. Boſchi.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.
*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

---

Canonizatio BEATÆ CATHARINÆ DE RICCIIS Florentinæ Monialis Profeſſæ Ordinis Prædicatorum. XV.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

AD nuptiale convivium, quod Rex Cœleſtis præparavit Filio ſuo, ad quod non ceſſat ab origine mundi humanas animas invitare, donec Electorum numerus impleatur, omnes quidem virtutes, quibus electæ Sponſæ tanquam dotali cenſu ditantur, ingreſſum atque aditum parant; ſed virginalis potiſſimum corporis animique puritas adeò faciles acceſſus præſtare conſuevit, ut qui caſti ſunt corpore & ſpiritu, interdum, etiam ante ſtatutum ſponſalium diem, ad ipſa nuptialia gaudia introduci contingat, nimirum talibus tantiſque de Cœlo favoribus, in hujus vitæ exilio adhuc degentes, cumulari, ut jam ferè ad perfectam cum Sponſo unionem in anteceſſum perveniſſe videantur. Hoc eſt fortaſſe, quod Nobis innuunt prudentes illæ Virgines, de quibus in Evangelica Parabola legimus, quod, licèt ipſæ tunc Sponſi thalamo deſtinatæ non eſſent, attamen, quum ſtudio pervigiles, & cum ornatis ardentibuſque lampadibus, & vaſis oleo plenis, inventæ fuerint, adveniente Sponſo, intraverunt cum eo ad nuptias; ut ſcilicet, pro earum captu, ineffabiles illas præguſtarent delicias, quibus felices demum animæ, compotes erunt, quum poſt expletam mortalis vitæ peregrinationem, in Templum Regis, in Sanctuarium Dei, cum lætitia & exultatione adducentur. Hoc ſatis apertè declaravit ipſe Dominus Jeſus, qui in diebus carnis ſuæ, Diſcipulum illum Virginitatis candore præſtantem, pro cæteris omnibus, quos amicos ſuos appellavit, ſingularibus charitatis ſignificationibus eſt proſequutus; eidemque poſtea ſecreta cœleſtia revelavit. Hoc ſæpe deinceps in pluribus Sanctis utriuſque ſexus Virginibus demonſtravit. Hoc denique recentiùs oſtendit in B. CATHARINA Virgine Ordinis Prædicatorum Moniali; in cujus innocentia ac puritate ita ſibi complacuit Sponſus virgo, & Virginis Filius, ut eam ad ſublimiſſimum perfectionis culmen evectam, ad Cœleſtium chariſmatum copia perfuſam, ad intimam ſui familiaritatem in Terris admiſerit, & tandem ſuæ ipſius beatitudinis participem in Cœlis fecerit; Ubi illam in ſinu Dilecti certiſſimè regnantem, & pro nobis aſſiduè intercedentem, ab univerſa Eccleſia colendam ac venerandam eſſe (prævia virtutum ipſius, ac miraculorum in ejus gratiam a Deo editorum, cognitione, ac juridica approbatione) de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia congregatorum, conſilio & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica nuper definiendo declaravimus, decrevimus, atque ſtatuimus.

S. Catharinæ ortus & primordia.

Florentiæ clariſſimâ Italiæ Urbe, ex Nobili Familia de Ricciis anno MDXXII. ortum habuit CATHARINA, quam parentes in Baptiſmate Alexandram nuncuparunt. Porro ad quam excelſum Sanctitatis apicem provecturus eam eſſet Omnipotens Deus, cito demonſtravit præveniendo illam in benedictionibus dulcedinis, ut, quum ab ipſa puerili ætate ſublimibus mentis illuſtrationibus, atque ineffabili cordis ſuavitate, in ſanctæ orationis exercitio, atque in cæteris pietatis officiis exequendis, frequenter completa fuerit, jam tunc mundana gaudia deſpicere, & ad cœleſtia ex animo adſpirare aſſueverit. Itaque quum ad firmiorem ætatem perveniſſet,

&

& clauſtralis vitæ bona, in Monaſterio primùm S. Petri e Monticulis prope Florentiam, tum in alio S. Vincentii in Civitate Pratenſi, prægustaſſet; fruſtra deinde Pater sæcularium nuptiarum ſplendorem & commoda ipſi propoſuit, quæ in odorem Cœleſtis Sponſi currens, nunquam quievit, donec ei tandem permiſſum fuit ad prædicti Pratenſis Monaſterii ſolitudinem convolare, ibique Deo, ſub regula S. Dominici, perpetuò ſe addicere.

Religionem ingreditur.

Angelicam vivendi rationem ſtatim a Tyrocinio exorſa, quum ſe in omni virtutum genere univerſæ Societati magnopere probaſſet, ſummo Sororum ſtudio ad Religioſam Profeſſionem admiſſa fuit, quamvis ipſa præ animi demiſſione rejiciendam ſe fore pertimeſceret. Perfectiſſima fuit CATHARINÆ obedientia, difficilioribus licèt experimentis probata; abſolutiſſima Regularis diſciplinæ cuſtodia, alacris in abjectis quibuſque miniſteriis obeundis promptitudo; admirabilis modeſtia; atque ab omni re, quæ ipſius animæ puritatem quoquo modo obfuſcare aut obnubilare poſſet, ſumma averſio; aſſidua verò unio cum Deo, ad cujus honorem omnia ſua dicta, & facta fideliter dirigebat.

Monaſterii perpetuum regimen obtinet.

Tanta verò illius virtutum admiratio in Monialium animis excitata fuit, ut eam vix quintum ætatis luſtrum egreſſam, unanimi conſenſu, totius Monaſterii moderatricem elegerint; idque munus deinceps eidem, quantumvis invitæ, atque obediendi magis, quàm imperandi cupidæ, ad annos quadraginta duos, in omnem ſcilicet ipſius vitam, prorogaverint. Nihil enim in eâ deſiderandum ſibi eſſe intelligebant, ſive ad rectitudinem atque prudentiam, ſive ad vigilantiam & ſollicitudinem, ſive ad caritatem & comitatem, ſive ad religionis & pietatis fovendæ ſtudium, ſive ad exemplum. Illam ſibi ducem atque hortatricem ad ſpirirales profectus, illam in omni officio magiſtram, in omni rerum viciſſitudine matrem amantiſſimam experiebantur, plenoque obſequio colebant, & ſincero amoris affectu complectebantur. Ipſa verò ad innumeras curas, quas pro commiſſo ſibi regimine gerebat, hoc etiam ſollicitudinis addebat genus, ut abjectiſſima magiſque laborioſa miniſteria ſibi reſervando, eaque continenter exercendo, impoſitam ſibi auctoritatis & elationis ſpeciem aliqua ſaltem ratione extenuaret; ſimulque ut animum ſuum, multiplicatis atque protractis orationis temporibus, arctiùs cum Deo conjungeret; ne fortè, inter avocantium negotiorum occupationes, Divinæ charitatis ignis in ejus ſinu tepeſceret.

Perfectioni ſtudet.

Qua ſanè in re votis ſuis fraudata non eſt piiſſima Virgo; ſed per ſui ipſius contemptum in Dei amore quotidie creſcens, atque ex hoc ipſo in ſui abnegatione magis proficiens, ad eam brevi pervenit Chriſtianarum Virtutum perfectionem, quam per legitimas pleniſſimaſque probationes ritè demonſtratam, & manifeſtis Divinæ Omnipotentiæ ſignis atque miraculis comprobatam, ſolemni Eccleſiæ vocabulo, Sanctitatem appellamus. Quæ quum ſit omnium Chriſtianarum Virtutum in gradu heroico, pro cujuſque ſtatus & vitæ ratione, pleniſſima complexio, perfectumque includat implementum Divinorum præceptorum & conſiliorum, quæ ad ſtabiliendam in credentium cordibus Dei & proximi dilectionem, & ad deſtruendum humanæ cupiditatis regnum, a Cœleſti Legiſlatore tradita fuerunt; juvat hic ex præclaris CATHARINÆ operibus aliqua commemorare, ex quibus demonſtratâ illius habituali in Deum charitate, in proximos miſericordiâ, in ſemetipſam ſeveritate, de reliquis etiam virtutibus, quibus eam cumulatè præditam fuiſſe compertum habemus, cuilibet liceat conjectari.

Divino amore flagrat.

Sapientiæ Cœleſtis incenſa ſtudio, unum ſibi propoſuit, cui præ cæteris vacaret, Librum, unum, quod ſequeretur, exemplar; Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum: Quem oculis cordis jugiter aſpiciendo, quem dies noctesque contemplando, adeò in illius amorem exarſit, ut nihil extra eum cogitare, nil niſi de ipſo loqui, nihil, quod pro ipſo & ſecundum ipſum non eſſet, agere poſſe videretur. Nulla res erat, nulla ejus vitæ actio, quæ non ſtatim ipſam ad recordationem Dei, tanquam primæ originis, & finis omnium, revocaret; ejuſque memoriæ dulcedine perculſam, ad ferventiſſimas adſpirationes, ad inflammata ſuſpiria, ad ſubita etiam animi deliquia compelleret. Indignam ſe prorſus eſſe ajebat, quæ Divini amoris igne accenderetur; Veruntamen, ſi ab ejus veluti vitali flamma deſtitui ſe fortè contingeret, animam vitamque ſuam illico defecturam fore profitebatur. Quod ſi in communibus vitæ actionibus Deo ſuo ita adhærebat, ut ab eo divelli non poſſet; quantò magis neceſſe eſt intimam fuiſſe unionem, qua illius ſpiritus Cœleſti Sponſo, in oratione, ac myſteriorum & virtutum ejus contemplatione, jungebatur. Tunc videre erat CATHARINAM extra ſe raptam, totamque in Deo abſorptam, non ſolum ſpiritualium animæ facultatum, ſed etiam corporeorum ſenſuum commercium cum creatis omnibus rebus abrumpere, ac multas ſæpe horas, aliquando etiam integros dies in extaſi perſeverare. Illud verò præ omnibus admirabile fuit, quod meditatio paſſionum Chriſti in ea operabatur; dum ipſam in imaginem & ſimilitudinem patientis Sponſi interiùs exteriùſque transformans, illius dolores jam altè animo inſculptos, corporis quoque motibus exprimere cogebat; itaut ſingulis hebdomadibus, a meridie Feriæ quintæ uſque ad horam nonam Feriæ ſextæ a ſenſibus abſtracta, totam feralis Tragediæ ſeriem ordinatè ad vivum repræſentaret. Quis autem vel mente aſſequi valeat uberrimas conſolationes, quibus CATHARINÆ cor in Euchariſtici panis ſumptione perfundebatur? Tunc fiebat ſuper eam manus Domini, & Gloria Domini in eam deſcendens, clariſſimæ lucis radios, adſtantium quoque oculis perſpicuos, ex ipſius corpore undequaque ſpargebat: aliquando etiam ipſum ejus corpus a terra elevabat, ac diu in aëre pendens, multis inſpectantibus, ſuſtinebat. Hinc minimè mirum, ſi pia Virgo Cœleſtium Virtutum formam ex adeo intima Sponſi conſuetudine in ſe recipiens, eam in ſuis moribus, tanquam in ſpeculi nitore, exhibebat; ac ferventiſſimo divinæ gloriæ zelo flagrans, tam ſubjectas ſibi Virgines, quàm obvios quoſque fideles, ad amorem Dei inflammare, ad virtutem excitare curabat.

Proximos omnes charitate complectitur.

Qua in re cum ipſius Dei gloriam præ oculis præcipuè habebat, tum etiam, pro ingenti ſua in proximos charitate, ipſorum æternam ſalutem magnopere ſpectabat. Hoc erat ſanè potiſſimum argumentum perfectæ dilectionis, quâ omnes vocationis ſuæ conſortes proſequebatur; dum ſcilicet Dei cultum, Religionis fervorem, virtutum omnium ſtudium in ipſis fovere atque amplificare omni ope ſatagebat. Nec nec in reliqua officii ſui adminiſtratione, minora ipſis maternæ pietatis ſtudia impendebat. Summa enim erat, & jugis CATHARINÆ ſollicitudo, ne quid concredito ſibi gregi deeſſet, ſive ad innocentiæ cuſtodiam, ſive ad morum diſciplinam, ſive ad animorum quietem & tranquillitatem, ſive ad temporalis vitæ ſubſidia, & corporum incolumitatem. Si quæ verò ex Sororibus in morbum incidiſſet, ejus peculiarem curam, eique inſerviendi onus ſibi ſumebat; ipſi die noctesque adſtare, omniaque Chriſtianæ charitatis officia præſtare gaudebat. Denique in mortis agone conſtitutas apud Deum juvare, earumque animas in manus Sponſi, è quibus Adverſarius eas rapere non auderet, commendare, & pro viribus aſſerere nitebatur.

Neque

Neque tamen anguſtis Monaſterii ſui finibus contineri potuit ipſius charitatis amplitudo; ſed, quum ad omnes ubique terrarum homines dilataretur cor ejus, pro omnium ſalute impetranda, aſſiduas ſuas, & Sororum preces, & voluntarios etiam corporis ſui cruciatus, ſeque totam Omnipotenti Deo, veluti Hoſtiam pacificam, in unionem Sacrificii Redemptionis humanæ, ſine intermiſſione offerebat. Quin etiam ad ſublevandas pauperum, & calamitoſorum omnium ærumnas, quod ipſa per ſe præſtare non poterat, id, excitata ſuis hortationibus ditiorum charitate, aſſecuta fuit, ut immenſa pecuniarum vis per totam Hetruriam alendis egenis, excipiendis ægrotis, viduis, orphanis, & ſenibus ſuſtentandis, virginibus collocandis erogaretur. Denique ad purgantis Eccleſiæ levamen non minori ſtudio intenta, multiplicabat in eum finem ſuas preces, & lacrymas, jejunia, aliaſque carnis ſuæ afflictationes, ut Divinæ Juſtitiæ pro animabus adhuc in captivitate detentis ſatisfacere mereretur.

Pœnitentiæ rigores in ſe ipſam exercet.

Quæ omnia quum clarè pateat non ſive prævia ſui ipſius abnegatione a Catharina effici potuiſſe, ſilentio tamen prætereunda non ſunt, quæ de admirabili ipſius pœnitentia & mortificatione, juridicè cognovimus. Sanè quum ſemel Mundo, & Satanæ per ipſam religioſæ vitæ profeſſionem omnino renunciaſſet, adverſus carnem ſuam, quam ipſi datum non fuerat unà cum aliis rebus relinquere, perpetuum bellum gerendum ſibi eſſe duxit. Itaque aſperrimis flagellis inſtructa, ciliciis, aliiſque tormentorum inſtrumentis, onuſta, frigore, inedia, vigiliis, omnique cruciatuum genere, virginale corpuſculum aſſiduè divexare & conterere non deſtitit; nec unquam per quadraginta & octo annos, quos in Religione tranſegit, carnem aut ova guſtavit, ſed ſolo plerumque pane & aqua victitare conſuevit. Et tamen patiendi adhuc cupida, pro ſuorum & alienorum peccatorum expiatione, Dominum ſæpe oravit, ut ſe morborum, ac dolorum vi amplius probare, & ad vivum urere vellet: idque ſuis precibus omnia exorantibus conſecutam fuiſſe dicendum eſt; cum Medici ſæpe affirmaverint, præter naturam omnino eſſe graviſſimos morbos, & acerbiſſimos dolores, quibus Ancilla Dei mirum in modum torquebatur.

Quod ſi tali in re, quæ ad illius cruciatum tendebat, Cœleſtis Sponſus Dilectæ ſuæ preces audire non renuit; minimè putandum eſt, ipſum, qui totius conſolationis fons eſt & origo, Catharinam in angoribus & deſolationibus deſertam voluiſſe; quique juſto ſuo Job, pro infortuniis patienter toleratis, æquiſſimo & clementiſſimo judicio, omnium amiſſorum bonorum duplicia reddidit, non huic innocentiſſimæ Virgini tribuiſſe, ut ſecundum multitudinem dolorum, quos vel libenter ſuſtinuit, vel ipſa ſibi ſponte irrogavit ſanctorum ſolatia gaudiorum ipſius animam lætificaverint.

Spiritualibus deliciis cumulatur.

Itaque pro hujuſmodi pœnarum acerbitate, ipſius ſpiritum ineffabilibus delectationibus, quæ in dextera ejus ſunt, adimplevit; effuſâ ſcilicet in eam lucis & veritatis ſuæ communicatione, quæ ad ſublimiorum veritatum cognitionem, ad intelligenda Divinorum Myſteriorum arcana ipſam deduxit; & accenſa in ejus pectore beatiſſimâ charitatis ſuæ flammâ, cujus incendii vi, ac ſuavitate ipſius cor, tanquam cera liqueſcens, deficiebat in Deum ſalutare ſuum.

Quamvis autem ſanctarum animarum gloria omnis, in hac quidem vita plerumque ab intus, in altera verò adeo ſupra humanum captum poſita ſit, ut de ea verè dicatur, quòd nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe; voluit tamen Omnipotens Dominus, ſive ad manifeſtandas divitias gratiæ ſuæ, ſive ad eruditionem noſtram, tam inſignium chariſmatum largitione Catharinam in terris adhuc viventem illuſtrare, ut omnibus liceret ex his arguere, quantam Gloriæ celſitudinem in æterna Beatitudinis ſede eidem conferre decreviſſet.

Miraculorum gloria claret.

Ad comprobandam ſiquidem atque juvandam ſinceram ipſius charitatem, quâ afflictis opem ferre, omnibuſque prodeſſe ſummopere cupiebat, dedit ei Dominus poteſtatem faciendi mirabilia, in inſtantaneis morborum depulſionibus, in rerum multiplicatione, aliiſque ſignis atque prodigiis, quæ ſupra omnem naturæ vim frequenter operabatur: præterea dedit ei ſpiritum prophetiæ, quo, ſive ad proximorum correctionem, ſive ad cautelam, ſive ad conſolationem, futura prævideret, abſentia conſpiceret, & cordium ſecreta dignoſceret.

Cœleſtibus favoribus & donis locupletatur.

Amoris verò magnitudinem, quo Deum ipſum ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus ſuis diligebat, ipſe viciſſim præclaris bonitatis ſuæ ſignificationibus abundè rependit. Sæpe etenim ipſe Rex Gloriæ, in quem deſiderant Angeli proſpicere, corporali ſpecie ſe illi videndum exhibuit, dulciſſimoſque cum illa ſermones miſcuit: aliquando idem Dominus Jeſus ſub ſpecie Pueruli a Matre Virgine Angelorum Regina in ipſius ulnis eſt reclinatus: aliquando ejuſdem Imago Cruci affixa, revulſis a trunco brachiis, mirabilibus eam beavit amplexibus. Denique ipſam in fide & charitate ſibi ſponſatam fulgido ornatu, ac pretioſiſſimis monilibus de theſauris ſuis decoravit. Illius enim lateri, ac manibus pedibuſque ſacra clavorum ſuorum, & lanceæ ſtigmata ſanguine rubentia inſculpſit; ſpineum diadema capiti impoſuit; humeris verò veſtigia Crucis profundè impreſſit. Utque magis oſtenderet quanta eſſet inter ſe & Catharinam, ſpirituum, & voluntatum conjunctio, illuſtre ſignum poſuit in faciem ejus, ipſam aliquando in vivam ſui vultus imaginem & ſimilitudinem transformans, ut qui Catharinam vidiſſet, ipſum Filium Dei & Filium hominis videre ſe exiſtimaret.

Multimodè probatur.

Tantam ſanctitatem, tantis illuſtratam prodigiis, voluit Deus ad ſui Gloriam, & ad poſterorum fidem, per omnia probationum genera, in ſumma certitudinis luce collocari: Probata eſt contradictionibus obloquentium, & calumniantium vituperationibus. Probata eſt admirantium laudibus & prædicationibus, clariſſimâque fama, quæ non modo per Hetruriam, ſed per alias quoque Italiæ Regiones, ac demum per univerſam Europam longè latèque diffuſa, incredibilem ad ipſam traxit hominum multitudinem ex omni conditione, etiam Regia, ex omni ſexu, atque ætate; qui ad petenda conſilia, ad beneficia vel ſpiritualia vel temporalia obtinenda, ad magnificandum Deum in mirabilibus ejus, undique ad eam confluebant. Verùm ipſa Catharinæ virtus, inter tam diverſa hominum judicia, ſeſe luculentiſſimè probavit; tum ſcilicet perpetuo, atque conſtanti innocentiæ, & ſanctitatis tenore, tum ſingulari potiſſimum humilitate, quâ, & obtrectantium malignitatem, & mundanorum plauſuum vanitatem æquè ſuperavit; ut toto ipſius vitæ curſu, per gloriam & ignominiam per infamiam & bonam famam, ipſius ſecuram conſcientiam, ſolidamque pietatem nec laudes inflarint, nec opprobria defatigaverint.

In humilitate conſtans perſeverat.

In omnibus enim collatis ſibi muneribus non ſuam, ſed Donatoris excellentiam agnoſcens, ſeque Divinorum beneficiorum indignam ex animo reputans, nihil in vulgus prodire volebat, quod aliquo modo in ſui gloriam cedere poſſet. Quare cum cognoviſſet volumen quoddam rerum a ſe geſtarum, & Cœleſtium donorum, quibus a Deo quotidie cumulabatur, penes Moniales aſſervari, ab aliqua ex ipſis conſcriptum; cumque fruſtra orando, & obſecrando cum

jis egisset, ut hujusmodi volumen conscissum flammis traderetur, ipsa denique illud fortuito repertum, statim in ignem conjecit. Quod si nihilominus ipsamet arcanas Divinæ bonitatis communicationes, in Oratione potissimum sibi impertitas, cuidam ex Sororibus fideliter enarravit; id nonnisi eadem humilitate impellente, & invito prorsus animo, præstitit; nè scilicet imperio Confessarii, qui id ad multa expedire prudenter in Domino judicavit, ulla in re quantumvis ardua refragaretur. Cum verò, ex ostensione virtutum atque signorum, quæ Deus in ipsa, & per ipsam operabatur, & quorum causa frequens erat hominum ad Monasterium accessus, vel religiosam sanctæ societatis quietem turbari posse metueret; vel pro se ipsa formidaret, ne forte in superbiæ vitium declinans, inde fieret immunda vanitate, unde videbatur virtute claresçere; non destitit Sponsum rogare atque orare, ut Divinis suis muneribus modum imponere, vel saltem ea mortalium oculis occultare dignaretur; donec sua humilitate ac perseverantia, quod postulabat, obtinuit.

De CATHARINÆ sanctitate testimonia.

Ex hac ipsa perseveranti humilitate, Viri pietate & doctrina præcipui veram minimeque fucatam CATHARINÆ virtutem agnoverunt, & tanquam ad Lapidem Lydium comprobaverunt; tum scilicet ipsius Ordinis Superiores, qui non semel de illius spiritu experimenta sibi capienda esse duxerunt; tum etiam insignes Ecclesiarum Præsules, inter quos Robertus olim hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Puccius nuncupatus, Episcopus Pistorienſis, qui de mandato felicis recordationis Pauli Papæ III. Prædecessoris Nostri, cum aliis probatissimis Viris, ad præfatum Monasterium se contulit, ut tam evulgatam sanctitatem ad rigidum examen revocaret; Michaël item Cardinalis Alexandrinus nuncupatus, qui a Sancto Pio Papa V. ipsius Avunculo, & Nostro pariter Prædecessore, ad gravissima hujus Apostolicæ Sedis, totiusque Christianæ Reipublicæ negocia tractanda Legatus missus, CATHARINÆ monita & consilia experenda sibi esse censuit; aliique præterea sapientissimi Antistites, & ejusdem S. R. E. Cardinales, præsertim Marcellus Cervinius, Hippolytus Aldobrandinus, & Julius Mediceus, quos ad hanc Petri Cathedram deinde evectos, inter Venerabiles Prædecessores Nostros numeramus; quique omnes illius perspectæ sanctitati, quadam veluti conclamatione, testimonium dederunt. Istorum gravissimis judiciis magnum auctoritatis pondus accedit ex singulari existimatione, qua S. Philippus Nerius, tunc in humanis agens, CATHARINAM est prosecutus, cujus etiam spiritualem amicitiam ac litterarum commercium, Deo inspirante, expetivit; & aliquando in extasim raptus, quod illi pariter familiare fuit, cum ipsa Romæ degeret, CATHARINAM in suo Monasterio Prati commoratem, coram Deo, communi nimirum ipsorum amicitiæ nexu, longo tempore est allocutus; quemadmodum felic. record. Urbanus Papa VIII. in suis Apostolicis Litteris super ejusdem Sancti Philippi Canonizatione a Gregorio XV. antea factâ editis, testatum reliquit.

Ejusdem pretiosa mors.

Denique anno ipsius ætatis sexagesimo sexto, religiosæ Professionis quadragesimo octavo, cum tempus advenisset migrandi ex hac vita ad Sponsum, qui charitate perpetua dilexit eam, in extrema ipsius infirmitate, nil, nisi illustre & sanctimonia plenum apparuit. Siquidem Ecclesiæ Sacramenta summo pietatis & religionis sensu petiit atque suscepit; sanctissima Sororibus monita de omnibus vocationis earum officiis reliquit; morbi dolores, invicta patientia toleravit; atque in Crucifixi amoris sui contemplatione usque ad extremum spiritum defixa permansit; tandemque inter Angelorum concentus, quos etiam ab adstantibus Monialibus audiri Deus voluit, purissimam animam Deo reddidit, die 11. Februarii anno Domini MDLXXXIX.

Et sanctitatis fama post obitum.

Sancta Maria Magdalena de Pazzis, tunc temporis Florentiæ vivens, festivum CATHARINÆ ingressum in Cœlestem Hierusalem, & exultantes de ipsius triumpho Beatorum Spirituum choros, in mentis excessu spectavit. Communis autem, quæ invaluerat, de ipsius sanctitate opinio, ingentem populi frequentiam ad ejus funus celebrandum adduxit. Utque deinceps ipsius Sepulchrum magno in honore haberetur, in causa fuerunt crebra beneficia, & miracula, quæ plerique a Deo, per ipsius merita, se obtinuisse testabantur.

Illius denique Sanctitatem extra omnem dubitationis aleam constituunt juridicæ probationes, quæ tam super ipsius heroicis virtutibus, quàm super miraculis ad illius invocationem a Deo patratis, Episcopali primum auctoritate, mox etiam Apostolicæ Sedis delegatione collectæ, & apud hanc Sanctam Sedem diu & maturè discussæ, firmissima Nobis fundamenta suppeditarunt, ut definitivè tandem super ea pronunciaremus, & CATHARINÆ nomen atque memoriam Sanctarum Virginum Catalogo solemniter adscriberemus.

Actorum series in ipsius Causa.

Primum judicium super præmissis omnibus, ante Urbani Papæ VIII. Decreta, peractum fuit ab Auditoribus Causarum Palatii Apostolici, qui & Processuum validitatem, & virtutum excellentiam, & miraculorum veritatem gravitatemque comprobarunt. Antequam verò horum cognitio a S. R. E. Cardinalibus Congregationi Sacrorum Rituum præpositis assumeretur, alterum institutum fuit judicium super hujusmodi Decretorum, a præfato Urbano Prædecessore interim editorum, observantia; de qua primò quidem Episcopus Pistorienſis anno MDCLXXV., mox etiam prædicta Sacrorum Rituum Congregatio anno MDCLXXIX., ac, de ipsius consilio, san. mem. Prædecessor Noster Innocentius Papa XI., plenissimè constare decreverunt.

Approbatio virtutum.

Instaurato demum ante hos triginta annos in præfata Congregatione Sacrorum Rituum novo CATHARINÆ virtutum examine; Nobis tunc in minoribus Promotoris Fidei munus gerentibus, omnibusque plenè, ac severè discussis, tandem a piæ memoriæ Prædecessore quoque Nostro Benedicto Papa XIII. die VII. Martii anni MDCCXXVII. de iisdem pariter constare decretum fuit. Duo verò miracula a simili record. Decessore Nostro Clemente Papa XII. die XXX. Aprilis anni MDCCXXXIV., de ejusdem Congregationis consilio, approbata fuerunt: Instantaneæ nimirum sanationes, tam Sororis Catharinæ de Bonsiis in eodem Monasterio S. Vincentii Professæ, ab Aneurismate; quàm Sororis Elisabeth Cherubinæ Cattani in Monasterio S. Claræ præfatæ Civitatis Pratensis Monialis Conversæ, ab Ischiade.

Et miraculorum.

Hinc idem Clemens Prædecessor, datis Apostolicis Litteris in forma Brevis die 1. Octobris ejusdem anni, Beatæ titulum, & honores CATHARINÆ tribui, ac deferri posse concessit.

Beatificatio.

Causa reassumitur.

Cum verò deinceps accepisset, nova miracula, post indultam CATHARINÆ venerationem, ipsius intercessione a Deo edita esse; ad preces Catholicorum Principum & Populorum, complurium Antistitum, & universi Ordinis Fratrum Prædicatorum, quibus omnibus ipsius Beatæ Canonizatio summoperè cordi erat; novos super eisdem Processus auctoritate Apostolica confici mandavit. Quorum Processuum validitate approbata, Nos denique ad Petri Cathedram inscrutabili Dei judicio interim evecti, post accuratissimum Miraculorum in ipsis relatorum examen in præfata Sacrorum Rituum Congregatione de more peractum; visis, ac respectivè auditis in Congregatione Generali coram Nobis habita die XXIV. Martii anni MDCCXLIV., tam Con-

sultorum,

sultorum, quàm Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium eamdem Congregationem constituentium suffragiis; totâque re privatis nostris studiis iterum discussa, atque uberioribus etiam documentis indubiam animo nostro fidem facientibus comprobatâ, tandem die XXVI. Maji ejusdem anni, in Festivitate S. Philippi Nerii Confessoris, cui piam cum B. Catharina necessitudinem intercessisse suprà narravimus, celebrata Missa ad Altare, sub quo ipsius Sancti Corpus requiescit, atque implorato Spiritus Sancti auxilio, infrascripta duo miracula auctoritate Apostolica approbavimus, & publicavimus.

Miracula pro Canonizatione approbata.

Primum est secundi generis, nimirùm absoluta, & perfecta sanatio Mariæ Clementinæ Staccioli puellæ Florentinæ ab inveterato, & exulcerato cancro in dextra mamilla, qui septem primo valvulis, seu cavitatibus, mox duabus hians, acerbissimis doloribus, & periculosis symptomatibus, octo annorum spatio eam excruciavit, nec ullis artis Medicæ remediis sanari poterat, sed, invocata semel, & iterum B. Catharinæ ope, adhibitoque oleo ex lampade ante ipsius corpus ardente, penitùs evanuit. Alterum tertii generis obtentum fuit a Sorore Maria Madalena Fabris Moniali Professa Ordinis S. Dominici Augustæ Vindelicorum. Ea siquidem pertinaci Arthritide in inferioribus membris diù vexata, jamque omninò gradiendi impotens, dum, ob decretam ab Apostolica Sede ejusdem Catharinæ Beatificationem, Hymnus pro gratiarum actione a Sororibus solemniter caneretur, ipsius Beatæ meritis vehementer confisa, eamque enixè precata, ad cantum Versiculi *Te ergo quæsumus*, sensit se a Deo repente sanatam, redditasque sibi vires, & liberam incedendi facultatem, quâ deinceps absque imminutione perfectissimè usa est.

Decretum de tuto progressu ad Canonizationem.

Post hæc, audito iterùm præfatæ Congregationis Generalis consilio, exoratoque privatim Deo Patre Luminum, die VI. Octobris prædicti anni decrevimus, jam nihil per consultissimas leges, & regulas eidem Congregationi Apostolicâ auctoritate præscriptas, desiderandum superesse, quò ad solemnem ipsius B. Catharinæ Canonizationem servatis servandis quandocumque procedi posset.

Consistorium secretum.

Ad quam demùm ritè, rectèque, juxta Sacrorum Canonum normam, & venerabilia Prædecessorum Nostrorum Instituta procedere volentes, universi primùm Collegii Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilium exquisivimus; habito nempè Consistorio secreto die XVIII. elapsi mensis Aprilis, in quo Nos ipsi summam virtutum, & miraculorum B. Catharinæ, nec non seriem actorum in ejus causa juridicè gestorum ipsis exposuimus: Omnibusque adsentientibus, ut ad supremam gravissimo judicio manum imponendam progrederemur; complures Venerabiles Fratres Archiepiscopos, & Episcopos ex universa fermè Italia in Urbem acciri mandavimus; eos quoque, juxta morem Apostolicæ Sedis, antequam definitivam hujusmodi sententiam proferremus, in consilium adhibituri.

Consistorium Publicum.

Hi omnes necessariam causæ totius cognitionem hausserunt, tum ex peroratione in Consistorio publico coram Nobis habita a Dilecto Filio Paulo Francisco Antamorio Nostræ Consistorialis Aulæ Advocato; tum ex fideli relatione è monumentis sæpedictæ Congregationis Sacrorum Rituum desumpta, quæ Typis impressa omnibus, & singulis tradita fuit.

Cardinalium, & Episcoporum consilia in Consistorio semipublico.

Quapropter coacto demum die XIV. labentis mensis Junii semipublico Consistorio, in quo præter eosdem Fratres Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, omnes præterea Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, qui jam tunc ad septuaginta ferè hac ipsa de causa in Romana Curia præsentes aderant, sessionem habuerunt; factâque omnibus dicendæ sententiæ potestate; Venerabilem hujusmodi Consacerdotum coronam summa consensione audivimus ad ejusdem præclaræ Virginis Canonizationem Nos adhortantem: Qua de re omnium suffragia proprio singulorum chirographo subscripta colligi jussimus, in Tabulariis Ecclesiæ Romanæ perpetuo asservanda; mandantes Dilectis Filiis Apostolicarum Ceremoniarum Magistris ibi de more adstantibus, ut, in absentia Notariorum Apostolicæ Sedis, qui Protonotarii de numero Participantium nuncupantur, super hujusmodi solemni actu publica Instrumenta, quotquot opus esset, conficere deberent.

Solemnia Canonizationis.

Indicta itaque pro Canonizationis celebritate hodierna die Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Martyriis consecrata, non omisimus interim in humilitate, & jejunio privatas nostras, & publicas Ecclesiæ preces Deo Patri offerre per Filium ejus, ut Spiritus Sancti virtute mentem nostram dirigere, & confirmare dignaretur. Hodieque tandem de manè, congregatis in Vaticano omnibus Cleri Sæcularis, & Regularis Ordinibus, omnibus Romanæ Curiæ, & Aulæ Nostræ Proceribus, & Officialibus, cunctisque Venerabilibus Fratribus Nostris Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, solemnis supplicationis ritu Divinam Majestatem venerantes, ad Basilicam Principis Apostolorum processimus. Ibi, simul, ac ante Sacratissimam Apostoli Confessionem constitimus, Dilectus Filius Noster Joachimus Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Portocarrero nuncupatus, perorante Dilecto Filio Virgilio Montecatino Consistorialis Aulæ Nostræ Advocato, enixa Christianorum Regum, & Principum, Ecclesiarum, & Religiosorum Ordinum vota pro ipsius B. Catharinæ, sicut etiam pro Beatorum Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, & Josephi a Leonissa solemni Canonizatione, simulque maturas deliberationes super eorum meritis, & miraculis hucusque ritè præhabitas, Nobis repræsentavit; Nosque semel, iterum, ac tertiò rogavit, ut exoptatam dudùm sententiam proferentes, Catholici Orbis gaudium compleremus. Quare Nos, implorato prius universæ Cœlestis Curiæ præsidio, & advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic inspirante, ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostra, prædictam Catharinam de Ricciis Virginem, Monialem Professam Ordinis Prædicatorum, Christianarum virtutum præstantia, ac Cœlestium donorum, & miraculorum gloria illustrem, Sanctam esse definiendo pronunciavimus; &, unà cum prædictis Fideli Martyre, Camillo, Petro, & Josepho Confessoribus, Ecclesiasticis Sanctorum Fastis adscripsimus; decernentes ipsius S. Catharinæ memoriam quotannis die secunda Februarii, aliorumque Sanctorum prædictorum, aliis respective diebus, in universa Ecclesia recolendam, & venerandam esse; & concedentes omnibus Christifidelibus, qui ad eorum Sepulchra designatis diebus religiosè accedent, ac Deum Optimum Maximum juxta Nostram, & piæ Matris Ecclesiæ mentem precati fuerint, Indulgentiam septem annorum, & totidem Quadragenarum, in perpetuum, in forma Ecclesiæ consueta.

Decretum definitivum.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, reddentesque Altissimo vota nostra, Sacrosanctum Altare conscendimus, atque immaculatam humanæ salutis Hostiam, junctâ Beatissimorum Ecclesiæ Principum, & prædictorum Sanctorum Commemoratione, Omnipo-

tenti

tenti Deo bonorum omnium Largitori reverenter obtulimus. Omnibus quoque Christifidelibus, qui ad tantæ solemnitatis celebritatem frequentes convenerant, Plenariam peccatorum Indulgentiam misericorditer in Domino largiti fuimus.

Audiant itaque universi Catholicæ Ecclesiæ Filii, & intelligant magnalia Dei, atque ad Cœlestem Hierusalem cogitationes, & corda sublevantes, Beatam hanc Virginem contemplentur candido eorum agmini sociatam, qui sequuntur Agnum quocumque ierit. Unde & illius validissimo patrocinio innixi, postulent a Deo pacem & gratiam; & ejusdem præclaris exemplis excitati, discant peritura Mundi bona despicere; & per innocentiæ custodiam, per pœnitentiæ labores, per Christianæ virtutis studium, ad perfectæ charitatis, & sempiternæ felicitatis Regnum, ad Cœlestis Gloriæ coronam contendere, per Christum Dominum nostrum.

Præsentium transumptis auctoritas tribuitur.

Idcircò præmissa omnia ad universalis Ecclesiæ notitiam deduci, præsentesque nostras Literas ad perpetuam rei memoriam extare voluimus; mandantes, ut earum Transumptis, sive Exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ Definitionis, Decreti, Adscriptionis, Mandati, Statuti, Relaxationis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontificatus Anno VI. die 29. Junii 1746.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI., III. Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno VI.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.




† Ego T. Episcopus Ostien. & Velitern. Card. Rufus Decanus, & S. R. E. Vice-Cancellarius.
† Ego A. Episcopus Portuensis Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.
† Ego V. Episcopus Prænestinus Card. Petra, Major Pœnitentiarius.
† Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.
† Ego I. Episcopus Tusculanus Card. Accorambonus.
† Ego V. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.
†
†
†
†

† Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.
†
†
†
† Ego F. Tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.
† Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. Gentili.
† Ego Fr. J. A. Tit. SS. Sylvestri & Martini Presbyter Card. Guadagni.
†
† Ego D. Tit. Basilicæ SS. Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.
† Ego J. B. Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Spinula.
†
†
†
†
† Ego R. Tit. S. Sabinæ Presbyter Card. de Ilcio.
†
†
† Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passionei.
† Ego S. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Valenti.
†
† Ego J. F. Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.
†
†
† Ego C. A. Tit. S. Mariæ de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.
†
†
† Ego F. Tit. S. Pancratii Presbyter Card. Lantes.
†
†
†
†
† Ego F. Tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Card. Riccius.
† Ego A. Tit. S. Sylvestri in Capite Presbyter Card. Rufus.
†
† Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.
† Ego D. F. Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Card. Tamburrini.
† Ego D. J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besotius.
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Alexander S. Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Albanus.
† Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.
† Ego Agabitus S. Agathæ ad Saburram Diaconus Cardinalis Mosca.
†
†
† Ego C. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.
† Ego M. SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Card. Bolognettus.
† Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.
† Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.
† Ego A. S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. Tanari.
† Ego H. S. Adriani Diaconus Cardinalis Bardi.

† *Ego D. SS. Viti & Modesti Diaconus Card. Ursinus.*

†

D. Card. Passionеus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
J. C. Boschi.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.
*Registrata in Secretaria Brevium.*

Orationes Consistoriales, quæ dictæ fuerunt in Consistoriis habitis die 18. Aprilis, 8. 10. 11. 13. & 14. Junii pro Canonizatione BB. FIDELIS A SIGMARINGA, CAMILLI DE LELLIS, PETRI REGALATI, JOSEPHI A LEONISSA, & CATHARINÆ DE RICCIIS; una cum ejus Homilia, quæ habita est die Natali Sanctorum Apostolorum PETRI & PAULI inter Missarum solemnia, postquam solemne Canonizationis Decretum promulgavit.

*In Consistorio Secreto habito in Palatio Apostolico Quirinali die 18. Aprilis 1746.*

## ORATIO.

*Venerabiles Fratres.*

SEPTUAGESIMUM secundum hujus vitæ mortalis annum inivimus, illudque affirmare jure possumus annos quinquaginta contulisse, exiguo licet cum fructu, studiis Ecclesiasticis excolendis, atque iis præsertim, quæ ad Beatificationem Servorum Dei, ac Beatorum Canonizationem pertinent. Cum enim forensibus studiis operam dare statuissemus, factum est, ut Alexander Caprara tunc temporis Rotæ Romanæ Auditor, ac deinde Cardinalis, illius Tribunalis Secretum, ut ajunt, Nobis communicaret. Cum vero ille pariter inter Consultores Congregationis Sacrorum Rituum fuisset adscriptus, cœpimus accurate legere scripta exhibita a Postulatoribus, atque animadversiones Promotoris Fidei; & alia quoque pro his studiis adjumenta consequuti sumus ex domesticis colloquiis, quæ idem Præsul Caprara nobiscum interserebat.

Deinde a Clemente XI. felicis recordationis inter Consistoriales Advocatos recensiti, ipsius Pontificis jussu duas Causas Canonizationum promovendas suscepimus, nempe Beatæ Catharinæ Bononiensis, ac Beati Pii V., quæ sub eodem Clementis XI. Pontificatu ad finem solemnis Canonizationis perductæ fuerunt: Præter has Causas, aliis quoque multis tum Beatificationis, tum Canonizationis, operam nostram ac patrocinium impendimus, quas hoc loco recensere supervacaneum ducimus, & quæ non pauca, neque exigua sane volumina, si colligerentur, efficerent.

Post hæc Promotoris Fidei perhonorificum munus ab eodem Clemente XI. Nobis demandatum fuit, quod per viginti, & amplius annos, videlicet, cum idem Clemens XI., ac deinde Innocentius XIII., ac Benedictus XIII. Sedem Apostolicam tenuerunt, pro imbecillitate nostrarum virium, quam diligentissime obire curavimus. Illud pro certo adfirmare posse videmur, gravissimas laboris partes Nobis ipsis semper desumpsisse; nec satis existimasse studium ad ea negotia dumtaxat necessarium, quæ proponebantur, expedienda, sed Acta universa Congregationis Sacrorum Rituum penitus inspexisse, ipsius Tabularium, & monumenta omnia, quæ ad rem facere possent, ita pervolvisse, ut ea quoque adnotaremus, quæ Nobis opportuna fore videbantur. Illud pariter asserere possumus, eas omnes Beatificationes, & Canonizationes, quæ vel a Clemente XI., vel a Benedicto XIII. solemniter indictæ sunt, nostris laboribus, nostrisque vigiliis antea dispositas, ac peractas fuisse. Porro, si idipsum Nobis tribueremus de illis Canonizationibus, quas deinde Clemens XII. peregit, nihil a veritate alienum diceremus. Nam in Causis ejusmodi, quæ tunc temporis absolutæ sunt, non modo earum initia instituta atque expedita, sed etiam præcipuæ quæstiones in examen adductæ, ac solutæ fuerunt, cum adhuc Nos ipsi munere Promotoris Fidei fungeremur.

Postea Benedicti XIII. singulari beneficentia in Cardinalium Collegium cooptati fuimus, atque inter Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum adnumerati. Quapropter eo, licet exiguo, temporis spatio, quo tunc Romæ permansimus, Congregationibus interesse non prætermisimus, ac sententiam nostram, qualiscunque fuerit, libere proferre. Paulo post ad regendam Anconitanam Ecclesiam, ac deinde Bononiensem delecti fuimus, in quibus administrandis duodecim annos insumpsimus: Tum, licet Pastoralis officii sollicitudo Nos plurimum occupatos tenuerit, tamen rationem temporis ita habuimus, & nocturnæ corporis quieti aliquas horas ita subtraximus, ut Nobis contigerit, præter plura, quæ in lucem emisimus, simul etiam colligere, disponere, ac sedulo perpendere pene innumeras adnotationes, quas olim congessimus, cum Fidei Promotorem ageremus; Insuper plura superaddere, quæ ad explicanda Miracula conferre maxime possent: Cui rei gerendæ, ac perficiendæ magno adjumento Nobis fuit copia librorum tum antiquorum, tum recentium, qui ad Physicam, ac Medicinam pertinebant, tum præsertim consilia præstantium Doctorum, quos Bononiæ deprehendimus. Quamobrem de Beatificatione Servorum Dei, ac Beatorum Canonizatione quatuor Volumina composuimus, quæ in lucem edita fuerunt.

Postremo ad Summum Pontificatum, licet immerentes, evecti, cum facillimum sit inventis addere, plura additamenta non parvi momenti, ac pretii fecimus iisdem Commentariis, quæ magis accurate, copioseque lucem publicam secundo adspexerunt. Ad Congregationes Sacrorum Rituum, quæ coram Nobis frequenter habitæ sunt, convenimus, in quibus non modo sententiam nostram exposuimus, sed ejus quoque rationem palam indicavimus. In qualibet proposita Causa decrevimus ea, quæ magis opportuna judicavimus; alia quoque Decreta promulgavimus, ad rectum examen hujusmodi Causarum, earumque solutionem instituendam. Tandem aliquos Dei Famulos consueto Ritu inter Beatos adnumeravimus.

Ut ergo nihil deesse Nobis in hac re videretur, illud tantum supererat, ut Beatorum Canonizationem peragueremus. Ad quam obeundam haud satis erant, quæ hactenus diximus; neque enim a nobis commemorata sunt ob aliam causam, nisi ut quodam voluntatis nostræ studium ad ejusmodi Canonizationem suscipiendam ostenderemus, quod tamen parum, aut nihil omnino conferre non ignoramus, nisi cætera merita, ac requisitæ conditiones pariter intercedant. Attamen in eo tota res sita est, quod post accuratum diuturnumque examen plurium annorum, judicium quinque Causarum Canonizationis absolutum jam fuerit a Congregatione Sacrorum Rituum. Accedit, quod ejusdem Congregationis consilio jam pronunciavimus Decretum, nempe posse quamlibet ex iisdem Causis ad solemnem Canonizationem deduci: Quamquam illud Decretum ejusmodi negotium minime absolvat, neque ipsi finem imponat; eo quod Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, antequam Sententiam ultimam proferamus, intelligere volumus in hoc Secreto Consistorio consilium

vestrum,

vestrum, utrum Canonizationem hoc tempore statuendam judicetis; ac deinde exposcere rursum a Vobis consilium, & ab Episcopis, qui ad Consistorium semipublicum convenient, utrum nempe in supradictis Causis quæstiones omnes ita examinatas, & solutas existimetis, ut Sententiam vestram Sententiæ Congregationis Sacrorum Rituum accommodare posse arbitremini. Sed ne temere, & inconsulto deliberetis, servato a Prædecessoribus nostris more, Vobis exponemus, quæ diligenter accurateque peracta sunt in his Causis Beatorum examinandis; & deinde meritum singularum intrinsecum compendio solum attingemus.

Ut autem initium sumamus ab iis, quæ gesta sunt in examinandis his quinque Causis Beatorum, de quibus res agitur, nulla est ex ipsis, pro qua examinanda plusquam centum viginti anni non fuerint insumpti, initium hujus temporis haud statuendo a die, quo hi Beati vitam hanc mortalem absolverunt, neque a tempore, quo Locorum Ordinarii sua auctoritate ipsorum Beatorum Acta conficere cœperunt, sed ab eo solum tempore, quo Sedes Apostolica concessit, ut ejusmodi Causæ coram se instituerentur. Equidem non ignoratis, in veteri consuetudine, ac more positum fuisse, ut hæ Causæ Romanæ Rotæ Auditoribus committerentur, qui deinde post accuratum examen rem totam exponebant, suffragium consultivum ferebant, ac postremo ad Congregationem Sacrorum Rituum omnia rursum examinanda deferebantur. Duæ nostrorum Beatorum Causæ, quæ modo afferuntur, propositæ jam fuerunt eo tempore, cum vetus consuetudo, quam paulo ante memoravimus, obtineret, eaque ratione pertractatæ sunt, quam superius indicavimus. Cum deinde immutata ea consuetudine, Romanæ Rotæ Auditores in Congregationem Sacrorum Rituum, tanquam ipsius membra, recensiti fuissent, in tribus reliquis Beatorum Causis quæstiones præcipuæ, ac necessariæ ad examen, ac trutinam revocatæ sunt in iis Cœtibus, qui ad expendendas singulas ex allatis quæstionibus, ter convocari, & haberi consueverunt. Si ex his quinque Causis unam solumnodo excipiatis, cujus Nos ipsi Beatificationem peregimus, quatuor reliquæ Cultum publicum jampridem obtinuerant a Nostris Prædecessoribus constitutum. Quamobrem nostram operam potissimum contulimus ad expendenda Miracula, quæ post Beatificationem contigerunt, & quæ a Sacris Legibus requiruntur, tanquam indicium quoddam cœleste Divinæ voluntatis, ut cultus permissivus ac peculiaris, cultu universali ac præceptivo commutetur. Illud testari merito possumus, nihil a Nobis prætermissum fuisse, ut accuratissimum examen fieret, quoniam non ignoramus, nullum studium, nullamque diligentiam esse in hac re supervacaneam. Illud quoque fatemur nullam a Nobis in his Causis agendis dispensationem, aut immunitatem a consuetis Legibus esse concessam, nostrumque privatum studium pro qualibet Causa sedulo impendisse. Præterea Deum vehementer exoravimus, ut lumen suum Nobis impertiretur, quo magis perspecta Nobis forent aliqua facta, quæ suffragium ferentes in Congregationibus manifesta satis putaverunt; denique, priusquam animum nostrum determinaremus, nonnullis mandavimus, ut occulta diligentia res propositas scrutarentur, ac plane dignoscerent, quorum postea documenta Nobis reddita, deponi jussimus in Tabulario Congregationis Sacrorum Rituum, ubi tuto servarentur.

Post hæc (ut ordinem initio propositum teneamus) verba facienda essent a Nobis de meritis cujuslibet Causæ. Verum institutam Orationem parumper suspendimus, ut tamen, ordine jam constituto, deinde prosequamur; videlicet postquam apertum erit os Cardinalis, cui clausum fuit initio Consistorii, ut suffragium quoque suum in rem propositam ferat, & postquam alia præsentia negotia absoluta fuerint. Porro hæc sermonis interruptio Vos levabit ea molestia, quam pati deberetis, si perpetua oratione uteremur, & Nobis etiam paulum temporis concedet, ut libere respiremus.

*Post hæc propositæ fuerunt Ecclesiæ, & alia peracta, quæ superius indicata: deinde Sanctissimus D. N. prosequutus est suam Orationem in hunc modum.*

Peractis jam negotiis, quæ absolvenda supererant, Orationem nostram, Venerabiles Fratres, prosequimur; & breviter quidem complectemur merita, quæ insunt Causis quinque Beatorum. Primum locum obtinet Causa Beati Fidelis a Sigmaringa Svevi ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum. Nemo ignorat præclare gesta a Leopoldo Austriæ Archiduce, & Comite Tyrolensi, qui magno cum exercitu Rhætiam Superiorem invadens initio præteriti sæculi, gente illa pervicaci in suam ditionem redacta, Ministros Calvinianos ab illis Vallibus expulit, qui non modo pravam doctrinam in ipsis locis disseminaverant, sed miseros populos, & sua jam labe infectos, adversus Romanam Ecclesiam incendebant, & perniciosis consiliis incitabant, ut a legitimis Principibus facta conspiratione deficerent.

Tum Joannes Fulvius Curiæ Episcopus, qui Hæreticorum furore, ac violentia extorris, & ejectus, incredibili mœrore conficiebatur, eo quod Ministri Zuingliani, & Calviniani, spatio duorum annorum, quadraginta duas Parochias eidem usurpaverant, Leopoldum victorem induxit, ut ad Paulum V. Prædecessorem nostrum confugeret, eumque vehementer rogaret, ut Capuccinos in Rhætiam mitteret, qui Sacras Missiones susciperent, ex quibus fructus non exiguos Sanctæ Religioni futuros sperabat.

Pontifex Leopoldo morem gessit libentissime, ac tum Sacræ Missiones in Rhætia initium habuerunt, quæ deinde magis confirmatæ, atque amplificatæ sunt, cum post obitum Pauli V. Gregorius XV. Sedem Apostolicam obtinuit: Tunc enim bene constituta Sacra Congregatione de Propaganda Fide, ipsius consilio, quæ viros idoneos a Nuntio Apostolico, & ab Episcopo Curiæ satis cognoverat, Fratres Capuccini ad eas Missiones obeundas delecti fuerunt, & illarum Præfectus Beatus Fidelis a Sigmaringa nominatus, qui magnam sibi famam ob virtutem, & zelum Apostolicum jam sibi comparaverat. Cum ejusmodi munere fungeretur, vitam hic Beatus absolvit, interfectus ab Hæreticis in odium Fidei Catholicæ, & hoc pacto illustrem Martyrii palmam est consequutus. Signa & Miracula accesserunt severe discussa, & concordibus suffragiis approbata. Placetne igitur Vobis, ut ad solemnem hujus Beati Martyris Canonizationem juxta consuetum hujus Sedis Apostolicæ morem procedamus?

*Hic Cardinales responderunt omnes:*
Placet: *deinde Sanctitas Sua:*

Secundo loco proponitur Causa Beati Camilli de Lellis, qui Bochianici in Aprutio loco honesto natus est. Cujus quidem juventus non fuit vacua, & immunis ab iis cupiditatibus, ac vitiis, quibus implicari juvenes consueverunt. Attamen tali pœnitentia ductus est, suasque labes per plures annos usque ad ultimum vitæ spiritum tanta severitate expiavit, ut præclaram Sanctitatis opinionem sibi demeruerit, eamque lætitiam in Cœlis excitaverit, qua gestire solent Angeli super uno peccatore pœnitentiam agente, quæ longe superat eam voluptatem, quam concipiunt iidem Beati Spiritus, cum in Cœlis coronari vident alios plures, qui pœnitentia nunquam indiguerunt, eo quod vitæ innocentiam, ac morum sanctitatem nunquam violaverint.

Nonnulli ex Theologis, ac Patribus non solum Martyres appellant eos, qui ab Hæreticis, vel Infidelibus in odium Christianæ Fidei, aut Catholicæ Religionis vita spoliantur, sed illos pariter tanquam Martyres agnoscunt, qui semper in Dei famulatu, & proximorum salute procuranda ita occupantur, ut assiduo charitatis opera præstent, non quidem ordinaria, sed difficilia, & heroica, in quibus constanter versantur, donec ad extremum vitæ diem perveniant; ideoque Charitatis Martyres nuncupantur.

De hac opinione Nos verba fecimus in Libris nostris, *De Canonizatione*, eamque minime probavimus, eo quod Orationi Panegyricæ potius, quam Theologorum Cathedræ consentaneam judicavimus. Illos haud Martyres, sed Confessores nominandos asseruimus, cum in eorem morte nullus appareat tyrannus, qui illos in odium Fidei violenter interficiat; Quod si contrariam sententiam sequuti fuissemus, nullum sane exemplum præstantius inveniri potuisset ad Martyres ejusmodi Charitatis declarandos, quam vita, ac mores, quibus Beatus Camillus de Lellis commendatur.

Siquidem Nosocomia hujus Urbis, quæ *Incurabilium*, *& Sancti Spiritus* appellantur, comparari possunt quibusdam veluti theatris, in quibus Camillus per plures annos charitatem suam exercuit, operam suam assiduo præbens infirmis, ut illos corporis ægritudine, atque animi morbis sublevaret. Febres pestiferæ, quæ hanc ipsam Urbem, ac Sedem Quirinalem invaserant, & universis, quos semel corripuerant, mortem inferebant, latissimum campum aperuerunt Camillo, ejusque Sociis Regularibus, ad pios Cives inflammandos, hortandosque, ut cibis, atque opportunis pharmacis ægrotantes recrearent, omnemque diligentiam impenderent, ut a mortis faucibus eriperent hominum multitudinem, qui ad eam calamitatem pervenerant, ut eodem lectulo vir cum uxore sua, ac liberis jaceret, necessario alimento, & consolatione destituti omnes, quos interea febris, egestas, rerum omnium necessitas, ac fames supra modum vexabant.

Post hanc calamitatem, & stragem, incredibilis illa annonæ charitas subsequuta est, ob quam Romæ, ejusque districtu, septuaginta millia hominum fame, ac frigore enecti perierunt. Horrendum sane spectaculum! In Compitis ipsius Urbis, in macellis, & officinis fame debilitati Cives animam exhalabant, alii vero jam vita defuncti virentes herbas, quas ad famem sedandam decerpserant, adhuc dentibus premebant; Quare tum patuit maxime charitatis incendium, quo Camilli pectus exardebat: Plura omittimus ad rem explicandam, quæ in actis ipsius Beati descripta continentur; Illud solum indicabimus, tunc temporis magnam ægrotantium multitudinem in Nosocomium Sancti Sixti coactam fuisse, ex qua spatio paucorum dierum tria millia morbo confecta sunt. Pontifex Beato Camillo potestatem tribuit illius Nosocomii administrandi in iis omnibus, quæ ad salutem corporum, & animarum pertinerent. Itaque, ut huic muneri satisfaceret, in ædes Sancti Sixti ille se contulit cum octo Sociis, ex quibus ob incredibiles labores, & incommoda, quinque vitam amiserunt; Camillus autem immunis ab eo discrimine, ac liber evasit, singulari Dei beneficio, ut majora deinde pro utilitate proximi aggrederetur; inter quæ recenseri merito debet Institutio Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, quam ipse statuit, ac propagavit in varias Orbis terræ partes, & quæ magis in dies amplificatur, cum maximo ægrotantium, & morientium fructu, qui in ultima vitæ hujus periodo constituti, illorum præsidio, sanctisque monitis corroborati, ad immortalem vitam proficiscuntur. Hujus Beati intercessione Deus Miracula operari dignatus est, post longum & maturum examen concordibus suffragiis approbata. Videtur ne itaque Vobis expedire, ut ad hujus quoque Beati Canonizationem solemni ritu deveniamus.

*Rursus Cardinales hoc loco responderunt*: Placet: *Et Sanctitas Sua institutum sermonem prosequuta est.*

Tertio loco exhibetur Causa Beati Petri Regalati Minoris Observantiæ Sancti Francisci, natione Hispani, qui Valdoleti natus est. Annales Fratrum Minorum tradunt a Gregorio XI. Pontifice designatos fuisse aliquos Commissarios Apostolicos, seu Visitatores, qui eum Ordinem in Hispania reformarent, cujus institutum, ac disciplina, pristina severitate dimissa, plurimum collapsa fuerat, quemadmodum Apostolica Sedes intellexerat. Ferunt, quemdam nomine Petrum Villacretium inter Fratres Minores virum sanctitate vitæ præstantem, inde excitatum fuisse, ut reformationem Regularis Observantiæ Sancti Francisci primus inchoaret. Sacra ædicula inter oppida Tendillæ, ac Penalverii sita erat, Beatissimæ Virgini Mariæ nuncupata, quæ ad Equites Melitenses jure pertinebat. Porro Sanctam Mariam Saliceti ipsam vocabant ex eo, quod Beatissima Virgo quibusdam Venatoribus ipsius nomen, & opem implorantibus eo loco apparuerat, cum illi inter densissimas pluvias, fulminum ignibus perterriti, via penitus aberrassent. Itaque, cum primum super salices altare fuisset extructum, inde Sanctæ Mariæ Saliceti nomen inditum est. Huic ædiculæ Petrus Villacretius exiguum tugurium conjunxit, ibi cum suis Sociis habitaret; Illud autem spatio temporis in magnificum ædificium commutatum fuit, in quo perfecti Regulares vitam duxerunt. In eo ipso loco vir præclarissimus Cardinalis Franciscus Ximenes Christianæ perfectionis spiritum suscepit, ex quo tandem accitus fuit, ut Elisabeth Hispaniarum Reginæ Confessiones exciperet.

Pettus Villacretius pietatem Beati Petri Regalati cognitam, & perspectam habebat; Quippe adolescentiam innocenter traduxerat, & cum Fratrum Minorum Instituto vix decennis nomen dedisset, anno ætatis decimo quarto (quod tum licebat) solemnem Professionem emiserat. Inter cætera Monasteria, quæ a Villacretio condita fuerunt, permittente Oxomensi Episcopo, illud prope Aquileram adnumeratur, in quo Petrus Villacretius, ac Beatus Petrus Regalatus, longe ab hominum consortio, sanctissimam & asperrimam vitam aliquo temporis spatio simul duxerunt. Quamvis autem curarent diligentissime, ut ejusmodi vitæ ratio in tenebris omnino delitesceret, tamen in finitimas Civitates evulgari cœpit, ex quibus aliqui visendi solum studio, alii vero; ut permanerent in ea solitudine, ad Monasterium confluebant; & hoc pacto Reformatio in Hispania mirum in modum propagata est.

Qua de re Villacretius præclarum opus, initamque viam insistere majori studio constituit, ut nova conderet Monasteria, ac vetusta in meliorem formam redigeret. Itaque domum Aquileræ Regalato commendavit, cujus virtutem longo jam temporis experimento probaverat. In eo loco Regalatus reliquis annis, quibus vixit, ad supremum sanctitatis apicem pervenit. Illic Reformationem institutam, suis exemplis, prudentique administratione sartam tectam retinuit, ita ut, quamvis novi Ordinis Fundator, aut Reformationis Institutor appellari nequeat, tamen ad illam statuendam maximum adjumentum

attulisse,

attuliſſe, potentiſſimumque præſidium fuiſſe, nemo inficiabitur. Illic etiam toto vitæ ſuæ curſu Theologales, & Cardinales Virtutes modo ſublimi, ac ſingulari exercuit. Univerſos in admirationem ſui pertraxit ob animi humilitatem, vitæ aſperitatem, ac jejunia, quibus corpus ſuum magnopere excruciavit. Quæ merita ſi deſint, ad Beatorum Canonizationem Eccleſia nunquam adducitur. Illic etiam donis Extaſis, ac Prophetiæ cumulatus a Deo fuit, ac poſtremo feliciter hac mortali vita deceſſit, eamque ſanctitatis famam reliquit, ut diuturnitate temporis imminui nunquam potuerit. Miraculis claruit tum in vita, tum poſt obitum; eademque trutinæ ſubjecta approbari meruerunt. Placetne igitur Vobis, ut ad ſolemnem hujus Beati Canonizationem juxta Eccleſiæ inſtitutum procedamus?

PLACET, *iterum dixerunt hoc loco Cardinales, ad quos deinde Sanctitas Sua:*

Quarto loco venit Cauſa Beati Joſephi a Leoniſſa, quod Oppidum in Aprutio poſitum eſt. Ipſe pariter Ordini Fratrum Capuccinorum nomen dedit, & Sanctum Franciſcum Parentem ſuum plane imitatus eſt. Etenim ſi Sanctus Franciſcus martyrii cupiditate inflammatus, navigationem in Syriam ſuſcepit, etiam Beatus Joſeph ob eandem cauſam Conſtantinopolim ſe contulit, ubi Chriſti Fidelibus opitularetur, qui miſera ſervitute tenebantur, graviſſimoque periculo, ne ob incommoda & ærumnas, & Chriſtiana Religione deficerent. A Soldano Rege Ægypti Sanctus Franciſcus magnis officiis, & humanitate exceptus, omnem martyrio interclusum aditum cum vidiſſet, in Italiam remeavit; atque ita deſiderii martyrium obtinuit. Beatus Joſeph eodem ardore ſuccenſus, interiora cubicula, & penetralia Imperatoris Turcarum adire non dubitavit, ratus, eos populos univerſos facili negotio ad Fidem Chriſtianam traducendos, ſi ipſorum Imperator eandem Religionem primus ſuſciperet: Sed captus, ac detruſus in tenebroſum carcerem, eo graviſſimo ſupplicio mulctatus fuit, ut pedem dexterum, & manum pariter dexteram ad ferreum uncum ſuſpenſus, capite, totaque corporis mole ad terram penderet, donec fame, ac dolore extenuatus vitam profunderet. Generoſus Athleta Chriſti crudeliſſimum tormenti genus invicta animi conſtantia pertulit. At quoniam Joſeph Dei beneficio vitam adhuc trahebat, atque inter acerbiſſimum cruciatum annuntiare Fidem Chriſtianam haud omittebat, ideo Satellites conſilium inierunt ſub illo ignem excitandi, ut fumus obſtrictis faucibus ſpiritum illi præcluderet, aut ſaltem a prædicanda Sancta Religione impediret.

Tres continuos dies in eo cruciatu fortiter permanſit, ex quo divino potius, quam humano præſidio liberatus fuit, ita ut Cauſa ipſius Beatificationis, & Canonizationis (niſi ob graviſſimas cauſas diſciplina immutata fuiſſet) ſub titulo Martyris, non autem Confeſſoris, proponi poſſe videretur. Nemo enim, qui in his ſtudiis paululum verſatus ſit, ignorat, priſtina temporum conſuetudine appellari conſueviſſe Martyres etiam illos, qui poſt acerba tormenta, quorum vi mortem ſubire juxta naturæ conditionem debuerant, admirabilem in modum ſuperſtites evaſerant: Attamen hoc tempore (quemadmodum unicuique cognitum, perſpectumque eſt) Martyr haud nuncupatur, niſi qui in ferendis cruciatibus, aut vi tormentorum vitam amiſerit.

Joſeph ope divina vindicatus ab eo diſcrimine, quod ſuperius expoſuimus, in Italiam rediit, & reliquum vitæ ſpatium in locis Patriæ ſuæ finitimis traduxit, ubi Ruricolas, & Egenos Sacris concionibus imbuens, mirum dictu eſt, quam copioſos fructus collegerit: Myſteria Fidei, ac Religionis illis explicabat, & vineam Domini indefeſſo ſtudio ita excolebat, ut nullos labores, nulla pericula, nulla incommoda vitanda unquam judicaverit. Evangelica conſilia, juxta ſui Ordinis præcepta atque inſtituta, diligentiſſime ſervavit; qua in re ſi defuiſſet aliquid, Cauſa Beati Joſephi in medio curſu conſtitiſſet. Etenim certum, ſtatutumque eſt, ut in Cauſis Servorum Dei, qui Regularium Ordinibus adſcripti fuerunt, præter cætera, illud potiſſimum examinetur, an ſui Ordinis præſcriptas leges accurate obſervaverint. Poſtremo Beatus Joſeph meritis cumulatus, & corporis ſui vinculis diſſolutus, in Cœlum evolavit, quo tempore ea ſigna contigerunt, quibus Deus pretioſam juſtorum mortem proſequi, ac declarare conſuevit. Miracula quoque ſubſequuta ſunt plene diſcuſſa, & approbata. Placet ne igitur Vobis, ut ad hujus Beati Canonizationem rite procedamus?

*Hic quoque Cardinales dixerunt,* PLACET, *quibus inde Sanctiſſimus Dominus Noſter hæc alia deliberanda propoſuit.*

Quintum, ac ultimum locum tenet Cauſa Beatæ Catharinæ de Ricciis ex Ordine Dominicano, de Eccleſia adeo benemerito, tum ob viros, tum ob mulieres gloria Sanctitatis celeberrimas, quæ eundem Ordinem illuſtrarunt: Satis ſit hoc loco recenſere Catharinam Senenſem, Roſam Limanam, Agnetem ex Urbe Montiſpolitiani, quæ ſolemni Canonizationis Ritu in numerum Sanctarum relatæ fuerunt; Reliquas plures omittimus, quæ ob rationem cultus immemorabilis, obtinent cultum Sedis Apoſtolicæ auctoritate comprobatum.

Florentiæ nata eſt Catharina ex nobili genere: Parentes habuit Petrum Franciſcum de Ricciis, & Catharinam de Panzano. Ab ineunte adoleſcentia futuræ Sanctitatis indicia non obſcura præbuit. Pratum Hetruriæ Civitatem adducta (quo Parentes ruſticationis gratia ſe contulerant), & ingreſſa Domum Monialium Sancti Vincentii, eodem momento temporis conſtituit in eo loco vitæ ſuæ curſum exigere, quamvis id ingratum, moleſtumque Parentibus eſſet, qui illam nuptui dare propoſuerant.

Tantam Sanctitatis famam brevi aſſequuta eſt, ob dona præcipue cœleſtia, quibus plerunque Deus animas ſibi devinctas & chariſſimas exornare ſolet, nempe ob frequentes Extaſes, mentis alienationes, vaticinia, cordium arcanas ſcrutationes, & hujuſmodi divina munera, ut Præſides Eccleſiaſticos excitaverit ad inveſtigandum diligenter, utrum angelus tenebrarum (uti non ſemel accidit) Angeli Lucis ſpeciem ad eam Virginem decipiendam aſſumpſiſſet. Omiſſa facimus experimenta, quibus tunc uſi ſunt Ordinis Dominicani Theologi, & illius Monaſterii Provinciales, ut omni erroris nube diſcuſſa, veritatem agnoſcerent, cujus certiſſima indicia deprehenderunt; ideoque teſtati ſunt ea Catharinæ dona non Dæmonum fraudibus, neque naturæ portentis tribuenda, ſed cœlitus immiſſa ad ejus animam exornandam. Cardinalis Robertus Puccius Piſtorienſis Epiſcopus, juſſu Pauli III. Pontificis, Florentiam ſe contulit cum pluribus aliis Epiſcopis prudentiæ, doctrinæque laude præſtantibus; & poſt accuratum examen, ſummopere probavit vitæ Sanctitatem, & cœleſtem donorum naturam, & conditionem, quibus Catharina ab omnibus commendabatur. In eadem ſententia fuerunt Cardinales Cervinus, & Mediceus, qui deinde Summi Pontifices facti ſunt, quorum primus Marcellus II., alter Leo XI. nuncupati fuerunt. Poſtremo accedit, quod in Cauſa Sancti Philippi Nerii demonſtratum eſt, ipſum quadam mentis alienatione

divinitus immissa, licet Romæ versaretur, Beatam Catharinam de Ricciis alloquutum fuisse, quæ Prati in Hetruria morabatur, cujus heroicam vitæ rationem plane cognoverat, eamque plurimi faciebat.

Hæc cœlestia dona plerumque Sanctitatem indicant, sed in illis Sanctitas minime continetur. Continua ferme rerum cœlestium meditatio, profunda humilitas, vita, victusque asperrimus, in observandis Ordinis sui legibus accuratissima diligentia, summa vigilantia, atque studium, ut reliquæ Sorores eandem virtutis semitam calcarent, hæ fuerunt Catharinæ dotes eximiæ, hæc ornamenta singularia. In examine hujus Causæ compertum est, ipsam maxime excelluisse in assiduo illarum virtutum exercitio, quæ ad illius conditionem, atque statum pertinebant. Porro id satis est, cum in ejusmodi Causis totum examen ad eas virtutes redigendum sit, quas Canonizandus exercere potuit juxta vitæ rationem, quam sibi delegerit. A Deo sæpius illa postulavit, ut iis donis cœlestibus, quibus tamdiu cumulata fuerat, spoliaretur, quod sane commendatur plurimum ab iis, qui pias animas ad perfectionem Christianam instituunt, nempe ut delectationi, & quandoque etiam vanitati aditus præcludatur. Itaque Catharina, quod vehementer expetierat, consequuta est; attamen opinio, quæ de ipsius Sanctitate excitata fuerat, imminui nequaquam potuit, sed usque ad mortem constanter permansit, & etiam post mortem magis percrebuit. Catharina eo mortis genere decessit, quod ejus vitæ Sanctitatem maxime decebat. Summa vitæ austeritas, & ciborum ratio, quos longo temporis spatio adhibuerat hæc Virgo pœnitentiæ amantissima, mortalem ipsi ægritudinem attulerunt. Ad illam fortiter obeundam Catharina sanctis operibus se præparavit: Acerbos dolores tulit patientissime: Ecclesiæ Sacramentis summa pietate susceptis, ultima sive colloquia, sive ad Deum precationes ardentissimi amoris plenas expressit. Sorores suas maxima benevolentia vivens prosequuta est, & ejusdem benevolentiæ moriens argumenta manifesta præbuit iis sermonibus, quos postremo ad ipsas Sorores convertit. Nonnulla portenta ad ejus mortem contigerunt; ita ut, si omnia simul expendantur, pretiosam in conspectu Domini Catharinæ mortem fuisse nemo dubitare possit. Post obitum, hujus Beatæ intercessione ea prodigia facta sunt, quæ vires naturæ excedunt, quæque idcirco communi calculo fuerunt Miraculis adscripta. Placetne demum igitur Vobis, ut ad hujus Beatæ Canonizationem juxta consuetum Apostolicæ Sedis morem procedamus?

*Item*: sibi Placere: *responderunt omnes Cardinales, quos subinde alloquutus est Sanctissimus Dominus Noster hoc modo:*

Præclaram sententiam vestram intelleximus super his, quæ a Vobis postulavimus. Quamobrem, vestigiis & exemplis nostrorum Prædecessorum inhærentes, duo publica Consistoria indicemus, in quibus Consistorialis Aulæ Advocati palam recensebunt vitæ Sanctitatem, ac Miracula singulorum ex Beatis, qui solemni ritu inter Sanctos adscribendi sunt. Antequam autem conveniatis ad semipublica Consistoria, in quibus Vos omnes, cum Episcopis, qui simul acciri debent, suffragium ferre debetis pro futura cujuslibet Beati Canonizatione, in more positum est, ut unicuique consignetur vita cujuslibet Canonizandi, compendio digesta una cum virtutibus, & Miraculis, & singulis Actis, quæ pro eorumdem Causis confecta fuerunt. Quo tempore Clemens XI. felicis recordationis Beatorum Canonizationem celebravit, Nobis tunc temporis Fidei Promotorem agentibus præcepit, ut Causas Beatorum compendio describeremus, quæ deinde Pontifex ipse accuratissime perpendit, & incredibili studio ad examen, ac trutinam revocavit omnia documenta, quæ iisdem compendiis ad fidem faciendam jungebantur. Porro Causarum, de quibus modo res est, Nos ipsi compendia facere posse sperabamus, ardentique studio exoptabamus: sed assiduis curis distenti, Clementis XI. vestigiis insistere tandem deliberavimus. Itaque præter compendia a Postulatoribus confecta, & exhibita, hanc eandem provinciam ab alio suscipi jussimus, qui Promotoris Fidei sententiam consiliumque sequeretur. Eadem compendia, juxta normam & rationem a Nobis constitutam confecta Nos ipsi accurate perlegimus. Sedulo quoque examinavimus omnia documenta illarum rerum, quæ in ipsis compendiis referebantur: Et hæc tum Vobis, tum Episcopis ad consilium accitis, tempore opportuno dabuntur, ut omnes sufficienter instructi ad semipublica Consistoria accedant.

*Absoluta Oratione Sanctitas Sua assignavit in Titulum Ecclesiam Sanctorum Joannis, & Pauli Eminentissimo Cardinali Paulutio; & sic dimissum fuit Consistorium.*

## IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

*Habito die 9. Junii 1746.*

## VENERABILES FRATRES.

Maximam Nobis hic amplissimus consessus jucunditatem affert, in quo Pontificum Prædecessorum nostrorum vetus consuetudo renovatur. Siquidem, cum de gravissimis negotiis agendum, ac deliberandum erat, in consilium vocabant Primores ex Clero Romano, Episcopos Suburbicarios, & cæteros Antistites, qui casu aliquo Romæ versabantur. Materiam pariter, quam Vobis examinandam, ac dijudicandam proponimus, Sacræ vetustati omnino consentaneam judicamus. Etenim Causa Martyris Fidelis a Sigmaringa Vobis exhibetur; & cognitum satis est, perspectumque universis, quam diligenter accurateque Prædecessores nostri Clemens, Fabianus, & Antherus colligi jusserint eorum Acta, qui pro Fidei Catholicæ defensione vitam profundebant; Actorum collectioni judicium succedebat, quod *vindicationis* appellabatur, quodque institui solebat ab Ecclesia, ad fraudes & ambiguitates evitandas: de quo judicio verba facit Optatus Milevitanus Scriptor quarti Sæculi, cum illustre facinus Cæciliani Archidiaconi commemorat, qui superbam Fœminam Lucillam vehementer objurgavit, eo quod ossa *hominis mortui, etsi Martyris, sed necdum vindicati*, osculari consueverat, priusquam Divinam Eucharistiam perciperet. Quod si aliquid paulo alienum ab antiquitate reperitur in examine, quod habetur hodierna die, illud profecto est, quod in Actis, & narrationibus rerum gestarum a Fideli a Sigmaringa, quæ Vobis exhibitæ fuerunt, & quas antea Nos ipsi perspeximus, ac diligentissime expendimus, in his, inquam, Actis non solum agitur de Martyrio, ejusque Causa, sed etiam recensentur signa, ac Miracula, quæ, Beato Fideli intercedente, Deus patravit. Etenim vestram eruditionem minime latet gravissima disputatio, quam sæculo nono Ecclesiæ magna cum laude sustinuit S. Eulogius Martyr, ac Toleti Archiepiscopus, in suo præclaro Libro, qui inscribitur *Memoriale Sanctorum*, pro Cultu Cordubensium Martyrum; magnopere contendens illis exhibendum esse Martyrum Cultum, etiamsi nulla

Miracula ob eorum interceſſionem obtigiſſent. Attamen id minime Nos avocat ab inſtituto Nobis gratiſſimo venerabilis antiquitatis; cum in Noſtris Commentariis *de Canonizatione Sanctorum*, qualiacunque fuerint, plane oſtenderimus, propoſitis cujuſlibet ſæculi monumentis & exemplis, nunquam Sedi Apoſtolicæ in more poſitum fuiſſe, ut Cultum publicum Martyris ulli concederet, aut permiſſivum, & pro aliquibus tantum locis, aut præceptivum, & pro univerſa Eccleſia, niſi poſtquam Martyrium, ejuſque Cauſam perpendiſſet, ac probaſſet, juxta vetus adagium, nempe *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa*, & poſtquam Miracula etiam in examen adduxiſſet, ac probaſſet. Siquidem tutiorem in hac re ſententiam amplectendam cenſuit, nec ullam diligentiam omnino prætermittendam, ut de graviſſimo hoc negotio judicium ferret, cum præſertim nulla neceſſitas ejuſmodi judicium poſtularet. Equidem Vobis ante oculos propoſita ſunt omnia, videlicet, vita, mors, ejuſque cauſa, ſigna, ac Miracula Beati Fidelis a Sigmaringa. Interea veſtras ſententias exquirimus, utrum ad ipſius Canonizationem deveniendum putetis.

*Poſt hæc ſuffragium dederunt pro Canonizatione tam Eminentiſſimi Cardinales, quam Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Aſſiſtentes, & non Aſſiſtentes. Quibus expletis iterum Papa ſic fuit allocutus.*

## VENERABILES FRATRES.

SUmmam voluptatem percepimus ex veſtris ſuffragiis, quæ tuliſtis de propoſita Canonizatione Beati Fidelis a Sigmaringa. Priuſquam tamen ultimo deliberemus, ad Deum ſupplices confugere volumus, & ſimul hortari Fideles omnes, ut eadem vota concipiant; videlicet ut cœleſte lumen in hoc graviſſimo negotio Nobis elargiatur, judicium laturis de Canonizatione Beati Fidelis a Sigmaringa, atque aliorum quatuor Beatorum, quorum Cauſæ in quatuor ſequentibus Conſiſtoriis Semipublicis in examen adducentur. Porro Cardinalis noſter in Urbe Vicarius de more promulgabit jejunia, Eccleſias viſitandas, preces, & alia pietatis opera præſcripta, & ſuſcipienda ab illis, qui conſequi volunt plenariam Indulgentiam, quam Nos impertiti ſumus univerſis, qui preces effundent eo modo, quem ſtatuimus, ut Deus ſcilicet Opt. Max. ſuæ lucis claritate mentem noſtram illuminet.

*Et ſic dimiſſum fuit Conſiſtorium.*

## IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

*Habito die 10. Junii 1746.*

## VENERABILES FRATRES.

POst Cauſam Beati Fidelis a Sigmaringa, quam Vobis in præcedenti Conſiſtorio propoſuimus, alteram Beati Camilli de Lellis in hoc præſenti Conſiſtorio Vobis exhibemus; & quemadmodum in Cauſa Beati Fidelis ſacram antiquitatem, & hujus Sanctæ Sedis diſciplinam ante oculos habuimus, ita profecto mentem eandem, idemque inſtitutum in proponenda Cauſa Beati Camilli hodierna die retinemus. Equidem inter Martyres ipſe non recenſetur, ſed inter Confeſſores; eoquod præclariſſimis ſane virtutibus ac meritis exornatus, ex hac mortali vita in Cœlum migraverit, naturali tamen mortis genere; neque in odium Chriſtianæ Religionis interfectus vitam amiſerit. Quamvis autem Confeſſorum Cultus poſt Martyrum Cultum inductus fuerit, tamen illum pariter antiquum eſſe, minime eſt dubitandum; cum ex ſæculo quarto hujus rei monumenta certiſſima ſuppetant, etiamſi illorum ſententiam ſequamur, qui Sacram antiquitatem magis accurate diligenterque perſcrutantur. Hanc opinionem Nos amplexi ſumus in Commentariis noſtris *de Canonizatione Sanctorum*, omittentes eam diſputationem, quæ viros eruditos in duas partes dividit, utrum Cultus Sancti Hilarii Pictavienſis, an Sancti Martini Turonenſis Confeſſorum, antiquior in Eccleſia dicendus videatur.

Hæc quoad ſacram antiquitatem: verum quoad hujus Sanctæ Sedis diſciplinam, nemo ignorat, Monachos primos fuiſſe, qui conſilia Evangelica ſibi penitus imitanda propoſuerint, deinde Mendicantium Ordines hanc viam ingreſſos eſſe, ac poſtremo eos cœtus, qui Clerici Regulares appellantur. Illud etiam cognitum eſt omnibus, perſpectumque, Sedem hanc Apoſtolicam ſemper proclivem fuiſſe, ut inter Sanctos referret Ordinum Regularium Fundatores, ſi illi virtutibus heroicis, gloriaque Miraculorum poſt obitum, uti neceſſario requiritur, maxime excelluerint: non una tamen ſemper eademque ratione; cum antiquiores ritu antiquiori, tacito videlicet Summorum Pontificum aſſenſu, cæteri recentiori ritu, expreſſo videlicet aſſenſu, immo prolata a Summis Pontificibus definitiva ſententia, fuerint Sanctorum faſtis adſcripti; juxta duplicem canonizandi modum, de quo in recenſitis noſtris Commentariis luculenter egimus, epochas temporum ſtatuendo, quod an feliciter fuerimus aſſecuti, aliorum eſto judicium.

Porro, juxta primum Canonizationis morem, Cultum publicum in Eccleſia univerſali obtinuerunt Paulus, Antonius, Baſilius cœtuum Monachorum Fundatores in Oriente, Auguſtinus, Benedictus, Columbanus, eorumdem cœtuum Monachorum Fundatores in Occidente; juxtaque ſecundum Canonizationis morem, cæteri Ordinum Regularium Inſtitutores Canonizationis honorem ſunt aſſecuti, ut ex Tabulis Eccleſiaſticis, & monumentis, quæ in Vaticanis Tabulariis aſſervantur, & a Nobis ſæpe perlecta ſunt, plane deſumitur.

Alexander etenim III. ſolemni ritu Sanctorum numero adſcripſit Bernardum Fundatorem ac Parentem totius Familiæ Monachorum Clarevallenſium; Clemens III. Sthephanum Fundatorem Ordinis Grandimontenſis in Aquitania; Cœleſtinus III. Joannem Gualbertum Inſtitutorem Congregationis Valliſumbroſæ, ac Giraldum Parentem Monachorum Sylvæ majoris in Gallia Aquitanica; Gregorius IX. Franciſcum Aſſiſinatem, & Dominicum, quorum primus Fratres Minores, alter vero Fratrum Prædicatorum Ordinem inſtituerunt; Clemens V. inter Sanctos adnumeravit Cœleſtinum V. Congregationis Cœleſtinæ Fundatorem; Leo X. Franciſcum de Paula Parentem Fratrum Minorum; Gregorius XV. Philippum Nerium, ac Ignatium de Loyola, quorum primus Presbyteros Oratorii nuncupatos, alter Societatem Jeſu conſtituerunt. Poſtremo Clemens X. Catalogo Sanctorum addidit Nomen Cajetani Ordinis Regularis Theatinorum Fundatoris; Alexander VIII. nomen Joannis de Deo, qui Fratres ſervientes pauperibus infirmis in ſuis Noſocomiis inſtituit; Clemens XII. nomen Vincentii de Paulis Fundatoris Sacerdotum, qui Sacris Miſſionibus addicuntur.

Cùm hæc ita ſint, hodie proponitur Vobis Beatus Camillus de Lellis Clericorum Miniſtrantium infirmis Parens atque Inſtitutor. Vobis exhibita fuit ante oculos ſeries ipſius vitæ, corporis cruciatus, continuum virtutum ſumme præſtantium exercitium, & cœtus Regularis non ſolum inſtitutio, ſed etiam propagatio in varias Orbis terræ partes, cum maxima Fidelium

spirituali ac temporali utilitate; postremo descripta perpendistis Miracula, quæ Deus ob illius intercessionem ac nomen patravit. Quamobrem sententias Vestras expectamus, utrum solemnis Beati Camilli Canonizatio decernenda videatur, ejusque nomen inter Sanctos cœtuum Regularium Fundatores publico consuetoque ritu sit adscribendum.

*Hic autem Cardinales, necnon Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi Assistentes, & non Assistentes Sententiam suam dixerunt. Quibus absolutis Sanctissimus Dominus Noster ad eos verba fecit in hunc modum.*

VENERABILES FRATRES.

Suffragia Vestra de Canonizatione Beati Camilli de Lellis magnam Nobis lætitiam attulerunt: Quam ob causam nihil aliud respondemus, nisi peragendas esse preces, quas jam indiximus, ut Deus elargiatur Nobis opem suam, ac cœleste lumen ad ea rite perficienda, quæ pro fututa Beatorum Canonizatione requiruntur.

*Et sic dimissum fuit Consistorium.*

IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

*Habito die* 11. *Junii* 1746.

VENERABILES FRATRES.

In præcedenti Consistorio Vobis expendendam proposuimus Causam Beati Camilli de Lellis Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium ministrantium infirmis. Agendum est hodierna die de Causa Beati Petri Regalati, qui sane Institutor appellari nequit, sed aut Restaurator, aut præcipuus Minister, cujus opera, ac labore Reformatio Ordinis Fratrum Minorum in Hispania statuta est. Equidem Ordines Regulares inter splendidiora Ecclesiæ ornamenta recensentur: leges autem, quæ illis præscribuntur, Sanctitati maxime accommodatæ, & consentaneæ judicantur; qui tamen haud permittuntur, juxta disciplinam ab Alexandro III. Prædecessore nostro constitutam, nisi prius ab hac Sancta Sede Apostolica post accuratissimum examen comprobentur. Cum tamen Regularium Ordines hominum copia, non Angelorum, conflentur, ideo non semel, ob frequentes atque inveteratas legum ipsarum violationes, factum est, ut Pontifices Prædecessores Nostri Ordines aliquos Regularium jampridem fundatos de medio tollendos duxerint, etiamsi Leges Sanctissimas profiterentur; plerunque vero evellere coacti fuerint zizaniam frumento admixtam, opera, studioque præstantium Sanctitate Virorum, qui remissos Ordines ad pristinum splendorem restituerent, & Charitatis ardorem pene extinctum rursum accenderent, Regulares Ordines ad primum institutum ac normam revocantes, quam illorum Professores aliqua ex parte deseruerant. Itaque, sicut hæc Sancta Apostolica Sedes animum proclivem semper ostendit, ut Fundatores Ordinum Regularium solemni ritu Sanctorum Catalogo adscriberet, quod in præcedenti Consistorio pluribus exemplis declaravimus, si tamen cumulus reliquarum virtutum ad hunc titulum simul adjungeretur; eandem rationem habuit pro Restauratoribus Ordinum Regularium, vel eorum, qui plurimum adjumenti laborisque contulerunt ad statuendas Reformationes, non temere & inconsulto excogitatas, sed Romanorum Pontificum auctoritate præscriptas, non solum tentatas, sed executioni demandatas, quas postremo ipsi Restauratores non modo suscipiendas aliis proposuerunt, sed ipsi prius exemplo suo integre servarunt, non ulla ducti specie utilitatis, aut humanæ gloriæ, sed unice pro Dei gloria propaganda. Petrus de Alcantara Ordinis Minorum Restaurator fuit, & a Clemente IX. Prædecessore nostro inter Sanctos adnumeratus. Sed antea Gregorius XV. in Canonem Sanctorum retulerat Theresiam, quæ singulari cum gloria restauravit Ordinem Carmelitarum, quem tum Viri, tum Mulieres profitebantur. Neque sane multum temporis præteriit, ex quo Benedictus XIII., de Nobis optime meritus, Sanctorum Catalogo nomen addidit Joannis a Cruce, qui plurimum adjuvit Sanctam Theresiam in Reformatione Carmelitani Ordinis, quam ipsa susceperat. Ex scriptis documentis, quæ Vobis tradita fuerunt, jam clare deprehendistis, quantum laboris atque operæ Petrus Regalatus impenderit ad constituendam Reformationem Ordinis Minorum, quam Apostolica Sedes præceperat; quo studio, qua prudentia, quam magna Ordinis sui utilitate gravissimum hoc negotium administraverit. Satis etiam cognovistis morum innocentiam, quam ab adolescentia ad finem usque vitæ integram conservavit; virtutum summe præstantiam assiduam exercitationem; dona supernaturalia, quibus a Deo cumulatus fuit, dum inter mortales ageret; pretiosam ipsius mortem, & præclara Miracula, quæ ante, & post illam contigerunt, ut ejus Sanctitas palam omnibus innotesceret. Quare nihil aliud supereſt, quam ut Sententias Vestras de Canonizatione ipsius indicenda Nobis declaretis.

*Eminentissimi autem Cardinales, & alii ut supra suffragati fuerunt, quos deinde Sanctissimus Dominus Noster ita alloquutus est:*

VENERABILES FRATRES.

Suffragia Vestra consensu unanimi deposcunt, ut Beatum Petrum Regalatum in Catalogum Sanctorum referamus. Nos, cum opus fuerit, sententiam quoque nostram declarabimus. Interea magno studio Deum precamini, ut lumen suum Nobis impertiat ad opus hoc maximum pro ipsius voluntate in terris perficiendum.

*Et sic dimissum fuit Consistorium.*

IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

*Habito die* 13. *Junii* 1746.

VENERABILES FRATRES.

Non ignoramus exploratum satis esse vestræ eruditioni, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam inter Martyres non solum adnumeratos fuisse illos, qui pro Christiana Religione vitam amiserunt, sed eos pariter, qui ob eandem Religionis causam acerbissima tormenta pertulerunt, licet postea superstites ab illis evadentes, mortali hac vita in pace perfuncti sint. In Conciliis, quæ a Sancto Cypriano coacta fuerunt, aliqui Episcopi, nomine, ac titulo Confessoris, alii vero Martyris, obsignantur. Tertullianus autem in eo libro, quem in Praxeam conscripsit, titulum Martyris ipsi minime tribuendum contendit, ob eam causam, quod levissimum, ac breve tormenti genus tulisset, non vero, quia vitæ spiritum inter cruciatus nequaquam emisisset: *Præxeas*, inquit, *de jactatione Martyrii inflatus, ob solum, & simplex, & breve carceris tædium.* Id etiam S. Joannis Evangelistæ celebri exemplo comprobatur, qui in dolium ferventis olei demissus, licet incolumis ex illo prodierit, & usque ad ultimam senectutem in pace vitam absolverit, tamen Martyris titulum a Fidelibus obtinuit. Ob eandem rationem Sancta Thecla Protomartyr a Patribus

nuncupatur, eo quod prima inter mulieres Martyrii gloriam pro Christiana Fide consecuta est: quippe damnata ad bestias, quemadmodum ex Annalibus Ecclesiæ deprehendimus, cum nullum ab illis detrimentum accepisset, reliquum suæ vitæ tempus solitudini mandavit, ubi longo senio confecta, & vinculis corporis soluta, in Cœlum placide evolavit. Ob hæc Theologi inquirunt, utrum etiam nunc Martyris nomen apte conveniat illis, qui superstites fuerunt cruciatibus, quorum acerbitate vitam profundere debuissent, sed post multos annos, lectulo, ut ajunt, suo jacentes, postremum diem obierunt; & utrum ritu solemni etiam nunc inter Sanctos Martyres recenseri possint. Nonnulli id fieri posse censuerunt; utque obviæ occurrant difficultati, nempe reliquo vitæ spatio inquinari potuisse peccati labe eos, qui post tormenta superstites fuerunt, respondent, Divinæ bonitati consentaneum videri, quod eos in cœlesti gratia confirmet, qui singulari suo beneficio vim tormentorum, certumque mortis discrimen, quod pro Christo subierant, superaverunt. Nos de hac ipsa re fusius egimus in nostris Commentariis *De Canonizatione Sanctorum*, ubi Sanctæ Sedis Apostolicæ consuetudini inhærentes, plane ostendimus, Martyris titulum minime hodie tribuendum, nisi mors intercesserit in odium Christianæ Fidei, quam Tyrannus intulerit, & Martyr ob eandem causam susceperit, fortique animo pertulerit; nec, ut ab hac disciplina recedatur, sufficere exempla a sacra quidem antiquitate desumpta, sed quæ prodierunt, antequam aliæ leges justissimis de causis ab Ecclesia fuerint statutæ; aut argumenta, quæ piis ad hominibus potius, quam a peritis Theologis excogitata videntur. Quapropter cum adhuc in minoribus Promotoris Fidei munus gereremus, & Causa hæc Beati Josephi a Lioniſſa initio proponi cœpisset, magno studio contendimus atque obtinuimus, ut de illa tanquam de causa Confessoris, non vero Martyris, ageretur, etiamsi Beatus Joseph unco ferreo per tres continuos dies suspensus a Turcis in odium Christianæ Religionis crudelissimum tormenti genus pertulerit, uti vos ipsi ex traditis documentis perspicere potuistis. Illud tamen libenter, ac merito probavimus, ut hoc facinus præclarissimum in hac causa pertractanda magni penderetur, & pro decernenda solemni Canonizatione etiam plurimum conferret, si tamen continua virtutum summe præstantium exercitatio, proprii Instituti plena observantia, qua cum maxima vitæ austeritas, ac pœnitentia conjungitur, in Beato Josepho apparerent, ac liquido comprobarentur; si postremo illius mortem ea prodigia secuta fuissent, quibus justorum mors dignosci consuevit. Hoc sane pacto Causa Beati Josephi tanquam Confessoris, non vero Martyris, in examen adducta fuit. Seriem totius vitæ, quam ille duxit, vestros ante oculos expositam habuistis: Cognitum Vobis est quidquid pie sancteque gessit, antequam se conferret Constantinopolim pro Missionibus obeundis; gravissimum tormenti genus, quod in illa Civitate passus est, ex quo Divino beneficio fuit ereptus; quanto deinde tempore superstes extiterit, quam præclara gesserit, & qua ratione vitam absolverit. Vobis etiam perspecta sunt Miracula, quæ ob illius intercessionem contigerunt. Itaque illud tantum superest, ut sententias vestras de solemni ejus Canonizatione indicenda Nobis explicetis.

*Post hæc Eminentissimi Patres, & alii de more suffragium dederunt; quibus a Sanctitate Sua auditis, talia deinde subdidit:*

VENERABILES FRATRES.

INtelleximus suffragia vestra de Causa Beati Josephi a Lioniſſa, pro quibus ferendis ad Deum Vos prius confugisse, idemque facturos etiam non dubitamus, ut cœleste lumen Nobis impetretis. Attamen Vos magnopere hortari non prætermittimus, ut privatim, ac publice easdem preces suscipiatis, cum Vos minime lateat, quantam vim habeant illæ precationes, quæ publice, & Ecclesiæ nomine indicuntur.

*Et sic completum fuit Consistorium.*

## IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

*Habito die* 14. *Junii* 1746.

VENERABILES FRATRES.

IN Apostolicis Actis Capite vigesimo primo, in quo describitur iter, quod Sanctus Paulus suscepit a Tyro Ptolemaidem, & ex eo loco ad urbem Cæsaream, illud memoriæ traditur, eundem Sanctum Paulum una cum Sociis ingressum fuisse domum Philippi Evangelistæ, seu Concionatoris Evangelii, qui sane Philippus, is facili conjectura judicatur, qui Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum Sancto Lavacro expiaverat. Moram aliquam duxerunt illi in ædibus Philippi, cui erant quatuor Filiæ virgines, ac prophetantes; quod si virginitatem illæ non profitebantur voti illius ratione, quo se Judæi obstringere minime consueverunt, tamen religionis causa eas virgines fuisse non est dubitandum; quæ prophetantes etiam nuncupantur, vel quod in concinendis divinis laudibus assiduo versarentur, vel quia futura prænunciarent: *Venimus Cæsaream*, (ita scriptum est in sacris Litteris) *& intrantes domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* Quod in itinere S. Pauli contigisse memoravimus, id Nobis etiam evenit in gravissimo hoc negotio, quod hodierna die ad finem sumus perducturi. Postquam septa aliorum Cœtuum Regularium percurrimus, uti Vos ipsi ex præcedentibus Consistoriis perspicere potuistis, nunc ingredimur Claustra S. Dominici, qui non modo, sicut Philippus, Evangelii Concionator fuit, sed etiam Ordinis Fratrum Prædicatorum primus Parens, atque Institutor; & quemadmodum in ædibus Philippi quatuor ipsius Filias virgines prophetantes Sanctus Paulus deprehendit; ita Nos in Claustris Sancti Dominici quatuor etiam illius Filias invenimus, quæ prophetantes appellari merito possunt, vel quia a divinis laudibus celebrandis nunquam cessarunt, vel quia futuros eventus antea denuntiarunt. Porro illæ nominantur, Catharina Senensis, Rosa Limana, Agnes Montispolitiani, & Catharina de Ricciis. Pius II. Prædecessor Noster Sanctorum Catalogo nomen Catharinæ Senensis adjunxit. Clemens X. Prædecessor quoque Noster Rosam Limanam: Benedictus XIII. de Nobis optime meritus Agnetem Montispolitiani inter Sanctos solemniter retulerunt. Itaque, ut quatuor istæ Filiæ prophetantes Sancti Dominici pari honore cumulentur, illud tantum superest, ut Beatam Catharinam de Ricciis numero Sanctorum adnumeremus. Supervacaneum ducimus hoc loco referre ipsius Familiæ præstantiam, optimam pueritiæ institutionem atque innocentiam, virtutis propositum, quo Cœtui Regulari nomen dedit, & in quo constanter permansit, eximiam charitatem, qua Deum, & proximum semper prosequuta est, singularem prudentiam, qua præfuit cæteris Monialibus longo temporis spatio, profundam humilitatem, incredibilem patientiam in pluribus ferendis incommodis, cumulum cœlestium donorum, quæ in ipsam Deus liberaliter contulit, pretiosam ejus mortem in conspectu Domini, Sanctitatis famam, quæ constans fuit, cum adhuc in terris ageret,

& postquam diem supremum obiit, ac tandem Miracula, quæ ob illius intercessionem obtigerunt. Cum hæc omnia vestris oculis subjecta jam fuerint, illud reliquum est, ut mentem vestram de solemni ipsius Canonizatione decernenda Nobis declaretis.

*Eminentissimi Cardinales, & enunciati Præsules sententiam suam tulerunt; quibus absolutis, hæc Sanctitas Sua subjecit:*

VENERABILES FRATRES.

MAximam sane voluptatem percepimus ex suffragiis vestris, quæ solemnem Beatæ Catharinæ de Ricciis Canonizationem deposcunt. Eandem prorsus lætitiam sensimus in quatuor præcedentibus Consistoriis, in quibus suffragia tulistis de Causis aliorum quatuor Beatorum, de quorum Canonizatione pariter agebatur. Itaque, Deo juvante, diem vigesimum nonum hujus mensis Junii, qui Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Festo celebrando consecratur; illum, inquam, diem constituimus, ut ritu solemni, numero Sanctorum adscribamus quinque Beatos, nempe Fidelem a Sigmaringa, Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, Josephum a Lionissa, ac Catharinam de Ricciis. Interea preces vestras ad Deum convertite, ac vehementer ab ipso exposcite, ut ope sua potentissima cælestique inspiratione Nobis adsit propitius, suumque lumen impertiat, ut hanc rem gravissimam perficiamus ad gloriam Divini Nominis augendam, Catholicam Fidem magis efferendam, & Christianam Religionem propagandam.

*Et sic absolutum fuit Consistorium.*

Homilia Sanctissimi Domini Nostri Benedicti PP. XIV., quæ habita est inter Missarum Solemnia die Natali Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Principalium Romanæ Urbis Patronorum, quo die solemne Decretum Canonizationis quinque Beatorum in Sacrosancta Vaticana Basilica pronunciavit.

COmmunem Cœlo terræque lætitiam ex glorioso BB. Apostolorum Petri & Pauli triumpho, quem pro Christo morientes uno die, eodemque loco reportarunt, ad Nos mane, & ad hanc Urbem, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, pertinere certum est. Quamquam enim ad universam spectet Ecclesiam de gemina Principis Apostolorum, & Doctoris gentium corona lætari, quod sancita eorum sanguine Fides in omnes gentes sese feliciter propagaverit, Roma tamen debet præ cæteris efferri gaudio, & cumulatius exultare, quod quæ antea fuerat errorum magistra, Apostolorum eorumdem opera facta sit discipula veritatis, Civitas Sacerdotalis & Regia, Arx Religionis, & Caput Orbis, cujus imperium Divinæ Fidei gloria latius, quam olim terreno principatu, dilatatum, portæ Inferi metuunt ac contremiscunt.

A vetustissimis usque temporibus Romano Pontifici solemne fuit summa religione, ac singulari celebritate diem hunc agere, in quo duplex Sacrum, alterum in hac Vaticana Basilica, alterum via Ostiensi in Basilica Sancti Pauli, facere consuevit, ut pius Sæculi quarti vates Prudentius testatur. Id quoque temporis complures ex variis partibus Episcopi ad Urbem commigrabant, festum hunc lætissimum diem una cum Romano Pontifice celebraturi, uti ex Paulino, qui sequentis ætatis scriptor extitit, colligimus.

Nos quoque, quos non una causa ad Principis Apostolorum memoriam honore cumulandam adducit, quod nempe in ejus locum & dignitatis amplitudinem, licet immerentes, successimus, sed aliæ quoque rationes urgent ad illius, & Apostoli Pauli cultum promovendum, quos una simul colere, ac venerari consuevit Ecclesia, quod nimirum inter Sacræ hujus Basilicæ Canonicos decem & quatuor annos fuimus, quodque ejusdem Petri honori Metropolitana Bononiensis Ecclesia dedicata sit, quam decennio gubernavimus, & quam adhuc detinemus; Prædecessorum nostrorum vestigiis etiam in hac parte pro viribus insistere cupientes, non solum quotannis in pervigilio hujus Festi solemnibus Vesperis in hac Basilica interesse, & mane Pontificali ritu Missam celebrare consuevimus, sed etiam in perpetuum valitura sanctione decrevimus, ut per totam Octavam singulis diebus in diversis Sacræ hujus Urbis Ecclesiis aliqua eorumdem Apostolorum memoria insignitis solemne Sacrum peragatur, præsente aliquo Prælatorum Apostolicæ Sedis officiis addictorum Collegio; utque pomeridiano tempore alii piorum hominum Cœtus, statis quisque diebus, ad easdem Ecclesias pie religioseque procedant. Ad hæc mandavimus, ut Calendariis, & Divinorum Officiorum Libris iidem duo Beatissimi Apostoli, tamquam primarii augustæ hujus Urbis Patroni, inscribantur: quod quidem Nobis a Sanctissimis Viris Leone Pontifice, Maximo Taurinensi, & Venantio Fortunato, ex veteri disciplina traditum est.

Opportune quoque & merito hunc ipsum diem festum Beatorum Apostolorum Petri & Pauli hodiernæ Sanctorum Canonizationi selegimus: nedum ut saltem semel vitæ nostræ tempore felicissimum hujusmodi diem ingenti populorum concursu, multaque Fratrum Nostrorum Episcoporum frequentia, pristino more celebrari videamus; sed præsertim etiam, quod sententiam illam definitivam, qua quinque Beatos nuper in Sanctorum album retulimus, pronunciavimus, ut audivistis, in honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ad Catholicæ Fidei præsidium, & Christianæ Religionis incrementum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Nostra; & demum, quod in unoquoque eorumdem quinque Beatorum imago quædam, & nonnulla Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli similitudo inesse videtur. Hoc autem non ita dicimus, ut par meritum, aut æqualitatem virtutum horum cum illis inferamus, cum temeritas sit amplitudinem Apostolorum cum aliorum Sanctorum meritis comparare; sed ut ostendamus, hæc nova Sanctitatis lumina ad clarissimas Beatorum Apostolorum Petri & Pauli virtutes accedere pro viribus curavisse, & hac ratione ad Sanctorum gloriam in terris meruisse exaltari, quam jamdudum in Cœlis inter beatissimos Cives fruebantur.

Venit Petrus Antiochia ad hanc Urbem, hic primam Sedem constituit, hic nequissimum debellavit Simonem, hic Jesu Christi Evangelium dissemivavit. Venit huc quoque Paulus post navalem, ut Joannes Chrysostomus ait, pugnam, atque hic in Judæis & Gentibus in Christi Fide erudiendis dies noctesque laboravit. Ambo vitam & sanguinem pro Christi nomine effundere cupientes, ambo Romæ, eodemque die, gloriosam Martyrii coronam adepti sunt: Petrus quidem inverso capite cruci affixus, Paulus gladio capite obtruncatus: ex quorum sanguine, veluti ex semine, tot beatorum Martyrum millia germinarunt, ut exuberante copia virtutis, & fidei, ut Cyprianus inquit, singuli Martyres numerari non possent. In his modo Fidelem de Sigmaringa numeravimus, qui ad prædicandum verbum Dei, & Catholicam Religionem ab hæreticis vindicandam, ab hac Apostolica

Sede

Sede in Rhætiam missus, invicto animo morti occurrens, ab hæreticis interfectus est; & gloriosam sibi martyrii coronam comparavit.

Negavit ter Petrus, ab ancilla, & Judæis interrogatus, Divinum suum Magistrum. Persecutus est Paulus discipulos Christi, quos ad internecionem usque delere statuerat. Ad suam Petrus perfidiam flevit amare: & Paulus Divinæ vocis terrore correptus, humi stratus, factus est vas electionis, & ad Apostolicam dignitatem una cum Barnaba a Spiritu Sancto vocatus est. Quot ad pœnitentiam ex præclaro horum exemplo excitati, ex improbis & impuris facti sunt egregiæ virtutis & sanctitatis lumina? Quot assiduis lacrymis sua deflentes scelera, uberrimos pœnitentiæ fructus fecerunt, quibus immortali deinde gloria in Cœlis gaudere, & apud nos solemni ritu inter Sanctos recenseri meruerunt? His profecto Camillus de Lellis annumerandus est qui, eadem vestigia persequens, non modo juvenilis suæ ætatis errores detestatus est, sed etiam reliquo vitæ tempore, tum animæ, tum corporis proximorum saluti impense addictus, heroicis, quibus Cœlum promeruit, virtutibus maxime inclaruit. O quam bene sese ad Pauli doctrinam confirmavit! qui in prima ad Timotheum se blasphemum, & persecutorem, & contumeliosum, & primum peccatorem vocans: *Fidelis*, inquit, *sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc Mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*: addiditque: *Sed idea misericordiam consequutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam.* Ita plane Camillus misericordiam Dei consequutus, a scelere & flagitiis ad bonam frugem revocatus, inde meritis & virtutibus plenus ad gloriam Sanctorum meruit extolli.

Minime contentus fuit Petrus in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam Jesu Christi Fidem intulisse, sed, ne quis in ea hæsitaret, aut ne quid ab ea alienum in Ecclesiam induceretur, epistolas binas canonicas scripsit, in quibus Sanctissimæ Leges ad reprimendos vitiorum impetus, ad resistendum nequitiæ diaboli, & ad æternæ vitæ hæreditatem assequendam opportune traduntur. Hoc ipsum amplissime fecit Paulus decem & quatuor epistolis canonicis conscriptis, quarum sapientiam, & cœlestis doctrinæ copiam quis satis posset oratione complecti? Quænam eloquentia pro dignitate explicaret epistolam ad Romanos, sive binas ad Corinthios, sive ad Hæbræos alteram, in quibus de fide, de bonis operibus, de virtutibus theologicis, de vitiis atque erroribus extirpandis, divina plane sapientia, & admirabili zelo fideles docet, cohortatur, inflammat? Atque hinc Episcoporum ad populos sibi commissos pastoralium epistolarum dimanavit consuetudo, per quas illi zizania in medio tritici exorta eradicare conantur, &, si qui mali usus, aut depravati mores irrepserint, corrigere, ac reformare studeant. Hæc exempla quoque piis quibusdam in Ecclesia hominibus ansam dederunt, identidem religiosorum virorum Cœtus, hujus Sanctæ Sedis auctoritate intercedente, reformandi, qui paulatim neglecta evangelicorum consiliorum observantia, a pristinæ virtutis gradu defecerant. Iter hujusmodi summa cum laude confecit Petrus Regalatus a Nobis nuper numero Sanctorum adscriptus; qui tot annos ingenti labore, incredibili austeritate vitæ, miraque humilitate, ac singulari prudentia, Ordini suo Franciscano, qui quibusdam in locis a veteri splendore desciverat, reformando totus incubuit; & assiduo heroicarum virtutum studio eam assecutus est Sanctitatis laudem, quæ & Seraphico Ordini esset exemplum, nec minus universæ Ecclesiæ ornamentum.

Hierosolymis Petrus una cum Joanne in vincula conjectus est, & ab Angelo bis solutus a vinculis, quibus hominum improbissimorum perfidia illum obstrinxerat. Quod vero loquar vincula, flagella, lapides, naufragia, immissiones bestiarum, atque alia plurima, quæ passus est Paulus, quæque ipse ad Corinthios scribens enumerat; quamquam, ut Joannes Chrysostomus advertit, plura fuerint ab eo prætermissa, quam numerata? Adeo ut, etiamsi ei gladio mortem oppetere non contigisset, tot nihilominus acerba passus, quæ illi vitam omnino eripere debuissent, nisi superstes divinitus extitisset, profecto inter Martyres computaretur. Hinc porro geminæ Cœlo januæ patefactæ sunt: altera iis, qui effuso sanguine pro Christo cæsi sunt, & inter Martyres recensentur; altera vero iis, qui suppliciis, quæ pro fide fortiter passi sunt, superstites, jam olim Martyres vocabantur, nunc autem illustri Confessorum titulo decorantur. Hac altera via incessit Josephus a Leonissa, quem modo in Sanctorum Confessorum album retulimus. Hic per plures dies supplicium immane & exquisitum pro Christi nomine a barbaris invicto animo toleravit, atque inter cruciatus acerbissimos Evangelium prædicare non destitit. Quibus expeditus, nihil habuit antiquius, quam animas Christo evangelica prædicatione lucrari, suamque, excelsarum omnium virtutum, quas heroicas dicimus, sublimitate, sanctiorem in dies facere usque ad mortem, quam coram Deo pretiosam in pace obtinuit.

Commendavit Paulus in prima ad Corinthios virginitatis dignitatem, in cujus laude posuit multa, quæ ab eo statu derivantur, emolumenta. Nullum tamen de virginitate præceptum a Domino sese accepisse affirmavit, sed de illa tantummodo consilium se dare: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Hæc autem Paulum Coapostolum, secundum datam sibi sapientiam, litteris tradidisse, Petrus in epistola secunda contestatur. Consilium quoque Pauli fuit, præter continentiam, orationem, jejunia, paupertatem, & obedientiam, colere: quibus in rebus potissimum sita est vitæ monasticæ ratio, a primis usque Ecclesiæ sæculis tam in viris, quam in fœminis feliciter propagata. Recentiori vero memoria ad monasticam alia insuper accessit religiosorum hominum vita, eorum præsertim Ordinum, qui Mendicantes nuncupantur, in quibus non minus doctrina, quam sanctitate, complures ex utroque sexu Ecclesiam mire illustrarunt. Tres jam inclytæ fœminæ, Catharina Senensis, Rosa de Lima, & Agnes de Monte Politiano ex Ordine B. Dominici solemni ritu Sanctarum Virginum numero adscriptæ sunt: ad quas & Nos Catharinam de Ricciis modo aggregavimus, claustrali vita tam illustrem, tam humilem, tam pœnitentiæ addictam, & a Deo maxime locupletatam iis cœlestibus donis, quibus ipse animas sibi acceptas in terris quoque cumulare consuevit.

Tandem Apostolorum Acta pleni sunt novis, & inusitatis miraculis, quæ Deus ad manifestandam gentibus Beatorum Apostolorum PETRI & PAULI tum doctrinam, tum sanctitatem, operari sibi complacuit. Enimvero nolumus illa conferre cum iis, quæ Dominus agere dignatus est ad intercessionem, & preces quinque Beatorum, quos modo solemniter inter Cœlites recensuimus. Non ignoramus, varia esse miraculorum genera, varios gradus. Verum si hæc ad illa minus æquiparari valent, nihilominus hæc quoque ita naturæ vires excedunt, ut dubitari nullo modo possit, quin sint sanctitatis eorum, ad quorum merita facta sunt, luculentum expressumque Dei testimonium.

Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, satis appareret, quam apte in hoc ipso Sanctorum Apostolorum PETRI & PAULI lætissimo die hodiernæ Canonizationis solemnia celebrenrur. Nunc autem, quoniam prope Aram consistimus, sub qua eorumdem Beatorum Apostolorum cineres & ossa jacent, quid aliud restat, nisi ut ad vos glorioſi Apostolorum Principes, orationem nostram & preces humiliter convertamus? Tu quidem, Beatissime Petre, Venerabilem hunc Clerum de Cœlo respice, qui abs te originem ducit, quique nomini tuo devotus te perpetuo colit: respice & Nos, qui in hanc principem omnium Cathedram a te institutam, & quæ Ecclesiarum omnium unitatis est centrum, impares licet meritis successimus. Tu vero, Beatissime Doctor Gentium Paule, populum hunc, quem te præ cæteris diligere, tuoque cordi inhærere, litteris tuis significabas, peramanter respice. Ad vos enim, Parentes optimi, & amantissimi Urbis hujus Patroni, in tanta hujus diei celebritate, fiducia pleni confugimus, ut, vestris intervenientibus meritis, a Deo impetremus Catholicæ Fidei propagationem, Romanæ Ecclesiæ, quæ sanguinis vestri pretio fundata est, exaltationem, & sartam tectam Apostolicæ hujus Sedis dignitatem, cujus vindices & propugnatores vos semper extitistis. Ad vos deinde convertimur, Fidelis, Camille, Petre, Joseph, & Catharina, quos modo nostros apud Deum intercessores fore solemni ritu declaravimus, quosque fidelibus populis tanquam præclara virtutum exempla proposuimus: Vos quoque humili corde obtestamur, ut Christianam Religionem, ut Fidem, ut denique Apostolicam Sedem apud Deum orationibus vestris tegere ac tueri dignemini; Nobis præsertim in ærumnis, quibus in diem conflictamur, & quibus Petri navicula jactatur, opem auxiliumque divinum implorantes. Spe magna nitimur, Deum, Vobis intercedentibus, Nos in medio mari periclitantes non relicturum. Habemus enim perpetuo ante oculos Petrum in mediis fluctibus, super aquas maris a Domino ambulare jussum, & naufragio perire metuentem: Quem Augustinus advertens, *In unda*, inquit, *exclamet titubans Petrus, & dicat: Domine, salva me. Porrigit enim Dominus manum; & quamvis increpet dicens: Modicæ fidei, fidei, ut quid dubitasti? tamen a fluctibus rapit, & confitentem infirmitatem suam, atque illius auxilium postulantem, perire non sinit.* Demum Glorioſi Principes Apostolorum, Beatique nuper in Sanctorum Catalogum relati, lenite iram Dei in furore suo terras arguentis: exorate omnipotentem Principem pacis, in cujus manibus sunt corda Regum, & sub quo curvantur, qui portant Orbem, ut Christianos Principes, diuturnis nimium dissidiis inter se decertantes, in pristinæ charitatis compagem restituat.

---

XVI. Definitio, ac determinatio Causarum inter Regimen Bononiæ, & Communitates Medicinæ, Ganzanighi, Villæfontanæ &c.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. SOLLICITUDINEM providi Principis cum in id præcipue deceat animadvertere, ut Provinciarum suarum rectè institutа divisio inviolabiliter observetur, & quælibet inferiores Civitates, Oppida, Castra, & Villæ, in iis potissimè, quæ spectant ad publicum cujuslibet Provinciæ regimen, & universalem administrationem, majoris Civitatis, cui subsunt, ejusque legitimorum Præsidum jurisdictionibus, & sanctionibus obediant, ac unusquisque, cæterorum instar communia onera ferat, ne propter odiosas quorumdam immunitates, & exemptiones, id, quod aliquibus indebitè remittitur, in magnum aliorum damnum refundatur; Ex debito proinde supremæ potestatis nostræ, quoties, turbato rerum ordine, alicujus Provinciæ unitatem scindi, & universitates, privatasque personas subjectionem excutere, atque ab oneribus se se subtrahere conspicimus, & exinde lites, & discordias præsertim ab antiquo tempore exortas adhuc vigere, toties ad eas radicitus præcidendas, & extirpandas, ac tribuendum tandem unicuique jus suum, animum nostrum opportunè intendere non recusamus.

Relatio litis jam dudum introducta in eo, an Communitas Castri Medicinæ &c. teneatur ad solutionem Datii magni.

Sicut itaque accepimus, & aliunde quoque præcedenter ignotum Nobis non erat, inter Communitates Castri Medicinæ, annexarumque Terrarum Villæfontanæ, & Ganzanighi ex una, & Administratores Datii magni, seu Gabellæ grossæ Civitatis Bononiæ ex altera parte, lis gravissima antiquitùs exorta fuit super eo, an Communitates præfatæ ad hujusmodi Datii solutionem tenerentur, necne; Quamvis autem (antiquioribus aliis Decretis consultò prætermissis) Auditor Generalis Legationis Anno millesimo quingentesimo nonagesimo; & subinde Auditor Vice-Legati Anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio unanimi sensu quoad possessorium indulsissent Medicinensibus beneficium manutentionis in quasi possessione prætensarum exemptionum, & immunitatum, quoad petitorium tamen subinde pronunciatum fuit favore Administratorum Gabellæ; Eadem verò causa in gradu appellationis Auditorio Rotæ commissa, & coram bo. mem. Magistro Buratto tunc uno ex ipsius Rotæ Auditoribus proposita, post editum rescriptum, ut videretur de bono jure etiam ad effectum manutentionis, resolutum fuit Anno millesimo sexcentesimo decimo septimo, non esse dandum Mandatum de manutenendo Administratoribus Gabellæ grossæ; & Anno deinde millesimo sexcentesimo decimo nono non esse locum descriptioni Mercium, juxta Decisiones ducentesimam octuagesimam quintam, & tercentesimam nonagesimam octavam inter impressas coram eodem Buratto. Cumque posteà lis continuata fuisset sub examine petitorii, & pro parte Medicinensium deduceretur, quod licet per felicis recordationis Bonifacium Papam IX. Prædecessorem Nostrum Terra Medicinæ, annexæque Villæ fuissent Bononiensi Provinciæ unitæ, & incorporatæ, attamen per bonæ memoriæ Balthaxarem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Cossam nuncupatum, dum Legati munere fungebatur, ab eadem Provincia fuerant dismembratæ, proinde coram eodem Buratto, & successivè coram similis memoriæ Magistro Ubaldo tunc dicti Tribunalis itidem Auditore, disceptato peculiari dubio super subsistentia recensitæ dismembrationis, resolutum fuit constare de dismembratione juxtà alias Decisiones pariter impressas, octingentesimam vigesimam octavam coram Buratto, atque alias geminas coram Ubaldo, inter recentiores decisionem septuagesimam, & decisionem centesimam septuagesimam primam parte quinta tomo primo, adversus quas decisiones cum Administratores præfati deduxissent posteriores Apostolicas Literas piæ recordationis Martini Papæ V. etiam Prædecessoris Nostri, per quas præfata dismembratione tanquam illegitima de medio sublata, memoratas Communitates, & Loca Bononiensi

& Loca Bononienſi Provinciæ reuniverat, & incorporaverat, adhuc tamen ſub ſpeciali dubio reſponſum fuit, reunionem Martini V. non ſuffragari, prout ex deciſione quadringenteſima nonageſima ſexta parte quinta tomo ſecundo recentiorum.

Nova litis inſtauratio etiam ſuper aliis incidentibus.

Quia verò quæſtiones de unione, vel diſmembratione præfatorum locorum, utpotè percutientes juriſdictionalia Civitatis Bononiæ, non ad peculiares Adminiſtratores Gabellæ groſſæ per felicis recordationis Eugenium Papam IV. uſque ab Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo Archigymnaſio Bononienſi applicatæ, ſed præſertim, & directè pertinebant ad Regimen Civitatis Bononiæ in illa cauſa neutiquam citatum, cujus proinde jura infirmè, & non ſatis, aut plenè deducta, haud poterant ſic per indirectum lædi, aut vulnerari, hinc idem Regimen è re ſua putavit, novum contra memoratas Communitates inſtruere Judicium, prout inſtruxit coram Congregatione Confinium. Verùm deinde a recolendæ memoriæ Urbano Papa VIII. Prædeceſſore quoque Noſtro commiſſa hujuſmodi nova cauſa tunc exiſtenti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Camerario, qui procederet cum Voto Cameræ, hæc poſtquam Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo demandavit, ut, pendente lite, Medicinenſes ſummas pro oneribus ſolvi ſolitas deponerent juxta mentem Tribunalis, prout de facto in aliquibus quantitatibus fuerunt depoſitæ, plures reſolutiones edidit inter ſe varias; prius etenim reſcripſit Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Communitates præfatas non eſſe de diſtrictu, neque de Comitatu in caſu, & ad effectum, de quo agebatur; Inde verò cum pro Gabella Vini, quæ Cameralis eſt, Conductor Cameræ Apoſtolicæ Anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo primo Medicinenſes adſtringeret ad ſolutionem, ipſi verò prætenderent manutenendos eſſe immunes per Bononiæ Regimen ab hoc non minus, quàm a cæteris oneribus Cameralibus, memoratum Cameræ Tribunal prætenſioni hujus primo loco adhæſit, at ſubinde Anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſecundo recedendo à deciſis, declaravit Regimen non teneri: ſucceſſive autem Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo ſub novo examine poſitis reſolutionibus Annorum milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi noni, & milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi ſecundi perſtitum fuit in deciſis Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono quoad onera Communitativa tantum, & in deciſis Anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſecundo quoad onera Cameralia tantum, ita ut Regimen non teneretur manutenere Medicinenſes exemptos juxtà conventiones Anni milleſimi quadringenteſimi undecimi, indultoque poſt hujuſmodi reſcriptum utrique parti beneficio novæ Audientiæ, cauſaque repropoſita die decimaquinta Junii Anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi noni, ſuffragia æqualiter ſciſſa fuerunt, nullaque capta reſolutione negotium principale remanſit ab inde inpoſterum indeciſum, etiamſi poſterioribus, atque etiam intermediis temporibus, ſubalternæ quædam quæſtiones coram pluribus Judicibus, & ſignanter Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto coram bonæ memoriæ Cardinali Bonacurſio Legato, & Anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſexto coram Magiſtro Coſtaguto tunc Cameræ Apoſtolicæ Clerico excitatæ fuerint, vel ſuper aſſertis attentatis, & innovationibus pendente lite ſequutis, aliiſque incidentibus, & emergentibus, juxta varietatem caſuum variis quoque Decretis reſolutæ.

Recurritur ad Pontif.

Recurſu autem ad Nos habito ex parte Bononienſis Regiminis per ſupplicationes humiliter expoſitas prius ab olim Marchione Paride Maria de Graſſis, & poſtea a dilecto filio Fulvio Comite de Bentivolis Civitatis Bononiæ Senatoribus, & Oratoribus apud Sanctam Sedem, relatiſque præjudiciis graviſſimis, quæ cæteris Bononienſis Provinciæ Communibus, Ærarioque Civitatis notiſſimis de cauſis admodum exhauſto, irrogata fuerant, & adhuc irrogabantur, ex quo Medicinenſes, eorumque Conſortes, per tempus ultra centenarium, ſub motivo litis pendentis, onera communitativa, & cameralia ſubire omnino recuſabant, immo introductis, vel adauctis quampluribus mercimoniis, nulla perſolvebant datia, vetitaſque fraudes paſſim committebant; implorata fuit benignitas noſtra, ut per opportunum, expeditumque remedium veteri huic graviſſimo malo finis aliquando imponeretur, ne reaſſumpto judiciali tramite litis jam per ſeculum & ultra indeciſæ, renovatiſque utrinque diſpendiis, diu nimis contentionis terminus expectaretur; Materia verò, & petitio præfati Regiminis ſuprema providentia noſtra dignæ cum apparuerint, cauſam, & cauſas a quibuſvis Judicibus, & Tribunalibus ad Nos revocavimus, utque omnia ritè, rectèque procederent, dilecto filio Magiſtro Clementi Argenvillers Prælato Domeſtico, & Auditori Noſtro ſpecialiter mandavimus, ut ſuſceptis hinc, & inde ſcriptis informationibus facti, & juris per utramque partem præſentandis, illiſque invicem communicatis, receptiſque ſimiliter reſponſionibus, & replicationibus, ac defenſoribus collitigantium, quantum oportuiſſet, oretenus etiam auditis, omnia Nobis diſtincto ordine referret.

Qui cauſam ad ſe avocat.

Qua poteſtate facta, Pars utraque copioſiſſimas informationes impreſſas porrexit cum ſummariis tum recentiorum, tum veterum documentorum, præſertim verò eorum, quæ in libro quodam Privilegiorum, atque exemptionum Medicinæ Typis Bononiæ dato Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo octavo continentur. Illiſque omnibus ſedulò examinatis, cum præfatus Magiſter Clemens Auditor Noſter ad meliorem rei elucidationem, difficultates, quas mente conceperat, Partibus in ſcriptis pandidiſſet, & Nos etiam, ne quid remaneret occultum, in Apoſtolicis ſecretioribus Tabulariis monumenta omnia etiam antiquiſſima ad rem facientia inquiri, atque inde extrahi feciſſemus, hinc diffuſiſſimæ reſponſiones, & replicationes utrinque ſupervenerunt, & ita non ſolum, quæ antiquitus coram variis Judicibus Bononienſibus, quæ pariter in Auditorio Rotæ coram Buratto, & Ubaldo prædictis, quæque rurſus in tribunali Cameræ, ipſa Camera interdum comparente, & jura Medicinenſium coadjuvante, & coram aliis quoque Judicibus, ſed quamplura inſuper de novo inventa documenta deducta, & matura reſpective ponderatione ventilata fuerunt, ac per diutinam fere biennalem colluctationem diſcuſſa.

Illam cognoſcat.

Factaque demum ab ipſo Magiſtro Clemente Auditore Noſtro rerum omnium pleniſſima relatione, atque a Nobis ipſis inter tot graviſſimas Principatus Noſtri curas, ad Lancem Juſtitiæ, & æquitatis, momentis omnibus rationum ab unaquaque parte expoſitarum perluſtratis, atque libratis, cum ſanè cognoverimus, negotium in duo potiſſima capita dividi; Unum ſcilicet, utrum Terræ, & Communitates Medicinæ, Villæfontanæ, & Ganzanighi fuerint, & ſint de diſtrictu, & Comitatu Bononiæ, ſeu potius diſtinctum, & particulare Territorium conſtituant: Alterum verò, utrum poſito, quod ſint de Comitatu, & diſtrictu, reputari, tractari, & gubernari debeant ad inſtar cæterorum locorum, & Communitatum Comitatus Bononiæ, tàm in ordine ad juriſdictionalia, quàm

Et quæſtionum capita ad duo reſtringenda.

respectu onerum tàm Cameralium, quàm communitativorum, seu potius legitimè gaudere possint aliquo speciali privilegio, & exemptione: Divino semper implorato præsidio, Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, utrumque controversiæ caput, in hunc, qui sequitur, modum, & formam, suprema auctoritate Nostra decidimus, & terminamus; Sicque perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari volumus, & mandamus videlicet.

Decidit ut infrà.

I. Oppidum Medicinæ, & annexas Terras esse de Comitatu Bononiensi.

In primis debito ordine a priori capite exordientes, cum recognoverimus, enunciatas Terras Medicinæ, Villæfontanæ, & Ganzanighi usque ab Anno millesimo tercentesimo nonagesimo secundo per Bonifacium IX. Prædecessorem prædictum, Comitatui Bononiensi fuisse unitas, adnexas, & incorporatas, & quamvis memoratus Balthaxar Cardinalis Anno millesimo quadringentesimo tertio illas ab eodem Comitatu dismembrasset, attamen dictum Martinum V. Prædecessorem successivè, Anno scilicet millesimo quadringentesimo decimo nono, dismembrationem antedictam, etiam tanquam nullam, & illegitimam revocasse, easdemque Terras de novo Comitatui Bononiensi incorporasse pariter, & univisse, ita ut deinceps de Comitatu hujusmodi esse intelligerentur, ac ab omnibus censeri deberent, & appellari, illasque Civitatis dominio, potestati, jurisdictioni, & arbitrio subjecisse, & suppositisse; Cumque itidem Nobis plenè constiterit de subsequuta, & quidem in omni genere amplissima dictæ Martinianæ reunionis observantia, nam felicis recordationis Sixtus Papa IV. similiter Prædecessor Noster, dum Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto de consilio trium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium quæstionem confinium inter Bononienses, & Imolenses definivit, non modo tales designavit confines, per quos reipsa memoratæ Terræ intra ambitum Territorii Bononiensis necessariò includebantur, sed expressè quoque declaravit, Medicinæ Castrum Bononiensibus esse subjectum. Item ejusdem recordationis Noster pariter Prædecessor Julius Papa II. Anno millesimo quingentesimo septimo in geminis ejus literis in forma Brevis ad supplicationem Medicinensium indultis, & expeditis, eos de districtu, & Comitatu Bononiensi reputavit, & palam enunciavit, prout similiter similis recordationis Paulus Papa III. Noster itidem Prædecessor Anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo confirmando augumentum Salarii Prætoris Medicinæ a Bononiensi Senatu statutum, Medicinæ oppidum tanquam sub districtu, & dominio Civitatis Bononiæ existens, enunciare non dubitavit.

Quibus Pontificiis actibus cum adstipulare comperti fuerint per duo ferè sæcula ab unione Martiniana, usque ad tempus litis motæ per Regimen, alii publici, privatique Actus penè innumeri, comprehensionem Medicinensium sub districtu, & Comitatu Bononiæ unisonis semper expressionibus præseferentes; Legati enim, & Vice-Legati, Auditores, aliique Judices Bononiæ in ipsismet sententiis super prætensis privilegiis, & exemptionibus Medicinensium latis, qualitatem districtualem, seù Comitatensem ad Medicinensium petitionem perpetuò enunciarunt; Medicinenses ipsi, eorumque uniti, in resolutionibus consiliaribus, publicis Instrumentis, actibusque Judicialibus se se tanquam de Comitatu, & districtu Bononiensi asserere, exprimere, palamque evulgare non destiterunt, & ita quoque servarunt usque ad præfata tempora litis motæ Magistratus Bononienses in eorum provisionibus, & ordinationibus; qui præterea non modo per Prætores à Regimine extractos, prout extrahuntur usque ad præsens; eadem Terras gubernabant, verùm insuper Capitaneos deputabant, Consiliarios eligebant, bonorum communalium divisionibus præsidebant, datia exigi faciebant, licentias pro contrahendis nomine Communitatis debitis impartiebantur, cæterosque Jurisdictionis Actus super prædictis, non secus, ac super cæteris subjectis Communitatibus exercebant.

His itaque omnibus, ac plerisque aliis probè consideratis, ac præsertim unione Bonifaciana, & reunione Martiniana, tot subsecutis Pontificiis Actibus, ac diuturna, amplissimaque ferè bis centenaria observantia communitis, & comprobatis, quorum omnium, & singulorum tenores hic pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, aliisque justis de causis nobis notis, animumque nostrum, etiam independenter à præmissis, rationabiliter moventibus; Supremo judicio, & potestate nostra decernimus, decidimus, ac declaramus, & ex certa scientia, animique nostri matura deliberatione præcipimus, & mandamus, oppidum Medicinæ, annexasque Terras Villæfontanæ, & Ganzanighi, earumque Territoria, & Communitates, & particulares Personas de districtu, & Comitatu Bononiensi fuisse, & esse, ac in posterùm censendas, & reputandas fore, & instar aliarum Communitatum Gubernio, & Civitati Bononiæ sine ulla controversia subjectarum, Exceptiones verò pro parte dictarum Communitatum late allegatas tam adversus unionem Bonifacianam ex capite assertarum revocationum, sive scilicet per posteriorem ejusdem Bonifacii Prædecessoris Bullam editam die vigesima prima Decembris Anni millesimi quadringentesimi secundi, sivè per dismembrationem factam Anno millesimo quadringentesimo tertio per antedictum Balthaxarem Cardinalem, sive demum per Acta sessionis ultimæ Constantiensis Concilii, quàm etiam adversus Martinianam reunionem, ex prætensis subreptionis, & obreptionis Capitibus, prout quoque ex vigesimo primo subobscuro, incohærente, ac prorsus inefficaci inter quædam dicti Eugenii IV. Prædecessoris Capitula, tamquam insubsistentes, inanes, & inrelevantes, ac nullius roboris declaramus, atque rejicimus; Ac pro potiori cautela, dismembrationem præfatam jam à suprædicto Prædecessore Martino V. revocatam, ac de medio sublatam, præfatumque itidem Capitulum vigesimum primum, nec non præfatas, & alias quascumque Sententias, Decreta, & Provisiones Legatorum, Vice-Legatorum, & aliorum quorumvis Judicum, ac Tribunalium, etiam Rotæ, & Cameræ Apostolicæ, & alia quævis in contrarium quomodolibet facientia, motu, scientia, & potestatis plenitudine prædictis revocamus, & abolemus, ac respectivè irritamus, & annullamus, recensitasque Bonifacianam, & Martinianam unionem, atque reunionem, contrariis quibuscumque non obstantibus, iisdem motu, scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium approbamus, confirmamus, & de novo concedimus, atque innovamus, illisque novæ, ac perpetuæ firmitatis robur adjicimus.

II. Communitates dicti Oppidi, & Terrarum unitarum gubernari debent à Legato Sanctæ Sedis, & Regimine Bononiensi.

Hinc autem ad definitionem secundi ex duobus propositis controversiarum capitibus cohærenter ad præmissa procedentes, easdem profectò Communitates in posterum, & in perpetuum per Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatos, ac Bononiæ Regimen, ejusque Magistratus juxta pervulgata capitula felicis recordationis Nicolai Papæ V., Gregorii Papæ XIII., & Gregorii Papæ XV. Prædecessorum Nostrorum, ac eo prorsus modo, & forma, quo cæteræ omnes indubitanter subjectæ Communitates tractantur,

& gubernantur, in omnibus tractari, ac gubernari præcipimus, & mandamus: Id tantùm quoad jurisdictionalia ex conventionibus usque ab Anno millesimo quadringentesimo undecimo inter Medicinenses, & Regimen tunc populare Civitatis Bononiæ initis, utpotè per Gregorium Papam XIII. Prædecessorem præfatum confirmatis, declaramus, & respectivè præservantes, ut scilicet Prætor à Civitate ad eorumdem locorum gubernium de more mittendus, illorumque Incolis, & Habitatoribus in Civilibus, & Criminalibus jus dicturus, attendere, & observare debeat municipalia præfatarum Terrarum Statuta legitimè condita ante memoratam conventionem Anni millesimi quadringentesimi undecimi, quatenus adsint, & præsentibus nostris literis non adversentur; quatenus verò non existant, sicut etiam in iis, in quibus fortè non disponunt, procedat juxta Statuta Superioris Civitatis Bononiæ, ubi hæc de controversis materiis dispositum fuerint, sin minus secundum juris dispositionem.

Statuit illas teneri ad solutionem onerum Cameralium.

Quod verò attinet ad onera realia, personalia, & mixta, pro eo sanè, quod ad onera Cameralia spectat, ea videlicèt, quæ à Romanis Pontificibus Ecclesiasticæ ditionis subditis imposita sunt, quæque juxtà Constitutiones Apostolicas, & commune Doctorum placitum, sub Cameralium nomine veniunt, sivè hæc directè per Cameram Apostolicam, ejusque Ministros, & Affictuarios, seu potius ab ipso Regimine, & Camera Bononiæ, ejusque Datiariis, & juribus, & in repræsentantia præfatæ Apostolicæ Cameræ exigantur: Ad hæc equidem onera, ad instar cæterarum huic Apostolicæ Sedi subjectarum Communitatum, Medicinenses quoque, eorumque unitos, ac Consortes, non minus pro præterito, quàm pro præsenti, & futuro tempore omninò teneri, ac obligatos fuisse, & esse decidimus, definimus, atque mandamus: Bononienses verò ad illorum relevationem, seù reintegrationem, vel ad solvendum Cameralia onera pro ipsis Medicinensibus, & unitis, neque ex conventionibus Anni millesimi quadringentesimi undecimi, illarumque spiritu, seù interpretatione, nec alio quovis titulo, aut ratione adstringi potuisse, vel in futurum posse declaramus. Id ipsum verò, quod de Cameralibus oneribus definimus, atque præscribimus, ad onera quoque illa communitativa, Gabellas, & Datia, quæ ad Cameralium onerum solutionem applicata fuerunt, prout etiam ad alia communitativa, quæ vigebant ante conventiones Anni millesimi quadringentesimi undecimi, tamquam taxativè loquentes de exemptione ab oneribus ex tunc in futurum imponendis, extendimus, & ampliamus.

Quo verò ad alia onera decernit, ut in corpore.

Quo verò ad cætera onera communitativa, Gabellas, & Datia, quæ post præfatas conventiones per Civitatem, & Regimen Bononiæ legitimè fuerunt imposita pro publicis, & communibus ejusdem Civitatis, & Comitatus indigentiis, & quibus respectivè cætera subjecta Civitati communia generaliter tenentur, pro illis quidem exemptionem, & immunitatem indultam, seù concordatam in præfatis conventionibus Anni millesimi quadringentesimi undecimi, attenta illarum confirmatione per dictum Prædecessorem Gregorium XIII. concessa Medicinensibus, eorumque consortibus suffragari decidimus, usque tamen ad diem quintam Novembris Anni millesimi sexcentesimi nonagesimi primi, & non ultra; ab eo vero tempore cum evulgata fuerit amplior, saluberrima Constitutio piæ memoriæ Innocentii Papæ XII. Prædecessoris nostri revocatoria quarumvis exemptionum quomodocumque obtentarum, & indultarum, tam ab oneribus Cameralibus, quàm etiam à Communitativis, etiamsi exemptiones hujusmodi fuissent Apostolica quoque auctoritate semel, aut pluries confirmatæ, approbatæ, revalidatæ, & innovatæ, vel per Judicum auctoritatem canonizatæ, quam deindè Constitutionem felicis recordationis Clemens Papa XII. pariter Prædecessor noster per alteram editam idibus Januarii Anni millesimi septingentesimi trigesimi secundi confirmavit, & renovavit, à præfato proinde tempore editæ Constitutionis Innocentii XII., declaramus exemptiones omnes ab oneribus Communitativis, Datiis, & Gabellis hujusmodi, contentas in conventionibus Anni millesimi quadringentesimi undecimi, unà cum earum quibusvis etiam Apostolicis confirmationibus, & judicialibus, vel extrajudicialibus approbationibus, & canonizationibus, omnino cessasse, & penitus abrogata remansisse, neque ad evitandam earumdem Constitutionum censuram, ullum cujuscumque allegatæ onerositatis titulum Medicinensibus, eorumque Consortibus suffragari posse, & sic à tempore, ut supra, etiam ad onera prædicta Communitativa, Gabellas, & Datia tam præcedenter, quam subinde imposita, ac in futurum forsan imponenda, ad instar cæterarum oneribus hujusmodi subjectarum Communitatum persolvenda obligatos fuisse, & esse decidimus, definimus, atque præcipimus.

Et quid respectu onerum præteritorum.

Ne autem ex antiqua, & pervetusta lite, quam hac nostra perpetuò valitura definitione, Deo dante, qui pacis auctor est, & amator, terminamus, & extinguimus, alia nova lis exoriatur, & subcrescat super præteritorum onerum liquidatione à tempore, quo illa deberi mox supra statuimus, præmemoratas Communitates Medicinæ, Villæfontanæ, & Ganzanighi ad eorum dumtaxat onerum sivè Cameralium, sivè Communitativorum, Datiorum, & Gabellarum solutionem cogi pro nunc, & compelli volumus, quorum dies cessit à Kalendis Januarii nuper incepti Anni à Nativitate Domini millesimi septingentesimi quadragesimi sexti, & respectivè cesserit in posterum: Quo verò ad præterita onera, Datia, & Gabellas lite pendente maturata, & non soluta, supersederi mandamus in eorum exactione, donec fuerit vera eorum quantitas coram nobis discussa, & liquidata, quam propterea discussionem, & liquidationem nobis, & supremo judicio Nostro similiter reservamus.

Cum verò præter quæstiones coram Nobis primario propositas, & ut supra definitas, peculiariter pro parte Bononiensis Regiminis, atque Administratorum Datii magni, quod vulgò *Gabella Grossa* nuncupatur, à Nobis postularetur, ut Medicinensibus, eorumque Unitis, Opificia diversarum specierum tam introducta, quàm fortè imposterum introducenda, omninò prohiberentur; propter damnum indè resultans tum respectu datiorum, quæ ab illis ratione pendentiæ litis denegabantur, tum quoad merces exteras, quæ contra Edictorum, Bannimentorum, aliarumque Provincialium Ordinationum leges, fraudulenter, & prætensæ immunitatis obtentu, introduci, & retineri dicebantur, tùm denique propter earumdem mercium extractionem, & disseminationem, quæ simili arrogata exemptione, per lòca Bononiensis Provinciæ, cum publico, privatoque damno fieri asserebantur; Nos in hoc quoque supremum judicium Nostrum proferentes, opificia cujusvis generis Terris, aut Territoriis Medicinæ, Villæfontanæ, & Ganzanighi, earumque Incolis, & Habitatoribus, sivè jam introducta, sivè imposterum introducenda, tamquam ad publicam utilitatem, & universale commodum tendentia, nullatenus interdicimus. Quia tamen propter hoc nullum ipsi Civitati damnum, seù præjudicium in juribus suis irrogari

Præservat in dicto Oppido, & Terris ea opificia, quæ soli Civitati non sunt attributa.

posse intendimus: Idcirco à supradicta permissione excipimus, & pro exceptis, & non comprehensis haberi volumus omnia, & singula Opificia, omnesque, & singulas Artes, quæ ex concessione Apostolica soli Civitati hactenus indulta fuerunt, aut imposterum attribuentur, atque adeò in ipsa Civitate dumtaxat exerceri possunt, vel poterunt, privativè, & exclusivè ad reliqua loca Comitatus Bononiæ. Ne autem in iis quoque, quæ, ut supra permissa sunt, fraus ulla committatur quoad Onera, Datia, & Gabellas, quibus præfatas Terras obnoxias esse declaravimus; Magistratibus Civitatis, ac dictorum Onerum, Datiorum, & Gabellarum Administratoribus, ad quos spectat, & prout spectat, præcipimus, & mandamus, ut eorumdem Datiorum, Gabellarum, & onerum exactioni sedulò incumbant, dictasque Terras, & earum Homines ad illorum solutionem omninò adstringant, cum eadem prorsùs potestate, qua reliquos Comitatus, Terras, & Homines, eisdem Oneribus, Datis, & Gabellis obnoxios, cogunt, & adstringunt: Nec non pro fraudibus evitandis, aut detegendis, in Terris, vel Territoriis præfatarum Communitatum, & ubi magis opportunum reputaverint, Officiales, & Inspectores cum opportunis facultatibus ad sui libitum deputent, atque retineant.

Perpetuum silentium utrique Parti imposuit.

Utrique demum Parti super præmissis omnibus perpetuum silentium imponimus, atque os occludimus, utque præsentes literæ plenarium semper effectum, & executionem obtineant, palam edicimus, & declaramus, quidquid à Nobis in eisdem literis sancitum, & definitum fuit, non solum pro recta Justitiæ administratione, & ea, qua fungimur supremi Judicis auctoritate decisum à Nobis, ac definitum fuisse, sed etiam pro Communi Bononiensis Provinciæ utilitate, aliisque de Causis superius memoratis, motu proprio, ac plenissima, quæ Nobis divinitùs concessa est, supremi Principis potestate à Nobis statutum, decretum, atque sancitum esse.

Clausulæ.

Decernentes præsentes literas, etiam ex eo, quod prædictæ Partes, & alii quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes, illis non consenserint, vel etiam, quantum forsan optassent, auditi non fuerint, aliaque quavis de causa quantumvis juridica, & legitima, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut ex quocumque capite à jure, vel facto, aut Statuto, seù consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seù intentionis nostræ, aut alio quòcumque defectu notari, impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aliudve facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, & impetrato, quempiam uti, seu se juvare in Judicio, vel extra posse; sed easdem præsentes, omniaque, & singula in eis constituta, decreta, & definita, semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, eisque omninò acquiesci. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Vice-Legatos, atque alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, ac dignitate, & honore fulgentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere, irritum quoque, & inane, si secus super his, vel eorum aliquò a quoque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Commissio Cardinali Legato pro tempore pro præmissorum observantia.

Quocirca Dilecto Filio Nostro Georgio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali ab Auria nuncupato, Nostro, & Sedis Apostolicæ de Latere Legato Bononiæ commoranti, expressè committimus, quatenus statim visis præsentibus, ad immediatam, & integram earum executionem, quocumque judiciali actu postposito, brachium suum fortiter, & efficaciter impertiatur, sicque ipsum Georgium Cardinalem Legatum, cæterosque pariter ejus successores in perpetuum pro tempore futuros Legatos, ac Vicelegatos, quoties, & quandocumque requisiti fuerint, sua auctoritate semper adesse volumus, & mandamus, ut quælibet a Nobis sivè respectu Jurisdictionis, sive respectu solutionis onerum Cameralium, & Communitativorum, omnisque generis Datiorum, & Gabellarum, per ipsas præsentes definita, & constituta sunt, expeditum, & plenarium finem, & effectum omninò sortiantur, & obtineant, quocumque recursu, appellatione, seù inhibitione cujusvis Judicis, & Tribunalis, omninò posthabitis, & non attentis, præterquam commissione nostra dumtaxat, aut successorum nostrorum manu signata.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus, quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac recolendæ memoriæ Pii Papæ IV. Prædecessoris nostri de gratiis interesse prædictæ Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentibus in eadem Camera registrandis, & insinuandis, aliisque Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, nec non Civitatis, & Provinciæ Bononiensis, ac Communitatum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis respectivè Statutis, Consuetudinibus, usibus, & stabilimentis, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, illis, earumque Præsidentibus, & Personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam per modum Statuti, & perpetuæ ordinationis in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis; Privilegiis pariter, Diplomatibus, Literis Patentibus, Capitulis, Conventionibus, Decretis, Sententiis, & aliis contentis in libro, cui Titulus: *Privilegia, Exemptiones, & alia ad favorem Communitatis Medicinæ*: Bononiæ impresso Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, Decisionibus quoque, & Sententiis editis contra Administratores Gabellæ grossæ prædictæ coram Buratto, & Ubaldo antedictis, ac rescriptis omnibus prædictæ Cameræ Apostolicæ, & Judicatis quibuscumque cujusvis Judicis, & Tribunalis quacumque potestate fungentis, etiam Legati à Latere, Vicelegati, & Gubernatoris Generalis: Quibus omnibus, cæterisque contrariis quibuscumque, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso,

& forma in illis tradita, servata, inserti forent, præsentibus pro plenè, ac sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxàt specialiter, & expresè, ac latissimè, & plenissimè motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus harum serie derogamus; Eaque respectivè, quatenus præsentibus Nostris Literis quomodolibet adversari comperiantur, irritamus, revocamus, abrogamus, & abolemus.

Fides præstanda transumptis.

Volumus autem, ut earumdem præsentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ definitionis, sanctionis, declarationis, Constitutionis, Decreti, Statuti, Mandati, abrogationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Die 9. Martii 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, septimo Idus Martii Pontificatus Nostri Anno VI.

J. Datarius.

*Pro D. Card. Passionco.*

*Joannes Florius Substitutus.*

VISA DE CURIA

I. C. Boschi.

J. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

---

XVII.

De Retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam & visibiliter exposita super Altaribus, ad quæ Missarum Sacrificia peraguntur.

*Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Ditionis Ecclesiasticæ.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Causa scribendi desumitur ex consuetudine, quæ licet pia, Ecclesiæ tamen disciplinæ adversatur.

ACCEPIMUS præstantium Virorum testimoniis jampridem in quibusdam Pontificiæ Ditionis Civitatibus inductam esse consuetudinem, quæ licet pietatem, ac religionem præseferat, Ecclesiæ tamen institutis, ac disciplinæ plurimum adversatur. Idem Nos ipsi deprehendimus in aliquibus Ecclesiis hujus nostræ Romanæ Urbis, & aliis pariter, quæ Episcopis Suburbicariis subjiciuntur. Quapropter muneri Nostro deesse magnopere videremur, nisi de hac re monerentur illi, qui pro spirituali hujus Civitatis regimine Ministri a Nobis constituti sunt, & alii, qui Suburbicarios Episcopatus, vel alterius Civitatis in Ditione Pontificia sedem obtinentes curam gerunt animarum.

In Altaribus præter majorem Tabulam, alia minor collocatur, & Crux inter Candelabra posita auferatur, & illius loco parva Crux minori Tabulæ superadditur.

In Altaribus, quæ per Ecclesias erecta sunt, & in quibus Sacrum fieri consuèvit, præter majorem Tabulam, quæ vel depictam, vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen, & memoriam Altare consecratum est, adjungi cœpit alia minor Tabula, in quâ vel coloribus exprimitur, vel ære, ligno, aut marmore inciditur Effigies alterius Sancti, itaut Crux auferatur, quæ, juxta Rubricas, inter Candelabra collocari debet: Cùm verò neminem lateat, rem Divinam confici non posse, nisi Crux cum Imagine Sanctissimi Crucifixi super Altari constituatur, hinc minori Tabulæ superadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facilè occurrat, neque ab ullo alio distingui fermè possit, nisi hic diligenter perscrutetur, utrum super Altari revera Crucifixi Imago proposita fuerit.

Pont. improbare non intendit, ut plures Sancti in uno Altari Fidelium veneration proponantur.

Equidem non improbamus, quod idem Altare in plurium Sanctorum nomen, ac memoriam dedicetur, quodve in majori Tabula aut unus tantùm, aut plures etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alia minor Tabula collocetur inferior, aut alio quocunque modo, ubi unus, vel plures Sancti Fidelium venerationi proponantur. Illud permittere nullatenus possumus, quod Missæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quæ careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommodè statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis & Populi assistentis oculos penè effugiat: Id enim alienum est a Legibus, & Institutis Ecclesiæ, quæ in Rubricis, aliisque Ecclesiasticis Sanctionibus continentur: Id etiam maximè contrarium est Sacræ antiquitati, & Ecclesiarum, etiam Orientalium, consuetudini; itaut certissimum sit violari Leges Ecclesiæ, si exigua solùm Imago Crucifixi præfigatur minori Tabulæ, vel Statuæ Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur.

Sed ad Missæ Sacrificium celebrandum non permittit, ut parva Crux super Altari ponatur.

In Rubricis Missalis *tit. de præparatione Altaris, & ornamentorum ejusdem*, hæc leguntur: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere.* In Romano Pontificali *titul. de Consecratione electi in Episcopum*; cùm sermo est de Altari, ubi consecrandus Episcopus Sacrum operatur usque ad Offertorium, quo peracto Missæ Sacrificium prosequitur in alio Altari, ubi Episcopus consecrans rem Divinam facit; in eo, inquam, Pontificali hæc habentur: *In Cappella verò minore pro Electo, quæ a majore debet esse distincta, addatur Altare cum Cruce, & duobus Candelabris.* Cœremoniale autem Episcoporum postquam *lib. 1. cap. 12.* commemoravit Candelabra, & Candelas, hæc addit: *In quorum medio collocabitur Crux ex eodem metallo, & opere, prælta, itaut pes Crucis æquet altitudinem vicinorum Candelabrorum, & Crux ipsa tota Candelabris superemineat, cum Imagine Sanctissimi Crucifixi versa ad anteriorem Altaris faciem.*

Præceptum Rubricæ Missalis in hac parte.

Item Pontificalis Romani.

Item Cœremonialis Episcoporum.

Nos ipsi verba fecimus de hoc veteri ritu collocandæ Crucis in Altari, cum Sacrum peragitur, in nostris Commentariis *De Sacrificio Missæ*, quæ Italico sermone a Nobis confecta fuerunt *par. 4. sect. 1. num. 17. ac sequentibus*: Plura deindè addidimus *sect. 1. §. 18. & 19.*, cum ipsa latinè reddita lucem iterum publicam adspexerunt. His etiam adjungimus, ob vetustatem præsertim hujusce Ritus, tantam venerationem, cultumque semper exhibitum fuisse Cruci, quæ in medio Altari collocatur, cum Missæ Sacrificium conficitur, ut Novatores ipsi magis infensi, illam de medio auferre pertimuerint, cum suam Cœnam instituunt; hæc testatur Gretserus *in suo Tractatu de Cruce cap. 23. tom. 1.* ejus editionis, quæ postremò typis vulgata fuit.

Scientia Pontificis in ejus Opere de Sacrificio Missæ.

Concordant Ritus Orientalium.

Si verò disciplinam Orientalium inspiciamus, Græcis in more positum est, ut ad Portam Regiam Sanctuarii utroque latere Imagines Christi Domini, ac Beatæ Virginis, & super Altari Crucem unà cum Libro Sanctorum Evangeliorum constituant: In Lyturgia verò Copto-Arabica, quæ desumpta ex manuscriptis Codicibus Vaticanis impressa fuit anno 1736. in Collegio Urbano de Propaganda Fide, *pag. 33.* indicitur Sacerdoti celebranti, ut Benedictionem cum

cum Cruce Populo impertiat, eam deinde osculetur, ac Diacono tradat, qui ipsam super Altari collocat: Postremò Ritus Syriacus Maronitarum eadem prorsus decernit, quæ in Rubricis Romani Missalis præscribi superius indicavimus. Nam Patriarcha Stephanus *lib. 3. tract. 2. sect. 4.* ita scriptum reliquit: *Mos iste in omnibus Ecclesiis inolevit, ut super Altaris gradum salutiferæ Crucis vexillum collocetur.* In Synodo etiam Nationali, quæ coacta fuit *anno* 1736. in Monte Libano, quam Literis Apostolicis Nos ipsi confirmavimus, *par. 2. cap. 13. de Sacrosancto Missæ Sacrificio can. 8.* ita sancitum est: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere.*

De quæstione, an sufficiat super Altari Crux nuda, vel debeat esse cum Crucifixo.

Scriptores, qui sacros ritus explicarunt, nonnullas disputationes instituunt; ac primò, utrum satis sit nudam Crucem in Altari statuere, an Imago Crucifixi addenda simul videatur. Equidem Rubricæ Missalis solam Crucem commemorant. Cùm tamen Cæremoniale Episcoporum Crucem una, & Crucifixum nominet, idque communi Ecclesiæ consuetudini consentaneum sit, hanc ideò sententiam probandam nemo sapiens dubitabit. Ita sentiunt Gavantus, Claudius la Croix, qui *lib. 6. par. 2. de Sacrificio Missæ num. 318.* fatetur, ob veterem communemque usum, sine Imagine Crucifixi, quæ pendeat è Cruce, rem Divinam fieri non posse, nisi necessitas intervenerit: Et profectò initio Ecclesiæ, cùm Fideles concitare ad furorem Gentiles magnopere timerent, si Christum Crucifixum publicè adorandum proponerent; Crucem tamen pluribus modis exornatam palam exponebant, atque incisum, vel depictum Cruci apponebant Agnum, qui Typus amantissimi Salvatoris semper habitus est, ut eo saltem modo Crucifixi Imaginem exhiberent: Id conspicitur adhuc in nonnullis hujus Civitatis Ecclesiis, & testimonio etiam Magrii comprobatur *in ejus Hierolexico, in vocabulo* CRUX.

De alia quæstione, an poni debeat Crux, quando in Tabula Altaris est depictus Crucifixus.

Secundo loco inquiritur, utrum Crucifixus pendens a Cruce debeat in Altari constitui, etiamsi Salvator noster Crucifixus in majori Tabulâ Altaris depictus, aut cælatus appareat. Gavantus id quidem probat; alii verò necessarium id minimè arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori Tabula vel pictus, vel cælatus, primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem Tabula exprimuntur. Ita censent Pasqualigus *de Sacrificio Missæ quæst. 716.*: Quartus *ad Rubricas Missalis par. 1. tit. 20. dub. 10.*: & Giribaldus *de Sacramentis in tract. 5. de Sacrificio Missæ cap. 9. dub. 2. num. 20.*: Huic pariter sententiæ se conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti constat ex responsione, quam ipsa promulgavit *anno 1663.*, & quam Meratus recenset *tom. 1. par. 1. tit. 20. de præparatione Altaris num. 6.*, & in Indice Decretorum *eodem tom. par. 2. num. 400.*

Item, an poni debeat Crux quando adest Tabernaculum cum Sanctissima Eucharistia.

Tertio loco quæritur, utrum Crucifixus in Altari collocari debeat, cum Sacrificium Missæ in eo conficitur Altari, ubi positum est Tabernaculum, in quo Pyxis cum Sacris Particulis continetur; cum præsertim eidem Tabernaculo parva Crux cum Imagine Salvatoris Crucifixi semper præfigatur. Equidem in Cæremoniali Episcoporum hæc habentur. *Non incongruum, sed maximè decens est, ut in Altari, ubi Sanctissimum Sacramentum est, Missæ non celebrentur, quod antiquitus observatum esse credimus*: in veteri Cæremoniali, cum Clemens VIII. Pontificatum gereret, ita legebatur, *quod antiquitus observatum esse videmus.* Attamen id prorsus difficile nonnullis videtur, ob eam causam, quod, ut ipsi argumentantur, cum unicum Altare in veteribus Templis extrui soleret, aut Divina Eucharistia in eis conservata non fuisset, aut nullum Missæ Sacrificium in eis esset institutum: Aliter verò sentiunt ii, quibus cognitum perspectumque est, eum morem fuisse antiquitus, ut Sacra Eucharistia in Ecclesiæ Sacrario servaretur, vel in decenti Armario, quod parieti configebatur, uti nunc etiam perspicimus in Basilica Sanctæ Crucis in Jerusalem: Idem perpendit Mabillon *in Musæo Italico tom. 1. pag. 89., ac tom. 2. pag. 139.* At quod in præsenti ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propositæ controversiæ liberum facit, illud est, quod, juxtà vigentem disciplinam, Sacra Eucharistiæ conservatur in Tabernaculo, quod est positum super uno ex Altaribus Ecclesiæ, & quod in eo passim Missa celebratur; cùm, sedulò perpenso Cæremoniali textu, deprehensum sit, eum prædictæ celebrationi absolutè non obstare; uti Christianus Lupus expendit *tom. 11.* recentioris editionis in Dissertatione *de Sacris Processionibus pag. 356.* Hanc itaque controversiam quum alias Nos ipsi expenderemus in supracitatis Commentariis *de Sacrificio Missæ par. 4. sect. 1. num. 18.*; illorum sententiam probavimus, qui existimant Crucifixum inter Candelabra statui debere, neque parvam Crucem, quæ Tabernaculo præfigitur, satis esse, ne Rubrica violetur, quemadmodum inferiùs explicabimus. Idemque censuit Congregatio Sacrorum Rituum anno 1663. uti perspicitur ex Indice Decretorum, quem Meratus exhibuit, *par. 2. tom. 1. num. 400.*, ubi hæc leguntur verba: *Crux parva cum Imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in quo asservatur inclusum Sanctissimum Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum.*

Item poni debeat Crux, quando est expositum SS. Sacramentum.

Quarto loco disputatur, utrum Crucifixus inter Candelabra collocandus videatur, cum Sacrum peragitur in eo Altari, ubi Divina Eucharistia non includitur Tabernaculo, sed publicæ Fidelium venerationi exponitur. Id necessarium esse putavit Sacrorum Rituum Congregatio *die 14. Maji anno* 1707. Hoc enim petitum fuerat: *An super altare, in quo Sanctissimum Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat.* Sic autem responsum est: *Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi appositâ collocationem.* Porrò quum Nos ipsi tunc in minoribus constituti Coadjutorem Promotoris Fidei gerentes, ipsius loco eidem Congregationi præsentes adfuerimus, adhuc memoriâ retinemus, in illa sententiâ ferendâ varia fuisse ac discrepantia suffragia, cautumque deinde fuisse, ne ipsa sententia in lucem ederetur. Itaque res iterum deducta est in examen initio Pontificatus Nostri *die 2. Septembris anno* 1741. in eadem Congregatione Sacrorum Rituum, quæ postquam omnia diligenter accuratèque perpendit, decrevit, ut quælibet Ecclesia morem & institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret. Et quidem pro Cruce ab Altari removenda; dum Missa in eo celebratur, & super eo publicæ venerationi Eucharistia exposita est, parùm urget, quod nonnulli asserunt, indecens esse, ut Christi Imago in eo loco sit, in quo Christus ipse sub specie panis realiter præsens est, & ab omnibus sub eadem specie panis videtur: id quippe prorsus contingit, quoties Sacerdos in quolibet Altari rem Divinam faciens, materiam Eucharistiæ consecravit; nec enim Ecclesia unquam decernendum putavit, ut, peracta Consecratione, Crux ab Altari removeatur. Quemadmodum nec asserentibus Crucem necessariò esse debere in Altari, in quo expositum est Sacramentum publicæ venerationi, si in eo Missa celebretur, quidquam prodesse potest, quod in publica Eucharistiæ expositione significetur triumphus, & gloria Salvatoris, in Missæ autem Sacrificio ejusdem

mors repræsentetur; cum Ecclesia, tam in actione Missæ, in qua Eucharistia consecratur, quàm in conclusione precum, quæ coram eàdem jam consecratâ & Fidelium venerationi palam expositâ recitantur, unâ cùmque Collectâ æque utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirum: *Deus, qui Nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut redemptionis tuæ*) hoc est passionis, ac mortis) *fructum in nobis jugiter sentiamus.* Quæ cum ita se habeant, Rituumque Interpretes & Scriptores, ob ea, quæ mox relata sunt, in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea, quæ prudenter, sapienterque decreta fuerunt a prædicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quælibet Ecclesia vel Diœcesis suam retineat consuetudinem; itaut nihil immutetur in ea Diœcesi, ubi Crux in Altari constitui soleat, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publicè prostet: neque nova disciplina excitetur in ea Diœcesi, ubi contraria hujusce rei consuetudo jampridem invaluerit.

Pontifex omnia super hac re proposuit, ut perspectum sit consuetudinem, quæ invaluit alienam esse a Sacro Ritu.

Hæc omnia diligenter exposuimus, non quidem, ut hac de re plenum justumque tractatum adornaremus, sed ut ex eis cognitum esset atque perspectum, quàm alienum sit a Sacris Ritibus id, quod plures temerè & inconsultò peregerunt, nempe ut Sacrum facerent ad Altaria, in quibus Crux haud promineat inter Candelabra, sed exiguus tantùm Crucifixus præfigatur Tabulæ alicujus Sancti, qui vel depictus, aut cælatus majori Tabulæ Altaris adjungi consuevit.

Si etenim, juxta Rubricas Missalis, Crux inter Candelabra statuenda est; si, juxta Cæremoniale Episcoporum, Crux ipsa cum Imagine Crucifixi Candelabris supereminere debet; si, juxtà sensum Congregationis Sacrorum Rituum, non satis esse judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus, cum Missa celebratur ad Altare, ubi Pyxis cum sacris Particulis in Tabernaculo includitur; si in præsenti non agitur de Altari, in cujus Tabula Imago Salvatoris Crucifixi primo loco Fidelibus exhibeatur; nec minus de Altari, in quo Sacra Eucharistia publicè adoranda proposita sit; nemo est, qui non videat, praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque marte a privatis personis usurpatam, ex supradictis dicendam esse omnino improbatam; eoque magis, cum ex exiguo Crucifixo, qui præfigitur Tabulæ ejus Sancti, qui Altari superadditur, ea profectò utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum Crucem inter Candelabra collocandam decernit. De hac re præclarissimus Vir Cardinalis Bona ita scriptum reliquit *Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 25. num. 8.*: *Ab aspectu siquidem Crucis Sacerdoti celebranti Passio Christi in memoriam revocatur, cujus Passionis viva imago, & realis repræsentatio hoc Sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tamquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur*: His postremis verbis indicatur orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit *sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 2.*

Adhortatio Pont. ad Episcopos, nè irrepat consuetudo adversus Sac. Ritus.

Itaque, Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad quos hæc Apostolica scripta dirigimus, curam magnopere impendite, ne vestras in Diœceses irrepat consuetudo, quam superius explicavimus; quod si jam ipsa invaluerit, humanitatem prius, ac deinde severitatem, si opus fuerit, adhibentes, illam penitus convellite. De Sacrificio Missæ res agitur, adeoque nemo vestrum ignorat, a Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Episcopis, & Ordinariis Locorum, ut etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati corrigere valeant pravas consuetudines, quæ Ritui Missæ celebrandæ adversantur; Ita clarè desumitur *ex sess. 22.* in Decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ.* Neque Vos latet, nullum esse privilegium, aut immunitatem, quæ delinquentibus in hac re suffragari possit, ut vestra ab auctoritate, pœnisque per Vos irrogatis vindicentur; Idem sæpius confirmavit Sacra Congregatio Tridentini Concilii interpres, Decreto inhærens ejusdem Synodi, quod paulò ante memoravimus: Id Fagnanus testatur ad *Cap. Grave, num. 46. de Officio Ordinarii*: his verbis: *Et generaliter hoc Decretum* (de quo superius dictum est) *censuit Sacra Congregatio comprehendere etiam Regulares, quantumvis exemptos, eosque ea omnia, quæ ab Ordinariis Locorum circa observanda, & evitanda in Missarum celebratione statuta fuerint, omnino servare teneri, ad idque etiam pœnis, & censuris Ecclesiasticis ab iisdem Ordinariis cogi & compelli posse.* Nos quidem his Literis eandem auctoritatem, quâ jam prædìti estis, iterum Vobis confirmamus. Illud monendum supereſt, eam Nobis mentem haud esse, ut Imagines Sanctorum, quæ majori Tabulæ Altaris superadditæ sunt, de medio auferatis, cum fortasse defuturi non essent invidi, qui ut pietati vestræ maculam inurerent, in vulgus disseminarent, Vos nullâ duci religione in eum Sanctum, cujus Imaginem Fidelium venerationi subducitis: Illud Vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini rem Divinam fieri ad hujusmodi Altaria, nisi Crucifixus inter Candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebraus, ac Populus Sacrificio assistens eundem Crucifixum facilè, & commodè intueri possint; quod evenire nequit, si exigua solùm Crux minori Tabulæ defixa Fidelibus exhibeatur. Si ejusmodi corruptela in Diœcesim non valde propagata est, facilè extingui poterit, si privatim Regulares aut Sæculares Ecclesiarum Superiores de hac re moneantur: Sin autem latè per Diœcesim invaluerit, tunc a Vobis Edictum necessariò promulgandum erit, quod his nostris Literis conformetur. Plura scribere Vobis prætermittimus, quos prudentiæ, ac doctrinæ laude satis præstantes existimamus Auctoritatem nostram, ut rem perficiatis, & quoties opus fuerit, Vobis petentibus nunquam defuturam pro certo habeatis. Interim Fraternitatibus Vestris, & Populis curæ vestræ commendatis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XVI. Julii MDCCXLVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Dat. die 16. Julii 1746.

---

De Residentia Episcoporum.

XVIII.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Pontificum & Concilio-rum sollici-tudo quoad residentiam Episcopo-rum.

AD universæ Christianæ Reipublicæ statum, ad Ecclesiasticarum Legum custodiam, & Fidelium Populorum salutem, tam magnè refert singulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis præpositos, in ipsis Ecclesiis, vel Diœcesibus sibi creditis assiduè residere; ut difficile sit aliud ullum reperire Ecclesiasticæ disciplinæ caput, quod aut Conciliaribus Canonibus atque Decretis, aut Apostolicæ Sedis Constitutionibus & Sanctionibus, tam sæpe tamque impensè inculcatum fuerit & commendatum. Ut autem antiquiora Canonica statuta prætereamus, Nobis satis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 6. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. de Reform.*; tum ea quæ recol. mem. Prædecessor

Noſter Urbanus Papa VIII. præſcripſit in ſua Conſtitutione data apud S. Petrum die XII. Decembris Anni MDCXXXIV., quæ incipit *Sancta Synodus*, & in qua præcedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV., Gregorii XIII., & Clementis VIII. Leges & Conſtitutiones retulit, confirmavit, & ampliavit. Neque opus eſt recenſere omnes Encyclicas Literas; quæ, ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos de implendo hujuſmodi Reſidentiæ onere identidem admonendos, ab hac Apoſtolica Sede mitti conſueverunt; ut patet ex Epiſtola juſſu Ven. Servi Dei Innocentii Papæ XI. Prædeceſſoris quoque Noſtri ſcripta die v. Februarii Anni MDCLXXVIII., item ex alia die XXIV. Decembris Anni MDCCVII. a felic. record. Clemente Papa XI. ad ſuum & Apoſtolicæ Sedis Nuntium Neapoli commorantem conſcripta, ut illius Regni Præſules ad reſidendum in propriis Eccleſiis & Diœceſibus adigerentur; necnon ex ejuſdem Clementis Literis in forma Brevis datis die XXV. Maji Anni MDCCIX. ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Poloniæ, qui obtentu turbarum & diſſenſionum, quæ tunc in eo Regno verſabantur, ſuas reliquerant Eccleſias atque Diœceſes.

Quid hac in re præſtiterit Sanctiſſimus Dominus Noſter.

Neque porro Nos hac in re Apoſtolici Officii Noſtri partes deſiderari permiſimus. Vix enim inſcrutabili Divinæ Providentiæ conſilio in hac ſuprema Eccleſiæ univerſalis ſpecula collocati ſuimus, quum veterem Prædeceſſorum Noſtrorum morem in uſum revocantes, ad Ven. Fratres omnium per Orbem Eccleſiarum Antiſtites Apoſtolica ſcripta direximus, quibus inter cætera ſalubria monita, hoc etiam de reſidendo in propriis Eccleſiis peculiari ſtudio iis inculcare, & tam graviſſima damna, quæ ex eorum abſentia proveniunt, quàm magnas utilitates, quas eorum præſentia concreditis ipſi Diœceſibus affert, ante oculos proponere non prætermiſimus, ut videre eſt *in* §. 4. Epiſtolæ Encyclicæ die III. Decembris Anni MDCCXL. a Nobis conſcripta, quæ in *Tomo I.* Bullarii Noſtri nuper vulgati *num. II.* impreſſa eſt. Qui autem hominum corda ſcrutatur Deus, is ſanè novit, quanto & quàm acerbo animi Noſtri dolore nonnunquam acceperimus, Eccleſiaſticas Regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari, & quantopere ſtuduerimus, nunc admonendo, nunc obſecrando, nunc increpando, abſentes quidem per Literas, præſentes verò ipſa voce ad debitum Reſidentiæ Officium revocare. Quin etiam laudabilibus Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes, in Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, qua Beneficia Eccleſiaſtica in octo anni menſibus vacatura Noſtræ diſpoſitioni & collationi reſervavimus, ſimul etiam iiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis reſidentibus gratiam alternativæ menſium, certis modo & forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum ut quamdiù ipſi apud Eccleſias aut Diœceſes ſuas verè & perſonaliter reſiderent, de Beneficiis hujuſmodi Eccleſiaſticis, quæ extra Romanam Curiam in Februarii, aliiſque alternis anni menſibus vacare contingeret, dummodo aliàs diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata vel affecta non eſſent, liberè diſponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Noſtri duraturam conceſſimus; quo ſcilicet iidem Epiſcopi, & majorum Eccleſiarum Præſules, ampliorem poteſtatem in Beneficiis prædictis conferendis ſic obtinentes, hac etiam Apoſtolicæ Noſtræ liberalitatis gratificatione illecti, ad perſonalem Reſidentiam prædictam libentiùs obeundam adducerentur.

Abſentiæ cauſæ, & tempora a Concilio Tridentino permiſſa.

Quoniam verò & certæ quædam cauſæ adeſſe poſſunt, & hujuſmodi occaſiones incidere, propter quas, prævio Romani Pontificis aſſenſu, & approbatione, liceat Epiſcopo a propria Eccleſia, & Diœceſi per aliquod definitum tempus abeſſe; ea verò abſentia, quæ ad modicum tempus protrahitur, neminem deſertæ Reſidentiæ reum conſtituit; ideo & in Conciliis, & in Apoſtolicis Conſtitutionibus, ad præcavendos abuſus tam circa hujuſmodi cauſarum & occaſionum relevantiam, quàm circa tolerabilia temporum ſpatia, providæ ſtatutæ Leges & Regulæ reperiuntur. Et quidem juſtæ ac legitimæ abſentiæ Cauſæ a præfata Tridentina Synodo *citat. cap. 1. ſeſſ. 23.* non aliæ agnitæ fuerunt, quàm Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas. Verùm his etiam cauſis deficientibus, quum eadem Sacroſancta Synodus perpendiſſet, ex veterum Canonum ſententia, minimè abeſſe videri eos, qui aliquantiſper abſunt, & ſtatim ſunt reverſuri; omnibus Eccleſiarum Antiſtitibus indixit, ut ſibi licitum non putarent ſingulis annis, ultra duos aut tres ad ſummum menſes, ſive continuos, ſive interruptos, extra proprias Diœceſes commorari; eoſque ſimul admonuit, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis Chriſti diebus, ab Eccleſiis ſuis Cathedralibus abeſſent, niſi fortè Epiſcopalia munia in aliis Diœceſum ſuarum locis eos detinerent; eamque præterea rationem ab iis haberi voluit, ut abſque ullo Gregis detrimento conceſſa uterentur libertate, & ut id *æqua ex cauſa fiat*; quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles cauſæ penitus excluduntur.

Indultum Urbani VIII. a Benedicto XIII. ampliatum, pro Epiſcopis recens in Urbe promotis.

Præfatus autem Prædeceſſor ad peculiares occurrentes caſus deſcendens, Epiſcopis in Curia promotis unum conceſſit menſem (quem poſtea declaratum fuit, a die ipſorum propoſitionis in Conſiſtorio computandum eſſe), quo menſe elapſo, ſinguli ad proprias Eccleſias ſe conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano, habito à felic. record. Benedicto Papa XIII. Prædeceſſore pariter Noſtro, Epiſcopi expoſuiſſent, tam exiguo temporis ſpatio non poſſe a recens promotis ſua in Urbe negocia expediri, idem Benedictus facultatem conceſſit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali ſuo, & Romani Pontificis pro tempore in Urbe, ejuſque Diſtrictu Vicario, ut præfatum unius menſis terminum, juxta caſuum contingentiam, & causâ cognitâ, ad alios quadraginta dies, & non ultra, prorogare poſſet.

Item pro viſitantibus Limina Apoſtolorum.

Præterea Epiſcopis ad Sacra Apoſtolorum Limina ſtatutis temporibus viſitanda perſonaliter accedentibus, ſupradictus Urbanus Prædeceſſor indulſit, ut, Eccleſiis citra Montes, & citra Mare poſitis præſiderent; per quatuor, qui verò Ultramarinis, & Ultramontanis Eccleſiis præeſſent, per ſeptem menſes continuos a Reſidentia in ſuis reſpectivè Sedibus facienda, hujuſmodi Viſitationis gratia, excuſarentur.

Decreta ad præcavendos abuſus.

Cùm verò idem Urbanus declaraſſet, ſe, per ea, quæ in ſuis præfatis Literis conſtituerat, minimè ſublatam voluiſſe dictam trium menſium licentiam a Concilio indultam; hinc plures ortæ quæſtiones, & varia condita ſunt Decreta, ab eodem Urbano ejuſque Succeſſoribus approbata; cujuſmodi ſunt, non licere trimeſtrem abſentiam prædictam conjungere, ſive cum eo tempore, quo permittitur Epiſcopis poſt ſuam promotionem in Urbe commorari, ſive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum Viſitationem eiſdem conceſſum fuit: neque fas eſſe abſentiæ tempora ita diſponere, ut tres poſtremi menſes unius anni continuentur cum tribus prioribus menſibus anni ſubſequentis. Sicut etiam vetitum eſt prædictos menſes conjungere cum eo anni tempore, quo, propter aëris inſalubritatem, alicui Epiſcopo permittitur

extra

extra Diœcesim degere; ne scilicet continuatis absentiæ temporibus, vernos simul, & æstivos menses, sive æstivos unà cum autumnalibus, extra Diœcesim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti posset, declaratum fuit, prædictam trium mensium vacationem intra cujusque anni limites coërceri, ut qui uno anno usus eâ non fuerit, non ideo sequenti anno diutiùs ab Ecclesia sua abesse valeat.

De Episcopis S. R. E. Cardinalibus.

Et quoniam Tridentina Synodus sub Legibus, de Residentia hujusmodi ipsos etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales nominatim comprehendit; præfatus Urbanus Prædecessor, advertens nonnunquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui Patriarchali, seu Metropolitanæ, aut Episcopali Ecclesiæ præpositus, unum simul ex Episcopatibus Suburbicariis obtineret, constituit, ut hujusmodi Cardinales in primodictis Ecclesiis, non autem apud Episcopatus Suburbicarios, residere tenerentur.

Congregatio super Residentia ab eodem Urbano VIII. erecta.

Denique tam in prædicto Concilio, quàm in citata Urbani Constitutione, contra Transgressores hujusmodi Legum, quæ ad Residentiam pertinent, gravissimæ pœnæ statutæ fuerunt; quarum executionem idem Urbanus primò quidem demandavit Auditori Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ: Verùm biennio post totam hujus materiæ cognitionem delegavit Congregationi particulari a se deputatæ, quam compositam esse voluit ex tunc, & pro tempore existentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, nec non ejusdem Pontificis Datario, & Secretario Status, ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum negociis & consultationibus Episcoporum, & Regularium, ac interpretationi, & executioni Decretorum prædicti Concilii Tridentini respectivè præpositarum. Et quidem prædicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut, justis ex causis, & cum consilio prædictorum Prælatorum, concedere posset Episcopis licentiam abessendi a propriis Ecclesiis, & Diœcesibus spatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipsius Urbani Literis datis die prima Januarii Anni millesimi sexcentesimi trigesimi sexti distinctiùs præscribitur.

Hujus Congregationis praxis.

Hujus Congregationis Caput, seu Præfectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit præfatus Cardinalis Vicarius pro tempore existens; quemadmodum ejusdem Secretarii munus is semper gessit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a Secretis; unde etiam Nos ipsi, dum in minoribus constituti Officio Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fungeremur, per quoque munus Secretarii alterius Congregationis super Residentia Episcoporum simul sustinuimus. Quæ sanè Congregatio, ut ex illius Secretariæ Regestis apparet, tam ipsius Urbani Prædecessoris temporibus, quàm aliis subsequentibus, non semel singulis Annis adunari consuevit; id quod a san. mem. Prædecessore pariter Nostro Clemente Papa XI. in usum revocatum fuit, & identidem peractum, Nobismetipsis præfatum Secretarii munus obeuntibus, confectisque a Nobis, & impressis foliis, eâ prorsus methodo, quæ pro causis ad Congregationem Concilii pertinentibus observatur.

Ut autem Episcopi a suis Ecclesiis, vel Diœcesibus licitè abesse possint, quum præter causam Canonicam, expressa quoque licentia Romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria; excepto casu prædictæ trimestris absentiæ a Concilio permissæ, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Episcoporum abscedentium conscientiæ relinquat, de æquitate causæ judicium facere; hinc est, quod quæcumque hujus generis licentia olim indulgeretur, per speciale Chirographum manu Pontificis signatum expediebatur. Postmodum verò inductus fuit mos describendi omnes hujusmodi licentias in unico Folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur; quem sanè morem a prædecessoribus Secretariis invectum, Nos quoque servavimus.

Quam olim intermissam Pontifex restaurare intendit.

Cum autem post absentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam, & decem apud Bononiensem Ecclesias regimini Nostro successivè commissas, assiduè residendo transegimus, in Urbem reversi, & ad Apostolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus; Congregationis præfatæ sessiones, materia forsan deficiente, non ampliùs frequentari comperimus; neque porrò Chirographa, aut Folia signanda Nobis oblata fuerunt; sed facta Nobis oretenùs a Prælato dictarum Congregationum super executione, & interpretatione Concilii, & super Residentia Episcoporum Secretario, tam petitionum Episcoporum, qui vacationem a Residentia postulabant, quàm Causarum, quibus hujusmodi petitiones innitebantur, relatione; nostroque desuper accepto responso; opportuna singulis Decreta perscribi, eaque a Cardinali Vicario Nostro, tamquam sæpedictæ Congregationis super Residentia Episcoporum Præfecto, signari consueverunt. Verùm quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam judicaverimus; visum est Nobis Motu proprio, & ex certa scientia, non solum pro debita, ut ajunt, actûs solemnitate, sed etiam pro ipsius rei subsistentia, & pro maturiori examine causarum, quæ ad hujusmodi licentias obtinendas afferuntur, infrascriptas leges, & ordinationes inviolabiliter in posterum observandas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, edicere & constituere.

Canonica, & Pontificia statuta confirmat, & innovat, contrariis non obstantibus.

Primùm itaque relata superiùs Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Decreta, *sess. 6. cap. 1., & sess. 23. cap. 1. de Reformat.* laudatasque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Pii IV., Gregorii XIII, Clementis VIII., & Urbani pariter VIII. Constitutiones, & Ordinationes, nec non omnes & singulas, quas supra innuimus, Resolutiones Apostolicæ Sedis auctoritate editas, innovantes, & tam Decretorum, quàm Constitutionum, Ordinationum, & Resolutionum hujusmodi tenores etiam veriores pro satis hic expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis habentes, & haberi volentes; illaque & illas, quatenus opus sit, iterum plenissimè approbantes, & confirmantes; omnia & singula in ipsis contenta, ab iis, ad quos spectat, & pro tempore in posterum spectabit, attendi, & in his omnibus, quæ Nostris hisce Literis non adversentur, exactissimè impleri & observari volumus, statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus; non obstantibus quibuscumque privilegiis, aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, usibus & consuetudinibus, quæ potiùs abusus & corruptelæ dici debent; quibus, si forte adesse, aut allegari contingat, motu ac scientia simili, ac de prædictæ Apostolicæ auctoritatis Nostræ plenitudine, derogamus, ac derogatum esse volumus & decernimus.

Item pœnas in contravenientes latas.

Secundo loco, & consequenter ad præmissa, adversus prædictarum Legum, & Constitutionum Transgressores, omnes & singulas pœnas in eisdem Decretis, & Constitutionibus latas & comminatas, auctoritate quoque nostra confirmamus & innovamus; amissionis scilicet quartæ partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendæ, qui legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus causis cessantibus, & absque expressa, ut præfertur, Apostolicæ Sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerint; & amissionis alterius quartæ partis

fructuum,

fructuum, eodem modo incurrendæ, ubi hujusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur; ut in prædicto Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 1. de Reform.* statutum fuit; incursus quoque in peccati mortalis reatum, & obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, nulla etiam prævia declaratione, eosque erogandi in Ecclesiarum fabricas, seu in subventionem pauperum ipsius loci, quacumque conventione, seu compositione pro hujusmodi fructibus malè perceptis prohibita; ut in eodem Concilio *sess. 23. cap. 1.* præscribitur. Similiter impositam a prædicto Pio IV. Prædecessore pœnam amissionis facultatum testandi & disponendi, si quæ transgressoribus hujusmodi competere dignoscantur; nec non inhabilitatis ad majores Dignitates, & Ecclesias obtinendas, quam præfatus quoque Prædecessor Clemens VIII. indixit, per omnia confirmamus, & innovamus. Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omnibus & singulis Indultis, & Privilegiis, quæ forsan ipsis, tamquam Pontificio Solio Assistentibus, concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur: Decernentes, sub Transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui præter tres menses a Concilio toleratos, absque legitima causa, & expressa Romani Pontificis licentiâ, extra proprias Diœceses commorantur; sed eos etiam, qui hujusmodi licentiam falsis simulatisve causis dolosè extorquere non dubitaverint; vel eâ semel ritè rectèque obtentâ, præscriptos in eâdem limites, ac præfinitum tempus prætergressi fuerint. Quod si nihilominùs aliqui, non minus Canonica statuta, quàm propositas hujusmodi pœnas contemnentes, in sua contumacia obfirmati perseverare præsumpserint; volumus adversùs istos ad ulteriora cum effectu procedi, juxta mentem ejusdem Concilii Tridentini, quod in *citato cap. 1. sess. 6.*, Romanum Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suæ supremæ Sedis auctoritate in hujusmodi Transgressores ad severiorem Sacrorum Canonum normam animadvertat, atque etiam Ecclesiis ipsis de utilioribus Pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Addita pœna privationis Indultorum competentium Assistentibus Solio Pontificio.

Tertio loco volumus & mandamus, ut prædictæ Congregationis super Residentia Episcoporum ab Urbano Papa VIII. institutæ exercitium, atque sessiones resumantur; confirmantes ipsius Præfecturæ munus dilecto Filio Nostro Joanni Antonio Tituli Sancti Martini in Montibus Presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato moderno Nostro in Urbe ejusque Districtu in spiritualibus Vicario, ejusque in Officio Vicariatus hujusmodi Successoribus; sicut etiam Officium Secretarii ejusdem Congregationis dilecto Filio Magistro Joseph Alexandro Furietto, ejusque Successoribus Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretariis; eosdemque statuentes in hujusmodi Congregatione nunc & deinceps pro tempore locum habere, & suffragium ferre, quicumque ea officia, & munera obtinent, sive obtinebunt in posterum, quæ in præcitatis Urbani Prædecessoris Literis designantur. Præterea quum minimè expediat hujusmodi Congregationem Promotore Fiscali carere, Nos eum, qui in Tribunali prædicti Cardinalis Vicarii Urbis Officium gerit Promotoris Fiscalis, ejusque in Officio Successores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in præfata Congregatione, cui ipsum, seu ipsos cum consultivo suffragio volumus interesse. At verò perpendentes, quod si Congregatio isthæc totiès habenda foret, quotiès ab aliquo Episcopo licentiam abscedendi a Diœcesi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet, aut propter negociorum levitatem tractu temporis negligi, & parvipendi posset; volumus, atque statuimus, eandem tunc tantum cogendam, habendamque esse, quum aut a Nobis, sive a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus, alicujus negocii cognitio ipsi remissa, & delegata fuerit: Aut, hujusmodi etiam remissione cessante, quoties de pœnis superiùs constitutis, adversus aliquem transgressorem reipsa decernendis infligendisque deliberandum fuerit; siquidem hujusmodi pœnarum modus, prout cujusque major, aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione statuendus erit, ut facta per ipsius Secretarium Nobis, seu Successoribus Nostris relatione, approbatâque Congregationis resolutione, ad hujusmodi pœnarum executionem cum effectu procedatur; aut denique quum aliquis Episcopus instantiam proponat abessendi a propria Diœcesi ratione alicujus muneris, sive officii, cujus ea dicatur natura esse, ut Apostolicum Indultum de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum; Nos etenim hujusmodi Indulta nemini unquam concedi debere decernimus, nisi prævio causarum examine in eadem Congregatione peragendo; Nostraque & Successorum Nostrorum scientia, & approbatione, & mediante expeditione Literarum Apostolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus Nostro & Romani Pontificis pro tempore existentis Supplicum Libellorum Secretario, aliisque Secretariis quarumvis Congregationum, quibus ea de re preces oblatæ fuerint, ut illas in prædictam Congregationem super Residentia Episcoporum omninò remittant; simulque prohibemus Nostro, & Successorum Nostrorum pro tempore Secretario Brevium, nè Literarum Apostolicarum super Indultis hujusmodi exempla Nobis, aut Successoribus Nostris signanda, ullatenus afferat, nisi authentica documenta, tam de causarum examine in dicta Congregatione peracto, quàm de Apostolica approbatione, & assensu consequenter emanatis, eidem fuerint exhibita.

Congregationem super Residentia, ejusque sessiones, in usum reduxit.

Quarto loco statuimus, ut Folia superiùs enunciata in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum describantur nomina Episcoporum, quibus dantur Indulta commorandi extra Diœcesim, unà cum causis ab ipsis adductis atque probatis, & spatio temporis ad quod hujusmodi Indulta conceduntur; quæ quidem Folia a Romano Pontifice subscripta, in Tabulario prædictæ Congregationis, ut aliàs, asservari præcipimus: Quod tamen intelligi volumus non de iis Indultis, quæ per Apostolicas Literas in forma Brevis expedienda esse in paragrapho superiore descripsimus; sed de alterius generis Indultis, de quibus infra dicendum erit, quæque, post Pontificium assensum a Secretario requisitum & obtentum, expediri debebunt per Decreta a prædicto Cardinali Vicario Urbis, tamquam præfatæ Congregationis Præfecto, subscripta. Decet enim has quoque licentias non sine Pontificia subscriptione prodire; idque obtinebitur accedente Signatura Pontificis super prædictis Foliis, in quibus singulorum Indultorum tenores, & causæ a Secretario descriptæ erunt; quemadmodum elapsis temporibus, atque etiam a Nobis ipsis, dum hujusmodi Secretarii munere fungeremur, servatum fuisse narravimus.

Folia, cum expressione Indultorum, quæ concedentur, ad Pontificis Signaturam deferri mandat.

Eique deputat Promotorem Fiscalem.

Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod ad obtinenda Indulta commorandi extra Diœcesim, infrascriptæ plerumque causæ ab Episcopis afferri solent; nimirum aut necessitas assistendi personaliter alicui liti, seù controversiæ, in qua Ecclesiæ, aut Cleri sui, vel etiam propriæ Familiæ res agatur, quæque in Romana Curia introducta sit, vel alia in Urbe, in qua resideant majora Tribunalia, quorum ea de re judicium esse debeat; aut corporalis ægritudo,

Præscribit occasiones, quibus adunari debeat.

Singulis absentiæ causis opportuna Rescripta comparat.

quâ

quâ correptus fuerit Episcopus, dum extra Diœcesim, Conciliaribus mensibus utens, morabatur, itaut ad eandem Diœcesim reverti nequeat; aut adversa valetudo in ipsa Diœcesi contracta, ad quam depellendam Medici putent necessarium fore, Episcopum aërem, & solum aliquantisper mutare; aut denique malignitas aëris in Diœcesi vigens, quam aliquibus anni mensibus devitari oporteat: Et quoniam nec ulla ex præmissis causis, absque expressa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere residendi eximere potest; & nisi certis expressis circumstantiis, iisque verificatis, difficile est ad hujusmodi approbationem ritè rectèque procedere; necessarium Nobis visum est infrascriptas Regulas statuere, quas in singulis respective casibus ab iis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, observari mandamus, atque præcipimus.

An, & quatenus permittendum Episcopo, ut a Diœcesi absit causa Litis.

Si quis igitur in posterum licentiam petierit abscedendi a Diœcesi sibi concreditâ, ut judiciali controversiæ, quæ alibi vertitur, per se ipsum interfit; exprimere debebit in precibus tum Locum, sive Urbem, in qua hujusmodi lis agitatur, tum etiam an ea pertineat ad ipsam Oratoris Ecclesiam, seu Clerum, vel potius ad ipsius Familiam. Et quidem si ad Familiam pertineat, absque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem, aut Cardinalem Præfectum adeat, rescribendum ab ipso erit, ut Orator ad effectum, de quo in precibus, utatur mensibus a Conciliis indultis. Quod si eis jam usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedetur. Si verò de ejus Ecclesiæ, vel Cleri rebus agatur, exponi debebunt, tum status litis, ejusdemque gravitas, tum causæ, propter quas necessaria creditur in loco judicii Oratoris præsentia; tum etiam declarandum, an mensibus Conciliaribus usus fuerit. Et quidem si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in hujusmodi causam impendat. Si verò id amplius Episcopo integrum non sit, (qua in re nec dolus, nec fraus intercesserit), & alioquin ipsius instantia justa videatur, tantum illi temporis, & non amplius, ad commorandum extra Diœcesim tribuatur, quantum judicatum fuerit necessarium esse, ad Causæ Defensores, Advocatos, & Judices de omnibus, quæ ad rem pertinent, sufficienter instruendos. Si enim licentia abessendi a Diœcesi usque ad finalem exitum causæ extendi deberet, nemo non videt, quàm diuturna plerumque foret in hisce casibus Episcoporum absentia, & quàm facilè evenire posset, ut pleræque Diœceses complurium annorum spatio suorum Pastorum præsentia carerent.

Quid ratione Infirmitatis extra Diœcesim contractæ.

Qui verò licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra Diœcesim contractæ dum vacatione a Concilio indultâ uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam Diœcesim sibi prohiberi; exponere debebunt contractæ infirmitatis qualitatem, & super ea testimonium Medici juramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum, ac definitum tempus concedi debebit, adjectâ quoque clausula *si tamdiù infirmitas duraverit.*

Quid ad convalescendum ex morbo in Diœcesi contracto.

Ab iis autem, qui hujusmodi licentiam postulaverint, eò quod aëris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis, quos in suis Ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, & quàm graviter laborent, ac proferendum testimonium Medici, qui jurejurando testetur, utile ac necessarium Oratori esse, ut in aliam Regionem, atque aërem per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio prætereundum, an scilicet Orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentiâ a Concilio permissâ usus fuerit: Si enim id nondum fecerit, & tempus a Concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menses, in quibus tamen Conciliares Menses comprehendantur, a Residentia absens permaneat: At si prædictos Conciliares Menses, remoto omni dolo & fraude, jam extra Diœcesim transegerit; tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem verè necessarium esse prudenter judicabitur.

Quid ratione aeris insalubris.

Qui tandem licentiam commorandi extra Diœcesim postulabit propter malignitatem aëris, quem in sua Diœcesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet; is videat etiam, atque etiam quid agat: Et quidem pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit Regionis aër: Item an eadem Cœli temperies totam comprehendat Diœcesim, itaut nullus intra ejus tractum locus existat, in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat; postremò an Conciliaribus Mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non ægrè obtinebit Indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aëre tamdiù durare censeatur), in quibus tamen tres illi a Concilio permissi numerandi erunt: Si autem hujusmodi Concilii indulgentia jam usus fuerit, frustrà novum Indultum prædicta de causa ab Apostolica Sede postulabit; sibique imputare debebit, quod quum sciret certo anni tempore in sua Diœcesi aërem insalubrem fore, concessos vacationis Menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiæ Indultis, quæ ratione aëris insalubris in posterum concedentur, hanc clausulam adjici volumus: *Dummodo intra Diœcesim aliquis locus non adsit, in quo aer salubris sit, & in quo Episcopus commorari possit.*

Quid pro celebrandis Conciliis, Assembleis, Diætis &c.

Sane prædictus Urbanus Prædecessor non prætermisit eorum Antistitum causam considerare, qui Provincialibus Conciliis, vel Congregationibus, seu Assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, personaliter interesse, sive in aliis muneribus, aut Reipublicæ officiis, quæ ipsorum Episcoparibus, Ecclesiisque adjuncta sunt, ad certum tempus extra Diœcesim occupari solent, ac debent; & his quidem in præcitata Constitutione licentiam abessendi concessit pro eo definito tempore, quo ejusmodi Concilia, Congregationes, & Assemblæ peragentur, exercitiumque muneris, seu officii publici eorum Ecclesiis adjuncti, actu duraverit; dummodo iis finitis, recto tramite ad Ecclesias sibi commissas sese conferrent; cujus concessionis æquitatem Nos quoque agnoscentes, eandem approbamus, & confirmamus. Sed quum idem Urbanus nihil statuerit de Episcopis, qui a Residentiæ suæ loco discedunt pro Processuum in causis Beatificationum, aut Canonizationum compilatione, Apostolica auctoritate ipsis delegata; necesse est aliquid a Nobis pro his etiam casibus opportunè constitui.

Quod pro constituendis Processibus Apostolicis in Causis Canonizationum.

Expediuntur a Congregatione Sacrorum Rituum Literæ, quas vocant Remissoriales, & Compulsoriales, quibus committitur, ut supradicti Processus auctoritate Apostolica conficiantur; eæque diriguntur tribus Episcopis, aut Superioribus Prælatis, cum clausula, ut *duo ad minus procedant.* Cumque in hujusmodi Episcoporum numero semper includatur Ordinarius loci, in quo Processus construitur; fere contingit, e tribus, ad quos Literæ sunt directæ, unum dumtaxat a Residentia avocari. Ubi itaque aliquis Episcopus Titularis Ecclesiæ in partibus Infidelium constitutæ haberi possit, volumus eum in præfatis Literis pro uno ex tribus Episcopis comprehendi. Quod si tres omninò Antistites in propriis Ecclesiis residentes ad

hujusmodi effectum delegari oporteat, statuimus atque præcipimus, ut Literæ a prædicta Congregatione dirigantur Episcopis, qui viciniores sunt Diœcesi, in qua Apostolicus Processus conficiendus erit. Quoniam verò non de re agitur, quæ duabus tribusve hebdomadibus perfici queat, sed quæ plurium sæpe mensium, aut etiam annorum operam requirit; volumus, ut Episcopi, qui ejusmodi delegationem acceptaverint, necessariam licentiam abscedendi a Diœcesi, causam absentiæ exprimendo, petere & impetrare non omittant, sub pœnis adversus eos constitutis, qui absque causa extra Diœcesim commorantur. In hujusmodi autem licentiis concedendis, statuimus, ut Conciliares Menses semper comprehendantur, & præter eos, triginta dumtaxat dies, si opus fuerit, adjiciantur; nam & ad plura peragenda quadrimestre spatium sufficiens est; &, si adhuc facienda supersint, quatuor alii menses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

De præmissorum observantia præceptum.

Hæc sunt, quæ salubriter in Domino statuenda judicavimus, quæque pro regula, & norma in posterum haberi volumus, ut a Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, gravissimum, quod ipsis incumbit, Residentiæ officium exactè impleatur. Itaque Dilecto Filio moderno præfatæ Congregationis super eadem Residentia Secretario, ejusque Successoribus in perpetuum, injungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœnis contra inobedientes mandatis Apostolicis in re gravi, præcipimus, atque jubemus, ut supplices Libellos pro parte quorumcumque Antistitum sibi oblatos, in quibus ea, quæ supra adnotavimus, expressa non fuerint, quibusque necessaria authentica documenta, superiùs pariter indicata, non sint adjuncta, nullo modo recipiant, multoque minus ad Pontificem referant: In Decretis autem, quæ post Pontificium assensum ab ipsis Secretariis in consueta audientia reportatum, a Cardinali ejusdem Congregationis Præfecto subscribenda erunt, suprascriptas clausulas respectivè apponere non prætermittant; illud etiam expressè cavendo, ut quæ concedentur Indulta, a die Datæ ipsorum Decretorum decurrere intelligantur.

De onere denunciandi non residentes.

Denique Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & Episcopos omnes monemus, ut non solum ipsi statutas de Residentia leges adamussim observent, sed etiam memores sint Decreti a Sacra Tridentina Synodo editi *sess. 6. cap. 1. de Reformatione*, quo jubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi rationem respectivè vigilare, & non residentes Romano Pontifici infra certum tempus denunciare. Nostris quoque, & Apostolicæ Sedis Nuntiis hoc idem demandamus, & injungimus; ubi intra ipsorum Nuntiaturæ Districtum aliquis Episcopus, seu Superior Prælatus existat, qui Canonicas Leges hac in parte violare dignoscatur.

Specialis commissio Nuntio Apostolico Neapoli commoranti injuncta.

Et quia Nobis relatum est, nullibi frequentiùs prædictas Leges ab Episcopis violari, quàm in proximo Neapolitano Regno, (neque verò id mirum in tanto eorumdem numero), volumus, atque statuimus, ut in Indultis absentiæ, quæ pro Episcopis prædicti Regni in posterum expediri contingat, ad cæteras clausulas superiùs præscriptas, hæc etiam addatur, ut obtenta licentia exhiberi debeat Apostolico Nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris, & momenti habeatur. Nos siquidem prædicto Nuntio earundem præsentium tenore committimus, ut hujusmodi Licentias in acta sui Tribunalis referri faciat, itemque de causis, propter quas concessæ fuerint, inquirat, ac tempus in iis præfinitum observet, ad hoc scilicet, ut & per eum resciri possit, si quid obreptum, aut subreptum fuerit in precibus; & ipsum latere nequeat, si quis præscriptos sibi limites transgrediatur, sive absque necessario Apostolicæ Sedis Indulto, extra tempora a Concilio permissa, longè ab Ecclesia, & Diœcesi sua commoretur. Pro iis autem, qui, ut Nobis pariter relatum fuit, Diœceses suas deserunt, & non quidem in Urbem Regni principem, ubi Apostolicus Nuntius moram trahit, sed in alias se conferunt ejusdem Regni Civitates, quin ipse Nuntius quidquam de ipsis audiat; injungimus eidem Nuntio, ut per Officiales suos, atque Ministros, quos in omnibus Diœcesibus retinet, curet se certiorem fieri de Episcopis, quicumque a propriis Diœcesibus recedunt: Ut & ii, qui obtentis licentiis abutuntur, & multo magis ii, qui proprio marte se gerere præsumunt, (dum vel absque prævia licentia, præter tempus a Concilio indultum a suis Diœcesibus absunt, vel si ob aliquem inopinatum eventum ab ipsis discedere compulsi fuerint, hujusmodi licentiam, statim ac ad destinatum locum pervenerint, petere & impetrare non curant;) severiori sacrorum Canonum, & Apostolicarum sanctionum censuræ subjiciantur.

S. R. E. Cardinales præmissis legibus expresse comprehenduntur.

Cæterùm intendimus sub præsentium Literarum Nostrarum ordinatione, & dispositione etiam ipsos Venerabiles Fratres Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui Patriarchalibus, Primatialibus, Archiepiscopalibus, & Episcopalibus Ecclesiis prædictis ex concessione, & dispensatione Apostolica nunc præsunt, & in futurum præerunt, comprehendi, ac comprehensos esse, & fore.

Literarum firmitati consulitur.

Præsentes quoque Literas, omniaque & singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, aut cujuscumque nullitatis, vel invaliditatis vitio, intentionisque Nostræ, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, & præsertim ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, solemnitatesque, & alia servanda, & adimplenda nullatenùs servata, & adimpleta fuerint, ac quocumque alio colore, prætextu, occasione, & causa, etiam necessariò exprimenda, a quoquam notari, impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari nullo unquam tempore posse; sed semper perpetuoque valida, firma, & efficacia esse & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, perindè, ac si in Consistorio Nostro secreto, & de eorundem Fratrum Nostrorum consilio, & unanimi consensu emanassent: Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, prædictamque Congregationem super Residentia deputatam, & quoscumque alios quavis auctoritate, & potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi, & definiendi facultate, judicari & definiri debere, & quidquid secùs super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Sublato &c. irritum &c.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Universalibus, Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus

Derogationes.

Conci-

Conciliis editis, vel edendis, nec non, quatenùs opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ Apostolicæ Regulis, Statutis quoque, etiam juratis consuetudinibus, etiam diuturnis, & immemorabilibus, dictarum respectivè Ecclesiarum, nec non licentiis, privilegiis, & indultis etiam Apostolicis, eisdem Ecclesiis, earumque Præsulibus quomodolibet hactenùs concessis, omnibusque & singulis aliis, quæ prædictus Urbanus suarum Literarum firmitati, & executioni voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis vis, & exemplorum auctoritatis.

Ut autem eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere possit; volumus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus Nostris ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicentur, & earum copiæ ibidem affigantur, & affixæ reliquantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes & singulos, quos concernunt, arctent & afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent; quodque earundem præsentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus Fdes adhibeatur in Judicio, & extra illud ubique locorum, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Ordinationum, Constitutionum, Derogationum, Præceptorum, Statutorum, & Decretorum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontificatus Anno 7. die 3. Septembris 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI., tertio Nonas Septembris, Pontificatus Nostri Anno VII.

*D. Card. Passionei.*

J. Datarius.

Visa de Curia

I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die* 20. *Septembris* 1746.

---

XIX. Firmanæ Congregationi, quoad Gubernium tam Politicum, quàm Oeconomicum Civitatis & Comitatus Firmi primativa jurisdictio tribuitur.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Congregatio Firmana a Pontifice instauratur.

Paterni prorsus studii, quo Civitatem nostram Firmum, ejusque Comitatum, & Incolas universos, pro impositio Nobis desuper Supremi Principis officio prosequimur, haud leve argumentum edidimus sub ipsum Pontificatus nostri initium; quum per Nostras in forma Brevis Literas datas die xx. Septembris Anni MDCCXL., Congregationis Firmanæ nuncupatæ, quæ ad illius Civitatis & Comitatus negocia in Romana Curia & Urbe cognoscenda a dirigenda, a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus erecta fuerat, novam utilioremque formam constituimus, immutato veteri ipsius statu, quo permanente, nec satis promptam fore, nec adeo proficuam, ut par erat, hujusmodi negociorum & Causarum tractationem expeditionemque judicavimus. Ex qua sanè providentiæ Nostræ dispositione quum uberiora in dies emolumenta ad optimum ipsius Civitatis & Comitatus regimen provenire dignoscantur, non illud tamen sequutum est, ut omnino sublata fuerit vetus quædam controversia, quæ dudum vigebat inter eandem Civitatem Firmanam ex unâ, & nonnullas Communitates Castrorum & Locorum ipsius Comitatus ex altera parte, super eo, an cognitio negociorum Oeconomicorum tum ipsius Civitatis, tum Communitatum hujusmodi, ad præfatam Congregationem Firmanam privativè spectaret, vigore facultatum a san. mem. Prædecessore Nostro Innocentio Papa XII., in Literis super ipsius erectione die tertia Januarii Anni MDCXCII. emanatis, ipsi concessarum; seu vigore subrogationis hujusmodi Congregationis in locum Cardinalium Nepotum, sive aliorum Consanguineorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, quibus ejusdem Civitatis & Comitatus Gubernium, & omnimoda in eam, eumque jurisdictio per duo fermè sæcula demandari, ac respectivè ab iisdem plenissimè exerceri consueverat; an verò ad aliam Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super Bono Regimine Communitatum Status Nostri universi deputatæ, privativè potius pertineret, vigore amplissimarum facultatum, quæ tam a felic. recordat. Clemente Papa VIII. Prædecessore pariter Nostro in Bulla erectionis ejusdem Congregationis, quàm a simil. mem. Paulo Papa V., & Clemente Papa XI. eidem Congregationi tributæ fuerunt, dum per suas respective Literas illius jurisdictionem quoad Communitates ejusdem Status Ecclesiastici in genere asseruerunt, seu declararunt, aut ampliarunt.

Status controversiæ.

Quamvis enim in prædicta Civitate Firmana certus quidam Officialis existeret, Commissarius Tabellista nuncupatus, a Romano Pontifice, seu pro rerum circumstantiis, & pro collationis modo, ab ipso Firmanæ Congregationis Præfecto ad hoc deputatus, ut revisis & examinatis, sub directione Gubernatoris pro tempore existentis, tam ipsius Civitatis, quàm aliarum Communitatum de prædicto Comitatu, reddituum & expensarum Tabellis, eas in Urbem transmitteret ad prædictam Congregationem Firmanam; cujus esset opportuna Decreta & Mandata super earum Communitatum Oeconomico regimine condere & expedire; Nihilominus præfatæ Communitates Locorum & Castrorum de Comitatu, sive ex prætensis gravaminibus in hujusmodi Tabellarum examine sibi aliquando irrogatis, sive ex peculiaribus quibusdam exemplis, quibus constabat prædictam Congregationem Boni Regiminis, pro extraordinariorum quorundam onerum repartitione & exactione, aliquos jurisdictionis actus exercuisse, variaque Decreta edidisse, ad Oeconomicum ipsius Firmanæ Civitatis, & Castrorum statum aliquo modo pertinentia; sæpe detrectarunt rerum suarum status atque Tabellas prædicti Commissarii, atque etiam Gubernatoris, ipsiusque Congregationis Firmanæ judicio & examini subjicere, eorumque mandatis obtemperare; contendentes, ad solam Congregationem Boni Regiminis hujusmodi Oeconomicorum negociorum cognitionem spectare: Quæ controversia pluries agitata, non sine Partium dispendio, & negociorum confusione ac detrimento, nunquam tamen omnino dirempta, aut definita fuerat.

Quæ avocatur ad Sanctissimum, &

Cumque eadem quæstio nuper, occasione peculiaris cujusdam casus, iterum exorta, atque

ad Signaturam Gratiæ.

acerrimis Partium ſtudiis redintegrata eſſet; viſum eſt Nobis totam hujus materiæ cognitionem ſupremo judicio Noſtro reſervare, eamque in Signatura Gratiæ, cum conſilio dilectorum Filiorum ejuſdem Signaturæ Votantium, & Partibus plenè auditis, perpetuò atque irrevocabiliter definire. Quamobrem hujuſmodi cauſâ in ſtatu, & terminis ad Nos & ad Signaturam prædictam avocatâ, per Decretum a dilecto filio Magiſtro Clemente Argenvillieres Auditore Noſtro editum; tranſmiſsâque pro parte Civitatis Firmanæ opportuna Commiſſione; cum utraque Pars omnia documenta & exempla in rem ſuam collegiſſet, ſuaſque rationes tam in ſcriptis, quàm oretenus per ſuos Defenſores, & Advocatos Nobis expoſuiſſet; Nos demum in prædicta Signatura Gratiæ coram Nobis habita die XIX. elapſi menſis Julii, auditis dictorum Votantium ſuffragiis, omnibuſque maturè penſatis, decrevimus, & pronunciavimus: *Gubernium tam Politicum, quàm Oeconomicum Civitatis & Caſtrorum Firmi privativè ſpectare ad Congregationem Firmanam.*

Reſolutio.

Cujus porro Reſolutionis & Reſcripti Noſtri perpetuæ firmitati conſulere, ac ſimul prædictæ Congregationis Firmanæ facultates ampliùs atque diſtinctiùs declarare volentes, præſentium Literarum tenore, ac Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione Noſtris, eidem reſolutioni inhærentes, ſtatuimus & declaramus, Gubernium tam Politicum, quàm etiam Oeconomicum Civitatis Firmanæ prædictæ, ac Civium, & Incolarum, nec non Territorii & Diſtrictus totius Comitatus, ejuſque Caſtrorum, Terrarum, atque Locorum, antedictæ Congregationi Firmanæ privativè quoad quoſcumque alios omnino competere; itaut quemadmodum per declaratam voluntatem præfati Prædeceſſoris Innocentii Papæ XII., in ſupra relatis ipſius Literis diſtinctè expreſſam, ad ipſam Congregationem Firmamam, in Gubernio Politico ejuſdem Civitatis & Comitatus, ſimilis, atque eadem planè poteſtas, auctoritas, & juriſdictio, omneſque & ſingulæ competunt facultates, quæ quoad univerſum Statum Noſtrum Eccleſiaſticum ad Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper Conſultationibus negociorum ejuſdem Status Eccleſiaſtici deputatam competete dignoſcuntur; ita etiam hujus Noſtræ declarationis vigore, & expreſsâ præſentium Literarum ſanctione, eidem Firmanæ Congregationi, in Oeconomico præfatæ Civitatis univerſique Comitatus Gubernio & Regimine, omnes pariter & ſingulæ facultates, eademque juriſdictio, auctoritas, & poteſtas, quæ ad Congregationem etiam Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper Bono Regimine & adminiſtratione reddituum Communitatum Ditionis Eccleſiaſticæ deputatam, quoad gubernium Oeconomicum hujuſmodi, juxta felic. record. Clementis Papæ VIII., Pauli Papæ V., & Clementis Papæ XI., ac aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum conceſſiones, ſeu declarationes, quomodolibet ſpectant & pertinent, pari modo & abſque ulla prorſus differentia ſpectent atque pertineant, atque ab ipſa in omnibus & per omnia pleniſſimè exerceantur.

Gubernium Politicum, & Oeconomicum Firmi, & Comitatus, Firmanæ Congregationi privativè tribuitur.

Et aliis Congregationibus, ſeu Tribunalibus inhibetur, cum avocatione Cauſarum ſub pœna nullitatis.

Quamobrem antedictis Congregationibus, nimirum Conſultationibus & bono Regimini hujuſmodi præpoſitis, utrumque Gubernium prædictum quoad dictam Civitatem Firmanam, ac Cives, & Incolas: necnon Territorium, & Diſtrictum totius Comitatus, Terraſque, Caſtra, & Loca ejuſdem, harum ſerie expreſsè interdicentes; volumus, præcipimus, & mandamus, eiſdemque & aliis quibuſvis etiam prædictæ S. R. E. Cardinalium Congregationibus, necnon quibuſcumque aliis Judicibus, & Tribunalibus diſtrictè inhibemus, nè in alterutro Civitatis & Comitatus prædictorum Gubernio, neve in utrumvis concernentibus Cauſis Politicis, Criminalibus, aut Oeconomicis, ſub quocumque prætextu, colore, occaſione, vel cauſa, ſeſe quoquo modo immiſcere vel ingerere, etiam de conſenſu Partium, ullo unquam tempore audeant ſeu præſumant; ideoque omnes & quaſcumque cauſas, lites, & controverſias ad alterutrum hujuſmodi Firmanæ Civitatis & Comitatus Gubernium pertinentes, tam motas, quàm movendas, atque etiam ex nunc coram alio quolibet Judice, Tribunali, aut Cardinalium Congregatione cœptas & conteſtatas, in quocumque ſtatu reperiantur, auctoritate & tenore prædictis, ab ipſis avocamus, prædictæque Firmanæ Congregationis cognitioni & judicio remittimus. Ac ſi quid in poſterum adverſus præmiſſa quavis in parte, per quamcumque ex memoratis Congregationibus, ſeu quemcumque alium Judicem, aut Tribunal, etiam, ut præfertur, de conſenſu Partium, fieri, ordinari, decerni, vel judicari contigerit, tanquam privativi juris & juriſdictionis ipſius Firmanæ Congregationis læſivum, ex inſanabili defectu juriſdictionis prorſus nullum, nulliuſque roboris aut momenti fore ſtatuimus & declaramus.

Methodus ſervanda a Congregatione Boni Regiminis in Commiſſionibus ſpecialibus.

Quoniam verò contingere poteſt, prout anteactis temporibus aliquoties contigit, ut Romanus pro tempore Pontifex prædictæ Congregationi Boni Regiminis ſpecialem aliquam Commiſſionem, pro aliqua generali repartitione ſuper omnibus Communitatibus univerſi Status Eccleſiaſtici ſtatuenda, aut pro alia quapiam Oeconomica proviſione, dirigat atque demandet; ut in caſu, & caſibus hujuſmodi, omnia ritè ac debito ordine procedant, per eaſdem præſentes etiam decernimus & declaramus, licitum fore prædictæ Congregationi Boni Regiminis, illiuſque Præfecto, in vim talis Pontificiæ Commiſſionis ſtatuere quotam, ſeu quantitatem, pro qua Civitas Firmana, & univerſus Comitatus prædictus, cum cæteris Communitatibus dicti Status Eccleſiaſtici concurrere debebunt: hoc tamen ſtatuentes, ut diviſio & diſtributio ipſius quotæ, ſeu quantitatis, nec non executio repartitionis a Congregatione Boni Regiminis, ut ſupra, factæ, ad prædictam Congregationem Firmanam, illiuſque Præfectum omnino ſpectet, atque pertineat; ita ut quæcumque Ordinationes vigore peculiaris hujuſmodi Pontificiæ Commiſſionis pro tempore factæ, a prædicta Congregatione Boni Regiminis, ejuſque Præfecto, eidem Congregationi Firmanæ dumtaxat, nullatenus autem Gubernatoribus Localibus, multòque minus Communitatibus Civitatis Firmi, ac Caſtrorum, Terrarum, & Locorum Comitatus ejuſdem, dirigantur, & dirigi debeant: Eiſdem planè methodo, ratione, & forma, quæ cum S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis, pro Civitatibus, Caſtris, Terris, & Locis in Provinciis eorundem Cardinalium Legatorum juriſdictioni ſubjectis exiſtentibus, obſervantur.

Congregatio Firmana ſingulis menſibus habenda.

Ut verò deinceps Civitas Firmana prædicta, ejuſque Comitatus, tam in his, quæ ad Politicum, quàm quæ ad Oeconomicam procurationem ſpectant, feliciùs & utiliùs gubernentur, per eaſdem præſentes volumus & mandamus præfatam Congregationem Firmanam ſemel ſingulis menſibus in Ædibus ipſius Cardinalis Præfecti omnino congregari.

De facultatibus Secretarii.

Ipſius autem pro tempore Secretario ſtatuimus non licere ſine ejuſdem Congregationis voto aliquam definitivam reſolutionem capere, aut ad aliquod Decretum, quod per definitivam reparari nequeat, devenire; præſertim ſi aliqua ex Partibus petat, aut profiteatur in actis: *Nihil fieri, niſi*

*facto*

*facto verbo in plena Congregatione.*

Clausulæ præservativæ.

Denique super controversia superiùs enunciata, atque a Nobis, ut præfertur, solemniter ac peremptoriè definita (cujus statum & merita a Nobismetipsis accuratè discussa, ac Judicum, Tribunalium, & Collitigantium nomina, aliaque etiam necessariò exprimenda, præsentibus pro plene & sufficienter expressis haberi volumus) perpetuum Partibus silentium imponimus, atque os occludimus; præsentesque Literas semper firmas, validas, & efficaces esse & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere decernimus, nec de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali, ac formali, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, vel ad terminos juris reduci ullatenus unquam posse;

Decreta irritantia.

Sed sic & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinalium Congregationes, aliosque Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, & alios quoslibet, quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet qua is aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac quibusvis aliis Apostolicis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, nec non etiam, quatenus opus sit, dictæ Civitatis Firmanæ, & Comitatus prædicti, ejusque Castrorum, Terrarum, atque Locorum, aut aliorum quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus, & Litteris Apostolicis memoratis Boni Reginis, & super Consultationibus, aliisque S. R. E. Cardinalium Congregationibus, etiam in limine earum respectivè institutionis, nec non quibusvis aliis Tribunalibus, etiam Collegialibus, ac Personis, & Locis, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur & insererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresè, ac latissimè & plenissimè, motu ac scientia prædictis, ac de potestatis Nostræ plenitudine derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostri statuti, declarationis, præcepti, mandati, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI., 8. Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno VII.

Dat. Pont. An. VII. die 6. Sep. 1746.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

---

Literæ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus Complicum nomina, confirmantur, & ampliantur. XX.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Abusus in administrando Pœnitentiæ Sacramento inductus.

AD eradicandum pravum zizanii semen, quod ab adversario generis humani in Agro Dominico sparsum, per Lusitaniæ primùm Regiones pullulare compertum fuerat; ubi nimirum apud nonnullos Confessarios, in administrando Sacramento Pœnitentiæ, perversa quædam & absurda praxis, Ecclesiasticis Regulis contraria, eidemque Sacramento injuriosa, & ad avertendos Fideles ab ipsius salutifero usu quam maximè tendens, introduci cœperat; pro imposito Nobis vigilandi debito, Apostolicas in forma Brevis Literas direximus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, per Portugalliæ & Algarbiorum Regna atque Ditiones constitutis, quas deinde per alias Nostras sub plumbo expeditas Literas, nuper, quarto nimirum Nonas elapsi mensis Junii, confirmavimus & innovavimus, adjectis nonnullis ordinationibus & declarationibus, quas ad meritas pœnas tam delinquentibus, quàm contrarium tenentibus, sive docentibus, irrogandas, & ad rectum adversus eos procedendi ordinem in prædictis Regnis, & Ditionibus servandum, opportunè expedire in Domino judicavimus.

Aliis Literis Sanctissimi Domini Nostri damnatus fuit.

Earum autem Literarum, quas ad hujusmodi erroris & abusus reprobationem primùm edidimus, hic tenor erat.

*Sequitur integer tenor Literarum Sanctissimi Domini Nostri relat. in Tom. XVI. Constit. CXXXIV. fol.* 304. *&* 305.

Dictarum Literarum confirmatio necessaria.

Quoniam verò nullam Pastoralis vigilantiæ cautelam superfluam esse ducimus, ubi de Fidelium animarum pernicie, deque subvertenda sanæ doctrinæ integritate, & recta Sacramentorum administratione, periculum subesse dubitetur; neque verò ignoramus, alibi quoque auditas esse pœnitentium querelas de importunis nonnullorum Confessariorum perquisitionibus, pro investigandis complicum nominibus, aliisque notitiis, juxta praxim in præinsertis Nostris Apostolicis Literis relatam atque damnatam; erroneas verò quorundam Doctorum hac de re opiniones, vel pravas aliorum rectè opinantium interpretationes & applicationes, in eisdem Literis enunciatas, aliquibus arridere; nec satis eliminatas reputari per ipsas præmissas Literas, quas, utpotè ad Lusitaniæ Regnorum atque Ditionum opportunitatem accommodatas, & pro iisdem solummodò emanatas, generalis definitionis, & legis vim auctoritatemque habere,

Unde præsentibus confirmantur, & ad omnes ubique locorum extenduntur.

ab aliquibus temerè negatum fuit. Ideo Nos, Motu proprio, atque ex certa scientia, hujus Nostræ generalis Sanctionis tenore, ac de Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine, easdem præinsertas Literas iterum confirmantes & roborantes, decernimus & declaramus, memoratam praxim in se ipsâ, & ubique locorum ac temporum, Apostolica auctoritate reprobatam atque damnatam esse, & censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato Nostro Brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perversè interpretari, vel ipsi actu contraire; sub pœnis adversùs tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica rejectas & condemnatas, & respectivè adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, & Ecclesiasticis sanctionibus statutis atque præscriptis.

Clausulæ pro generali, & perpetua Literarum observantia.

Decernentes easdem præinsertas, nec non præsentes Nostras Apostolicas Literas, nullo ex capite, colore, aut prætextu, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed semper firmas, validas, & efficaces existere, & perpetuò fore, atque omnes ubique Terrarum cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, & tam sæculares, quàm quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, quocumque privilegio munitos, aliosque etiam speciali mentione dignos, afficere & arctare, ac suos ubique plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus & singulis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exactè & inviolabiliter observari debere.

Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque auctoritate & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sivè Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis cuicumque Personæ, sive Ordini, Instituto, Societati, & Congregationi, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet clausulis, atque decretis, etiam motu, & Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, in contrarium forsan concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis & insertis, formasque hujusmodi pro plenè & exactè observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus.

De effectu publicationis, & exemplorum auctoritate.

Ut autem eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere possit; volumus easdem per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus Nostris ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, aliisque consuetis Urbis locis publicari, earumque copias ibidem affigi, & affixas relinqui; quæ sic publicatæ & affixæ, omnes & singulos, quos concernunt; arctent & afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatæ & notificatæ fuissent; quodque earundem præsentium Transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio & extra illud, ubique locorum, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergò omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, sanctionis, & voluntatis infringere, seu eidem ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pont. an 7. die 28. Septembris 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI. IV. Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Pro D. Card. Passionei.
Jo. Florius Substitutus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
J. C. Boschi.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die 5. Octobris anni 1746.*

---

XXI.

Distinctio inter Causas Rotales, & Prælatitias, ac Jura Notariorum scribendi, & actitandi in illis respectivè præfiniuntur: & nova methodus statuitur in Auditorio Rotæ observanda, pro celeriori Causarum expeditione.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

JUSTITIÆ & pacis custodes, & adsertores, non solum in universa Ecclesia Christi, sed etiam in subjectâ gubernio nostro Republicâ, a Deo constituti, in id libenter studia nostra conferimus, ut unicuique jus suum æqualiter reddatur; ut negociorum, & Causarum, quæ in Romana potissimum Curia tractantur, & agitantur, ordinatissima ratio constet; sublatisque rerum confusionibus, & noxiis dilationibus, judiciales controversiæ non minus rectum, quàm expeditum cursum, & finem obtineant.

Collegium Scriptorum Archivii à Julio II. erigitur.

Sanè, cum olim unumquodque Romanæ Curiæ Tribunal, proindeque Causarum quoque Palatii Apostolici Auditorium, suos proprios haberet Notarios, & dumtaxat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac ipsius Curiæ Prælati, quibus per speciales Romani Pontificis Commissiones peculiarium Causarum cognitionem interdum delegari contingebat, certos ac proprios Notarios non haberent; ideoque quilibet ipsorum ad scribendum, & actitandum in Causis Commissariis hujusmodi quemcumque maluisset Notarium pro arbitrio suo assumere soleret; fel. recordationis Julius Papa II. Prædecessor Noster per suam perpetuò valituram Constitutionem, sub datum Kalendis Decembris Pontificatus sui Anno Quinto, de Fratrum suorum tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu editam, quæ incipit: *Sicut prudens*, Collegium centum

& unius Virorum, qui Scriptores Archivii prædictæ Romanæ Curiæ nuncuparentur, Apostolica auctoritate erexit, creavit, & instituit; quos quidem Scriptores voluit & mandavit Notarios deinceps esse omnium Judicum Commissariorum in Urbe, exceptis tantummodò ejusdem Romanæ Curiæ Judicibus Ordinariis, vel Delegatis, habentibus Notarios proprios, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quoad Causas coram eis vertentes, eisque commissas; in quibus quilibet eorum Notarios, quos mallent, dummodò essent authentici, & legitimè creati, eligere & deputare valerent: Mox etiam per alias suas Literas, Idibus Decembris ejusdem Anni datas, statuit & declaravit, quod Judices Commissarii prædicti ad scribendum in Causis, & Litibus eis Apostolica auctoritate commissis, & committendis quibuscumque, & coram eis vertentibus, prædictis Scriptoribus Notariis Actuariis omninò uti deberent, nec alios ad scribendum in illis coram se admittere possent.

Cum privativo jure scribendi in Causis Commissariis.

Postmodum Sanctæ memoriæ Pius Papa V. etiam Prædecessor Noster antedictam Julii II. Constitutionem confirmans, ac etiam ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales amplians, & extendens, per Schedulam sui Motus proprii, sub datum videlicet quintodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus sui Anno quarto, propria manu signatam, inter alia concessit & statuit, ut deinceps in omnibus, & quibuscumque Causis coram prædictis Judicibus, etiam Cardinalibus, quomodocumque habendis & agitandis, Collegium ipsum Scriptorum Archivii Romanæ Curiæ Notarios idoneos, qui in ejusmodi Causis scriberent, constituere deberet; nullique omninò ipsorum Judicum, etiam Cardinalium, alios Notarios, etiam dicti Archivii Scriptores, in Causis hujusmodi pro arbitrio constituere possent; sed eos dumtaxat assumere tenerentur, quos Collegium præfatum suo ex grèmio in genere, vel in specie duxisset eligendos.

Quod a Pio V. extendi tur ad Causas etiam Cardinalibus commissas.

Et ipsi Collegio datur facultas eligendi Notarios Actuarios.

Etsi autem ex ipsarum Constitutionum serie planè appareat, jam tunc id esse constitutum, ut jus scribendi, & actitandi in Causis, quæ Auditorio Rotæ committuntur, ad ipsius Rotæ Notarios, ut antea, pertineat; in aliis verò Causis, quæ committuntur in Curia Prælatis, & Cardinalibus, vel etiam Congregationibus particularibus, scribere & actitare debeat Notarius a Collegio Archivii prædicti deputatus; quod etiam confirmatum dignoscitur a recolendæ memoriæ Prædecessore Nostro Urbano Papa VIII., qui per suas Literas in forma Brevis, datas die 22. Februarii Anni MDCXXXI. Pontificatus sui Anno octavo, auditis Partibus in Signatura sua Gratiæ, die 4. ejusdem mensis Februarii habita, Apostolica auctoritate declaravit, Causas pro tempore committendas Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, uti Prælatis, sive cum clausula: *Etiam extra Rotam, & absque participatione Rotæ*, sive absque clausula hujusmodi, spectare ad Officium Archivii prædicti, ejusque Notarium in illis scribere debere; in Causis verò committendis Auditoribus prædictis, etiam extra Rotam, & absque participatione Rotæ, non tamen uti Prælatis, jus scribendi esse penes ejusdem Rotæ Notarios.

Jus scribendi regulatur a qualitate Causarum, & Tribunalium.

Hactenùs tamen nemo Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, genera Causarum hujusmodi secernendo, constituit, quænam Causæ Auditoribus Rotæ, uti Auditoribus, sint committendæ; quæ autem aliis prædictæ Curiæ Prælatis, vel ipsis Rotæ Auditoribus, non uti Auditoribus, sed uti Prælatis, committi possint. Quamvis enim, sicut accepimus, piæ memoriæ Clemens Papa VIII. Noster etiam Prædecessor, hujusmodi definitionem, & separationem aggressus, Schedulam quandam sui Motus proprii sub datum Tusculi Kalendis Octobris Pontificatus sui Anno decimo propria manu signaverit; in qua singula Causarum genera expresserat, quæ ad præfatum Rotæ Tribunal, privativè quoad alium quemcumque Romanæ Curiæ Judicem, pertinere volebat: Hæc tamen Schedula nunquam Legis vim, auctoritatem, & efficaciam habuisse dignoscitur; quum nec super eâ debita Literarum Apostolicarum expeditio sequuta fuerit; sed ipsa dumtaxat in Registis Supplicationum Datariæ Apostolicæ remanserit: Neque verò deinceps Causarum Rotalium a Prælatitiis distinctio ad præscriptum relatæ Schedulæ, sed juxta consuetudinem & stylum Curiæ, ut antea, processerit. Quinimmo quum olim, pro parte Collegii Notariorum Rotæ, similis memoriæ Alexandro Papa VII. Nostro item Prædecessori humiliter supplicatum fuerit, ut plenam executionem, & observantiam prædictæ Schedulæ, juxta omnem illius seriem, & continentiam, præcipere dignaretur; idem Alexander Prædecessor instantiam hujusmodi rejecit, edito desuper rescripto: *Nihil innovari.*

Sed Causarum pertinentia nondum certa lege statuta.

Motus proprius hac de re a Clemente VIII. signatas.

Vim Legis, & effectum non obtinuit.

Verùm ex hoc ipso, quod hujusmodi Causarum distinctio nullius certæ legis stabili ordinatione firmata, stylo dumtaxat, & consuetudini in prædicta Curia pro tempore vigentibus inniti consuevit; facilè adducimur, ut credamus, aliquas variationes, & innovationes, quoad ipsius divisionis observantiam, successu temporis induci potuisse; quum, & sæpè aliàs in Signatura Nostra Justitiæ, super eâdem observantia, & consequenter super competentia Tribunalium, & Judicum in Causis particularibus, auditæ fuerint controversiæ; & ipsi Tribunalium, & Judicum respectivè Notarii, pro suo quisque jure, & interesse, Pontificiam Prædecessorum Nostrorum, & Nostram providentiam imploraverint. Novissimè verò quum inter dilectos Filios Collegium Notariorum Causarum Palatii Apostolici ex una, & Collegium Scriptorum Archivii prædicti ex altera Partibus, orta fuerit lis, & controversia de, & super Causarum diversi valoris, & generis, nec non juris scribendi in illis, respectivè pertinentia, Nos hujusmodi controversiam, ad Nos, & ad Signaturam nostram Gratiæ avocatam, in ipsa Signatura coram Nobis die 19. elapsi mensis Julii habita examinavimus, & rationibus hinc inde deductis maturè sedulòque perpensis, tunc quidem rescribendum duximus, quod *data foret resolutio in Camera*; simul autem animo constituimus, veterem non scriptam prædictæ Curiæ consuetudinem ad Legem scriptam redigere; ut quum, ad tramites hujusmodi Legis, in posterum evidenter apparuerit, quænam sint Causæ, quæ, utpotè graviores, committendæ sunt Auditorio Rotæ, ut ibi collegiali plurium Personarum examine, & judicio decidantur; & quæ sint aliæ, quæ, tamquam minus graves, aliis Romanæ Curiæ Prælatis extra Rotam, vel etiam ipsis Rotæ Auditoribus, non uti Auditoribus, sed uti Prælatis, committi debent; jam dubitari nequeat, quibus in Causis prædictæ Rotæ Notariis, vel potius Archivii Notario, scribendi jus respectivè competat.

De necessitate hujusmodi Legis condendæ.

Causa coram Pontifice in Signatura Gratiæ discussa.

Quæ dat causam Legi per præsentes statuendæ.

Itaque nunc stabili, & congruo rerum ordini, nec non omnium in præmissis interesse habentium indemnitati consulere volentes, prædictamque controversiam penitùs & omninò extinguentes, ac utrique Parti perpetuum silentium desuper imponentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, & declaramus, Causas omnes graviores, quæ in Romana Curia, tam in Tribunali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Nostri, & Romani

Pontifex adjudicat Rotæ Causas GRAVIORES in Urbe judicatas, in secunda, & ulterioribus instantiis.

pro tempore Pontificis in Urbe, ejusque Districtu, Vicarii in spiritualibus Generalis, quàm in Tribunali Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, in prima instantia judicatæ, & definitæ fuerint, in secunda, seu alia ulteriori instantia nullatenus Prælatis extra Rotam, nec ipsis Rotæ Auditoribus, uti Prælatis, sed quidem tam in petitorio, quàm in possessorio Judicio, ejusdem Rotæ Auditorio omninò esse, & fore committendas. Ubi verò Causæ graviores hujusmodi ad Romanam Curiam deferantur in gradu Appellationis a Sententiis, & Judicatis quorumcumque Judicum de Partibus, decernimus, liberum quidem esse Parti appellanti, pro suo arbitrio, vel eas immediatè ad ipsum Rotæ Auditorium committi facere, vel, si maluerit, ad prædictum Cardinalem Vicarium, seu ad Causarum Curiæ Cameræ prædictæ generalem Auditorem, juxta horum duorum Tribunalium congruas facultates, appellationem interponere: Verum deinde, si ulteriori appellationi locus sit, volumus eas prædictæ Rotæ Auditorio, nunquam autem Prælatis extra Rotam, neque ipsis quidem Rotæ Auditoribus, uti Prælatis, committi posse.

Item graviores de partibus, in secunda instantia, arbitrio Appellantis.

In ulterioribus vero instantiis, cum privativa.

Contra verò Causæ minùs graves, super quibus in prima instantia in alterutro Tribunalium prædictorum Romanæ Curiæ, nimirum Cardinalis Vicarii, aut Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, definitivè pronunciatum fuerit, volumus, atque statuimus, ut in gradu appellationis, tam in judicio petitorio, quàm in possessorio, omninò committi debeant Prælatis extra Rotam, vel etiam ipsis Rotæ Auditoribus, non tamen uti Auditoribus, sed dumtaxat uti Prælatis: Quod si Causæ hujusmodi a Judicatis, & Sententiis Judicum de Partibus ad ipsam Romanam Curiam delatæ sint, primò quidem in gradu appellationis earum cognitio ad Cardinalis Vicarii, aut præfati Auditoris Generalis Tribunal, juxta utriusque Tribunalis respectivas facultates, spectet, atque pertineat: In ulterioribus verò Instantiis, quatenùs ipsis locus sit, hujusmodi Causæ omninò committi debeant Prælatis extra Rotam, vel etiam ipsius Rotæ Auditorio: Salva nihilominùs Partibus collitigantibus facultate recurrendi ad Signaturam Nostram Justitiæ in casibus purgationis Spolii, attentatorum, & nullitatis prædictorum Judicatorum, aliorumque Decretorum, & Actorum, quorum propterea circumscriptio coram eâdem Signatura Justitiæ petatur; in quibus sanè casibus, integrum sit eidem Signaturæ, prædictas Causas minus graves committere alicui ex Prælatis, aut eas remittere ad Cardinalem Vicarium, aut Causarum Curiæ Cameræ prædictæ Generalem Auditorem, prout ipsarum Causarum qualitates, & dictorum Tribunalium facultates respectivè exegerint.

Causas minus graves, & consequentes Rotales, & non Prælatitiæ, ut supra, censeantur, & censeri debeant Causæ omnes, in quibus agitur de Jurisdictionibus, exemptionibus, adoptionibus, sponsalibus, filiationibus, legitimitatibus, præeminentiis, & præcedentiis, Juribus quoque Patronatus, aliisque honorificis nominandi, eligendi, conferendi, & similibus, aut de Juribus decimandi, quotizandi, aliisque similibus: Causæ quoque servitutis personalis, & generaliter omnes, & singulæ Causæ pecuniariæ & profanæ, tum Citramontanæ, tum de Partibus ultra Montes positis, infrascriptam summam respectivè attingentes, Citramontanæ nimirum, si & quatenus earum valor, & æstimatio ad summam, & quantitatem quingentorum scutorum auri, aliæ verò de Partibus ultra Montes, dummodò ipsarum valor, & æstimatio ad summam mille scutorum auri similium, respectivè ascendat.

Sed illas de partibus in secunda Instantia, Card. Vicario, sive A. C.

Prælatis autem in ulterioribus.

Salvis facultatibus Signaturæ Justitiæ.

Quæ Causæ censendæ sint graviores.

Item Causas graves, & consequenter Rotales, ac minime Prælatitias, ad præmissorum effectum, decernimus intelligendas esse & fore Causas illas Beneficiales, in quibus agitur de Titulo Beneficii, ac de Jure in re, vel ad rem, nempè ad ipsum Beneficium; sicut etiam Causas super Pensionibus Ecclesiasticis, aut super reservationibus fructuum, reddituum, & proventuum Beneficiorum Ecclesiasticorum; quoties annuus valor Beneficii litigiosi, ac respectivè annua Pensio, aut quantitas fructuum reservatorum, summam vigintiquatuor ducatorum auri de Camera excedat; easque præterea Causas, in quibus agitur de primis Dignitatibus Ecclesiarum, nempè de Dignitate post Pontificalem majore in Cathedralibus, aut de Dignitate principali in Collegiatis Ecclesiis, cujuscumque valoris Dignitas hujusmodi existat; omnesque hujusmodi Causas, utpote graviores, inter Rotales, non autem Prælatitias, volumus accenseri.

De causis Beneficialibus.

Graviores itidem Causas esse declaramus, & censeri debere statuimus omnes Causas Matrimoniales, tam super fœdere Matrimonii, quàm super divortio; nec non Causas omnes super nullitate Professionis Regularis emissæ; & has quidem nunquam Prælatis, neque Rotæ Auditoribus, uti Prælatis, quantumvis accedente consensu Partium, committi volumus; sed aut ipsi Rotæ Auditorio committi, aut a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium interpretationi, & executioni Decretorum Concilii Tridentini præposita, vel etiam, quoad causas nullitatis Professionis prædictæ, a Congregatione ejusdem S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, pro arbitrio, & ad electionem Partis appellantis, seù recurrentis, cognosci & definiri mandamus; non obstante, quod Causæ hujusmodi de sui natura & qualitate, Processum judiciarium, atque etiam formale Testium examen, exigant vel requirant; quemadmodum, quoad Causas Matrimoniales hujusmodi, Nos dudùm per aliam Nostram Constitutionem, quæ incipit: *Dei miseratione* Tertio Nonas Novembris Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLI., Pontificatus Nostri secundo, editam, statuimus & ordinavimus.

De causis Matrimonialibus, & super nullitate Professionis Regularis.

Hæ nunquam Prælatis committantur.

Causas autem minus graves, adeoque Prælatitias, & non Rotales, ut supra, censendas esse & fore decernimus omnes Causas pecuniarias, aut profanas, quarum valor vel æstimatio, quoad Citramontanas, summam quingentorum scutorum aureorum, quo verò ad Causas de Partibus ultra Montes, mille scutorum auri similium summam non attingat: Itidem Causas Beneficiales, aut super Pensionibus Ecclesiasticis, seu reservationibus fructuum Beneficiorum Ecclesiasticorum, ubi valor annuus Beneficii, aut annua Pensio, vel quantitas fructuum reservatorum, summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excedat, ac dummodò non agatur de Dignitate post Pontificalem majore in Cathedrali, aut principali in Collegiata Ecclesia.

Causæ minus graves quænam censendæ sint.

In Censuum autem, Canonum, & Servitutum Causis, ut pro earum valore æstimando, ac determinandâ consequenter earum pertinentia, certam similiter, & æquam regulam, & normam tradamus; decernimus, atque statuimus, ut ubi agatur de Censibus redimibilibus, & ad formam Constitutionis prædicti Pii Papæ V. creatis seu constitutis, & Census ipse in controversia versetur, attendenda sit quantitas, seu valor sortis, sive proprietatis Censuum hujusmodi: Ubi verò controversia sit de aliquo

Qua ratione æstimandus sit valor Causarum super Censibus, Servitutibus &c.

Censu reservativo, Canone, Livello, aut aliqua annua, & perpetua præstatione, tamquam debita ex certo fundo, nunc volumus haberi rationem valoris ipsius fundi, super quo, sive ex quo hujusmodi Census, seu Canon, Livellum, aut præstatio, constituta, reservata, seu aliàs quoquo modo debita fuerint: In Causis autem Servitutis realis aut mixtæ, considerandum esse volumus valorem prædii, super quo Servitus ipsa contenditur: Ad hoc nimirum, ut singulæ Causæ hujusmodi, pro earum respectiva æstimatione, & prout ex partibus citra, vel ultra Montes fuerint, juxta eà, quæ in superioribus præscripsimus, Rotales, aut Prælatitiæ censeantur.

Consensus Partium quid operetur, & quomodo apparere debeat.

Volumus tamen, atque concedimus, ut, salvis & exceptis, ut supra, Causis Matrimonialibus, & super nullitate Professionis, in quibus nè consensus quidem Partium erit attendendus, in cæteris omnibus Causis prædictis, liceat & integrum sit Partibus collitigantibus inter se concordare, & consentire, quod Causa etiam minus gravis, & de sui natura, & qualitate, ut prædiximus, Prælatitia, Auditorio Rotæ committatur; & è converso, quod Causa etiam gravior, & de sui natura, ut præscripsimus, Rotalis, committatur alicui Prælato extra Rotam: Utque ad hujusmodi effectum consensus Partium attendatur: Hoc tamen statuentes, ut consensus hujusmodi a legitimis earundem Partium respectivè Procuratoribus expresè præstitus appareat a tergo Commissionis, nec aliter: Ac decernentes, quod quoties Partes collitigantes consentiant, ut causa aliqua gravis, & de sui natura Rotalis, ut supra, alicui Prælato committatur, possit quidem Causa ipsa in vim talis consensus committi cuilibet Prælato in Curia extra Rotam, nunquam autem alicui ex ipsius Rotæ Auditoribus, uti Prælatis.

De Causis ad Forum Capitolii spectantibus.

Quod autem attinet ad Causas, quæ ad Forum Curiæ Capitolii, ex præscripto Statutorum Urbis, & privilegiorum Populi Romani, pertinere dignoscuntur, declaramus Causas hujusmodi tam graves, quàm minus graves, nunquam ab ipsa Curia Capitolii avocari, nec ipsi accedente, ut supra, communi omnium Partium collitigantium consensu, prædicto Auditorio Rotæ, aut alteri cuicumque Judici extra Rotam committi posse.

Notariorum jura a Tribunalium facultatibus, & competentiis regulantur.

Causis itaque Rotalibus a Prælatitiis sic, ut præmisimus, distinctis atque discretis, consequens est, ut pertinentiam quoque Juris scribendi, & actitandi in prædictis respectivè Causis congruâ ratione secernamus: Quocirca statuimus, & simili modo declaramus, atque decernimus, Jus scribendi, & actitandi in singulis respectivè Causis, Notario, seu Notariis illius Tribunalis, vel Judicis, cui singulæ Causæ pro tempore commissæ remanebunt, omnino competere, affectumque esse, & fore: Itaut in omnibus, & singulis Causis, sive ob earum naturam, sive propter Partium collitigantium consensum prædictæ Rotæ Auditorio pro tempore commissis, & committendis, ipsius Rotæ Notariis, privativè quoad cæteros quoscumque Notarios, etiam Collegii Scriptorum Archivii, & Curiæ Capitolii: Contra verò in omnibus, & singulis Causis, quæ ob earum naturam, vel de Partium collitigantium consensu, Prælatis extra Rotam, vel, tamquam de sui natura Prælatitiæ, ejusdem Rotæ Auditoribus, non uti Auditoribus, sed uti Prælatis, commissæ fuerint, Notarius Archivii, privativè quoad alios quoscumque, & signanter quoad Rotæ, & Curiæ Capitolinæ Notarios, scribere debeant, & actitare.

Notarius Archivii jus habet scribendi coram Cardinalibus, &

Item prædictus Archivii Notarius, privativè quoad quoscumque alios, scribere debeat in Causis cujuscumque qualitatis, aut valoris, quæ per specialem Commissionem manu Nostra, aut Successorum Nostrorum signatam, commissæ sunt, seu committentur alicui ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut alicui Congregationi, sive ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sive Romanæ Curiæ Prælatorum specialiter deputatæ, exceptâ dumtaxat Congregatione memorati Tribunalis Auditoris Generalis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ proprios Notarios habentis.

Congregationibus deputatis.

Quocirca Officiali super revisione Commissionum nunc & pro tempore deputato, per easdem præsentes injungimus, & districtè præcipiendo mandamus, quatenùs ex nunc antiquum Curiæ stylum, aliàs religiosè servatum, omninò resumens, nullam in posterum Commissionem ad Rotam directam in Causis pecuniariis, aut profanis relaxet, seu transitum habere finat, nisi expressam habeat clausulam: *Attento quod agitur de Causa citra Montes ascendente ad valorem quingentorum scutorum aureorum*, & respectivè in Causis profanis ultra Montes, nisi habeat clausulam: *Attento quod agitur de Causa ultra Montes ascendente ad valorem scutorum mille auri.* Itidem diligenter attendat, ne transitum habeat aliqua Commissio in Causis Beneficialibus Rotæ directa, nisi habeat clausulam: *Attento quod agitur de Beneficio*, aut de Pensione, *excedente annuum valorem vigintiquatuor ducatorum auri de Camera*: vel, *Attento quod agitur de prima Dignitate in Cathedrali*, vel *Collegiata.*

De officio Revisoris Commissionum, quoad Causas Rotales.

Pari ratione diligenter observet, ut in Commissionibus ad Prælatos extra Rotam, vel etiam ad ipsius Rotæ Auditores uti Prælatos dirigendis, si agatur de Causis pecuniariis, aut profanis, adsit clausula: *Attento quod agitur de Causa citra Montes infra valorem quingentorum scutorum mille aureorum*: seu, *Ultra Montes infra valorem scutorum mille aureorum*: Si verò agatur de Causis Beneficialibus, expressa sit clausula: *Attento quod agitur de Beneficio*, seu de Pensione, *non excedente annuum valorem vigintiquatuor ducatorum auri de Camera.*

Quoad Causas Prælatitias.

Si verò contingat, quod aliqua Causa, quæ propter ipsius qualitatem, aut valorem, prædictæ Rotæ Auditorio committenda esset, ob Partium collitigantium consensum, alicui Prælato extra Rotam committatur; vel contra, aliqua Causa ad forum Curiæ Capitolii pertinens, seu propter ipsius qualitatem, & valorem alicui Prælato extra Rotam committenda, ob hujusmodi Partium consensum, Rotæ committatur: In singulis Causis prædictis idem Officialis ad Commissionum revisionem deputatus advertat, ut in Commissione adsit clausula: *Attento consensu Partium.* Et quod a tergo Commissionum hujusmodi dictus consensus per Procuratores Partium collitigantium, prout superiùs præscripsimus, verè sit præstitus: Quod si Officialis prædictus in præmissis, vel eorum aliquo, injunctum sibi munus neglexerit, omnes & singulas expensas, etiam extrajudiciales, a Partibus factas, tam pro ipsa mendosa Commissione, quàm pro quibuscumque actibus inde secutis, eisdem Partibus reficere, ac de suo omninò solvere teneatur, ac præterea pœnam remotionis ab officio, seu privationis ejusdem, arbitrio Nostro, & Successorum Nostrorum incurrat.

Quoad Commissiones de consensu Partium expeditas.

Et quidem hujusmodi decretorum & statutorum Nostrorum formam, in quibuscumque Causarum Commissionibus, quas in posterum post præsentium publicationem expediri continget, omnino servari volumus, & jubemus. Quo verò ad Commissiones, quæ jam nunc expeditæ & in Causa positæ, vulgò *incassatæ*, reperiuntur, declaramus præmissas Nostras leges & ordinationes locum dumtaxat habere, quatenus in ipsarum Commissionum sequelam

Præmissa quatenus procedant & afficiant.

nondum transportata sint acta, & reproducta citatio *ad dicendum contra jura* coram Judice, cui directa est commissio; Quod si acta jam sint transportata, & citatio hujusmodi coram præfato Judice jam reproducta fuerit, volumus ipsam respectivè Commissionem, licèt contra decretorum Nostrorum formam expedita appareat, firmam remanere, usque ad illius instantiæ consummationem, non tamen ultra; itaut in altera ulteriori instantia præsentis Nostræ Constitutionis præscriptum omnino servari debeat, & adimpleri.

Commissiones contra formam præsentium expeditæ, nisi signatæ sint manu Pontificis, irritantur.

Cæterum omnes & quascumque Commissiones, quas deinceps aut Rotæ, aut Prælatis, contra formam & præscriptum earundem præsentium, respectivè dirigi contingat, nullas, irritas, & inanes, nulliusque roboris vel momenti fore, nullamque jurisdictionem eidem Rotæ, aut Prælatis prædictis tribuere posse, harum serie decernimus & declaramus; nisi fortè signatæ fuerint mana nostra, aut Successorum Nostrorum, quibus semper integra erit, plenaque, & libera potestas committendi quascumque Causas, cujuscumque naturæ, qualitatis, & valoris existant, vel sæpedicto Auditorio Rotæ, vel alicui Congregationi particulari, vel S. R. E. Cardinalibus, seu Romanæ Curiæ Prælatis, aut alii cuicumque, etiam simplici Doctori, prout Nobis, aut eisdem Successoribus nostris, magis visum fuerit salubriter expediré.

Nova methodus in Rota servanda, pro celeriori causarum expeditione.

Ad hæc celeriori Causarum in præfato Auditorio Rotæ vertentium expeditioni, quæ, propter facilè contingentem in pari judicantium numero suffragiorum æqualitatem, aliquando nimis diù protrahi & retardari dignoscitur, per Nostræ auctoritatis & providentiæ remedia prospicere volentes; eisdem motu, scientia, ac tenore, statuimus & mandamus, ut, firmo remanente stilo, seu consuetudine, proponendi pro prima vice omnes Causas in Turno ordinario, in quo quatuor Causarum hujusmodi Auditores suffragium ferant, si tamen in posterum, in prima seu ulteriori alicujus Causæ propositione, propter prædictam suffragiorum æqualitatem, decisiva resolutio prodire nequeat, non amplius hujusmodi Causa cum iisdem quatuor suffragiis reproponatur; itaut, coæquatis forsan iterum suffragiis, rescribi deinde oporteat, ut hactenus rescriptum fuit: *Videant quintus & sextus*; sed statim ab ipsa prima vice rescribi volumus: *Iterum proponatur, & videant quintus, sextus, & septimus*, ad hoc nimirum, ut in altera Causæ propositione omnino prodeat illius resolutio; Decernentes ipsam hujusmodi Causam semper deinceps cum quinto, sexto, & septimo, usque ad extremam illius definitionem, remanere.

Causæ iterum proponendæ, videantur statim a quinto, sexto, & septimo.

Quid in Causis, quæ proponuntur videntibus omnibus.

Quia verò interdum evenit, ut Romanus Pontifex aliquam Causam eidem Causarum Palatii sui Auditorio committat, cum clausula: *Videntibus omnibus*, aliæque plures Causæ jam in Turno ordinario, sive etiam suffragantibus quinto & sexto, discussæ, ob iteratam suffragiorum coæquationem, de mandato ipsius Rotæ, ab omnibus videri debeant; nè fortè hujusmodi quoque Causarum resolutionem, divisis æqualiter omnium suffragiis, ut nonnunquam accidit, adhuc retardari contingat; volumus pariter, atque præcipimus, ut quoties in aliqua Causa, vel ex speciali Commissione Romani Pontificis, vel ex rescripto ipsius Rotæ, omnes Auditores suffragium ferre debent, si Auditores suffragia ferentes disparis numeri existant, antiquus stilus servetur, nimirum quod Auditor proponens suffragium non ferat; Si verò suffragia ferentes sint numeri paris, vel casu aliquo ad numerum parem reducantur, debeat tunc in ipsa Causa suffragium ferre etiam Auditor proponens, ad hoc ut ipsius Causæ resolutio semper & omnino sequatur, nec de cætero, videntibus omnibus, suffragia coæquari possint.

Clausulæ pro Literarum perpetua firmitate.

Decernentes easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo, solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, aut quocumque alio colore, occasione vel causa, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque Juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari posse, nec sub ullis specialibus, vel generalibus similium, vel dissimiium gratiarum revocationibus, modificationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoque valida, firma, & efficacia existere & fore, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, & adimpleri debere.

Decreta irritantia, sublata cuilibet secus judicandi facultate.

Sicque, & non aliter, in præmissis omnibus & singulis per prædictos & alios quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, in quavis Causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executio committitur Auditori Sanctissimi.

Quamobrem Dilecto Filio Magistro Clementi Argenvillieres, Nostro, & pro tempore existenti Romani Pontificis Auditori, per easdem præsentes committimus, & injungimus, quatenus hujusmodi ordinationem, declarationem, statutum, aliaque præmissa perpetuò ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter & inviolabiliter observari, & adimpleri faciat, & mandet: non permittens eos, quorum favorem illa respectivè concernunt, in præmissis quomodolibet indebitè molestari.

Contrariis ampliſſimè derogatur.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quarumcumque Urbis Curiarum, & Tribunalium, etiam Auditorii præfati Causarum Palatii nostri Apostolici, ac Notariorum ejusdem, & Scriptorum Archivii respectivè Collegiorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis respectivè statutis, reformationibus, legibus, usibus, stilis, & consuetudinibus, quantocumque tempore observatis & toleratis; privilegiis quoque, Indultis, concessionibus, facultatibus, & Literis Apostolicis quibusvis Superioribus, Tribunalibus, Judicibus, & Personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis; aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, etam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac ex titulo oneroso, aut aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum omnium

& singulorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expressè, ac latissimè & plenissimè, harum serie derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præservantur Cumulativæ, Privativæ cuilibet jure competentes.

Per præsentes autem nostras Literas non intendimus cuicumque cumulativæ, aut privativæ Jurisdictioni, S. R. E. Cardinalibus, nec non Curiæ Cæsarum Cameræ Apostolicæ, aliisque dictæ Urbis Curiis, & Tribunalibus, ac Congregationibus, & Judicibus, in vim alicujus Constitutionis Apostolicæ, attributæ & competenti, in aliquo præjudicare.

Publicationis effectus, & exemplorum auctoritas.

Ut verò præsentes Literæ, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus & decernimus, easdem præsentes ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, aliisque locis solitis & consuetis, per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui: Quæ sic publicatæ & affixæ, omnes & singulos, quos concernunt, in Urbe commorantes, perinde afficiant & arctent, ac si illorum unicuique personaliter intimatæ & notificatæ fuissent; quodque earundem præsentium Transumptis & exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides in Judicio & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus originalibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ Definitionis, Declarationis, Divisionis, Ordinationis, Statutorum, Decretorum, & Voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pont. An. VII. die 9. Octob. 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI., 6. Nonas Octobris, Pontificatus Nostri Anno VII.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die* 10. *Octobris* 1746.

---

XXII. Divisio Territorii Episcopatus Fluminis Januarii in Brasilia, & nova erectio Episcopatuum Mariannensis, & Sancti Pauli, nec non Prælaturarum Gojasiensis, Cujabaensis etiam in Brasilia.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Motu proprio &c.*

Procœmium.

GANDOR lucis æternæ, & Imago Bonitatis Divinæ Unigenitus Dei Filius Jesus Christus Dominus Noster illuminans mirabiliter de excelso sancto suo usque ad longinquum Orbem terrarum suscitavit in corde Charissimi in Christo Filii Nostri Joannis hoc nomine Quinti Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris spiritum Sapientiæ, & Intellectus, ad manifestandum Gentibus magnalia supernæ virtutis suæ; ad revelandum sedentibus in umbra mortis, quia ipse est Deus conspector sæculorum; & ad confortandum habentes mysterium Fidei, illosque dirigendum ad viam salutis ambulantes in lenitate Nominis sui.

Hoc sanè spiritu ductus Joannes Rex præfatus mentis suæ aciem convertit ad partes Americæ Dominio suo in temporalibus subjectas, prospicienque in Provincia Brasilienſi Fluminis Januarii Diœcesim, benedicente Domino, per manus evangelizantium Nomen sanctum ejus a primæva sui Episcopatus fundatione eò longitudinis protentam, ut a remotioribus illius Locis preces, & querelæ Populorum ad Antistitis auditum, anno nisi transacto, pervenire nequeant; hinc timendum, ne qui fuerunt aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ambulent vigilantes, ut filii lucis, & per bona opera certam suam vocationem, & electionem facientes; sed rursus abalienati sint in confusionem, & facti abominabiles; unde illud Prophetæ inducatur super eos: *Abducti sunt quasi Grex: Affligentur, quia non est eis Pastor*, nisi ille, *qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id, quod fiat, non enutriet*: Nobis propterea per dilectum filium Emanuelem Pereyra de Sampajo Commendatorem Militiæ Domini nostri Jesu Christi regiis Lusitaniæ negociis apud Nos, & Sanctam Sedem Præpositum nuper exponi fecit, quòd, si amplissima Diœcesis hujusmodi in unum Fluminis Januarii jam existentem pro uno, & in alium in Sancti Pauli pro alio, ac in reliquum Episcopatus in Mariannæ Civitatibus dictæ Diœcesis, ut infra, erigendos, pro reliquo Episcopis, & Pastoribus: nec non in unam super Gojasiensi pro uno, ac in alteram Prælaturas similiter, ut infra, erigendas super Cujabaensi territoriis ejusdem Diœcesis pro altero Prælatis divideretur, qui Populos suæ curæ respectivè commissos, vel de potestate tenebrarum eriperent perducentes eos ad coruscantem gratiam luminis sempiterni; vel transcensis Fidei rudimentis erudirent ipsos in operibus justitiæ, ea, quæ sursum sunt, quærendo, & ea, quæ sursum sunt, sapiendo; ex hoc profectò tot incommodis præfatis, tantis animarum periculis, & spirituali earundem profectui opportunè consultum foret.

Petitio a dicto Rege Pontifici facta super divisione Episcopatus Fluminis Januarii.

Hæc ut percepimus, primùm manus nostras levavimus ad eumdem Unigenitum Dei Filium, cujus vices, licet immeriti, gerimus in terris, gratias enixè agentes de tam ferventi præfati Joannis Regis Charissimi Filii Nostri, Filii verè in Christo Charissimi, spiritu sibi cælitus effuso: inde ad Pastoralem sollicitudinem nostram respicientes, votis ejusdem Joannis Regis Catholicâ pietate dignis Nobis superiùs expositis propensiùs, ac celeriter annuimus.

Sensus Pontificis.

Quare in præmissis, ut præfertur, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac gloriosæ ejus Genitricis Mariæ, totiusque Curiæ Cælestis honorem, & ipsius Fidei Catholicæ exaltationem dictam Diœcesim Fluminis Januarii in quinque partes dividimus.

Qui Diœcesim Fluminis Januarii in quinque dividit partes.

Ac unam antiquo Episcopatui Fluminis Januarii relinquimus, quæ ab infrascripta Diœcesi Sancti Pauli versus Austrum per limites Præfecturarum sæcularium Fluminis Januarii, & Sancti Pauli usque ad fluvium Paraibam separetur; inde per istummet fluvium usque ad Cataractam majorem, quæ per montes ad campestria Goaitacasium dicta erumpit; a loco verò Cataractæ præfatæ per summos eorumdem montium vertices a Mariannensi Diœcesi infrascriptâ disterminata remaneat, donec Archiepiscopatus Sancti Salvatoris territorium attingat, cum quo idem servet confinium dictus Episcopatus Fluminis Januarii, quod hactenus habuit.

Unam antiquo Episcopatui relinquit.

Ac aliam Episcopatui Sancti Pauli, cujus cum alia Fluminis Januarii usque ad Paraibam supra indicati sunt limites, quæque ex illo fluvio

Assignat secundam Episcopatui Sancti Pauli.

usque

usque ad alium magnum, sive Paranaensem nuncupatum a Diœcesi Mariannensi infrascripta per terminos inter Præfecturas Sancti Pauli, & Fluminis Januarii, ac Aurifodinarum generalium constitutos distinguatur; inde per ipsum fluvium magnum, quàcumque ditionem Portugalliæ Regis intersluit, a Prælatura Gojasiensi, ut infra, erigendâ disjungatur.

Tertiam Episcopatui Mariannensi.

Ac aliam Episcopatui Mariannensi, quæ ab aliis Episcopatibus Fluminis Januarii, & Sancti Pauli, ut supra, divisa de cætero à Prælaturâ Gojasiensi, ut infra, erigendâ per terminos Præfecturarum sæcularium Sancti Pauli, & Aurifodinarum generalium separata remaneat, ac erga præfatum Archiepiscopatum Sancti Salvatoris, & Episcopatum Pernambucensem antiquos præfati Episcopatus Fluminis Januarii limites retineat.

Quartam Prælaturæ Gojasiensi.

Ac aliam Prælaturæ Gojasiensi, quæ a præfatis Episcopatibus Sancti Pauli, & Mariannensi, ut supra, divisa eisdem circumsepta limitibus erga Pernambucensem, Maragnonensem, & Paraensem Episcopatus remaneat, quos nunc habet præfata Diœcesis Fluminis Januarii.

Et quintam Prælaturæ Cujabaensi.

Ac reliquam præfatæ Diœcesis Fluminis Januarii divisæ hujusmodi partes Prælaturæ Cujabaensi, ut infra, respectivè erigendis, quæ a præfata Prælatura Gojasiensi per terminos inter Audientiam, vulgò *Ouvidoria*, Cujabaensem, & duas alias Gojasiensem, & Sancti Pauli constitutos separata remaneat, respectivè assignamus.

Nova erectio dictorum duorum Episcopatuum, & Ecclesiarum Cathedralium.

Illisque sic divisis, & assignatis in earum secundâ Civitatem Sancti Pauli cum suo in unum Sancti Pauli, & in earum tertiâ Civitatem Mariannensem cum suo respectivè territoriis præfatis in alterum Episcopatus Mariannensem respectivè nuncupandos, ac in præfatâ Civitate Sancti Pauli Parochialem Ecclesiam ejusdem Sancti Pauli in Cathedralem Ecclesiam sub Invocatione Assumptionis Beatæ Mariæ, & Sancti Pauli, pro uno Sancti Pauli; & in dicta Civitate Mariannensi Parochialem Ecclesiam Beatæ Mariæ de Carmelo nuncupata, relictâ denominatione hujusmodi, in Cathedralem pariter Ecclesiam sub Invocatione ejusdem Assumptionis Sanctissimæ Virginis pro altero Episcopis Mariannensi respectivè nuncupandis, qui illis respectivè præsint, ac eas ad formam Cathedralium Ecclesiarum redigi respectivè faciant, nec non in eis Archidiaconatum post Pontificalem majorem, & Archipresbyteratum secundam, & Cantoratum tertiam, & Thesaurariatum quartam Dignitates, nec non decem Canonicatus, totidemque Præbendas, inter quas Theologalis, & Pœnitentiaria nuncupatæ Præbendæ respectivè existant, cum opportuno, & competenti Cappellanorum, aliorumque Ministrorum numero, quas, & quos in unaquaque earum præfatus Joannes Rex ex suis regiis redditibus congruè respectivè fundare destinat; nec non in eis, & dictis Civitatibus Sancti Pauli, & Mariannensi, & earumdem Ecclesiarum Diœcesibus alia Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, quæ inibi divino cultui, & dictarum Ecclesiarum servitio, & Ecclesiastici Cleri decori sibi respectivè videbuntur convenire, de præfati Joannis, & pro tempore existentis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis consilio, & assensu, ac prævià earum, & eorum congruâ respectivè dotatione, quamprimum fieri poterit, respectivè erigant, & instituant; nec non Episcopalem jurisdictionem, authoritatem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quæ Ordinis, quæque jurisdictionis, & cujuslibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quæ alii tam in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Dominis, quàm alibi ubicumque constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus de jure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet ex privilegiis, gratiis, & Indultis, ac dispensationibus Apostolicis, quæcumque fuerint, etiam per litteras Apostolicas eis desuper nominatim, & in specie concessas authoritate, & facultate suffulti, facere, & quibus uti solent, & possunt, pariformiter æquè principaliter, & absque ulla prorsus differentia, perinde ac si sibi quoque nominatim, & in specie concessa, & expressa respectivè fuissent, etiamsi talia sint, quæ specialem notam, & mentionem requirant, & sub generali concessione non veniant, in suis respectivè Diœcesibus Sancti Pauli, & Mariannensi facere, gerere, & exercere liberè, & licitè possint, & debeant; ac pro tempore existenti Archiepiscopo Sancti Salvatoris jure Metropolitico, prout ante divisionem, & assignationem præfatas Diœcesis præfata Fluminis Januarii existebat, respectivè subsint, cum Sede, Mensâ, allisque Insigniis Episcopalibus, nec non præeminentiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus cæteræ Cathedrales Ecclesiæ Regnorum, & Dominiorum præfatorum similiter de jure, vel consuetudine, aut speciali privilegio, seu Indulto Apostolico, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de simili potestatis plenitudine, Apostolicâ authoritate præfatâ perpetuò respectivè erigimus, & instituimus.

Assignatio Civitatis & Diœcesis.

Ac eisdem sic respectivè erectis Ecclesiis Sancti Pauli videlicet, Civitatem Sancti Pauli pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, & Territoria quocumque nomine nuncupata, quæ in secundâ parte divisâ præfatâ, & eidem Episcopatui Sancti Pauli assignatâ, ut præfertur, continentur, pro Diœcesi; Mariannensi verò Civitatem Mariannensem pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, & Territoria quocumque nomine pariter nuncupata, quæ in tertiâ parte divisâ præfatâ, & eidem Episcopatui Mariannensi assignata, ut præfertur, continentur, pro Diœcesi; nec non Ecclesiasticas pro respectivè Clero, & sæculares personas in Civitatibus, & Diœcesibus hujusmodi pro tempore respectivè degentes pro respectivè Populo, de potestate, & authoritate similibus etiam perpetuò concedimus, & assignamus.

Subjectio Cleri & Populi.

Ac Civitatem, Clerum, & Populum Sancti Pauli Episcopo Sancti Pauli; Civitatem verò, Clerum, & Populum Mariannensem Episcopo Mariannensi quoad Episcopalem Ordinariam, & Archiepiscopo Sancti Salvatoris pro tempore existenti præfato quoad Metropoliticam jurisdictionem, & superioritatem de potestatis plenitudine pari etiam perpetuò subjicimus.

Applicatio reddituum.

Nec non Sancti Pauli, & Mariannensi Mensis Episcopalibus hujusmodi pro earum respectivè dote redditus annuos quingentorum septuaginta unius ducatorum auri de Camera per ipsum Joannem Regem assignandos, quam quidem summam idem Joannes Rex de suis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum, hujusmodi bonis gratiosè, & irrevocabiliter ad hunc effectum donavit, & obtulit, ac solvere quotannis promisit, seu promittit, ex tunc, prout ex ea die, & ex nunc, postquam assignati fuerint, ut præfertur, similiter perpetuò applicamus, & appropriamus.

Jus patronatus favore dicti Regis.

Et insuper Joanni Regi, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus præfatis Jus patronatus, & præsentandi personas idoneas ad dictas Ecclesias Sancti Pauli, & Mariannensem videlicet Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici infra annum, ob locorum distantiam, tam hac prima vice, quàm quoties illas deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, per Nos, & pro tempore existentem Romanum

Pontifi-

Pontificem præfatum in Sancti Pauli, & in Mariannenſis Eccleſiarum hujuſmodi reſpectivè Epiſcopos, & Paſtores ad Præſentationem præfatam, & non aliàs reſpectivè præficiendas: Ad majorem verò poſt Pontificalem, ac alias Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, nec non Beneficia, ut præfertur, reſpectivè erigenda, cum de Joannis Regis, & pro tempore exiſtentium Regum præfatorum pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primæva erectione, quàm ex tunc deinceps, quoties illa, quibuſvis modis, & ex quorumcumque perſonis etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit, Epiſcopo Sancti Pauli, & Epiſcopo Mariannenſi pro tempore reſpectivè exiſtentibus infra terminum a jure præfixum ſimiliter per eos ad Præſentationem præfati Joannis Regis, & pro tempore exiſtentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum in ipſis Dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis inſtituendas, eâdem auctoritate etiam perpetuò reſervamus; & concedimus; Decernentes Juſpatronatus, & præſentandi hujuſmodi Joanni, & pro tempore exiſtentibus Regibus præfatis ex meris fundationibus, & dotationibus competere; illique etiam per Sedem eamdem, etiam conſiſtorialiter, quâcumque ratione derogari non poſſe, nec derogatum cenſeri, niſi ipſius Joannis, & pro tempore exiſtentium Regum præfatorum ad id expreſſus accedat aſſenſus; & ſi aliter quovis modo derogetur, derogationes hujuſmodi cum inde ſecutis nullius roboris, efficaciæ, & momenti fore.

Erectio dictarum duarum Prælaturarum.

Quartam verò, & quintam partes diviſas præfatas, &, ut præfertur, Prælaturis Gojaſienſi, & Cujabaenſi, &, ut infra erigendis reſpectivè aſſignatas cum illarum reſpectivè Territoriis, Oppidis, Villis, Locis, nec non Clero, Populo, & perſonis, ac Monaſteriis, Eccleſiis, Collegiis, & piis Locis, ac Beneficiis Eccleſiaſticis ſæcularibus, & quorumvis Ordinum regularibus ab omni juriſdictione, ſubjectione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, & poteſtate pro tempore exiſtentis Epiſcopi Fluminis Januarii, ejuſque Vicariorum, & Officialium, ac ſolutione quorumcumque jurium eidem Epiſcopo, & dilectis Filiis Capitulo Eccleſiæ Fluminis Januarii per Clerum, Populum, ac perſonas Territoriorum Gojaſienſis, & Cujabaenſis hujuſmodi ratione ſubjectionis, ſuperioritatis, juriſdictionis, aut viſitationis etiam Diœceſis reſpectivè faciendâ, ita quòd de cætero præfatus Epiſcopus Fluminis Januarii aliquam juriſdictionem ſpiritualem in Oppida, Terminos, Villas, & Loca, ac Clerum, Populum, perſonas, Monaſteria, Eccleſias, & Loca pia, nec non Beneficia Eccleſiaſtica in quartâ, & quintâ partibus diviſis, & aſſignatis præfatis reſpectivè exiſtentia exercere, nec eadem Beneficia, quæ antea ad ipſius collationem, proviſionem, inſtitutionem, vel quamlibet aliam diſpoſitionem pertinebant, conferre, ſeu de illis etiam providere, aut aliàs diſponere, vel fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta per eum in quartâ, & quintâ partibus diviſis, & aſſignatis præfatis, illarumque reſpectivè terminis, Territoriis, Oppidis, Villis, & Locis præfatis percipi ſolita de cætero percipere nullatenus poſſit, dicta auctoritate, ac de poteſtatis plenitudine pari etiam perpetuò eximimus, & totaliter liberamus.

Qualitates & juriſdictio Prælatorum.

Illaſque ſic exemptas, & totaliter liberatas, quartam videlicet in unam Gojaſienſem pro uno Gojaſienſi, & quintam in alteram Prælaturas nullius Diœceſis Cujabaenſem nuncupandas pro altero Presbytero ſæcularibus, vel cujuſvis Ordinis Regularibus Prælatis Cujabaenſi nuncupandis in Theologiâ, ſeu Decretis graduatis, vel aliàs prævio examine, ſeu judicio Ordinarii ſui, ſeu Ordinarii loci, in quo ipſos reſpectivè exiſtere pro tempore contigerit, habilibus, & idoneis ad alios docendum approbatis, ac per ipſum Joannem, & pro tempore exiſtentem Portugalliæ, & Algarbiorum Regem perpetuis futuris temporibus etiam hac primâ vice liberè, nullius ad hoc requiſito conſenſu, etiam ad tempus ſibi beneviſum deputandis, & conſtituendis, qui deputationum, & conſtitutionum hujuſmodi vigore abſque aliâ Romani Pontificis, ſeu præfati Archiepiſcopi Sancti Salvatoris, aut cujuſvis alterius approbatione, confirmatione, licentiâ, vel conſenſu, curam, regimen, & adminiſtrationem Gojaſienſis, & Cujabaenſis Territorium præfatorum, ac Cleri, & Populi tam Chriſtiani, quàm Gentilis, nec non Oppidorum, Terrarum, & Locorum in eorumdem Territoriorum limitibus, terminis, & locis præfatis reſpectivè conſiſtentium reſpectivè habere, & inibi reſpectivè prædicare, & prædicari facere, Gentileſque præfatos ad Orthodoxæ Fidei cultum convertere procurare, & converſis in eâdem Fide miniſtrare, & confirmare, atque Baptiſmi gratiam, & Confirmationis Sacramentum impendere, & tam illis ſic converſis, quàm omnibus aliis Fidelibus in Territoriis hujuſmodi, eorumque reſpectivè Oppidis, Terris, Villis, Locis, & limitibus præfatis pro tempore degentibus, & ad ea declinantibus Sacramenta Eccleſiaſtica, & alia ſpiritualia munera, non tamen ea, quæ ſunt Ordinis, miniſtrare, & adminiſtrari etiam facere, & procurare.

Ac quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica in quartâ, & quintâ partibus diviſis, aſſignatis, exemptis, & liberatis præfatis reſpectivè exiſtentia, & quæ antea ad ipſius Epiſcopi Fluminis Januarii collationem, proviſionem, inſtitutionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem pertinebant, reſpectivè conferre, & de illis diſponere, ac in eis inſtituere; Calices, Campanas, Veſtimenta, Corporalia, & alia Paramenta, & ornamenta conſecrare, & benedicere, Eccleſias, Cœmeteria, & Loca Eccleſiaſtica ſanguinis, vel ſeminis effuſione, ſeu aliàs quomodolibet polluta, ſeu profanata, aquâ per ipſos benedictâ reconciliare, ipſaſque Eccleſias, & Loca ſub Territoriis Gojaſienſi, & Cujabaenſi præfatis comprehenſa, & illorum Perſonas reſpectivè viſitare, ac in illorum ſtatum, regimen, ſtatuta, conſuetudines, vitam, mores, ritus, delicta, & diſciplinam tam in capite, quàm in membris inquirere, nec non Evangelicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ, ſacrorumque Canonum, & generalium Conciliorum Decretis, & Inſtitutis inhærendo, ubi ea quâcumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverint, reſpectivè reformare, mutare, corrigere, punire, ac etiam de novo condere.

Nec non Beneficiales, Matrimonialeſque, & quaſcumque alias cauſas Eccleſiaſticas, & civiles ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes motas, & inchoatas, ac interim movendas, cum earum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis audire, decidere, &, prout juris fuerit, terminare, ſeu cauſas ipſas alii, vel aliis idoneis, modo, & formâ præfatis cum ſimili, vel limitatâ poteſtate pariter audiendas, & terminandas delegare.

Ac denique plenam, meram, & omnimodam ſpiritualem, & Eccleſiaſticam, ac Ordinariam Juriſdictionem tam in foro interiori, quàm in exteriori, non tamen in his, quæ ſunt Ordinis, ut præfertur, habere, & eam, ac omnia, & ſingula alia, quæ pro tempore exiſtens Epiſcopus Fluminis Januarii in Territoriis hujuſmodi hactenus habere, gerere, & exercere debuit, potuit, & conſuevit, ſimiliter, & pariformiter, nullaque prorſus differentiâ, exceptis tamen

ijs, quæ, ut præfertur, sunt Ordinis, prout Divini cultus augumento, ac ipsorum respectivè Cleri, & Populi animarum saluti expedire cognoverint, respectivè gerere, facere, & exequi; ac pro eorum decenti habitu Subtanam cum Mantelletâ nigri coloris deferre, & gestare liberè, & licitè respectivè possint, & valeant; cum omnibus, & singulis aliis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, jurisdictionibus, præeminentiis, favoribus, gratiis, & indultis, quibus pro tempore existens Vicarius, & Administrator in spiritualibus Provinciæ, seu Districtus Insulæ de Moçambique similiter Ordinariam, ut præfertur, Jurisdictionem inibi habens, utitur, potitur, & gaudet, ac uti, potiri, & gaudere potest, & poterit quomodolibet in futurum; assignatâ per dictum Joannem Regem annuâ summâ biscentum viginticto ducatorum auri de Camerâ, & juliorum decem monetæ Romanæ ex Ærario Regio cuilibet Prælatorum hujusmodi pro tempore existenti pro congruâ ipsorum sustentatione respectivè persolvendâ, de potestatis plenitudine pari similiter perpetuò erigimus, & instituimus.

Clausulæ. Decernentes præsentes, & desuper conficiendas literas Apostolicas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel quâlibet causâ quantumvis legitimâ, & juridicâ, etiam ex eo quod Sedes Episcopalis Fluminis Januarii ad præsens vacet, & proprio Pastore, & Defensore destituta existat, ipsiusque Capitulum, & Canonici, seu quicumque alii cujuscumque Dignitatis, gradus, conditionis, & præeminentiæ in præmissis, & circa eo quomodolibet, & ex quâvis causâ, ratione, & actione, vel occasione jus, vel interesse habentes, aut habere prætendentes illis non consenserint, aut ad id vocati, & auditi, & causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in præmissis, eorumve aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causâ etiam in corpore juris clausâ, occasione, aliâve causâ, etiam quantumvis justâ, rationabili, legitimâ, juridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate nostrâ, & aliis superiùs expressis nullibi appareret, seu aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam Motu simili, concesso, aut impetrato, vel emanato uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes, & desuper conficiendas literas Apostolicas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam præfatam etiam Motu simili, etiam consistorialiter, ex quibuslibet causis, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis, & concessis, ac faciendis, & concedendis comprehendi, sed tamquam ad Fidei Catholicæ propagationem, & spiritualem animarum profectum tendentes semper, & omnino ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quâcumque posteriori datâ quandocumque eligendâ concessas esse, & fore.

Aliter judicari prohibetur. Sicque, & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere-Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ac alios quoscumque, quâvis auctoritate, potestate, prærogativâ, & privilegio, ac honore, & præeminentiâ fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quocumque judicio, & in quâcumque instantiâ judicari, & definiri debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogatio contrariis. Non obstantibus Lateranensis Concilii ab Ecclesiis membra distingui, & dividi prohibentis, ac nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis de jure quæsito non tollendo, & dismembrationibus committendis, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibusque Conciliis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictæque Ecclesiæ Fluminis Januarii etiam juramento roboratis statutis, ac fundatione, erectione, & institutione, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Ecclesiæ Fluminis Januarii, illiusque Præsuli pro tempore existenti, Capitulo, & Canonicis, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam Motu simili, ac etiam consistorialiter, vel aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem præsentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, hic inserti forent, pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum omnium validissimum effectum hac vice dumtaxat latissimè, & plenissimè, ac sufficienter, nec non specialiter, & expresè motu simili derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

## Fiat Motu proprio P.

ET de divisione, assignatione, erectione, institutione, subjectione, applicatione, appropriatione, reservatione, concessione, decreto, exemptione, liberatione, derogatione, aliisque præmissis, ut supra, in literis latissimè extendendis, & quod præmissorum omnium, & singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, invocationum, aliorum-

que

que necessariorum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis cum clausulâ perpetuò, & ad perpetuam rei memoriam separatim, & quoad Prælaturas præfatas per Breve Nostrum, seu Officium minoris gratiæ etiam separatim expediendas. Volumus autem, ac statuimus, & ordinamus, quod respectivè Clerus, & Populus, aliique Incolæ, & Habitatores sub Prælaturis Gojasiensi, & Cujabaensi per præsentes erectis hujusmodi comprehensi in his, quæ sunt Ordinis ad præfatum Archiepiscopum Sancti Salvatoris, habitis tamen a suis respective Prælatis Gojasiensi, & Cujabaensi hujusmodi ad id literis dimissorialibus, recurrere teneantur: Quòdque Prælati Gojasiensis, & Cujabaensis præfati ratione personarum suarum dumtaxat visitationi, correctioni, & superioritati, ac jurisdictioni præfati Archiepiscopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis subsint, & a sententiis definitivis tantùm, seu vim definitivarum habentibus, & quarum gravamen per appellationem a definitivâ reparari nequeat nequeat per ipsos Prælatos, aut eorum Officiales, pro tempore latis, appellationes ad eumdem Archiepiscopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causas per eum cognosci, decidi, & fine debito, prout juris fuerit, terminari possint. Præterea etiam volumus, quòd taxa præfatæ Ecclesiæ Fluminis Januarii, quæ in libris Cameræ nostræ Apostolicæ in florenis centum sexdecim cum duobus tertiis descripta existit, fixa, & firma remaneat; quodque taxa tam Ecclesiæ Sancti Pauli, quàm Ecclesiæ Mariannensis erectarum hujusmodi unaquæque in similibus florenis centum sexdecim cum duobus tertiis in eisdem libris describatur.

Decreta Pontif.

Fiat P.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem VIII. Idus Decembris Anno Sexto.

Dat. Pont. An. VI. die 6. Decembris 1746.

---

XXIII.

Indulgentiæ tam docentibus, & addiscentibus Methodum Orationis mentalis, quàm ipsam Orationem mentalem peragentibus concessæ.

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, & Præsulibus locorum Ordinariis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Exordium ab Excellentia Orationis.

QUEMADMODUM nihil est hominibus a familiari Dei consortio, & consuetudine avulsis, & ejectis, ad divinos hauriendos fulgores, ad æternam salutem procurandam, & ad Deum quasi manu facta coëundum, magis opportunum, salutare, ac necessarium Oratione, quæ est veluti ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium, conjunctio Spiritui Sancto, & ad Deum locutio, ita, ne desolatione desoletur universa terra ex eo, quod nullus recogitet corde, omnes & singuli ubique, & semper salutaribus præceptis monendi sunt, quod oporteat semper orare, & nunquam deficere; ut in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescentibus apud Deum, ipse, qui dives est in omnes eum invocantes, nec nostras abs se deprecationes, nec suas a Nobis amoveat miserationes. Eapropter Prædecessores nostri Romani Pontifices divina institutione formati, ut Christifideles ad orationis, sive Vocalis, sive Mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum, & sine intermissione frequentandum incitarent, eosdem tum cohortationibus inflammare, tum cœlestium etiam munerum thesauris, quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones, & de injunctis eis quomodolibet debitis pœnitentiis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditarentur. Nos autem laudatissimis eorumdem Prædecessorum Nostrorum exemplis incensi, non solum omnes & singulas indulgentias, peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes per eosdem Nostros Prædecessores pro recitantibus quascumque vocales preces (dummodo nunquam revocatæ fuerint) aut quomodolibet orantibus, quocumque modo sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, sub iisdem prorsus modo, ac forma confirmamus, &, quatenus opus sit, de novo concedimus; verum etiam alias insuper iis præsertim, qui mentalis orationis, seu meditationis studio operam dederint, ut infra, impertimur. Primum itaque omnibus & singulis, sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi, & ubicumque locorum publicè, & privativè quoscumque homines orandi, seu meditandi rudes quomodocumque orare, & meditari docuerint, sive qui piæ orandi, & meditandi institutioni hujusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dummodo vere pœnitentes, ac Sacra Communione refecti, qua vice id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus, quàm addiscentibus, qui assidue præmissa peregerint, ac similiter vere pœnitentes, ac Sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, semel in mense pro uniuscujusque commodo, & arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem, orationi mentali dabunt operam, & vere pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate & tenore similibus misericorditer in Domino elargimur. Etsi autem, juxta divinum Domini Nostri Jesu Christi præceptum, oportet ut quisquis oraturus, ne ad instar Hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum, & clauso ostio oret Cœlestem Patrem in abscondito: tamen, cum ipse Dominus dixerit, quod ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, & Sanctus Joannes Chrisostomus prædicet, esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem, & caritatis clamorem felici societate, ex qua orationes infirmiores se simul complexas, validiores in Cœlum evehi: optimum esset, ubi commode fieri posset, ut, quemadmodum

Pontifex confirmat Indulgentias concessas vocaliter orantibus.

Iis vero, qui Orationis Mentalis exercitium docent, concedit novas Indulgentias.

Illam quoque peragentibus alias elargitur Indulgentias.

Adhortatio pro exercitio Orationis in communi.

in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus & singulis Diœcesibus in more poneretur; nimirum, ut singulis diebus dato certo Campanarum signo, sive in Ecclesiis, dummodo totius populi multitudo unum in locum, ubi oret, masculis a feminis seorsim collocatis, convenire facile possit, & nulla suboriatur confusio & inordinatio, sive in propria Domo Patresfamilias eo, aut alio opportuniori tempore, ante Imaginem Sacram cum tota Familia convenientes orent. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, rogamus, & in Domino hortamur, ut omnibus & singulis Ecclesiarum, piorumque locorum, in Civitatibus quidem Cathedralis, aliarumque præcipuarum Ecclesiarum, in Oppidis vero Parochialium Ecclesiarum Superioribus, ac Rectoribus injungatis, ut, præmisso Campanæ sonitu iis diebus, iisque horis, quibus Vobis opportunius in Domino visum fuerit, dando decernendoque, omnes Christifideles uniuscujusque curæ commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accedere, necessitatem utilitatemque proponere, Indulgentiarum thesauros, quos de benignitate Apostolica elargimur, explicare, & ad ipsos ea, qua decet, pietate, ac reverentia lucrandos inflammare studeant, & enitantur; atque etiam, si commode, ut præmittitur, fieri poterit, orationi mentali in communi practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant, & curent. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Interim Apostolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

Dat. Pontif. anno VII. die 16. Decembris 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Decembris MDCCXLVI. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

*Cajetanus Amatus.*

---

XXIV.

Super Congregationibus Generalibus Clericorum Regularium Societatis Jesu.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

Devotam majori Dei gloriæ promovendæ, adjuvandæque proximorum saluti Societatem, a Sancto Ignatio Confessore sub Salvatoris Nostri Jesu nomine auspicioque constitutam, sicuti Ecclesiæ Dei utilissimam operam assiduè navare, ità ex præscripto sapientissimarum Legum, & Constitutionum ab eodem Beato Institutore ipsi traditarum, a duobus & ultra sæculis feliciter rectissimèque gubernari, compertum habemus. Quapropter libenti animo adducimur, ut, & universæ hujusmodi Societatis commodis, atque utilitatibus amplificandis, & prædictarum Legum, & Constitutionum observantiæ asserendæ, sive in pristinum vigorem revocandæ, Apostolicæ auctoritatis Nostræ providentiâ consulamus.

Innocentius X. decrevit Congregationem generalem in

Dudùm siquidem felicis recordationis Prædecessor Noster Innocentius Papa X. per quasdam suas in forma Brevis Literas datas apud Sanctum Petrum die 1. Januarii Anno Domini MDCXLVI. Pontificatus sui II., quarum initium est; *Prospero felicique statui*, decrevit, ac perpetuò mandavit, Congregationem generalem in prædicta Societate Jesu singulo quoque novennio, computando semper a celebratione ultimæ Congregationis generalis, haberi, & celebrari omninò debere; ità quod illius celebratio nullo modo, nec ex quavis causa, sive per Præpositum Generalem pro tempore existentem, sive per quamcumque Congregationem particularem, vel generalem, impediri, vel ultra novennium hujusmodi differri, seu prorogari posset: Præterea, ut quotiescumque haberetur, & celebraretur Congregatio generalis hujusmodi, toties novi Assistentes, ab illis planè diversi, qui præcedente novennio Assistentium hujusmodi muneribus functi fuissent, eligi, seu assumi, & deputari deberent: Ac demum, ut omnes, & singuli ejusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores Locales, & alii Officiales jurisdictionem, seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis Magistris Novitiorum, in eorum respectivè muneribus, ministeriis, administrationibus, & Officiis prædictis quomodocumque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare deberent; eaque, elapso triennio hujusmodi, eo ipso vacarent, & vacare censerentur: Ipsique ad alia quævis ejusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia prædicta, quomodolibet nuncupata, etiam Vice-Provincialis, seu Vice-Præpositi, vel Vice-Rectoris, nullatenùs eligi, seu assumi, vel deputari valerent; nisi per annum cum dimidio saltem, a fine dicti triennii computando, a prædictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis cessassent: quemadmodum in præcitatis Innocentii Prædecessoris Literis latiùs disponitur, & continetur.

Et quod in ea novi Assistentes deputarentur.

Quodque cætera Officia per triennium tantum durarent: Nec quis post dimissum Officium ad aliud ante Annum cum dimidio assumi posset.

Cum autem nova hæc methodus tam in generali totius Societatis gubernio, quàm in peculiarium munerum, & officiorum administratione, vigore hujusmodi Literarum, inducta, neque Constitutionibus ipsius Societatis a Sancto Ignatio Fundatore prædicto conditis, & a Romanis Pontificibus Paulo III., Julio III., Gregorio XIII., Gregorio XIV., & Paulo V. Prædecessoribus pariter Nostris approbatis, & confirmatis, consona dignosceretur; neque verò in praxi utiliter observari posse judicaretur: Ex Decreto Congregationis Generalis ejusdem Societatis, quæ Anno Domini MDCLXI. habita fuit, delata res est ad piæ memoriæ Prædecessorem pariter Nostrum Alexandrum Papam VII., eique humiliter supplicatum fuit pro relata Innocentianæ Constitutionis abrogatione.

Congregatio Generalis Societatis Anno 1661. recurrit ad Alexandrum VII. pro præmissorum abrogatione.

Cumque idem Alexander, pro eo quod attinet ad triennalem Superiorum Localium, & Provincialium durationem, præscriptamque, post exacta respectivè triennia, ab Officiis hujusmodi cessationem, non modo contrarium prædictorum Legum, & Constitutionum tenorem optimè perspectum haberet; sed etiam experientia edoctus complurium, & gravium incommodorum, quæ ex præfati Innocentiani Brevis observantia eidem Societati jam obvenerant, ab aliquibus retro annis ejusdem Brevis executionem suspendisset; & quidem per hujusmodi suspensiones pluribus gravibusque periculis, & inconvenientibus occursum esse, magnasque, & multiplices dictæ Societati utilitates obvenisse dignosceret: Haud ægrè adductus fuit, ut hujusmodi Innocentii Prædecessoris statutum, & ordinationem de triennali Superiorum, & Officialium prædictorum duratione, & de cessatione unius anni cum dimidio a quocumque hujusmodi superioritatum, & officiorum exercitio, postquam aliquod ex ipsis per triennium quis obtinuisset, ipsasque relatas ejusdem Innocentii Literas,

Alexander VII. Breve Innocentii quoad triennalem Officiorum durationem, nec non cessationem ab Officiis exacto triennio, tantùm revocat.

quate-

quatenùs illa concernebant; (firmâ tamen, & illæsâ in reliquis omnibus earundem dispositione), auctoritate Apostolica revocaret, abrogaret, & annullaret; quemadmodum distinctè, & expressè, & cum opportunis clausulis, ac solemnitatibus præstitit per suas in simili forma Literas, quarum initium est: *Debitum Pastoralis Officii*, datas apud Sanctam Mariam Majorem die prima Januarii Anno Domini MDCLXIII., Pontificatus sui Anno Octavo.

Subinde Clementi IX. supplicavit Præpositus Generalis pro revocatione Brevis quoad celebrationem Congregationis Generalis, & deputationem novorum Assistentium.

Quod autem pertinet ad aliud caput earundem Innocentii Litterarum, celebrationem nimirum Congregationis Generalis quolibet novennio, & in ea novorum Assistentium a præcedentibus diversorum electionem; seu deputationem concernens; quum tunc existens prædictæ Societatis Præpositus Generalis Joannes Paulus Oliva, ex Decreto ejusdem Congregationis Generalis Anno MDCLXI., ut præfertur, celebratæ, paucis post annis, recoli. mem. Prædecessori quoque Nostro Clementi Papæ IX. plura exposuisset, ex quibus hujusmodi Congregationis Generalis quolibet novennio celebrationem, & supradictis Constitutionibus a Sancto Ignatio editis, atque a Sede Apostolica pluries confirmatis, minimè conformem, & ad ipsius Societatis regimen nullatenùs necessariam, & pluribus ex causis universæ Societati incommodam, vel potiùs damnosam existere comprobaret; ideòque pro hujus etiam capitis abrogatione eidem Clementi Prædecessori humiliter supplicasset; ipse tunc quidem ad hujusmodi Præpositi Generalis preces examinandas specialem Congregationem nonnullorum ex tunc existentibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus deputavit; mox verò, de ejusdem Cardinalium Congregationis sententia, & per Apostolicas Literas sub Annulo Piscatoris apud Sanctam Mariam Majorem die xx. Septembris Anni Domini MDCLXVIII., Pontificatus sui Secundi datas, jussit, atque decrevit, ut ad certiùs dignoscendum quid circa petitam abrogationem universa Societas sentiret, in prima tunc proxima Generali Congregatione, quæ non vigore præfati Brevis, sed ex præscripto Constitutionum ipsius Societatis, celebranda foret, prævia inter Religiosos ipsam Congregationem constituentes maturâ rei discussione, & consultatione, per secreta postmodum suffragia disquireretur, an bono dictæ Societatis expediens esset, ut terminus Novennalis ad celebrandas Congregationes Generales in allegatis Innocentii Prædecessoris Literis statutus abrogaretur: Utque, hujusmodi disquisitione peracta, ad ipsum Clementem, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem distinctè referretur, quo numero suffragiorum ipsa Congregatio Generalis dicti Novennalis termini vel abrogationem, vel observantiam expetisset, ut, quid circa illum deinde observandum esset, Apostolicæ Sedis judicio statueretur. Proindeque executionem dictarum Innocentii Prædecessoris Literarum in hac etiam parte interim suspendit, &, usque ad præfatam Congregationem Generalem ex præscripto Constitutionum Societatis, ut præfertur, tunc primò celebrandam, effectu carere voluit & mandavit, ut in memoratis ipsius Clementis Literis latiùs & uberiùs continetur.

Ex voto Congregationis particularis S. R. E. Cardinalium idem Clemens jussit rem ad futuram Congregationem Generalem pro resolutione deferri.

Suspensa interim in hac parte Brevis Innocentii exequutione.

In quarum executionem, quum in proximè sequenti Congregatione Generali ejusdem Societatis, quæ Anno Domini MDCLXXXII. pro novi Præpositi Generalis electione coacta fuit, ante ipsius Præpositi Generalis electionem hujusmodi disquisitio peracta fuisset; capto per congregatos ad consultandum hac super re nonnullorum dierum spatio, factâque singulis potestate, quæcumque sibi placerent, tam voce, quàm scripto interim deducendi; implorato quoque, ut par erat, Divini Luminis adjutorio; itum deinde fuit in secreta suffragia, quibus lectis, & numeratis, compertum fuit, ex octoginta quinque suffragiis, duo & octoginta pro petenda Congregationis Novennalis abrogatione stetisse, triaque dumtaxat in alteram partem abiisse, quemadmodum ex actis ipsius Congregationis Generalis a Dilecto Filio Francisco Retz, hodierno sæpedictæ Societatis Præposito Generali, Nobis exhibitis, apertè cognovimus.

Congregatio Generalis Societatis Anno 1682. resolvit petendam esse Congregationis Novennalis abrogationem.

Porrò hujusmodi Congregationis Generalis resolutio, juxta præfati Clementis Prædecessoris præscriptum, quarto post die, ut accepimus, a Vicario Generali ipsius Societatis ad venerabilis memoriæ Innocentium Papam XI. Prædecessorem pariter Nostrum in Petri Cathedra tunc sedentem delata fuit, eidemque oblato supplici Libello, totius Societatis nomine humiliter supplicatum fuit pro sæpedictæ Congregationis Novennalis abrogatione; ad quam concedendam licèt idem Innocentius, ut in actis præfatæ Congregationis relatum accepimus, suam voluntatem tunc valdè propensam declarasset, nihilominus Apostolicæ Literæ desuper confectæ nunquam fuerunt.

Resolutio Congregationis Generalis relata fuit Innocentio XI., qui se propensum huic resolutioni ostendit; sed Apostolicæ Literæ non emanarunt.

Quarè quum iterum Anno MDCXCVI. alia Congregatio Generalis ex universa præfata Societate coacta, eandem instantiam pro hujusmodi Congregationis Novennalis abrogatione apud hanc Sanctam Sedem instaurandam & promovendam, & quidem unanimi consensu, cunctisque propemodum suffragiis secretò collectis, decrevisset: Cumque item in postrema Congregatione Generali Anno MDCCXXX. habitâ, postulantibus nonnullis, ut deinceps, adveniente termino novennii ab Innocentio X. pro celebratione Congregationis Generalis statuti, dispensatio ab hujusmodi Congregationis convocatione non peteretur; ipsa Congregatio, re diligentissimè examinata, postulatum illud omninò rejiciendum esse decreverit; quin etiam quum aliquis Decreto super hac re condito intercessisset, proindeque de hujusmodi intercessionis vigore per suffragia inquiri opus fuerit, nemine penitùs dissentiente sanctum fuerit, non esse deferendum intercessioni, sed standum Decreto, & abrogationem Congregationis Generalis singulis quibusque Novenniis ab Innocentio Prædecessore prædicto statutæ, cum primùm opportuna tulisset occasio, ab Apostolica Sede postulandam.

Anno 1695. Congregatio Generalis rursus decrevit petendam esse Congregationis Novennalis abrogationem.

Idem alia Congregatio Anni 1730.

Nunc tandem, ut tot Congregationum Generalium Decretis morem gereret præfatus Franciscus Præpositus Generalis, adeoque universæ Societatis votis satisfaceret, quæ per graviores Religiosos, ejus instituto optimè imbutos, rerumque illius usu, & experientia præditos, iteratis vicibus manifestata fuerunt; justamque de Nobis, deque Nostra erga se, suamque Societatem, multis nominibus de Catholica Religione optimè meritam, paterna prorsus voluntate ac benevolentia opinionem fovens: exhibitis Nobis præmissorum omnium authenticis documentis, totius Societatis nomine, demissis precibus apud Nos instetit, ut abrogato demum præfato Innocentii Prædecessoris Statuto, celebrationem Congregationis Generalis ad normam Constitutionum a Sancto Ignatio Fundatore prædicto editarum, & a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris approbatarum reducere, & aliàs in præmissis providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Modernus Præpositus Generalis supplicat Pontifici pro prædicta abrogatione.

Nos igitur ipsius Francisci Præpositi Generalis desiderio favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum,

Incipit dispositiva.

Pontifex expendit S. Ignatii Constitutiones & Societatis Institutum.

harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: Sed & præterea perpendentes, quod Sanctus Ignatius dictæ Societatis Fundator, in Constitutionibus ipsius Societatis, quum declarasset minimè expediens sibi videri, ut hujusmodi Generales totius Societatis Congregationes certis temporibus, aut crebrò fierent; quoniam Præpositus Generalis adjutus communicatione, quam cum universa Societate habet, & eorum operâ, qui cum ipso degent, hoc laboris & distractionis universæ Societati, quantum fieri posset, adempturus esset; statuit expresè, quod Præpositus Generalis non deberet frequenter Societatem congregare, nisi urgente rerum agendarum necessitate; sed in Congregationibus Generalibus ad electionem Præpositi pro tempore convocandis, post hujusmodi electionem expletam, de rebus aliis gravioribus, si quæ fuerint, quæ a Generali, & iis, qui cum ipso agunt, decidi nequeant, commodè tractari posse: Quodque insuper ad memoratam communicationem inter Præpositum Generalem, universamque Societatem, aptè stabiliendam, idem Sanctus Pater, secundùm datam sibi sapientiam, constituit, ut præter assiduum Literarum commercium, ex singulis Provinciis unus saltem, a Professis & Rectoribus earundem Provinciarum electus, tertio quoque anno, ex Indiis autem quarto, ad ipsum Præpositum Generalem multis de rebus certiorem faciendum convenire deberet; aliasque rationes præscripsit, quibus multa, sine Congregatione totius Societatis, opportunè constitui, & expediri valerent: Cumque per ea, quæ in secunda Congregatione Generali ejusdem Societatis Anno Domini MDLXXIII., præsidente in ea Sancto Francisco Borgia tunc Præposito Generali, in ipsa Congregatione electo, decreta fuerunt, præcipuum munus hujusmodi Procuratorum a singulis Provinciis deputatorum, qui tertio quoque anno apud Præpositum Generalem, ut præfertur, congregari jubentur, sit & esse debeat, ut, considerato rerum ipsius Societatis statu, simul cum Assistentibus, & ipso Generali, qui duo suffragia habet, per secreta suffragia decernant, an cogi debeat Congregatio Generalis, nec ne; Ideoque judicantes præfixionem illam novennalis termini ad celebrandas Congregationes Generales minimè necessariam esse, vel, si ita ipsius Societatis res ferent, facilè posse, de ejusdem Societatis consensu, per Provinciarum Procuratores singulis trienniis convenientes ritè repræsentato, & vigore illius Constitutionum, Generalem ipsam Congregationem convocari.

Item incommoda ex frequenti Congregationum Generalium convocatione obvenientia.

Justâ præterea lance æstimantes ea, quæ jam pridem, de Congregationis Generalis sententia, præfato Prædecessori Nostro Clementi Papæ IX. exposita fuerunt, nimirum de ingentibus sumptibus, quos fieri necesse sit in convocanda quolibet novennio, & quidem sine necessitate, hujusmodi Congregatione Generali; deque frequentibus vitæ periculis, quibus exponuntur primarii Religiosi omnium Provinciarum ejusdem Societatis, iique plerumque senes, quorum aliqui sublati naufragio, alii extincti febribus in itinere, alii in captivitatem ab hostibus abducti esse memorantur; quibus incommodis adjungitur relaxatio disciplinæ Religiosæ in Provinciis, dum inde absunt Provinciales, vel alii præcipui Religiosi, qui præsentes conservando illius vigori invigilarent.

Ac dispensationes necessariò sæpe concessas, & concedendas.

His igitur, aliisque de causis, ob quas etiam non semel Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus opportunum vel potius necessarium visum est relatæ Innocentianæ Constitutionis observantiam & executionem ad tempus suspendere, & ab ea dispensare, vel præfixum in ea novennalem terminum prorogare; quum præsertim id etiam præcavendum censeamus, ne quando, adveniente forsan præfiniti novennii, aut concessæ prorogationis termino, dum Apostolica Sedes per obitum Romani Pontificis vacaverit, hujusmodi Congregationis Generalis convocatio, (nullâ licèt urgente necessitate; vel etiam aliqua ex præmissis, aliâve quâlibet etiam graviore causâ contrarium suadente,) nullo modo valeat declinari; Quumque de universæ Societatis hac de re unanimi sententia, ab eodem Clemente Prædecessore expetita, satis ex præmissis constitisse & constare videatur; nec quidpiam alicujus momenti in contrarium Nobis exhibitum fuerit; ipsius Clementis, atque etiam præfati Alexandri, aliorumque Prædecessorum vestigiis inhærentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memorati Innocentii Prædecessoris statutum, mandatum, præceptum, & ordinationem, ut Congregatio Generalis in prædicta Societate singulo quoque novennio, computando semper a celebratione ultimæ Congregationis Generalis, haberi debeat, & celebrari, & ut, quotiescumque habebitur & celebrabitur Congregatio Generalis hujusmodi, toties novi Assistentes, ab illis diversi, qui præcedente novennio Assistentium hujusmodi muneribus functi fuerint, eligi, seu assumi, & deputari debeant, easdemque Innocentii Prædecessoris Literas, quatenus illa concernunt, tenore præsentium, perpetuò revocamus, abrogamus, irritamus, & annullamus; atque etiam earumdem Literarum abrogationem in ea parte, quæ ad triennale munerum & officiorum exercitium, & consequentem a muneribus & officiis hujusmodi cessationem pertinebat, a præfato Alexandro Prædecessore, ut supra diximus, factam atque sancitam, earundem præsentium serie, quatenus opus sit, confirmantes & innovantes; ipsas Innocentii præfati Literas in omnibus & per omnia cassamus & abolemus, ac veluti nunquam emanassent, quibuscumque viribus & quolibet effectu penitus & omnino vacuamus; & Congregationum Generalium in prædicta Societate convocationes atque celebrationes ad normam prædictarum Constitutionum a S. Ignatio conditarum reducimus; quas quidem Constitutiones præfati, aliique Prædecessores Nostri Romani Pontifices laudarunt, approbarunt, & confirmarunt; Nosque etiam plurimum in Domino commendantes, perpetuis futuris temporibus observari volumus atque præcipimus: Salvis nihilominus & firmis remanentibus aliis quibusdam Decretis, quæ deinceps ab universa Societate in Congregationibus Generalibus adunata, quoad electionem & missionem Procuratorum, præsertim ex Provinciis Indiarum, aliisque transmarinis & extra Europam constitutis, & quoad universam Congregationum Provincialium rationem, pro rerum atque locorum opportunitate ac necessitate, statuta fuerunt, aut in posterum rite statuentur.

Et Motu proprio, dicti Innocentii Breve, quoad coactionem Congregationis Generalis singulis novenniis, revocat & annullat.

Quo vero ad præfinitionem termini triennalis Officiorum, abrogationem jam factam confirmat.

Ac reducit Congregationum Generalium celebrationes ad normam Constitutionum Sancti Fundatoris.

Clausulæ.

Decernentes easdem præsentes Literas, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad illa vocati, citati, & auditi non fuerint, nec illis consenserint, aut ex alia quacumque causa, occasione, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam substantiali, & individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, redargui, rescindi, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis

pleni-

plenitudine paribus concesso, quempiàm in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse: sed ipsas præsentes Literas semper & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, pleniſſimè suffragari, sicque in præmissis censeri, atque ita, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis Auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus superius relatis Innocentii Prædecessoris prædicti Literis, nec non omnibus & singulis illis, quæ memoratus Alexander itidem Prædecessor Noster præfatus in suis Literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides præstanda transumptis.

Volumus autem, ut earumdem præsentium LiterarumTransumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & Sigillo Præpositi, vel Vicarii Generalis ejusdem Societatis, aut alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, revocationis, abrogationis, irritationis, annullationis, cassationis, abolitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pont. an. VII. die 17. Decemb. 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo septingenteſimo quadrageſimo ſexto, ſextodecimo Kalendas Januarii, Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

D. Card. Paſſioneus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
J. C. Boſchi.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.
*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

## XXV.

De libero ingreſſu Clericorum Sæcularium in Ordines Regulares.

*Dilecto Filio Noſtro Angelo Mariæ Tit. S. Praxedis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbytero Cardinali Quirino nuncupato ejuſdem S. R. E. Bibliothecario.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili Noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Archidiaconus Brixienſis inconſulto Card. Quirino Epiſcopo ingreſſus eſt Societatem Jeſu.

EX quo Dilectus Filius Leander Chizzola Archidiaconus Eccleſiæ tuæ Cathedralis Brixienſis, ex improviſo iſthinc digreſſus, Bononiam ſe contulit, ibique habitum ſuſcepit Clerici Regularis Societatis Jeſu; ſtatim a Te, Dilecte Fili Noſter, datæ fuerunt ad Nos Litteræ, quibus quereberis, eum tanti momenti conſilium, Te inconſulto, cepiſſe, Teque penitus inſcio, ad exitum deduxiſſe; non ſine magno detrimento pauperum iſtius Civitatis atque Diœceſis, quibus largiter ſubvenire, multorumque piorum operum, quibus ſe jugiter exercere conſueverat; ſuorum quoque Nepotum in minori ætate conſtitutorum, quorum curæ, atque educationi præeſſe debebat; ac ſine ſpe quidquam utiliter peragendi in ipſa Societate Jeſu, cui jam prope ſeptuagenarius nomen dederat. Hæc eadem, quum ipſe proximo Autumno in Urbem advenisſes, Nobis coram inculcare non omiſiſti; deque iiſdem nuper in Epiſtola Nobis directa, ac Typis vulgata, iterum expoſtulaſti; petens præterea, Noſque excitans, ut auctoritatis Noſtræ ope, certaque lege propoſita, hujuſmodi licentiam reprimamus, qua Sæculares Clerici atque Presbyteri ad Regularium Clauſtra, quum libet, ſe conferentes, a Regularibus Superioribus illico recipiuntur; quod ſanè non aliter fieri debere autumas, quàm communicatis conſiliis cum Epiſcopis ipſorum Clericorum ſeu Presbyterorum Ordinariis; ſiquidem ipſi Epiſcopi nunquam Regularibus Viris Ordines conferunt, ſine Prælatorum Regularium conſenſu, in eorum Litteris Dimiſſorialibus declarato.

De hoc quæritur dictus Card.

Et exquirit a Pontifice, ut illum cogat ad recedendum, & legem conſtituat, nè ſæculares Clerici liberè ad Clauſtra tranſire valeant.

Duæ ſunt res in hoc univerſo negocio expendendæ; peculiare ſcilicet factum Leandri Archidiaconi; & generale conſtitutum, quod a Nobis fieri & publicari velles. Ad primum quod attinet, aptiorem querelis Tuis reſponſionem comparare non poſſumus, quàm ſi eadem ipſa Tibi reſcribamus, quæ olim Sanctus Gregorius Magnus Prædeceſſor Noſter Deſiderio Epiſcopo Viennenſi in Gallia in ſimili prorſus caſu reſcripſit. Quum enim Pancratius quidam Eccleſiæ Viennenſis Diaconus Monaſticam vitam amplexus eſſet, & in eodem Diaconi gradu in Monaſterio degeret; Epiſcopus autem Pancratium diligens, magnique faciens, ipſum e Monaſterio abducere, & ad Eccleſiæ ſervicia retrahere vellet; Sanctus Gregorius, cujus opem Pancratius imploraverat, ſcripſit ad Deſiderium, ut ipſum potius hortaretur, ne a Monaſterio diſcederet, neve ſe iterum ſæculi procellis committeret. Habes Gregorii Epiſtolam *Tom. II. ipſius operum anno MDCCV. a Monachis Sancti Mauri accuratè editorum, Epiſtola* 35. *lib.* 12. *Indict. V.*, ubi ita ſcribit: *Hortamur igitur, ut tam promptæ devotioni ejus, quam in ſancto ſtudet habere propoſito, minime veſtra ſit impedimento Fraternitas: magis autem, quibus valetis adhortationibus, Paſtorali admonitione ſuccendite, ut fervor hujus deſiderii in eo non tepeſcat; ut qui a turbulento curarum ſæcularium tumultu ſe ſegregans, quietis deſiderio, portum Monaſterii appetiit, rurſum in Eccleſiaſticarum curarum non debeat perturbationibus implicari; ſed in Dei laudibus permittatur ſecure ab his omnibus, ut poſtulat, remanere.*

Pontif. dividit poſtulatum in duas partes.

Reſpondet primæ circa particulare factum d. Archidiaconi.

Quod quidem Gregorius reſcribere non dubitavit; quamvis Pancratius, *in Clericatus officio Eccleſiæ Viennenſi*, ut ipſe ait, *mancipatus* exiſteret, ipſius nempe ſervitiis reipſa addictus; quamvis etiam eo tempore hujuſmodi diſciplina vigeret, de qua latè Thomaſſinus agit, *de Beneficiis par. II. lib.* 1. *cap.* 3. *&* 4., ut Clericus Epiſcopo ordinanti per omnia ſubeſſet, ejuſque Eccleſiæ miniſterio, cui in Ordinatione adſcriptus fuiſſet, perpetuo jure devinctus haberetur. Quamvis denique idem Sanctus Gregorius optimè noſſet, nemini licere ab hujuſmodi miniſterio Eccleſiæ, cui ſemel addictus fuiſſet, diſcedere, ſine permiſſu Epiſcopi, a quo quis ordinatus, ejuſque Eccleſiæ ſervitiis in Ordinatione fuerat adſcriptus: unde in alia Epiſtola, quæ eſt *XVII. lib.* 5. *Indict. XIII.*, quum ageret de electione Joannis Archidiaconi Catanenſis ad Epiſcopalem Cathedram Syracuſanam, inter alia, requirebat ut Leonis Epiſcopi Catanenſis conſenſus accederet: *Quod ſi factum fuerit, etiam Frater & Coëpiſcopus Noſter Leo ei ceſſionem facere debebit, ut liber ad ordinandum poſſit inveniri;* ad quæ verba Editores ita obſervant in Notis: *Tam erant Clerici ſuæ Eccleſiæ addicti, ut ne eos quidem in Epiſcopos alterius Eccleſiæ fas eſſet eligere, niſi miſſione obtenta, ſive, ut vocant, ceſſione.*

Non itaque dubitamus, quin Tu cum Archidiacono tuo eâdem planè ratione agendum tibi esse ducas, qua Episcopum Viennensem cum Diacono suo Pancratio agere, Sanctus Gregorius optavit; tum quia animi tui perspecta magnitudo hoc Nobis suadet; tum quia in ea Epistola, quàm publici juris fecisti, postquam prædicti Archidiaconi in Sæcularis Presbyteri statu eximiam operam disertissime, ut soles omnia, demonstrasti, circa finem deinde addis: *Te habere causas, cur ultro sinas eundem in Castris, ad quæ discessit, militare.*

Unum tamen, quod Tibi præsenti antea diximus, nunc etiam scripto iterandum censemus; non scilicet debitæ erga Te observantiæ defectui tribuendum esse, quod prædictus Archidiaconus tuus, ante discessum, opportunam abs Te veniam minimè requisierit; sed potius metui reverentiali, quem vocant, ac desiderio propositi sui reipsa exequendi, justoque timori, ne fortè ab ejus implemento revocaretur. Qua ratione bo. mem. Ardicinus Cardinalis de Porta in quadam Epistola ad Prædecessorem Nostrum Innocentium Papam VIII. conscripta, suum factum excusat, quod scilicet ad Eremiticam vitam inter Camaldulenses profitendam conferre se volens, Cardinalatus habitum exutus, clanculo ex Urbe se subduxerit. Quum enim, Pontificis venia opportunè obtenta, minimè necessarium sibi putaret assensum Collegii S. R. E. Cardinalium; consilium verò suum, ne interverti posset, necessario occultandum esse cognovisset; delato deinde ad ipsum murmure eorum, qui ipsius factum reprehendebant, ita scripsit ad Pontificem, in præcitata Epistola: *Quod autem, dimisso Cardinalatus habitu, dissimulata veste, me itineri commiserim, non opinor propterea me notam ullam apud graves, & prudentes Viros contrahere potuisse. Nam cum vellem, quod hactenus feceram, secretissimum esse, idque fratri mihi fidissimo occultassem, existimavi satius etiam in dissimulato habitu inter ignotos, quàm cum vero habitu incedere, & propterea a pœna & a culpa, & ab omni alia nota me immunem esse existimo.* Hæc Epistola refertur in ejus vita edita ab Attichy in Libro, cui titulus: *Flores Historiæ Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium.*

Respondet secundæ circa legem generalem constituendam.

Atque hæc de prima quæstionis parte. Quod verò ad alteram attinet, ad generalem scilicet Legem, quam pro similibus casibus a Nobis constitui postulas; hoc tibi respondere posse arbitramur, satis huic rei in Ecclesiasticis Canonibus provisum esse. In Concilio Toletano IV. anno DCXXXIII. sub Sancto Isidoro celebrato, *Canone* 50. ita legitur: *Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in Monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Textus habetur *in Collectione Conciliorum Hispaniæ Cardinalis de Aguirre Tomo II. pag.* 487. & refertur etiam in Decreto Gratiani *Can. Clerici* 19. *quæst.* 1. Quin immo *in eadem Causa* 19. *quæst.* 2. *Can. alienum*, postquam regula posita est, quod Clericus absque permissu Episcopi ab Ecclesia sua discedere, & alterius servitio se adjungere nequit; hujusmodi exceptio subnectitur: *Sed subaudiendum est, nisi ad propositum melioris vitæ transire voluerit; tunc enim liberum est illi, etiam Episcopo contradicente, Monasterium ingredi.* Concordat Canon sequenti loco relatus, qui incipit *Duæ sunt*; in quo distinctio fit inter Legem publicam, & privatam; & posito, quod publica quidem Lex vetat Clericum ab una ad aliam Ecclesiam transire sine assensu proprii Episcopi; privata verò Lex, quæ instinctu Sancti Spiritus in corde scribitur, & dignior est Lege publica, nequaquam id prohibet; ex hujusmodi principio arguitur, licere Clerico Beneficiato, etiam contradicente Episcopo, Beneficium relinquere, & in Monasterium sese recipere: *Si quis horum in Ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, & sæculariter vivit, si, afflatus Spiritu Sancto, in aliquo Monasterio vel Regulari Canonia salvare se voluerit, quia Lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut Lege publica obstringatur; dignior est enim Lex privata, quàm publica &c. Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate.*

De jure liberum est Clericis transire ad Claustra, etiam absque licentia Episcopi.

S. Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 7. quæstionem proponit, *utrum Presbyteri Curati possint licite Religionem ingredi:* eamque affirmativè resolvit; ea ratione ductus, quod nulla lege obligantur, toto vitæ tempore curam animarum sustinere. Articulum verò ita concludit, facta de Archidiaconis expressa mentione: *Unde manifestum est, quod Archidiaconis & Presbyteris Curatis licet ad Religionem transire;* & paulo infra: *Dicendum, quod Presbyteri Curati & Archidiaconi obligaverunt se ad curam agendam Subditorum, quamdiu retinent Archidiaconatum, vel Parochiam; non autem obligaverunt se ad hoc, quod perpetuo Archidiaconatum, vel Parochiam retineant.* Hæc S. Thomæ sententia confirmatur a S. Antonino in sua *Summa par.* 3. *tit.* 16. *cap.* 2. §. 2., *in Editione Veronensi pag.* 881., ubi præterea addit, Episcopi dissensum minimè obstare: *Archidiaconis, Presbyteris, Curatis, licet ad Religionem transire, etiam Episcopo contradicente.* Quæ verba similiter leguntur *apud Sylvium* 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 7. *in postrema ejus Editione Antuerpiæ facta, Tom. III. pag.* 945.

Sententia D. Thomæ concordat etiam in terminis fortioribus.

Et S. Antonini.

Et quoniam alicui in mentem venire poterat, hujusmodi libertatem transeundi ad Claustra, quæ sæcularibus Presbyteris a Canonibus conceditur, locum habere dumtaxat pro Claustris Monachorum, de quibus ipsi Canones expressè loquuntur; idem Sylvius, *loco citato*, affirmat, eam facultatem æquè competere, sive de Instituto agatur contemplativæ vitæ uniè dedito, sive de eo, in quo vitæ activæ opera exerceantur: *Possunt Religionem etiam illam ingredi, quæ in vita mere contemplativa, aut potissimum in corporalibus vitæ activæ officiis sit occupata; quoniam plus excedit status Religionis cujuscumque, statum seu potius officium Archidiaconi vel Plebani, quàm status altissimæ Religionis, statum cujuscumque infirmæ;* propter solemnia nimirum Vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, quæ in unaquaque Religione emittuntur.

Extensio sententiæ ad Ordines vitæ activæ.

At incidunt sæpe tempora, quibus opportunum non est, Clericum sæcularem suum locum deserere, & in Religiosis Claustris se abdere: qua de re nisi consultatio intercedat inter Episcopum & Superiorem Regularem, impossibile erit quid expediat agnoscere. Durum autem omnino est, Virum Ecclesiasticum, qui, in suscipiendo Presbyterii Ordine, conceptis verbis, Episcopo suo reverentiam & obedientiam spopondit, quoties ipsi libuerit, Episcopo inconsulto atque inscio, ad Regularia Claustra discedere, ac Regularis Instituti servitio perpetuo se mancipare. Super quibus omnibus inter se junctis, certam aliquam regulam tradi, & generalem Legem a Nobis promulgari opus esse contendis.

De limitatione sententiæ.

Equidem fatemur, non omni tempore omnibus opportunum esse Regularem vitam amplecti. Meminimus Epistolæ S. Augustini ad Bonifacium Comitem, quæ in Editione Monachorum Sancti Mauri impressa est *num.* 220. *Tom. II. pag.* 212., & cujus etiam pars refertur in *Can. Novimus* 17. *quæst.* 2. ubi nimirum Sanctus Doctor testatur, se, una cum Alypio, ipsum Bonifacium a Monasticæ vitæ proposito dissuasisse, ob præclaram, quam, in sæculo manens, Ecclesiæ & Reipublicæ navabat operam, dum Africam a Barbarorum incursionibus

Enumerantur casus, qui obstare videntur.

tueba-

tuebatur: *Ut autem non faceres, quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi Ecclesiis quod agebas, si ea sola intentione ageres, ut defensæ ab infestationibus barbarorum, quietam & tranquillam vitam agerent?* Vidimus etiam apud S. Thomam 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 4. *& quæst.* 189. *art.* 6., quæstionem hanc solidis rationibus examinari; utrum posset Filius Religionem ingredi, & Parentes in sæculo relinquere, si ab ipso deserti, inopia sint laboraturi. Ulterius inquirunt Moralistæ, an idem dicendum sit de Avo; & an id, quod de Ascendentibus statuitur, locum habeat etiam quoad Filios, Fratres, & Nepotes; & quatenus illius ope, qui Religionem vult ingredi, prædicti omnes indigere debeant.

De reverentia quoque & obedientia, quam non modo Sacerdos, sed quilibet etiam Clericus, proprio Episcopo præstare debet, justam profecto opinionem fovemus. De hujusmodi obedientia agitur in *Cap. cum Clerici. de verb. signific.* ubi Innocentius Papa III. exponens formam juramenti, quod a Clericis Ecclesiæ Placentinæ præstabatur, in hæc verba conceptum; *Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero, & obediens Placentinæ Ecclesiæ, & Domino meo Episcopo Placentino;* docet, per Ecclesiæ Placentinæ vocabulum intelligi Capitulum Ecclesiæ Cathedralis; eum vero, qui præstat hujusmodi juramentum, Episcopo tamquam capiti principaliter obligari. Neque porro Nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiæ, & reverentiæ sponsionem, quam Presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, juxta vetustissimum Ecclesiæ morem, ante mille annos indubitanter servatum; ut ex antiquis Ritualibus colligitur, quæ expendit *Catalanus ad Pontificale Romanum Tom. I. pag.* 149. *in notis ad* §. 29. Quin immo libenter agnoscimus, Presbyterum, hujusmodi promissionis vigore, ea lege, inter alias, adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiæ, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi; id quod optimis rationibus demonstrat *Hallier de Sacr. elect. & Ordin. par.* 1. *sect.* 6. §. 12. *Editionis Romanæ*, ubi docte graviterque refellit auctorem cujusdam libelli Gallico sermone editi, qui hujusmodi reverentiam, & obedientiam Episcopo in Ordinatione promissam angustis nimium limitibus coërcere tentaverat.

Pontif. tamen statuit novam legem non oportere.

Verumtamen, his omnibus non obstantibus, iterum dicimus, novam generalem Legem hac de re minime necessariam Nobis videri; vel quia in Ecclesiasticis Sanctionibus, quodcumque necessarium est, satis constitutum habemus; vel quia, si quid adhuc ordinandum supereset, id pro generalis Constitutionis subjecto haberi non potest. Tria siquidem sunt, quæ in hujusmodi casibus considerari possunt; primum videlicèt, an Presbyter ab Ecclesiæ servitio ad Regularia Claustra transiturus, permissionem ab Episcopo petere debeat: Secundum, quid ipsi faciendum sit, si Episcopus dissentiat: Tertium, quid statuendum sit de Parochia, seu Canonicatu, aut Archidiaconatu, quem Presbyter obtinebat. Verum hæc omnia jam Sacri Canones considerarunt, atque opportunas pro singulis capitibus regulas præscripserunt.

Et distinguit tres casus in hac re æquè in jure consideratos.

Quod enim pertinet ad Episcopi permissum; nemo dubitat, quin Presbyter, Ecclesiæ regimen, aut ministerium dimissurus, ante omnia debeat Episcopo consilium suum, ejusque capiendi rationes, quantum earum natura fert, aperire. In quo non tam officio & honestati, quàm naturalis legis præcepto satisfaciet. Quum enim Presbyteri, in animarum cura, aliisque gravibus muneribus ad Pastorale regimen spectantibus, Episcopi Ministri sint; ita cum eo se gerere debent, ut is animarum, quas ipsi regebant, & negociorum, quæ administrabant, necessitatibus opportunè consulere valeat. De quo rectè loquitur *Passerinus*, licet Ordinis Regularis scriptor, *de statibus hominis Tom. III. quæst.* 189. *art.* 7. *num.* 8. *Minister, qui habet custodiam rerum, & bonorum Domini sui, quæ absente custode perire possunt, non ex pura decentia, sed ex debito officii sui, tenetur bona sibi commissa Domino reddere, & illum monere, ut de alio custode provideat; &, si hoc non faciat, puniri potest. Cum ergo Parochus sit Episcopi minister in cura animarum, si deserat animas sibi commissas, inconsulto Episcopo, non minus peccat, quam si Minister Pastoris, Ovium Domino, ac Pastore non admonito, gregem errantem sine custode dimitteret*, cum his, quæ sequuntur.

Hæc autem permissio vel ab Episcopo conceditur, vel negatur. Si concedatur, jam controversiæ locus non erit. Sin vero denegetur, hujusmodi dissensus, ex auctoritatibus superius citatis, Presbyterum non adstringet, quominus Religionem ingredi valeat. Neque id mirum videri debet. Si enim Presbyter Episcopo reverentiam & obedientiam in sua Ordinatione promisit, multo solemnius Regulares eam promiserunt proprio Superiori in Religiosa Votorum Professione. Et tamen quoties Regularis in Ordine laxiori Professus ad strictiorem transire cupit, tenetur quidem a Superiore laxioris licentiam petere: verumtamen, ea sibi denegata, nihilominus ad strictiorem libere transire potest, ut expressè statuitur in *Cap. licet. de Regularibus*, ubi sic legitur: *Talis ergo postquam a Prælato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata, quæ publicæ legi præjudicat, absolutus, libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Prælati; quia privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate.*

De vacatione Beneficiorum per Professionis emissionem, & quid agendum de ipsis tempore Tyrocinii.

Denique de Beneficiorum vacatione, in jure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in Religionem, sed per Professionem Regularem dumtaxat; quemadmodum videre est in *Cap. Beneficium. de Regular. in 6.* Et quidem pro eo tempore, quod inter ingressum in Ordinem Regularem, & Professionem solemnem intercedit, debet Episcopus, quoad Beneficia Curata, id ipsum agere, quod alias præstare consuevit, quum Parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; quoad Beneficia vero Choralia, relictis Tyroni Religioso, qui Choro interesse nequit, ipsius Beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura præscribunt; juxta opinionem in praxi receptam, de qua agit *Suarez de Religione Tom. III. lib.* 5. *Cap.* 16. *num.* 12. Quin immo si quis forte Religionem ingressurus, Beneficium suum dimitteret, (quo casu potest Episcopus, *per Constitutionem LVIII. S. Pii V.*, hujusmodi renunciationem admittere); vel etiam si tempore Novitiatus hujusmodi dimissionem expleret, servatis omnibus, quæ ex præscripto Sacri Tridentini Concilii *Cap.* 16. *sess.* 25. *de Regularibus*, tam in bonorum temporalium, quam in Beneficiorum Ecclesiasticorum renunciationibus servari debent; nihilominus omnia in suspenso remanere deberent; neque posset Episcopus ad Beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem Professionem; uti latè ostendit doctus, & in hoc toto rerum genere expertissimus Scriptor, bon. mem. Joannes Baptista Riganti, in suo *Commentario ad Regulas Cancellariæ Tom. III. Regul.* 46. *a num. II. ad finem.* Qua in re olim dubitatum est, an Vota simplicia, quæ a Clericis Regularibus Societatis Jesu, post biennium Probationis, emittuntur, hujusmodi Beneficiorum vacationem inducerent; sed negativa sententia communiter recepta

fuit; ut observat laudatus Riganti *loco cit. num.* 30. *& sequ.*, & monet Pitonius *discept.* 126. *num.* 11. *& sequ.* Quamvis in Congregatione quinta Generali ipsius Societatis *Canone* 19. statutum fuerit, ut qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam Vota simplicia emittat, Ecclesiastica Beneficia dimittere debeat; quo casu hujusmodi Beneficia, si minus propter Professionem, at propter renunciationem, vacare intelliguntur; ut notant *Sanchez ad Præcepta Decalogi lib VII. Cap.* 4. *num.* 7. *Pellizzarius in manuali Tom. I. Tract.* 3. *Cap.* 4. *num.* 52., cum aliis, quos citant præfati *Rigant. loco cit. num.* 32. *& Piton. num.* 12.

Proceditur ad quæstionem an ferri debeat constitutio super consultatione inter Episcopum, & Superiorem Regularem super idoneitate illius, qui Religionem ingredi vult.

At enim dices, præmissa omnia rectè procedere; verum per ea non tolli propositam difficultatem, de peculiaribus circumstantiis aliquando occurrentibus, ob quas permitti nequit Presbytero Sæculari ad Regularem vitam transire; & quidem necessarium esse, earum cognitionem & examen instituì; id quod obtineri nequit, nisi, lata Constitutione, præscribatur aliqua consultationis species inter Episcopum, & Superiorem Regularem; ut unicuique sua ratio constet, ipseque Superior Regularis ab Episcopo edoceri valeat de idoneitate illius, qui Religioni nomen suum offert; ne forte eidem inutilis inveniatur; qualem profecto, ob ingravescentem illius ætatem, repertum iri suspicaris Archidiaconum Chizzola, qui inter Clericos Societatis Jesu, Te inconsulto, admissus fuit.

Examinatur quæstio.

Porro nec interdicta fuit unquam hujusmodi consultatio inter Episcopum, & Superiorem Regularem, neque Nos eam vetare intendimus; quin potius illius utilitatem, atque opportunitatem agnoscimus. Ut autem specialis Legis mandato, tamquam necessaria, præcipiatur, in eo non modica est difficultas. Neque enim in jure cautum reperitur, ut duorum Ordinum, laxioris, atque strictioris, Superiores inter se convenire debeant, quoties aliquis in illo professus, ad hunc transire velit; sed solum, ubi inter præfatos Superiores oriatur controversia, an hujusmodi transitus ex laudabili causa, vel potius ex animi levitate & inconstantia suscipiatur, Ecclesiasticæ Leges, Superioris Majoris judicium requiri voluerunt: *Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad Ordinem arctiorem, aut laxiorem, ex charitate, an ex temeritate transire, Superioris est judicium requirendum.* Ita legitur in *citat. Cap. licet. de Regularibus.* Quod si, hujusmodi controversia pendente, Religiosus in altero illo Ordine recipiatur, atque etiam in eo Professionem emittat; tunc ex ipsius controversiæ exitu decernendum erit, an ipse ad priorem reverti, an vero in posteriori remanere debeat; ut rectè monet *Abbas Panormitanus in citat. Cap. licet, num.* 15. *de Regular.* Hodierna vero praxis est, per quam omnes hujus generis controversiæ, & morarum prolixitates devitantur, ut Religiosis Viris, qui a laxiori ad strictiorem Ordinem transire cupiunt, postquam voluntatis suæ causas coram competentibus Apostolicæ Sedis Tribunalibus exposuerint, atque probaverint, haud ægre a Romano Pontifice indulgeantur opportunæ facultates, in quibus derogatio super consensu Superioris Ordinis laxioris includitur.

Quod vero jus, certis in casibus, certisque de causis, competit Superiori Ordinis laxioris, ut suum subditum Regularem ad strictiorem Ordinem digressum, etiam post solemnem Professionem in eo emissam, repetere & revocare valeat; idem similiter, certis in casibus, justisque exigentibus causis, Episcopo competit, ut suum Clericum Sæcularem Ordini Regulari adscriptum repetere possit. Hoc tradit clarissimus Canonum doctor *Innocentius IV. ad sæpe citatum Cap. licet. de Regular.*, cujus hæc sunt verba, ibi *num.* 3.: *Clericus potest transire ad Religionem; non petita licentia, etiamsi contradicatur; Crederemus tamen, quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima Ecclesia gravem sustineret jacturam.* Concordat Abbas in *idem Cap.* 14., ubi sic ait: *Ulterius quæritur, quid in Sæculari Clerico? Numquid potest intrare in Religionem, non petita licentia ab Episcopo? Innocentius tenet quod sic: sed si Ecclesia graviter læderetur, esset revocandus.* Satis itaque provisum est etiam Episcopo, qui factum Clerici sui, ad Regularia Claustra, se invito, digressi, impugnare velit. Unde nec ulla nova Constitutione opus est, ut Episcopalia jura hac in parte asserantur; neque porro, ut peculiares indicentur casus, quibus hujusmodi juris exercitio locus esse possit; quum satis sit Regulam generalem tradidisse, quam Judex sequatur, quamque ad peculiares causas, pro sua prudentia, justoque arbitrio, valeat applicare.

Resolvitur opus non esse nova Constitutione.

Hujus tamen juris, quo Episcopus Clericum Sæcularem sibi subjectum, qui Regulari Institutio sine ipsius assensu nomen dedit, repetere, & ad Ecclesiæ servitium revocare potest, hujus, inquam, juris persequutio in casibus particularibus non admodum facilis esse videtur. Ponamus enim Episcopo rem esse cum Clerico Beneficiato, cum Canonico, cum Archidiacono; vel (quoniam de simplici Beneficiato, aut Canonico, minus fortasse laborabit) de Archidiacono videamus. Hujus dignitatis, sive Officii, veteribus quidem temporibus gravissimi, nunc munus omne eò redactum est, ut Episcopo Ordinationes generales celebranti, quum ipsi commodum fuerit, assistat, promovendos ad ipsam Ordinationem evocaturus. Si vero agatur de Parochis, aliisve Animarum curam gerentibus, nemo quidem negabit, ipsorum munus magni in Ecclesia momenti esse; sed quum simul negari nequeat, *Prælationis munus, seu statum*, (ut inquit *Suarez de Religione Tom. III. lib.* 1. *Cap.* 21. ubi de animarum cura loquitur) *minus securum esse, Religionis vero esse statum majoris securitatis in ordine ad spiritualem salutem*; unusquisque Parochus Religiosæ vitæ cupidus, ac una exceptione in judicio se tuebitur adversus Episcopum, qui ipsum ad Animarum curam revocare contendat. Sanctus Gregorius Magnus, quum olim scriberet adversus Legem ab Imperatore Mauritio editam, qua interdictum erat Militibus Monasticam vitam amplecti, hanc, inter alias, rationem afferebat: *Multi sunt, qui possunt Religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere, & plerique sunt, qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt*: ut videre est in ipsius *Epistola* 65. *lib.* 3. *Indict. VI. Tom.* 2. *præfatæ Editionis Parisinæ.* Nunc ergo quilibet Beneficiatus, Canonicus, Archidiaconus, Parochus, qui officium, aut ministerium suum cum Religiosa vita commutaverit, se non inter *multos*, sed inter *plerosque* a S. Gregorio indicatos, connumerandum esse affirmabit.

Et difficile esse, ut Episcopus Clericum ad sæcularem statum revocare possit.

Si autem ipsi objiciatur, quod in sæculari statu pauperibus largiter subvenire consueverat, respondebit, se non minus ex ipsis Religiosis Claustris, si bonorum suorum possessionem ad Religionem attulerit, opportunis obtentis facultatibus, pauperum indigentiis subventurum. Sanè quum in præfata Lege Mauritius Imperator inhiberet, ne debitores publici Ærarii in Monasteriis reciperentur: Sanctus Gregorius eam partem Legis impugnans, (de qua tamen deinde suam opinionem mutavit, ut observant laudati Editores, *in Notis, litera d.*) ita scribebat in citata Epistola: *Quod vero in eadem Lege dicitur, ut ei in Monasterium converti non liceat, omnino miratus sum; dum & rationes ejus possunt per Monasterium fieri; & agi*

*potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, ejus quoque debita suscipiantur.*

Quod si objiciatur gravis ætas Presbyteri ad Religionem transeuntis, facilis & obvia erit responsio, quod multi sunt in Regularium Familiis Religiosi Viri in senili ætate constituti, qui pro modo virium suarum, laudabilem operam Religioni præstant; quorum numero ipsum, de quo est quæstio, adjungi nil vetat. Ita pariter Sanctus Gregorius, contra propugnatores supradictæ Legis, qui dicebant, Milites ad Monasteria convolantes, bonos Monachos non evadere; affirmabat: *Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in Monasterio Milites conversi, miracula fecerunt, signa & virtutes operati sunt.*

Aliæ rationes, ob quas non est ferenda Constitutio.

Denique, huic Epistolæ jam nimis prolixæ finem facturi, unum adhuc addimus; ex centum nimirum Archidiaconis non facile duos inventum iri, qui Archidiaconatum dimittere, & Religionem ingredi velint. Contra verò, in pari Regularium numero, multos sane inveniri posse, qui Regularem vitam pro Archidiaconatu adipiscendo relinquerent. Quare, quum Leges versari oporteat circa ea, quæ frequenter accidunt; profectò non tam nova Lege opus erit ad retinendos Clericos, & Presbyteros Sæculares, ne Religiones ingrediantur; quàm necesse esset aliquid excogitare, quo magis intra Religiosa Claustra continerentur ii, qui Regularem vitam amplexi, & professi sunt. Vix enim credibile est, quàm multi a Regularibus Ordinibus migrare variis artibus quotidie moliantur. Neque solum de Apostatis loquimur, quorum numerus in dies augetur; sed, si omnes, qui nullitatem Professionis suæ judicio experiri aggrediuntur, illam apud Judices probarent; si omnes, qui Dignitates extra Religionem ambiunt, voti compotes fierent; si demum facilem apud Nos aditum invenirent eorum instantiæ, qui e Claustris exire, & in habitu Presbyteri Sæcularis, sub obedientia Episcoporum, & cum obligatione servandi Vota Religiosa, quatenus conciliari possunt cum statu Clerici Sæcularis, in Sæculo manere vellent; longè utique minor eorum foret numerus, qui Religionem professi, ad mortem usque in illa perseverarent.

Dum itaque, Dilecte Fili Noster, consiliis tuis, quæ tum privatis Litteris, tum etiam Typis impressis, non minus docte, quàm eloquenter proposuisti, obsecundandum Nobis esse non arbitramur; in eo tamen singularem existimationem, quam de Te merito fovemus, agnosces, quod Tibi causas, atque rationes, quibus ab iis sequendis retrahimur, exponere non detrectavimus his Litteris Nostris; quibus etiam tibi, novum benevolentiæ Nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. Pont. An. VII. die 14 Januarii 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 14. Januarii MDCCXLVII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

---

XXVI.

## De Clausura Monialium, & admissione Famularum in Monasteria.

*Venerabili Fratri Josepho Mariæ Episcopo Portugallensi.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Leges super Clausura a Pontifice latæ enunciantur.

PER binas alias nostras in simili forma Brevis literas, quarum unæ quidem datæ fuerunt die 1. mensis Junii anno MDCCXLI. incipientes: *Cum Sacrarum Virginum*; alteræ vero die 3. mensis Januarii anno MDCCXLII. itidem incipientes: *Salutare in Catholica Ecclesia institutum*: ea opportuna adhibere curavimus Apostolicæ providentiæ supremæque auctoritatis nostræ remedia, quæ ad instaurandam regularem quoad clausuram Monialium observantiam, a primæva disciplina per Prædecessores nostros Romanos Pontifices, & Sacros Canones confirmatâ sensim dilabentem, satis esse in Domino duximus. Quoniam autem non sine gravissimo animi nostri angore accepimus novas artes, ac nova inventa, etsi antiqua sint, ac toties proscripta, sub variis exquisitisque causis, & rationibus in dies excogitari, quæ non solum per præscriptas leges prohibentur, sed quamplurimis etiam inordinationibus, & offendiculis aditum patefaciunt: Ac primum quidem eò pervenit famularum ad Monialium ministerium in Monasteria admittendarum abusus, ut indultum, quod ab Apostolica hac Sancta Sede sub tot salutaribus conditionibus concedi solet, etsi pro prima vice servatis iisdem conditionibus executioni demandetur, deinceps tamen quoties admissam famulam, aut e Monasterio egredi, aut viam universæ carnis ingredi contingat, toties, nulla indulti hujusmodi habita ratione, ad libitum Monialium, sine alia Antistitum Ordinariorum locorum, ad quos spectat, scientia & licentia, sed de Superiorum Regularium eorumdem Monasteriorum dumtaxat aliquando consensu, aliæ, atque aliæ in Monasterium inducantur famulæ, de quarum moribus, fama, vitiis, ac virtutibus nulla præcesserit legitima cognitio; unde fit, ut sub Famularum nomine ac prætextu, fœminæ quæcumque in Clausuras, non sine Clausuræ violatione admittantur: Illud præterea in more positum esse dolentes audivimus, ostia nimirum Monasteriorum, quæ semper clausa esse, nec nisi ad necessaria eorumdem Monasteriorum commoda recludi debent, ita assidue patefieri, ut Moniales, & quæcumque aliæ in Monasteriis degentes Virgines in propatulo sedentes, sive stantes, cum quibusvis utriusque sexus hominibus illuc accedentibus indiscriminatim colloqui, & jocari etiam non erubescant, ut sæpe quamlibet fœminam in quacumque ætate constitutam sive consanguineam, sive affinem, sive tamquam famulam cujuslibet earumdem Monialium in ipsam Clausuram accersant; & quamvis ipsæ Moniales impellant, spontè tamen ingressam deinde asserant; nec Religioni ducant censuras, ac pœnas canonicas, quibus eapropter obnoxiæ fiunt: Nos sane, qui pro imposita Nobis divinitùs suprema Apostolicæ servitutis procuratione saluberrimè occurrere debemus hisce abusibus, & inordinationibus, etsi abusus, & inordinationes hujusmodi in ista Fraternitatis Tuæ Diœcesi neque unquam irrepsisse, neque unquam irrepturos esse in Domino confidimus; Fraternitati tamen Tuæ notum esse volumus, quod Nos non solum omnes, & singulas Constitutiones tam ab iisdem Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, quàm à Nobis ipsis super clausura Monialium editas, verum etiam omnia & singula decreta tam a Concilio Tridentino, quàm a Congregationibus Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super eadem clausura, & admissione, & receptione Educandarum puellarum, & famularum, sive quarumcumque fœminarum promulgata, quatenus opus sit, tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus, & sub pœnis etiam per easdem Constitutiones, & Decreta contra inobedientes inflictis, servari mandamus, ac præcipimus. Insuper tenore, & auctoritate paribus statuimus, ac declaramus, admissionem receptionemque quarumcumque fœminarum, sive puellarum educandarum, sive Famularum in Monasteria, quacumque ex causa, sine legitima

Novi abusus ad eundem delati.

Apostolica & Conciliaria statuta innovantur.

Præscribitur ordo servandus pro ingressu Mulierum in Monasteria, sub pœnis &c.

authen-

authenticaque jusdem Apostolicæ Sedis licentia toties, quoties opus fuerit, impetranda, & prævio examine super moribus, fama, habilitate, & necessitate ipsarum Educandarum puellarum, vel famularum, per Antistites locorum Ordinarios tantummodo, & non alios quoscumque Superiores toties itidem, quoties necessitas postulaverit, habendo, non obstante quacumque consuetudine etiam longi temporis, fieri non debere. Quod si secus factum, ac fieri in posterum contingat, statuimus pariter ac declaramus, tam Moniales, & quascumque in Monasteriis degentes, quæ fœminas quascumque in eadem Monasteria quomodocumque admiserint receperintque, quàm ipsas fœminas admissas & receptas, canonicis censuris, & pœnis obstrictas esse, ac fore, a quibus easdem Moniales, & fœminas hujusmodi ejusdem tuæ Diœcesis, si fortasse hac in parte deliquisse contigerit, de præterito tantum absolvendi facultatem Fraternitati Tuæ, cum facultate etiam alios subdelegandi, tribuimus & impertimur. Cæterum Fraternitati Tuæ injungimus, ac præcipimus, ut omnium, & singularum ordinationum per laudatum Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones, & dictarum Congregationum decreta, super clausura Monialium, & delegata Antistitibus locorum Ordinariis Visitatione tam interna, quàm externa præscriptarum memor, easdem ordinationes sub pœnis desuper inflictis debitæ executioni mandare satagas & studeas, nec non mandari facias, cures, & adnitaris. Interim, ad prosperi successus auspicium, Tibi, Venerabilis Frater, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 24. Jan. MDCCXLVII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Dat. Pont. An. VII. die 24. Januarii 1747.

XXVII.

De Ordinationibus Regularium.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

Impositi Nobis licet immerentibus Apostolici Ministerii ratio postulat, ut ad tuendum Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, non modò novas interdum Leges providè constituamus; verùm etiam veteres a Prædecessoribus Nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum præsidio debitis fraudentur effectibus, novis & inviolabilibus sanctionibus communiamus; si verò earum claritas pravis & captiosis interpretationibus involvi & obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

Vetus controversia de Ordinatione Regularium.

Sanè quæ olim de Ordinationibus Regularium controversia viguit, an scilicet Regulares a quocumque Catholico Antistite indistinctè ordinari possent, an verò id juris privativè pertineret ad Episcopum illius Diœcesis, intra quam sita est Religiosa Domus, quam Regularis ad Ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus & declarationibus jamdudum sublata fuit. In quæ quidem controversia Episcopi Locorum Ordinarii jura sua fundantes in generalibus Canonum statutis, & in ipsis exemptionum privilegiis, quæ Regularibus indulta sunt, ajebant, ipsorum Ordinationes, utpotè Diœcesanis Episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad Ordinarios eorum Originis, quam Regulares a se abdicant, dum sæculo nuntium remittunt; neque porrò ad Ordinarios Beneficii, quoniam ipsi ad titulum Beneficii non promoventur; proindeque unicè spectare ad Episcopos Ordinarios eorum Domicilii, nimirum illius Diœcesis, ac Loci, in quo ipsi Ordinandi commorantur. Contra verò Regulares Apostolicis Privilegiis innixi, quæ certis Ordinibus recentiùs elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant Sacros Ordines a quocumque Catholico Antistite, juxta eorum Privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

Rationes pro Episcopis Diœcesanis.

Item pro Regularibus.

Verùm quum felicis recordationis Prædecessor Noster Gregorius Papa XIII. per suam Apostolicam Constitutionem, quæ incipit *In tanta rerum*, datam apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXIII. Kalendis Martii, justis gravibusque de causis, alteram Constitutionem sui nostrique pariter Prædecessoris S. Pii Papæ V., cujus initium est, *Etsi Mendicantium*, ad juris communis & Sacri Concilii Tridentini terminos reduxisset; eodem quoque anno in Causa Monachorum Ordinis Carthusiani Decretum edidit, quo ipsos ab Episcopis Diœcesum, in quibus eorum Monasteria respectivè sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia, ab aliis quibusque Episcopis ordinandos esse declaravit; quemadmodum legitur *Lib. I.* Decretorum Congregationis Concilii *pag.* 75. *a terg. Dub. An Nostri Ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cujus Diœcesi sunt, pro Ordinibus conferendis ab Episcopo alterius Diœcesis: Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Sacræ Congregationis Concilii, declaravit, obligari.*

Privilegia Regularium a Gregorio XIII. reducta ad terminos juris.

Decretum ejusdem de Ordinationibus.

Contigit autem, sub illius Successore Sixto Papa V. eandem quæstionem retractari, instante universo Ordine Fratrum Prædicatorum. Qua de re idem Prædecessor, post maturum Causæ totius examen in præfata Congregatione Concilii habitum, constituit, licere Superioribus Regularibus Literas Dimissoriales concedere suis respectivè Subditis, ad Ordines suscipiendos; sed eas tamen Diœcesano dumtaxat Episcopo directas, nec alteri unquam, nisi quum fortè is a Diœcesi abfuerit, aut, quatenus in Diœcesi extiterit, Clericorum tamen Ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur *Lib. IV.* prædictorum Decretorum *pag.* 108. *Sanctissimus Dominus Noster Xistus V., ex sententia Congregationis, respondit, Regulares posse concedere Dimissorias ad Episcopum Diœcesanum, eoque absente, vel etiam præsente, & Ordinationem non tenente, ad quemcumque; dummodo ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

Quod a Sixto V. constitutum & declaratur.

Demum a sanctæ memoriæ Prædecessore quoque Nostro Clemente Papa VIII., ad hujusmodi controversias perpetuò extinguendas, sequens Decretum editum fuit: *De mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis Divinâ Providentiâ Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus & singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cætero observent, & observari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis: Congregatio Concilii censuit, Superioribus Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, Literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempè illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit, &, si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus vel abfuturus, vel nullas*

Tum etiam latiùs a Clemente VIII.

esset

*esset habiturus Ordinationes. Verùm, cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel Ordinationes non habente, Literæ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ reservatas pœnas incurrant. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. mensis Martii 1596.*

Controversiæ utrinque renovantur.

Hoc emanato Pontificio Decreto, eoque tam claris verbis concepto, jure sperandum videbatur hujus generis lites non ampliùs auditum iri; sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Episcopi ultra montes constituti contendere cœperunt, necessarias esse Regularibus Dimissorias etiam Ordinariorum eorum Originis, quò possent ab Episcopis aliorum Locorum ad Sacros Ordines promoveri; ex altera verò Regulares, obtendentes, in præfato Clementis VIII. Decreto derogatum non fuisse Apostolicis Privilegiis, quæ eorum Ordinibus, sive directè, sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocumque Catholico Antistite ordinari possent, hujusmodi Decreti vim & observantiam declinare se posse putarunt.

Dimissoriæ Ordinariorum Originis a Regularibus non requirendæ.

Verùm, quod attinet ad Episcopos, ipsa Congregatio Concilii die 28. Februarii anni MDCLIV., ut notatum reperitur *Libro XIX.* ipsius Decretorum *pag. 316.* ita rescripsit: *Regulares volentes se promovere ad Ordines, non teneri ostendere Dimissorias Ordinariorum propriæ Originis, sed sufficere ut observent formam præscriptam in Decreto san. mem. Clementis VIII.* Quod etiam amplissimè confirmatum fuit in alio Decreto edito die 17. Martii anni MDCLXXIV., Decretorum *Libro XXVIII. pag. 261., & sequentibus.*

De Privilegiis Regularium judicium habitum sub Innocentio XIII.

Quod verò spectat ad Regulares; quum eorum præsumptum jus, una cum rationibus ab ipsis plenissimè deductis, in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium a felicis recordationis Prædecessore Nostro Innocentio Papa XIII. deputata, cui Nos in minoribus tunc existentes nostram qualemcumque operam, pro demandato Nobis Secretarii munere, contulimus, diligenter expensum, & examinatum fuisset; cumque ad hujusmodi quæstionem definiendam, id potissimum visum esset in jure statuendum, an ad effectum eximendi Regulares a præfati Decreti Clementini observantia, sufficeret, quod Privilegia suscipiendi Ordines a quocumque, ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua Privilegia abrogata fuisse satis constat; an verò oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis Prædecessoris Decretum: Ac præterea an hujusmodi Privilegia æquè suffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur; ac iis, quibus directè & expresè indulta fuerunt; Idem Innocentius Prædecessor, audito præfatæ Congregationis particularis consilio, decrevit, satis esse, ad supradictum effectum, quod hujusmodi Privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis præfato Clementino Decreto posteriora non sint; dummodo tamen directè concessa fuisse constet, non verò in communicatione Privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata asserantur; quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis Literis, incipientibus *Apostolici ministerii*, die 30. Maji anni MDCCXXIII. datis, ac deinde confirmatis a Sanctæ memoriæ Prædecessore pariter Nostro Benedicto Papa XIII. per alias similes Literas datas die 23. Septembris anni MDCCXXIV., quarum initium est *In supremo*, apertè declaravit, his verbis: *Quoties ergo Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a piæ memoriæ Clemente VIII. Prædecessore etiam nostro confirmatum die 15. Martii 1596., quo sancitur, ad Episcopum Diœcesanum Literas Dimissorias pro eorundem Ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, præterquam in casu, quo Diœcesanus a Diœcesi abesset, vel Ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in Literis Dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de prædicta Episcopi Diœcesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet quod Ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad prædicta, Regularibus illis, quibus per speciale Privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet Catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per præsentes innovare intendimus.*

Quæstionis nodus.

Transgressiones ex Legum ignorantia, & prava interpretatione.

Porro si aliqui vigilias laboresque suos, non tam in extricandis inutilibus quæstionibus, vel fortè in rebus profanis, & ab Ecclesiastica professione alienis addiscendis consumerent, quàm in studio sacrarum Legum, quibus Ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent; ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atque, in Legum etiam clarissimarum interpretatione, suus cuique sensus pro auctoritate esset; nec olim Nobis in nostro Bononiensi Archiepiscopatu residentibus contigisset, ut Regularis quidam ex ea Urbe repente digressus, suique Superioris Dimissorias ad Episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, Nos Clericorum Ordinationem non habituros, Sacrum Presbyteratus Ordinem susciperet, nullâque interjectâ morâ Bononiam ad primum Sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur: Quam tamen intolerandam audaciam Nos ad Canonicarum sanctionum rigorem exigere, atque etiam, servata Pastorali mansuetudine, vindicare non prætermisimus, ut videre est in Monito Pastorali a Nobis tunc edito, *inter impress. Monit. 3. Lib. 11.* Neque rursus, ex quo ad universalis Ecclesiæ regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium Episcoporum Fratrum Nostrorum querelæ ad Apostolatum Nostrum delatæ fuissent; qui nimirum, non sine magno animi nostri dolore, apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus sæpè Regularibus in eorum Diœcesibus respectivè commorantibus similia perpetrari, in spretum Ecclesiasticarum Legum, atque pœnalium sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur; (siquidem in authographo supra relati Clementini Decreti distinctè legitur *incurrant*; non autem, quod falsò nonnemo asseruit, *incurrent*), dum scilicet, Superiores Regulares, qui Subditis suis non ad præscriptum ejusdem Decreti Dimissorias Literas concedunt, suorum Officiorum, ac Dignitatum, & vocis activæ, atque passivæ amissione mulctantur; Ordinati verò, suspensionis pœnam, atque etiam, si in suscepto Ordine ministraverint, Irregularitatem incurrunt; ac denique Antistites, qui ipsis manus imponunt, non facilè effugiunt Canonicas pœnas adversus eos propositas, qui alienos Subditos absque sufficientibus Dimissoriis ordinare præsumunt. Qui etiam plerumque culpâ non vacant in eo, quòd, quum ex usu rerum intelligere possint, complures Regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quàm ut se subducant examini Episcopi Diœcesani, cujus hac in re jurisdictionem, aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui vel nullo, vel admodum levi præmisso examine, Ordines ipsis impertiatur; quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinæ Synodi Decreta delinquunt: Ea siquidem *sess. 23. cap. 12. de Reformatione*,

Pœnæ, quas inobedientes incurrunt.

Ab eodem Innocentio solvitur.

Particula ipsius Literarum.

sic

sic statuit: *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.*

Pontifex absolvit transgressores quoad præterita.

Nos autem consuetæ Sedis Apostolicæ clementia uti volentes, libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves Episcoporum querimoniæ ad Nos delatæ fuerunt. Quæcumque etiam hac in re inordinatè ad hunc diem admissa sunt, a districtioris judicii inquisitione liberamus; Quin immò omnes & singulos in hoc delinquentes, sive Superiores Regulares, sive Regulares ad Ordines promotos, sive Antistites, qui eos ordinaverint, a quibuscumque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas hac de causa respectivè antehac incurrerint, quibusque innodati forsan existant, auctoritatis Nostræ plenitudine, ac de Apostolica benignitate, tenore præsentium absolvimus, & absolutos esse censeri decernimus, & cum iisdem super quacumque irregularitate per eos forsan, causa & occasione præmissis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros & Presbyteratus Ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia & singula eorum respectivè Religionum munera, pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De cætero tamen infrascriptas Leges in posterum omnino observandas, Motu proprio, & ex certa scientia Nostra, ac matura deliberatione præmissa, edicimus atque statuimus.

Confirmat relatas sanctiones, sub pœnis ibidem, & in jure statutis.

Quæcumque nimirum hac in re a præfatis Prædecessoribus Nostris Gregorio XIII., Sixto V., Clemente VIII., & Innocentio XIII., in supra citatis ipsorum Literis seu Decretis, statuta, mandata, definita, atque sancita fuerunt, ea omnia & singula, motu, scientia, & potestatis plenitudine præfatis, earundem præsentium serie, confirmamus, roboramus, & innovamus; atque ab omnibus, ad quos spectat, seu quandocumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari præcipimus & jubemus; Transgressores quoque omnibus pœnis in præmissis contentis, aliisque per Apostolicas Constitutiones, & per sacros Canones latis atque statutis, cum effectu subjacere, easque ipso facto & absque aliqua declaratione incurrere decernimus; Superiores nimirum Regulares eas omnes, quas, ut præfertur, supradictus Clemens VIII. Prædecessor constituit & sanxit; Regulares autem, qui contra illius Decreti præscriptum promoti fuerint, & Antistites eos promoventes, Canonicas pœnas atque censuras, quæ adversus sacram Ordinationem suscipientes ab Episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici & haberi nequit, nec non adversus Episcopos, alienos Subditos indebitè ordinantes, in jure Canonico, & in Constitutionibus Apostolicis statutæ habentur.

Mandat in posterum exhiberi documenta super requisitis in Decreto Clem. VIII.

Præterea volumus atque decernimus, ut Superiorum Regularium Dimissoriæ, quæ ideo ad alium Antistitem directæ fuerint, propterea quod Episcopus Diœcesanus extra Diœcesim commoretur, vel Ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris & momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejusdem Episcopi Diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a Diœcesi abesse, vel Clericorum Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per Ecclesiasticas Leges ad hunc effectum statuto: Hoc enim expresse declarari opus est, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui quum Privilegio gaudeant suscipiendi Ordines extra tempora, existimarunt Episcopos ipsorum voluntati ades addictos esse debere, ut si, quandocumque ipsis placuisset ad Ordines promoveri, non statim, ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, jam dici

Episcopi non arctantur Privilegiis Regularium de Ordinibus suscipiendis extra tempora.

posset, Ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis Ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis Antistes Regularem virum, in sua Diœcesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius Superioris dimissorialibus Literis contentus, sine adjuncta præfata attestatione in forma probanti, ad Ordines promovere præsumpserit; decernimus & declaramus hunc ipso facto incurrere in pœnas Canonicas adversus eos constitutas, qui alienum Subditum legitimis Dimissoriis destitutum ordinaverint.

Privilegia suscipiendi Ordines a quocumque, an, & quibus suffragentur.

Quemadmodum verò eorum Ordinum Regularium Privilegia firma & rata esse volumus, quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum Alumni a quolibet Catholico Antistite ipsius Sedis gratiam & communionem habente ordinari valeant; dummodo hujusmodi Privilegia post Tridentinum Concilium, & ipsis Ordinibus nominatim atque directè, non autem per communicationem concessa fuerint; Ita porro omnia similia Privilegia, quæ aliis Ordinibus ante præfatum Concilium Tridentinum, ab ipsa etiam Apostolica Sede, & sub quibuscumque tenoribus & formis, indulta sint, vel etiam post ipsum Concilium non ipsis directè concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate, & tenore, nulla & irrita, omnique vigore ac robore, ad effectum, de quo agitur, penitus destituta & vacua esse volumus & statuimus: Decernentes, hujusmodi Privilegia nequaquam post Concilium Tridentinum indulta censeri, nisi, vel post ipsius Concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel, quatenus antea concessa, & posteriùs confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes *in forma specifica* cum literali veteris Indulti insertione, ejusque expressa innovatione, factæ dignoscantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quæ *in forma communi* nuncupantur, nemini ad præmissum effectum ullo pacto suffragari. Quod verò spectat ad eorundem Privilegiorum usum & exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, juxta præmissa, pleno jure competere dignoscuntur, ut non sine justa causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsis utantur, minimè verò ad ostentandam dumtaxat ipsorum Privilegiorum singularitatem; quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab Episcopo Diœcesano Clericorum Ordinationes publicè habendæ sunt, ad alterius Episcopi Diœcesim consultò migrant, moxque suscepto ibidem Ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt; idque se facere ajunt, ut jurium suorum indemnitati consulant; quasi verò Apostolica Privilegia, nonnisi cum aperto Episcopi Diœcesani contemptu, suam vim & robur habitura forent.

Quid observandum in eorum usu.

Adhortatio Pontificis ad sinceram animorum conjunctionem.

Denique tam Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, quàm Dilectos Filios omnium Regularium Ordinum Professores, quàm maximo possumus Apostolicæ voluntatis studio, per misericordiam Dei Nostri, & per charitatem Sancti Spiritus, hortamur in Domino & obtestamur, ut tam in hoc negotio, quàm in cæteris omnibus, solliciti sint unitatem spiritus, & sinceræ dilectionis concordiam servare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a Sacrosancta Oecumenica Lateranensi Synodo sub Leone X. habita, inculcatum fuit, per hæc verba: *Eosdem insuper Fratres in virtute sanctæ obedientiæ, ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita & Nostra ac Apostolicæ Sedis reverentia, congruo honore, & congruenti observantia venerentur.* Neque obliviscantur Episcopi, Regulares viros ipsis datos esse adjutores in Domi-

nicæ

nicæ vineæ cultura; subdit enim eadem sancta Synodus: *Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei Nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitativè tractent, ac benignè foveant &c., & tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant*: Demum & Episcopi & Regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subjicitur: *Una est Regularium & Sæcularium, Prælatorum & Subditorum, exemptorum & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una Fides, & propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse volumatis.*

Et mutuam deferentiam.

Hæc præfectò Christianæ veritatis, & charitatis documenta quum utrimque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam Ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitùs conticescent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus Episcopis sacram Ordinationem administrare, præterquàm in Temporibus ab Ecclesia statutis, eorum Privilegia de Ordinibus extra Tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; Episcopi enim alios etiam oportunos dies ordinandis Regularibus facilè invenient. Episcoporum autem cessabunt querelæ, quod Superiores Regulares, ad eludendam Decreti Clementini observantiam, advenientibus Ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant, eosdemque statim post susceptos Ordines, falsis de causis ad pristinum Monasterium reverti jubeant; siquidem Regulares hujusmodi agendi rationem (quam & aliàs in foro externo graviter vindicatam fuisse, & in posterum districtè coërcendam in fore noverint), tum a probi viri honestate & fide alienam, tum etiam debitæ erga sacros Ecclesiarum Antistites observantiæ contrariam esse, ipsi per se facilè cognoscent.

Clausulæ præservativæ.

Præsentes verò Nostras Literas, & in eis statuta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sivè aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut nullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliæve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine sibi concesso vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

Aliter judicari prohibetur.

Sicque & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuntios, alioslve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis plenissimè derogatur.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, aliisve quibuslibet specifica & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam clausulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus, in genere, vel in specie, etiam Motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum conceffis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & exactissimè servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum, plenissimè & amplissimè, Motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi præsentis Constitutionis in Urbe, tribuitur vis personalis intimationis omnibus factæ.

Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam faciliùs deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat; ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, & affigi, sicque publicatas & affixas, omnes & singulos, ad quos spectat, seu spectabit in futurum, perindè afficere & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Transumptis fidem præstari sancitur.

Utque earundem præsentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Voluntatis, Mandati, Statuti, Decreti, & Declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pont. An. VII. die 27. Feb. 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI. 3. Kalen. Martii Pontificatus Nostri Anno VII.

D. Card. Passionеus. J. Datarius.

VISA DE CURIA I. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi. J. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die 4. Martii 1747.*

XXVIII.

De Baptiſmo Judæorum, ſive Infantium, ſive Adultorum.

*Venerabili Fratri Archiepiſcopo Tarſen. Viceſgerenti.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Caſus trium infantium Judæorum nuper Romæ, invitis Parentibus, baptizatorum refertur.

POSTREMO menſe ſuperioris anni cum de more ad Nos acceſſiſſes, retuliſſeſque Antonium quemdam Vivianum in Hebræorum vico domum Perlæ Miſani Hebreæ ingreſſum eſſe, ibique cum tres ejus Filias, quibuſcum puer dumtaxat aderat, earum frater, annos natus duodecim, inveniſſet, eam, quæ nonum annum agebat, baptiſmate abluiſſe, Sacramenti verbis ritè eodem tempore pronunciatis, quo caput aqua luſtravit, idemque deinceps cum reliquis duabus ſororibus primæ adhuc ætatulæ peregiſſe, marem autem non baptizaſſe, quod aquam ſibi deeſſe viderit. Tunc Nobis quoque ſignificaviſti, quid ad mulctandam Viviani audaciam ſtatueras, quidque de puellis Sacro Baptiſmate initiatis ſtatuere in animo habebas: id porro a Nobis omnino probatum fuit.

Caſus hujuſmodi quum accidunt, ſtatim novi ſermones, & opiniones excitantur.

2. Sed quoniam facta hujuſmodi frequenter Romæ, & alibi audiuntur; quotieſcumque verò id accidit, multæ hinc ſtatim opiniones, maximèque diverſæ, perindè quaſi tunc id primo evenerit, excitantur, quod ſanè inde oritur, quia benè multi temerè obloquuntur, cum hac de re ſcriptos neque expenderint libros, neque noverint; alii verò, qui Scriptores legerunt, cum eoſdem non ſemel videant ſibi invicem adverſantes, non ſatis ingenii, & facultatis habent ad judicandum quis eorum prudenter ſenſerit, quis verò ſecùs; alii demum aut nunquam Tribunalium judicata cognoverunt, aut eorum certè non reminiſcuntur; Ideò operæ pretium exiſtimavimus epiſtolam hanc ſcribere, eamdemque typis impreſſam in lucem edere, quæ ſi tibi uſui non erit, quia probè jam noſti omnia, quæ hic continentur, non parùm opinor iis fortaſsè proderit, qui in eodem Viceſgerentis munere tibi ſuccedent, vel aliis extra Romam degentibus, ad quos pertinet, quemadmodum ad Viceſgerentem Romæ ſpectat, hujuſmodi caſibus providere, aut non omnino diverſis, aut huic planè ſimilibus, qui noviſſimè in Urbe accidit, quinque, ut vulgò dicitur, *dat cauſam Edicto.*

Ideo Pontifex certam ſuper hoc inſtructionem, & methodum edere ſtatuit.

Diviſio materiæ in duas partes.
Prima Hebræorum Infantium.
II. Hebræorum adultorum.
Subdiviſio primæ.

3. Atque ut omnis, quoad fieri poteſt, confuſio evitetur, materiam duximus in duas partes diſtribuendam. In prima enim de Hebræorum infantium: In ſecunda de Adultorum baptiſmate diſſeremus. Prima autem pars multifariam dividitur. Primò enim expendetur, utrum invitis parentibus, ac reluctantibus, Hebræi infantes baptizari licitè poſſint: Secundò, ſi hoc nefas eſſe dixerimus, an caſus unquam contingat aliquis, in quo id fieri non modo poſſit, ſed etiam liceat, planeque deceat: Tertiò, baptiſmum Hebræis infantibus tunc impertitum, cum fas non ſit, ratum ne, an verò irritum haberi debeat: Quartò, quid ſit faciendum, quum Infantes Hebræi afferuntur, ut baptizentur, aut compertum ſit eos jam fuiſſe Sacro Baptiſmate initiatos; demum quomodo probari poſſit, eoſdem aquis ſalutaribus jam luſtratos fuiſſe.

I. Punctum, An diſſentientibus Parentibus, poſſint infantes baptizari.

4. De primo primæ partis capite ſi ſermo ſit, utrum nempè diſſentientibus Parentibus Hebræi infantes baptizari poſſint, apertè aſſeri-

mus,

Sopra il Batteſimo degli Ebrei, o infanti, o adulti.

*Venerabili Fratri Archiepiſcopo Tarſen. Viceſgerenti.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Caſo accaduto in Roma del Batteſimo di tre Infanti Ebrei ſenza ſcienza dei Genitori.

NELL'UDIENZA, che le demmo ſecondo il ſolito nell' ultimo meſe dell' anno ſcorſo, ella ci riferì, che un certo Antonio Viviani portatoſi al Ghetto entrò nella caſa di Perla Miſani Ebrea, ed avendo ivi ritrovate le tre di lei figliuole colla ſola compagnia d'un loro fratello di circa anni dodeci, àpproſſimoſſi a quella, che era d'anni nove, la battezzò, proferendo le parole della forma del Batteſimo nel tempo ſteſſo, in cui aſpergeva la teſta d'eſſa coll'acqua, che poſcia lo ſteſſo fece colle altre due figlie e ſorelle reſpettivamente, coſtituite in tenera età, non avendo poi battezzato il maſchio, eſſendogli mancata l'acqua. Nella ſteſſa udienza altresì ella ci raccontò quanto aveva fatto per caſtigare l'attentato del Viviani, e quanto intendeva di fare riſpetto alle ragazze battezzate: ed il tutto fu da Noi approvato.

Tali caſi allorche accadono, ſubito eccitano varj diſcorſi, ed opinioni.

2. Ma perche ſomiglianti caſi ed in Roma, e fuori di Roma vanno pur troppo ſuccedendo, ed ogni volta che il caſo ſuccede, ſe ne diſcorre come ſe foſſe il primo, che ſuccedeſſe, e chi la diſcorre in un modo, e chi nell' altro; il che deriva, perche alcuni diſcorrono a capriccio, ſenz'aver veduta ed eſaminata la materia ſu i libri; ed altri, vedendo gli Autori, e riconoſcendoli contrarj fra di loro, non hanno il capitale neceſſario per diſcernere chi de' predetti dice bene, o dice male; ed altri finalmente o non hanno mai avuta notizia de' giudicati de' Tribunali, o ſe l'hanno avuta, ſe ne ſono ſcordati; quindi è, che abbiamo creduto, eſſer coſa ben fatta lo ſcrivere e pubblicare queſta lettera, che ſe non ſervirà d'iſtruzione a lei, a cui forſe non giungerà nuovo quanto in eſſa ſi contiene, potrà darſi il caſo, che ſerva d'iſtruzione a qualche ſuo ſucceſſore nella carica di Vicegerente di Roma, o ad altri anche fuori di Roma, a' quali appartiene, come appartiene al Vicegerente di Roma, il prender provedimento ſopra i caſi, che accadono conſimili, o poco diſſimili da quello, che ultimamente è accaduto in Roma, e che *dat*, come ſuol dirſi, *cauſam Edicto.*

Perciò il Pontefice vuol publicare ſopra tale materia un' iſtruzione, e metodo.

Diviſione della materia in due parti.
Prima degli Ebrei Infanti.
II. Degli Ebrei Adulti.
Subdiviſione della prima.

3. E per isfuggire, quanto è poſſibile la confuſione, divideremo la materia in due parti. Nella prima tratteremo del Batteſimo degl'infanti Ebrei; e nella ſeconda del Batteſimo degli Ebrei adulti. E la prima parte ſarà riſtretta ai ſeguenti punti. Primo, ſe ſenza il conſenſo de' loro genitori poſſano gl'infanti Ebrei eſſer battezzati: Secondo, ſe ſuppoſto, che regolarmente ciò non poſſa farſi, vi ſiano però alcuni caſi, ne' quali ciò poſſa eſſer lecito e doveroſo: Terzo, ſe il Batteſimo, quando foſſe dato agl'infanti Ebrei, anche in quei caſi, ne' quali non è lecito il darlo, ciò non obſtante, ſia valido: Quarto; che debba farſi, quando gl'infanti Ebrei ſi portano per eſſere battezzati, o ſi ha notizia d'eſſere già ſtati battezzati: Ultimo, in qual modo ſi provi, che il Batteſimo ſia ſtato conferito.

I. Punto, ſe col diſſenſo dei Genitori poſſino gl'Infanti eſſer battezzati.

4. Diſcorrendoſi del primo punto della prima parte, cioè ſe ſenza il conſenſo de' genitori poſſano gl'infanti Ebrei eſſere battezzati, diremo,

che

mus, hoc jam a Sancto Thoma tribus in locis definitum fuisse nempè in *quodlibet. 2. art. 7. in 2. 2. quæst. 10. art. 12.*, ubi ad examen revocans quæstionem in quodlibetis propositam: *Utrum pueri Judæorum, & aliorum Infidelium sint invitis Parentibus baptizandi*, ita respondet: *Respondeo dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda &c. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum Filii invitis Parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi: & ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut, præter consuetudinem hactenus in Ecclesia observatam, Judæorum fili, invitis Parentibus baptizarentur.* Transitum deinde facit Doctor Angelicus ad exponendas rationes, atque ita ait *in 3. par. quæst. 68. art. 10. Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent &c. Si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt: unde etiam & de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum; & ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad Parentes; & ideo non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod filii Infidelium invitis Parentibus baptizentur.*

5. Scotus *in quarto sententiarum distinct. 4. quæst. 9. num. 2., & in quæstionibus relatis ad quæst. 2.* censuit laudabiliter posse Principem imperare, ut, invitis etiam Parentibus, Hebræorum, atque infidelium infantuli baptizentur, dummodo id potissimum prudenter caveatur, ne iidem Infantes a Parentibus occidantur. Habet sectatores hæc sententia suos non solùm in Scholis, verùm etiam apud Auctores recentiores in sæcularibus negotiis apprimè versatos, quos inter recensendus est *Loaysa in notis ad Concilium decimumseptimum Toletanum pag. 761. tom. 2. collect. Concil. Hispan. clar. mem. Cardinalis Aguirre.* Prævaluit tamen in Tribunalibus S. Thomæ sententia, ut testatur Cardinalis Albizi *de inconstantia in Fide cap. 11. num. 32.*, atque inter Theologos, Canonumque peritos vulgatior est, quorum nomina recensentur a Cardinali Santorio in Rituali Sacramentorum, ut videre licet *pag. 209. & seqq.*, in quo Rituali complures viri doctrina illustres multum laboris, atque operæ insumpserunt, quos inter Cardinales Bellarminus.

6. Ut colligi potest ex nuper allatis S. Thomæ verbis, sententiæ ipse suæ præcipuum statuit in Ecclesiæ consuetudine fundamentum; quod si, ad gravissimi hujus argumenti vim labefactandam, Matathiæ, aliorumque exemplum proponeretur, qui nimirum, ut legitur *in lib. 1. Machabæorum cap. 2. Circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israël*; quod quidem invitis eorum Parentibus evenit: Respondet Liranus, solos Hebræorum filios circumcisos fuisse, cujus sententiam sequutus est Verhorst *de lib. Machabæorum pag. 88.* Concedit Sotus in Hebræorum filios hoc gestum esse, sed ulterius procedens addit, quod si hoc pariter in Ethnicorum liberos factum esset, Matathias erravisset: Scriptoris hæc sunt verba *in 4. sent. dist.*

che il punto è stato risoluto da San Tommaso in tre luoghi: *nel quodlibet. 2. art. 7. nella 2. 2. quest. 10. art. 12.* ove riproponendo all'esame il quesito già proposto ne' quodlibeti, *Utrum pueri Judæorum, & aliorum Infidelium, sint invitis parentibus baptizandi*, così risponde: *Respondeo dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda &c. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi: & ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut, præter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, Judæorum filii, invitis parentibus baptizarentur;* e dopoi passa il Santo Dottore ad esporre le ragioni, e così soggiugne: *Contra justitiam naturalem esset, si puer, antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de ea aliquid ordinetur, invitis parentibus:* e *nella 3. part. quest. 68. art. 10.* ove sopra la stessa questione così scrive: *Respondeo dicendum, quod pueri Infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent &c. Si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt: unde etiam & de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum: & ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam, si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum, taliter filios Infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes; & ideo non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod filii Infidelium invitis parentibus baptizentur.*

5. Scoto *nel 4. delle sentenze alla distint. 4. quest. 9. num. 2.*, e *nelle questioni riportate alla quest. 2.* fu d'opinione, che il Principe poteva lodevolmente far battezzare gl'infanti degli Ebrei, e degl'Infedeli, senza il consenso de loro genitori, purche ciò facesse colla dovuta prudenza, per isfuggire il pericolo, che non fossero ammazzati dai loro stessi genitori. Ha questa opinione i suoi seguaci non solo nelle scuole, ma altresì negli Autori neoterici, e pratici, e pratici degli affari del Mondo, fra quali deve annoverarsi il Loaysa *nelle Note al Concilio decimosettimo Toletano alla pag. 761. del tom. 2. della Collezione de' Concilii di Spagna* del fu Cardinale Aguirre. E' prevaluta però ne' Tribunali l'opinione di S. Tommaso, come attesta il Cardinal Albizi *de inconstantia in Fide al cap. 11. n. 32.*, ed è anche più comune fra i Canonisti ed i Theologi, i nomi de' quali sono ampiamente riferiti dal Cardinale Santorio *nel suo Rituale de' Sagramenti*, come può vedersi *alla pag. 209. e seqq.* nel qual Rituale faticarono molti uomini illustri, fra' quali il Cardinal Bellarmino.

6. Come si può raccorre dai testi poc'anzi riferiti di S. Tommaso, il fondamento della sua tanto accreditata opinione consiste nella pratica della Chiesa: e quando, per levare la forza a questo grave argomento, si portasse da tal uno il fatto di Matatia, ed altri, che, conforme si legge *nel lib. 1. de' Maccabei al cap. 2. Circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israël*, il che certamente accadde contro la volontà de'loro genitori; risponde il Lirano, che non furono circonciſi, che i figli degli Ebrei; e questo parere è seguitato dal Verhorst *sopra i libri de' Maccabei alla pag. 88.* Ammette il Soto, che ciò fosse fatto sopra i figli degli Ebrei; ma passa più avanti, ed aggiugne, che quando l'avessero fatto anche sopra i figli de' Gentili,

*5. quæst. unic. art. 10. §. Quod si historiam: Respondetur, eos, qui Judæis Parentibus erant prognati, jure poterat vi circumcidere; si quos autem inter eos circumcidit Gentilium, fecit zelo fidei, sed tamen non secundum scientiam.* At enimvero cum in Divinis Literis nulla occurrat distinctio inter Hebræorum, & Infidelium filios, illa sanè responsio videtur certior, ac probabilior, Matathiam nempe, quotquot invenit pueros, circumcidisse; cumque idem vir esset virtute egregius, & sanctitate clarus, id jure gessisse optimo, cum illi infantes lege belli captivi essent sui, quos propterea merito quidem, vel invitis Parentibus circumcidi jussit, quemadmodum multa cum laude Christiani solent Turcarum filios in bello captos sacrosancto Baptismate initiare: Sapienter ita disserit Suarez *in 3. parte S. Thomæ tom. 3. quæst. 68. art. 10. disp. 25. sess. 4. §. Secundo est certum.* Cornelius a Lapide *lib. 1. Macab. cap. 2. vers. 46.*

Matatia in ciò avrebbe errato: ed ecco le di lui parole *nel 4. delle sentenze alla dist. 5. quest. unic. art. 10. §. Quod si historiam: Respondetur, eos, qui Judæis parentibus erant prognati, jure poterat vi circumcidere: si quos autem inter eos circumcidit Gentilium, fecit zelo Fidei, sed tamen non secundum scientiam.* Ma più certa sembra la risposta, che, non facendosi nel testo Divino la distinzione fra i figli Ebrei, ed i figli de' Gentili, dee dirsi, che Matatia ne circoncise quanti ne trovò, e che essendo Matatia un uomo insigne e santo, fece quello, che fece, con tutta ragione; essendo quegl'infanti pel jus della guerra diventati suoi servi: per lo che li potè con tutta ragione far circoncidere contro la volontà de' lor genitori, come lodevolmente fanno i Cristiani, che danno il Battesimo ai figli de' Turchi, che hanno preso in guerra: e così ben la discorrono il Suarez *sopra la terza parte di S. Tommaso tom. 3. quest. 68. art. 10. disput. 25. sez. 4. §. Secundò est certum*, Cornelio a Lapide *nel lib. 1. de' Maccabei al cap. 2. vers. 46.*

II. An aliquo casu id liceat.

24. Nos certe ignoramus, accidisse, ut Pater aliquis Hebræus Romæ, aut alibi infantem obtulerit Sacris Baptismi aquis tingendum, non quod eum cuperet Christianum fieri, sed a morbo aliquo liberari. Hoc si unquam eveniat; S. Augustini sententiâ, nempe pravam parentum intentionem baptismati non obesse ritè collato, præ oculis habitâ; & conjunctim communi opinione consideratâ, in hoc casu baptismum minimè negandum esse, dum nullum sit periculum perversionis, quod sanè est maximum, si baptizatus in Infidelium potestatem sit rediturus; prudentum certè judicio ritè lustrari deberet infans, & Christianis tradi, ut probè educatus, ætate, & sapientia coram Deo proficeret; hoc autem si diligenter fieret, ut semper post Baptismi Sacramentum decet, nullum esset periculum perversionis; quod vitari non potest, si Patri Hebræo filius restituatur; atque hoc facto omnis etiam difficultas tolleretur, quæ sæpissimè in causa fuit, cur responsio categorica Missionariis negata sit enixè postulantibus, liceret ne Baptismum conferre Infidelium Infantibus Sacro Fonte oblatis, non pietatis, non religionis causa, sed rerum temporalium caducarumque cupiditate. *Vid. Card. Albizi cit. cap. 33. de Inconstant. in Fide num. 47.*

25. Satis abundè diximus non solùm de primo hujus partis capite, utrum nempè, invitis Parentibus, Hebræi infantuli baptizari possint: Verùm etiam de secundo, an casus unquam contingat aliquis, in quo id æque licitum sit, ac decorum; ad tertium nunc accedimus, Baptismum videlicet Hebræis infantibus impertitum, cum fas non sit, ratumne, an verò irritum haberi debeat.

III. An Baptismus etiam in casibus non licitis collatum, validum sit.

26. Nulla de hac re inter S. Thomam, & Scotum dissensio est, cum non in eam sententiam disputaverint, utrum Baptismus Hebræis infantibus sine Parentum consensu conferri validè possit, verum an licite; ut prudenter animadvertit Cardinalis Lauria egregius Scotista *in tom. 1. lib. 4. sententiarum disp. 14. art. 5. num. 58. Et nota, quod sermo non est de posse valido, quia si baptizarentur, certum est remanere baptizatos; sed de posse licito, ideſt, an licitè fiat, si baptizentur.* Durandus *in 4. sent. dist. 4. quæst. 7. art. 13.* contendens irritum baptismum esse sine consensu saltem interpretativo illius, qui baptizatur, ideo si hoc Sacramentum Hebræorum, aut Infidelium filiis, invitis Parentibus, impertitum fuerit, illud esse irritum omnino existimat; ea ratione ductus, quod infantulis non alia, quàm Parentum voluntas sit, quæ si desideretur, omnis deest voluntas, cujus necessitas est sanè maxima, Baptisma ut validum habeatur. Verùm hæc Durandi opinio singularis nunquam aut plausum, aut existimationem nacta est; quod revera constet Baptismum esse ratum, ac validum, quotiescumque Baptizantis voluntas cum forma & materia necessaria accedat. Quamobrem Durandi sententiam Suarez falsam, Cajetanus a ratione alienissimam esse affirmant. Præfati argumenti, validitatem Baptismi

delle quali era il vedere, *vel eos in Evangelicæ Legis, & Fidei cultu perseveraturos, vel Christiana educatione ab ejusmodi matribus fraudatos, Mahometani patris impietatem secuturos esse:* e che, se dopo aver fatte orazioni al Signore, avessero i Sacerdoti creduto ben fatto il dare il Battesimo ai predetti infanti, non lasciassero d'inculcare alle madri la grave obbligazione, che hanno, d'allevarli nella Christiana Religione.

24. Non è che sia, almeno a nostra notizia, succeduto il caso, che qualche Padre Ebreo abbia qui in Roma, o ne' paesi a Noi cogniti, offerto qualche suo infante al Battesimo, non per farlo Cristiano, ma per liberarlo da qualche malattia, ma quando mai succedesse, unendo la massima di Sant'Agostino, che la prava intenzione dell'offerente non guasta il Battesimo amministrato nelle dovute forme, colla comune opinione, che non debba tralasciarsi in queste circostanze di conferire il Battesimo, quando cessi il pericolo della perversione; che pur troppo v'è, quando il battezzato dee ritornare nelle mani dell'Infedele; ciascheduno ben vede, che l'infante dovrebbe battezzarsi, e che facendone, consegnà ai Cristiani per esser educato nella Santa Religione, (come sempre dee farsi, dopo che si è conferito il Battesimo) sarebbe levato l'inconveniente della temuta perversione, che vi sarebbe, se si restituisse al padre Ebreo; e sarebbe anche tolta di mezzo la grave difficoltà, per cui più volte si è tralasciato di dare risposta categorita ai Missionarj, quando richiedevano, se dovevano dare il Battesimo agl'infanti offerti dagl' Infedeli al Battesimo, non per motivo di Religione, ma per cause, e motivi temporali, come può vedersi appresso il Cardinale Albizi *nel citat. cap. 33. de Inconstantia in Fide sotto il num. 47.*

25. Ci sembra d'aver detto quanto basta non meno sopra il primo punto, se senza il consenso de' loro genitori possano gl'infanti Ebrei essere battezzati, che sopra il secondo, se vi siano casi, ne' quali ciò possa essere lecito, e doveroso. Per lo che ora tratterassi del terzo punto, in cui deve esaminarsi, se il Battesimo, quando fosse dato agl'infanti Ebrei anche in quei casi, ne' quali non è lecito il darlo, ciò non ostante sia valido.

Se il Battesimo dato nei casi illeciti sia valido.

26. Su quest'articolo non vi è discrepanza fra S. Tommaso, e Scoto, non essendo stata la disputa fra di loro, se il Battesimo conferito agl'infanti Ebrei senza il consenso de' genitori, fosse valido, ma fosse lecito, come ben avverte il Cardinal Lauria bravo Scotista *nel suo tom. 1. sopra il 4. lib. delle sentenze alla disput. 14. art. 5. sotto il num. 58. Et nota, quod sermo non est de posse valido, quia, si baptizarentur, certum est, remanere baptizatos; sed de posse licito, ideſt, an licitè fiat, si baptizentur.* Il Durando fu quello, che *nel 4. delle sentenze alla dist. 4. quæst. 7. num. 13.* sostenendo esser nullo il Battesimo senza la volontà almeno interpretativa di chi lo riceve, ha preteso, esser nullo il Battesimo dato ai figli d'infantile età degli Ebrei, e degl'Infedeli, senza il consenso de' loro genitori; non avendo essi altra volontà, che quella de' predetti, e mancando ogni volontà, quando non v'è quella de' genitori. Ma questa particolar opinione del Durando non ha mai avuto verun applauso, o credito; non potendosi dubitare della validità del Battesimo, quando vi è intervenuta la volontà di chi lo conferisce, e sono intervenute la dovuta materia, e la dovuta forma: per lo che il Suarez qualifica la detta sentenza per falsa, ed il Gaetano per irragionevole. L'argomento riferito poc'anzi per la

collati sine consensu Patris contra Durandum comprobantis, Silvius auctor est, doctissimus S. Thomæ sectator *in 4. tom. in 3. part. S. Thomæ quæst. 68. art. 10. Si Filiis quorumcumque Infidelium conferatur Baptismus, erit validus, etiamsi Parentes sint inviti, quia subjectum est capax, & Minister cum debita intentione adhibet ei materiam, & formam. Nihil autem aliud requiritur, ut Baptisma parvulorum teneat; nam intentio Parentum est impertinens.* Et Phrassen eximius Scotista *tom. 10. sui Scoti Academici tract. 10. disput. 1. art. 2. quæst. 3.* Durandi sententiam refellens, & ejusdem argumento, hoc est, in Baptismo Infantium voluntatem deesse, si Parentum vel offerentium voluntas desit, respondens admonet, Ecclesiæ voluntatem semper inesse: *Quid si nullus offerat, sed solus Minister baptizet? Rectè intelligitur respondere tota Mater Ecclesia, quæ in Sanctis est, quia tota omnes, tota singulos parit, per voluntatem Ministri, suo, & Christiani nomine baptizantis.* Quæ quidem responsio S. Augustino auctoritatem debet, qui in memorata epistola ad Bonifacium sic scribit: *Offeruntur ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quàm ab universa societate Sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, & quorum sancta, & individua charitate ad communionem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota ergo Mater Ecclesia, quæ in Sanctis est, pueros gestat, & offert, quia tota omnes, tota singulos offert.*

27. Argumentis per se clarissimis, tantorumque auctoritate hominum corroboratis alia addere supervacaneum ducimus; quædam verò Congregationum responsa in medium proferre nullo modo non possumus, inter quæ primo loco afferemus illud Congregationis Sancti Officii *habitæ die 30. Martii 1638. Circa Baptismum datum parvulæ puellæ annorum trium circiter filiæ Hebræorum a Faustina Christiana, invitis Parentibus, Eminentissimi Domini censuerunt, parvulam puellam esse verè baptizatam, concurrente materia, forma, & intentione; Baptismum probari unico teste; & quamvis filii Hebræorum non possint invitis parentibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valere Baptismum, & characterem imprimi, & filiam baptizatam penes Christianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam, ut in posterum caveat a similibus; notificandum verò populo, non licere invitis parentibus filios Hebræorum baptizare, quia licet finis sit bonus, media non sunt licita, præsertim stante Bulla Julii III. imponente pœnam mille ducatorum, & suspensionem baptizantibus filios Hebræorum invitis parentibus.* Ante hanc resolutionem alia extat *die 3. Martii 1633.*, cujus hæc sunt verba: *Quæritur, an infantulus filius Judæi a Nutrice Christiana baptizatus inscio patre Hebræo, sit verè baptizatus, & hujusmodi baptismate teneatur, & apud quem debeat infantulus educari? Respondetur, infantulum esse verè baptizatum, Baptismumque esse validum, eumdemque educandum penes Christianos, a quibus instruatur, & cum pervenerit ad usum rationis, posse cogi ad perseverantiam in Fide Catholica, eidemque providendum a patre, si habeat in bonis, sin minus in necessariis ad minus ad sustentationem.* Conveniunt aliæ quoque ejusdem Congregationis resolutiones, quarum altera emanavit *die 23. Decembris 1698.*, altera die 8. Martii 1708., & a Leone *in suo Thesauro Fori Ecclesiastici part. 4. cap. 4. num. 8.* alia huic similis producitur in Congregatione Concilii habita in causa Fossani, quæ tamen cum registris conferri non potuit.

IV. Quid faciendum, quando Infantes He-

28. Nihil aliud nunc restat, ut primæ parti finis imponatur, quàm exponere, quid sit faciendum, cum infantes Hebræi aut baptizandi offe-

ran-

validità del Battesimo dato all'infante Ebreo senza il consenso de genitori, contra l'opinione del Durando, è del Silvio bravo Tomista *nel 4. tom. sopra la 3. part. di S. Tommaso alla quest. 68. art. 10. Si filiis quorumcumque Infidelium conferatur Baptismus, erit validus, etiamsi parentes sint inviti, quia subjectum est capax, & Minister cum debita intentione adhibet ei materiam, & formam. Nihil autem aliud requiritur, ut Baptisma parvulorum teneat; nam intentio parentum est impertinens.* Ed il Frassen valente Scotista *nel tom. 10. del suo Scoto Accademico al tratt. 10. disput. 1. art. 2. quæst. 3.* impugnando pure l'opinione del Durando, & rispondendo ad d' lui argomento, che non vi è volontà nel Battesimo de' fanciulli, quando non vi è quella de' genitori, o degli offerenti; avverte, che vi è sempre la volontà della Chiesa: *Quid, si nullus offerat, sed solus Minister baptizet? Rectè intelligitur respondere tota Mater Ecclesia, quæ in sanctis est, quia tota omnes, tota singulos parit, per voluntatem Ministri, suo, & Christi nomine baptizantis.* E questa risposta è originale di S. Agostino, che nella sopraccitata lettera a Bonifazio così scrive: *Offeruntur ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quàm ab universa societate Sanctorum, atque Fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod offerantur, & quorum sanctâ, & individuâ charitate ad communionem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota ergo Mater Ecclesia, quæ in sanctis est, pueros gestat & offert, quia tota omnes, tota singulos offert.*

27. Dopo così evidenti ragioni, appoggiate anche all'autorità d'uomini tanto gravi, resta superfluo il farne cumulo d'altre; ma non possiamo dispensarci dal portare alcune risoluzioni delle Congregazioni, fra le quali ve n'è una della Congregazione del S. Officio *dei 30. di Marzo del 1638. Circa baptismum datum parvulæ puellæ annorum trium circiter, filiæ Hebræorum, a Faustina Christiana invitis parentibus, Eminentissimi Domini censuerunt, parvulam puellam esse verè baptizatam, concurrente materiâ, formâ, & intentione; Baptismum probari unico teste; & quamvis filii Hebræorum non possint invitis parentibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valere Baptismum, & characterem imprimi, & filiam baptizatam penes Christianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam, ut in posterum caveat a similibus; notificandum verò populo, non licere invitis parentibus filios Hebræorum baptizare, quia licet finis sit bonus, media non sunt licita, præsertim stante Bullâ Julii III. imponente pœnam mille ducatorum & suspensionem baptizantibus filios Hebræorum invitis parentibus.* Prima di questa risoluzione se ne ritrova un'altra *dei 3. di Marzo del 1633.* ed eccone le parole: *Quæritur, an infantulus filius Judæi a nutrice Christiana baptizatus, inscio patre Hebræo, sit verè baptizatus, & hujusmodi Baptismate teneatur, & apud quem debeat infantulus educari? Respondetur, infantulum esse verè baptizatum, Baptismumque esse validum, eumdemque educandum penes Christianos, a quibus instruatur, & cum pervenerit ad usum rationis, posse cogi ad perseverantiam in Fide Catholica, eidemque providendum a patre, si habeat in bonis, sin minus in necessariis ad minus ad sustentationem.* Concordano altre risoluzioni della stessa Congregazione, una de' 23. *Dicembre 1698.* e l'altra degli 8. *di Marzo 1708.* E dal Leone *nel suo Tesoro del Foro Ecclesiastico alla part. 4. cap. 4. num. 8.* si porta una consimile risoluzione della Congregazione del Concilio in una causa di Fossano, la quale però da Noi non si è potuta rincontrare ne' Registri.

28. Non restano per compimento della prima parte, che due punti; cioè il quarto, che debba farsi, quando gl'infanti Ebrei si portano

IV. Che debba farsi, quando si portano gl'

per

Hebræi baptizandi exponuntur, vel fuisse baptizatos notitia habetur.

rantur, aut compertum sit, eos jam fuisse sacro baptismate initiatos; demum quomodo probari possit eosdem aquis salutaribus fuisse ritè lustratos; quæ postrema sunt hujus primæ partis capita, & quorum explicationem paucis expediemus.

29. Nihil hoc loco cum iis infantibus nobiscum est, qui vel ad sacrum fontem ab iis feruntur, quibus id faciendi jus esse constat, vel qui juxta sacrarum legum vim, invitis licet, reluctantibusque parentibus, sunt baptizandi, ut ante demonstravimus; de his, inquam, infantibus nullus hic sermo est, quoniam patet, omnino esse ad sacrosanctum regenerationis lavacrum elevandos. Ad eos itaque spectat hic sermo noster, qui baptismo neque a parentibus, neque ab aliis qui jus in eos habeant, offeruntur, sed ab aliquo nullam habente auctoritatem. De iis præterea agitur, quorum casus non comprehenduntur sub ea dispositione, quæ sinit Baptismum conferri, etiamsi majorum consensus desit: hoc quidem in casu baptizari non debent, sed ad illos remitti, quorum in potestate ac fide sunt legitimè constituti. Quod si jam sacramento initiati essent, aut detinendi sunt, aut ab Hebræis parentibus recuperandi, tradendique Christifidelibus, ut ab illis piè, sanctèque informentur; hic enim Baptismi licèt illiciti, tamen veri, validique, effectus est. Ex quibusdam paulo ante citatis resolutionibus hoc eruitur, quibus accedit Concilii Toletani quarti textus expositus *in Can. Judæor. dist. 26. quæst. 1. Judæorum filios, vel filias, ne parentum ultro involvantur erroribus; ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut Monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, ut sub conversatione cultum Fidei discant, atque in melius instituti tam in moribus, quàm in Fide proficiant.* Si autem postquam adoleverint, suo ipsi infortunio Catholicam Fidem defererent, & Hebræorum ritibus adhærerent, contra eosdem legibus utendum esset, ut contra Hæreticos, juxta Decretalem Bonifacii VIII. *in Cap. Contra, de Hæreticis, in sexto: Contra Christianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Judæorum, etiamsi hujusmodi redeuntes, dum erant infantes &c. baptizati fuerunt, erit tanquam contra Hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu Judæos convicti &c. procedendum.*

30. Dura nonnullis hæc sententia visa est, qui eamdem ut minus asperam facerent, existimarunt fas esse, puerulos Judæis parentibus restituere, dummodo ipsi parentes cautione, aut fidejussione data, ingenuè spondeant, ab se filios, vix ad convenientem ætatem pervenerint, Christifidelibus restituendos, nec quidquam contra fidem Catholicam edocendos. Ita opinatus est Calderinus *in suo Consil. 3. de Judæis*, quem sequutus est Graffius *in suis decis. cas. conscien. part. 2. lib. 2. c. 23. n. 23.* Verùm hæc Calderini sententia a cæteris omnibus erroris insimulata fuit, ut Afflict. *decis. 151. num. 13.* Sperel. *decis. 1. n. 42.* Sessa *de Judæis cap. 55.* & *num. 64.* Piton. *Discept. Eccles. p. 4. discept. 146. dub. 3.* & *num. 33.* Card. Albizi *de Inconst. in Fide cap. 11. num. 33. Et verè scio in hac Sacra Congregatione*, loquitur de Congregatione S. Officii, *sententiam Calderini uti erroneam fuisse rejectam.*

V. Quomodo probetur Baptismum collatum fuisse Infanti.

31. In quibusdam præfatis resolutionibus innuitur, eum, qui Hebræorum filios sine parentum consensu Baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casibus, in quibus hoc liceat, eum, inquam, pœna mulctandum esse; Baptismum autem unius testimonio comprobari. Ut primæ parti hujus nostræ instructionis extrema manus accedat, nihil aliud restat, quàm prædictarum resolutionum judicium confirmare, & quidquid in iisdem continetur, nostra quoque

per esser battezzati, o si ha notizia d'essere già stati battezzati; e l'ultimo, in qual modo si provi, che il Battesimo sia loro stato conferito: dai quali ci spediremo brevemente.

Infanti Ebrei per esser battezzati, o si ha notizia esser già stati battezzati.

29. Non si parla di quegl' infanti, che sono offerti da chi ha il jus d'offerirli per essere battezzati; nè tampoco di quegl' infanti Ebrei, che secondo la disposizione delle sacre Leggi debbonsi battezzare, ancorchè vi sia il dissenso de' loro genitori, come di sopra si è dimostrato: imperocchè in ciascuno dei detti casi, è cosa chiara, che debbono essere battezzati. Parlasi di quegl' infanti Ebrei, che sono offerti al Battesimo non dal loro genitore, nè da altri, che abbia jus sopra di loro, ma da una persona terza, che non ha tal qualità; ed in oltre di quegl' infanti, i casi de' quali non sono compresi sotto la disposizione, che permette di dar il Battesimo ai medesimi, benchè vi sia il dissenso de'loro maggiori; ed in tale stato delle cose non debbono essi essere battezzati, ma debbono esser rimandati a quelli, sotto la potestà de'quali sono legittimamente costituiti. Che se poi fossero stati battezzati, debbono essi o esser ritenuti, o esser ricuperati dalle mani degli Ebrei, facendone la consegna ai Cristiani, acciò gli allevino cristianamente, e questo è l'effetto del Battesimo valido, benchè illecito. Ciò vien dedotto ed accennato in alcune risoluzioni poc'anzi citate, alle quali può aggiungersi il testo del Concilio Toletano quarto riferito *nel Can. Judæorum, alla dist. 26. quest. 1. Judæorum filios, vel filias, ne parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut Monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, ut sub conversatione cultum Fidei discant, atque in melius instituti tam in moribus, quàm in Fide proficiant:* e se cresciuti per loro disgrazia abbandonassero la Fede Cristiana, e ritornassero all'Ebraismo, si dovrebbe procedere contra di loro, come contra gli Eretici, giusta la Decretale di Bonifazio VIII. *nel Cap. Contra, de Hæreticis, in sexto: Contra Christianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Judæorum, etiamsi hujusmodi redeuntes, dum erant infantes &c. baptizati fuerunt, erit tanquam contra Hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos seu Judæos convicti &c. procedendum.*

30. Dura ad alcuni è sembrata la predetta asserzione; e per renderla più agevole, hanno pensato, che dandosi dai genitori Ebrei una sicurtà di restituire i figli, giunti che fossero ad un'età competente, obbligandogli alla Fede Cristiana, se gliene potrebbe fare la consegna. Così opinò il Calderino *nel suo consiglio 3. de Judæis*, a cui anche aderì il Graffi *nelle sue Decisioni de'casi di coscenza alla part. 2. lib. 2. c. 23. n. 23.* Ma l'opinione del Calderino è stata come erronea rigettata da tutti gli altri: Afflict. *decis. 151. num. 13.* Sperel. *decis. 1. num. 42.* Sessa *de Judæis cap. 55.* e specialmente *al num. 64.* Piton. *Discett. Eccles. part. 4. discett. 146. dub. 3.* e specialmente *al num. 33.* Cardinale Albizi *de Inconstantia in Fide al cap. 11. num. 33. Et verè scio in hac Sacra Congregatione*, parla della Congregazione del S. Officio di Roma, *sententiam Calderini uti erroneam fuisse rejectam.*

V. Come si provi esser stato l'Infante battezzato.

31. In alcune risoluzioni pure di sopra riferite vien accennato, che chi ardisce di battezzare i figli degli Ebrei senza il consenso de'loro genitori, fuori di quei casi, ne' quali ciò è permesso, deve esser punito, e che il Battesimo si prova col testimonio d'un solo. Per compimento della prima parte di questa Istruzione altro non resta, che rimetterci alle predette risoluzioni, confermando, quantò in esse si contiene. Chi battezza si può credere, che lo faccia per buon

sententia ſtabilire. Baptizantis mentem eſſe ſanctam, rectamque non dubitamus; modus autem omnino illicitus habendus eſt; & ea quicumque facit, quæ Eccleſia fieri vetat, pro Judicis prudentia mulctari debet, pœna ſcilicet aut mitiori, vel ſeveriori, juxta circumſtantias. Additur etiam, qui infantes Hebræorum liberos baptizare ſolent, eos plerumque aut laicos, aut mulieres eſſe; quod neutris liceat, niſi neceſſitas interfuerit, ut videri poteſt *in Can. ad limina 30. quæſt. 2. in Can. Sanctum, in Can. in neceſſitate de Conſecr. diſt. 4. in Conc. Flor. Armen. inſtruct. In caſu autem neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt.* Hoc etiam in trigeſimo octavo Concilii Illiberitani Canone ſtatutum eſt, *peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate.* Et quamvis Petavius *in not. ad Sanctum Epiph. pag. 341.* miretur, Concilium, etiamſi neceſſitas interfuerit, bigamis, ne quemquam baptizent, interdicere; *ergo ne a bigamis baptizari in tanta neceſſitate non licuit?* Mendoza tamen, & Albaſpineus ajunt, in Canone quemquam baptizari a bigamis interdici, cum plures adſint rei conficiendæ magis idonei, quod Catholicus Ethnico, laicus autem non bigamus jure ſit bigamo anteponendus. Jam vero baptiſmati comprobando unius ſufficere teſtimonium, vetus Juriſperitorum axioma eſt, ut videtur in Gloſſa *Cap. Nuper, ad verbum; niſi juratus, de teſtibus & atteſtationibus. Quandoque tamen bene creditur uni, quando non ſit præjudicium alicui; puta utrum aliquis ſit baptizatus, vel utrum eſſet Eccleſia conſecrata, & ubi quis vult probare ſe egiſſe pœnitentiam per Confeſſorem ſuum. Et in Can. Placuit, in verbo: teſtentur, de Conſecrat. diſt. 4. Creditur ergo teſtimonio unius in Baptiſmo, & in Conſecratione Eccleſiæ.* Hoc tamen intelligendum eſt, dummodo teſti aut mari, aut fœminæ, fides adhiberi prudenter poſſit, aut idem ſi teſtatur qui baptizavit; hic ſiquidem ſe ipſum aſſerens Baptiſmum Hebræo infantulo miniſtraſſe, non rem modo ab ſe geſtam, ſed etiam pœna digniſſimam ſuo ipſe teſtimonio confirmaret. In S. Spiritus Xenodochium, projectorum perfugium, feruntur non rarò infantes chartam collo ſuſpenſam præferentes, in qua ſcriptum legitur jam Baptiſmum eidem collatum eſſe. Cum adhuc in minoribus a Secretis Sac. Congregationis Concilii munere fungebamur, Sancti Spiritus Parochus interrogavit, quid ſibi agendum eſſet in hujuſmodi caſibus? Propoſita quæſtio fuit in Congregatione *die 18. Decembris 1723., ut declarat Theſaurus reſolut. tom. 2. pag. 412. die autem 15. Januarii 1724.* ita reſcriptum fuit: Si non lateret, qui chartulam ſcripſerat, eidemque fides tutò præſtari poſſet, tunc infantem ut baptizatum habendum eſſe, ac ne Baptiſmo quidem initiandum *ſub conditione*, ut apertè liquet *in tom. 3. præfati Theſauri pag. 2.*

Secunda Pars.

De Baptiſmo Judæorum adultorum.

Quando adultus dici poſſit.

32. Hæc ſunt, quæ breviter exponenda cenſuimus quoad primam partem ad Hebræorum infantes unicè pertinentem. Itaque ad ſecundam deſcendimus, ſermonem de Hebræis adultis, ac ratione pollentibus habituri. Atque ut ordine utamur, & claritate, diſſeremus primo de iis, qui ultro Baptiſmum petunt, tum de iis, qui jam baptizati ad Eccleſiam ſe conferunt. Verùm in primis conſtituendum eſt, quænam plerumque ea ætas ſit, in qua Hebræus ſponte Baptiſmum expetens, non infans, ſed ſui compos cenſendus eſt, & quodammodo adultus, atque hac quidem in re duos Juriſperitos, licet haud indoctos, cavere neceſſe eſt; Nattam ſcilicet *in conſil. 454. lib. 2.* & Burſat. *in conſil. 231. lib. 3.* quibus in caſu, de quo agitur, neceſſaria videtur duodecim annorum

fine, ma il modo è illecito: e facendo quello, che la Chieſa non vuole che faccia, deve eſſere ſeveramente punito con una pena arbitraria al Giudice, che dovrà o accreſcerla, o ſminuirla, ſecondo le circoſtanze. Si aggiunge, che chi per lo più battezza i predetti infanti Ebrei, è un laico, o pure una donna, il che nè all'uno nè all'altra è permeſſo, ſe non in caſo di neceſſità, come puo vederſi *nel Can. Ad limina 30. queſt. 2. nel Can. Sanctum, nel Can. In neceſſitate, de Conſecratione alla diſt. 4.* nell'Iſtruzione degli Armeni del Concilio Fiorentino: *In caſu autem neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, immo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt.* Ciò pure fu anche ſtabilito *nel Can. 38.* del Concilio Illiberitano: *Peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate.* E benchè il Petavio *nelle ſue Note ad Epifanio alla pag. 341.* ſi maravigli, come dal Concilio in caſo di neceſſità ſia il laico bigamo eſcluſo dal battezzare: *Ergo ne a bigamis baptizari in tanta neceſſitate non licuit?* Oſſervano però il Mendoza e l'Albaſpineo, doverſi intendere, che il Canone parla del caſo, in cui vi ſiano più perſone, che poſſano battezzare; dandoſi la precedenza al battezzato ſopra il pagano, ed al laico, che non è bigamo, ſopra il laico, che è bigamo. E quanto alla prova del Batteſimo, che baſti un ſolo teſtimonio, è antico aſſioma de' Giuriſti, come può vederſi nella Chioſa *nel Cap. Nuper, nella parola niſi juratus, de teſtibus & atteſtationibus: Quandoque tamen bene creditur uni, quando non ſit præjudicium alicui; puta utrum aliquis ſit baptizatus, vel utrum eſſet Eccleſia conſecrata; & ubi quis vult probare ſe egiſſe pœnitentiam per Confeſſorem ſuum:* e *nel Can. Placuit, nella parola teſtentur, de Conſecratione, alla diſt. 4. Creditur ergo teſtimonio unius in Baptiſmo, & in Conſecratione Eccleſiæ:* il che però deve intenderſi, quando il teſtimonio, o maſchio, o femmina che ſia, ſia perſona, che meriti credenza, o pure foſſe quella ſteſſa, che ha battezzato; imperocchè atteſtando queſti d'aver battezzato l'infante Ebreo, non ſolo farebbe una teſtimonianza d'un fatto proprio, ma ancora d'un fatto, per cui deve eſſer punito. Si portano alle volte allo ſpedale de' projetti in S. Spirito alcuni infanti con una carta al collo, in cui ſi dice, che ſono ſtati battezzati. Nel tempo, che *in minoribus* eravamo Segretario della Congregazione del Concilio, il Parroco di S. Spirito interrogò, come doveva regolarſi in queſte contingenze. Fu propoſto il queſito nella Congregazione *dei 18. di Dicembre 1723.* come può vederſi *nel tom. 2. del Teſoro delle Riſoluzioni alla pag. 412.* e *nel giorno 15. di Gennajo 1724.* fu riſoluto, che, quando ſi ſapeva chi avea ſcritta la poliza, e ch'era perſona degna di fede, ſi aveſſe l'infante per battezzato, e nemmeno ſe gli deſſe il Batteſimo *ſub conditione*, come può vederſi *nel tom. 3. del citato Teſoro alla pag. 2.*

Secunda Parte.

Del Batteſimo dei Giudei adulti.

Quando poſſa dirſi adulto.

32. Ecco quanto abbiamo creduto di accennare in ordine alla prima parte di queſta Iſtruzione, che è riſtretta agl' infanti Ebrei. Ora ſuccede la ſeconda, che appartiene aglei Ebrei adulti, cioè che hanno l'uſo della ragione. Ed anche in queſti deſiderando di camminare con chiarezza e diſtinzione, tratteraſſi in primo luogo di quelli, che chiedono d'eſſere battezzati; ed in ſecondo luogo di quelli, che compariſcono dopo eſſere già ſtati battezzati. Ma prima d'ogni altra coſa è d'uopo ſtabilire, quale per l'ordinario ſia quell'età, in cui dee ſupporſi che l'Ebreo, che chiede il Batteſimo, non ſia infante, ma capace di ragione, ed in una tal quale maniera adulto: nel che fa di meſtiere l'avvertire, doverſi guardare da due per altro

rum ætas; id autem perperam quibusdam decretis probant æquè antiquis, ac antiquatis. Hac in re consulendus est sedulus, accuratusque Præsul Sperellus *in sua decis. 1. num. 32. & duobus seqq.*, ubi probat rationis usum ab anno septimo completo inchoari; idemque confirmaturus, præclara quædam in unum collegit Cardinalis Albizi *de inconst. in Fide cap. 11. num. 39.* Ricciul. *in tract. de Personis extra gremium Ecclesiæ lib. 2. cap. 33. num. 3.* Zasius *in tract. de Judæis quæst. 2.* Clericat. *de Jurisdict., Discord. 18. num. 25.* Sessa *de Judæis cit. cap. 43.*, quibus addimus Congregationis Concilii resolutionem, quæ extat *lib. 16. Decretorum pag. 233. a tergo* in quadam causa Vilnæ: *Die 16. Julii 1639. Sacra Congregatio Concilii respondit filios Judæorum non esse invitis parentibus baptizandos, donec perveniant ad ætatem legitimam; & tunc, si ipsi consentiant: Ætatem verò legitimam regulariter censeri completo septennio.* Animadvertere opus est illud *regulariter*, nam indicat oportere Præsidem Ecclesiasticum etiam atque etiam considerare, quisnam sit Baptismi petitor, cum possit contingere, ut is etiam non completo septennio sufficienti sit præditus ratione; ideoque baptizandus, invitis licet reluctantibusque parentibus, ut sapienter disserit Sotus *in 4. sententiar. dist. 5. quæst. unic. art. 10. dub. 2. Certissima regula est, quod si citra illam ætatem certo constat, puerum Fidei Catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, & quemadmodum fit, professio Christianæ legis, baptizandus est, quoniam ætas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur; Lex autem divina Baptismi neutiquam ab humana dependet.*

33. Si vero de perfecto rationis usu dubitaretur, & Baptismum implorantis capacitas anceps, ac incerta esset, cavendum est ab eorum sententia, qui juxta tritum illud axioma, in dubio nimirum semper possidentis conditionem meliorem esse, contendunt, petentem Baptismum ad Hebræos, & ad patrem potissimum, si supersit, necessariò remittendum. Cavendum est, inquam, ne quis arbitretur sententiam ejusmodi approbandam, & axioma, cujus dumtaxat est ratio habenda in causa æquali: nulla verò æqualitas intercedit Hebræos inter, atque Christifideles; ac multo minus inter patrem, & filium; quum alter patriæ potestatis jacturam ad breve tempus, damnum nempe levissimum evitaret; ærumnæ alter gravissimæ provideret, hoc est mortem fugeret sempiternam, cujus periculum certè subiret, regressus ad Infidelium curam, ac sub patriam potestatem. Quare in supradictis casibus sacramentum est differendum, sed hoc qui postulat retinendus, ac sic interea informandus, ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

34. *Suarez in 3. par. S. Thomæ tom. 3. quæst. 68. art. 10. disp. 25. sect. 3. ad fin.* sic scribit: *Ad cognoscendum autem, an pervenerit parvulus ad eum statum, & facultatem usus rationis, utendum est signis, & conjecturis ex experientia desumptis, & hominis prudentis arbitrio judicium ferendum est. Quod si signa non fuerint satis evidentia, tamen rem faciant dubiam, & aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, expectari potest & debet commodior occasio, & major cognitio.* Magni hujus Theologi auctoritas quidquid supra diximus mirificè probat, Baptismum nempè, donec dubio locus fuerit, protrahendum: adultum verò id temporis a Christifidelibus detinendum procul a Genitoribus, ex his, quæ subjungimus apertè patet. *Cardinalis de*

buoni Giuristi, cioè dal Natta *nel consiglio 454. al lib. 2.* e dal Bursato *nel consiglio 231. al lib. 3.* che ne'termini, ne'quali siamo, richiedono l'età di dodici anni; appoggiandosi a certi insussistenti antichi decreti. Sul che può vedersi il diligente Monsignore Sperello *nella sua decis. 1. al n. 32. e due seguenti*, che comprova, incominciare l'uso della ragione, compito il settimo anno dell'età: pel quale assunto molte altre belle cose sono radunate dal Cardinale Albizi *de inconstantia in Fide al cap. 11. n. 39.* dal Ricciul. *nel Trattato de Personis extra gremium Ecclesiæ al lib. 2. cap. 33. n. 3.* dal Zasio *nel Trattato de Judæis alla quest. 2.* dal Clericato *de Jurisdictione alla discordia 18. n. 25.* dal Sessa *de Judæis al cit. cap. 43.* alle quali da Noi aggiungerassi una puntuale risoluzione della Congregazione del Concilio, che è *nel lib. 16. de' Decreti alla pag. 233. a tergo* in una certa causa di Vilna: *Die 16. Julii 1639. Sacra Congregatio Concilii respondit filios Judæorum non esse invitis parentibus baptizandos; donec perveniant ad ætatem legitimam; & tunc, si ipsi consentiant: Ætatem verò legitimam regulariter censeri completo septennio.* Si osservi la parola *regulariter*, che dà a divedere, esser d'uopo, che il Superiore Ecclesiastico apra gli occhi, esamini ben bene chi chiede il Battesimo; potendosi dare il caso, che avanti ancora il compimento dell'anno settimo sia il predetto dotato di sufficiente uso di ragione: nel qual caso dovrebbe battezzarsi, non ostante il dissenso de'genitori, come in questi termini ben discorre il Soto *nel 4. delle sentenze alla dist. 5. quest. unic. art. 10. dubb. 2. Certissima regula est, quod si citra illam ætatem certo constat, puerum Fidei Catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, & quemadmodum fit professio Christianæ legis, baptizandus est; quoniam ætas ad contrahendum Matrimonium lege humana statuitur; Lex autem Divina Baptismi neutiquam ab humana dependet.*

33. Che se poi restasse qualche dubbio circa il perfetto uso della ragione, e circa la capacità di quello, che domanda il Battesimo, avvertasi a non far capitale della massima di tal uno, che appoggiandosi all'assioma legale, essere in dubbio sempre migliore la condizione di chi possiede, vuole, che nel detto dubio il battezzando si rimandi agli Ebrei, e molto più al padre, se mai avesse padre; imperocchè la massima legale ha il suo vigore in causa eguale: nè può dirsi eguale la causa degli Ebrei e de' Cristiani, e nemmeno del padre, e del figlio; trattando il padre di sfuggire un lieve danno, che è quello della patria potestà, per poco tempo; e trattando il figlio d'un gravissimo danno, cioè dell'eterna dannazione, al pericolo della quale resterebbe esposto, se ritornasse a vivere fra gl'Infedeli, o sotto la cura paterna: per lo che nelle sopraddette circostanze dee ritenersi chi ha domandato d'esser Cristiano, e dee differirsi il Battesimo, ed in questo mentre si deve istruire, ed usare ogni diligenza, acciò apprenda, e diventi capace, per essere poi a tempo e luogo battezzato.

34. Il Suarez *sopra la 3. part. di San Tommaso al tom. 3. quest. 68. art. 10. disput. 25. sez. 3. verso il fine*, così scrive: *Ad cognoscendum autem, an pervenerit parvulus ad eum statum, & facultatem usus rationis, utendum est signis, & conjecturis ex experientia desumptis; & hominis prudentis arbitrio judicium ferendum est. Quod si signa non fuerint satis evidentia, tamen rem faciant dubiam, & aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, expectati potest & debet commodior occasio, & major cognitio.* L'autorità di questo grave Teologo comprova quanto poc'anzi si è detto, doversi, stante il dubbio, differire il Battesimo: ed il doversi in questo mentre ritenere l'adulto sotto la cura de' Cristiani, e non restituirsi ai genitori, si desume da quanto or

*de Lugo lib. 5. respons. moral. ad dub. 4.* hoc Romæ accidisse narrat ætate sua: *Contigit Romæ, ut parvula quædam puella casu inveniretur longè ab Hebræorum domibus, quæ interrogata de suis Parentibus, respondit, se parentes habere Hebræos, & velle fieri Christianam. Conducta ergo ad Catechumenorum domum, parens petiit, filiam sibi restitui, quæ adhuc sui juris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de Religione.* Consilium expetitum est sapientissimi Cardinalis, qui postquam diligenter puellam examinasset, dubitavit, an perfecto rationis usu præditam judicaret: *Consultus ergo tunc fui, & examinavi puellam, nec perfectum rationis usum affirmare potui, nec etiam sufficientem negare, sed mansi dubius.* Cum puella septennium adhuc non complevisset, dubitaretque Cardinalis de perfecto rationis usu, Baptismum protrahendum esse respondit, & puellam interea apud Catechumenos detinendam: *Ego, quoniam puella illa septennium non compleverat, & de sufficienti rationis usu dubitabatur, dixi, Baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certò constare posset de sufficienti ejus voluntate; interim tamen non debere, nec posse restitui, sed custodiæ causa retinendam in eadem Catechumenorum domo.* Atque ita gestum est, ac puella deinceps, nova adhibita diligentia, baptizata fuit, ut videtur in fine prædicti Dubii IV. *Non erat controversia, an puella baptizanda esset, sed an Patri reddenda, in dubio de usu rationis sufficienti; in quo dubio de facto reddita non fuit; sed in loco tuto deposita, donec suo tempore, & explorata jam ejus voluntate, cum certissimo rationis usu, baptizata fuit.*

35. Species facti, quam modo exposuimus, de puella est, quæ septennium nondum expleverat; si autem illud superasset, & non constaret de perfecto rationis usu, non ideo Hebræis Parentibus reddenda esset, sed Christianorum curæ mandanda. Etenim idem argumentum & ad puellam detinendam, & ad Baptismum protrahendum in utroque casu valeat necesse est, *auctore Sessa de Jud. cap. 54. num. 8. & seq. Ego verò adhærendum puto sententiæ Henriquez, ut baptizari in dubio usus rationis non debeat, sive septennium compleverit, sive non &c. modo non urgeat periculum mortis &c. Erit tamen eo casu a Parentibus segregandus, & in domo Catechumenorum, vel penes honestam mulierem collocandus, ad vitandum periculum, ne a Parentibus subvertatur,* Et ante Sessam id docuerat Sotus loco cit. *Quid verò quando res esset aliquo modo dubia, nempe si bonæ essent conjecturæ, & indicia, puerum annum agentem octavum intelligere quid vellet profiteri, Baptismumque peteret? esset baptizandus, ac subinde ab eorum educatione subtrahendus.*

De iis adultis, qui Baptismum petierunt.

36. Tempore constituto, in quo Hebræus rationis compos prudenter censendus est, statuto etiam quid sit agendum, cum Baptismi petitor, an sit idoneus, dubitatur; de iis jam disseremus, qui aut ab adolescentia, aut ætate etiam maturiori Baptismum postulant. Quoad hanc ætatem, Parentum consensum necessarium omnino non esse, auctor est Sanctus Thomas *in præfat. loc. cit. id est in 2. 2. quæst. 10. art. 12.* quo in loco disputans de Baptismo Filiorum Hebræorum, dissentientibus Parentibus, sic scribit: *Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus, & potest quantum ad ea, quæ sunt juris Divini, vel naturalis, sibi ipsi providere; & tunc est inducendus ad Fidem, non coactione, sed persuasione, & potest etiam invitis Parentibus consentire Fidei, & baptizari, non autem, antequam habeat usum rationis.* Eadem verò repetit *in 3. part. quæst. 68. art. 10. Respondeo*

ora soggiugneremo. Nel tempo del Cardinale de Lugo, come esso racconta *nel lib. 5. de' Responsi Morali al dubb. 4.*, accadde il caso seguente qui in Roma: *Contigit Romæ, ut parvula quædam puella casu inveniretur longè ab Hebræorum domibus, quæ interrogata de suis parentibus, respondit, se parentes habere Hebræos, & velle fieri Christianam. Conducta ergo ad Catechumenorum domum, parens petiit, filiam sibi restitui, quæ adhuc sui juris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de Religione.* Fu consultato il predetto dotto Cardinale, e restò in dubbio, se la ragazza avesse, dopo averla esaminata, il perfetto uso della ragione: *Consultus ergo tunc fui, & examinavi puellam; nec perfectum rationis usum affirmare potui, nec etiam sufficientem negare, sed mansi dubius.* Non avendo la ragazza pur anche compito il settennio, ed essendo dubbio il perfetto uso della ragione, rispose, che si differisse il Battesimo, e che in questo mentre la ragazza restasse nella casa de' Catecumeni: *Ego, quoniam puella illa septennium non compleverat, & de sufficienti rationis usu dubitabatur, dixi, Baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certò constare posset de sufficienti ejus voluntate; interim tamen non debere, nec posse restitui, sed custodiæ causâ retinendam in eadem Catechumenorum domo.* E così fu fatto; e la ragazza, dopo fatte le nuove diligenze, fu battezzata, come si vede *nel fine del detto dubbio 4. Non erat controversia, an puella baptizanda esset, sed an patri reddenda, in dubio de usu rationis sufficiente: in quo dubio de facto reddita non fuit; sed in loco tuto deposita, donec suo tempore, & explorata jam ejus voluntate, cum certissimo rationis usu, baptizata fuit.*

35. Il caso proposto è d'una ragazza, che non aveva per anche compito l'anno settimo: ma quando anche l'avesse oltrapassato, e vi fosse stato il dubbio della sufficiente capacità, non per questo si sarebbe potuto, o si potrebbe pretendere, che dovesse rimandarsi, e non restare sotto la cura de' Cristiani; militando per la ritenzione della persona, e dilazione del Battesimo nell'uno, e nell'altro caso la stessa ragione, come ben riflette il Sessa *de Judæis al cap. 54. num. 8. e seqq. Ego verò adhærendum puto sententiæ Henriquez, ut baptizari in dubio usus rationis non debeat, sive septennium compleverit, sive non &c. modo non urgeat periculum mortis &c. Erit tamen eo casu a parentibus segregandus, & in domo Catechumenorum, vel penes honestam mulierem collocandus, ad vitandum periculum ne a parentibus subvertatur:* e prima di lui aveva insegnato il Soto *nel luogo citato: Quid verò, quando res esset aliquo modo dubia, nempe si bonæ essent conjecturæ & indicia, puerum annum agentem octavum intelligere quid vellet profiteri, Baptismumque peteret? esset baptizandus, ac subinde ab eorum educatione subtrahendus.*

Di quelli adulti, che chiedono il Battesimo.

36. Fissato il tempo, in cui regolarmente può dirsi, che l'Ebreo abbia l'uso della ragione per l'effetto, di cui si tratta, e stabilito altresì quanto dee farsi, allora che si sta in dubbio, se chi domanda il Battesimo, abbia la sufficiente capacità; entreremo nella materia di quelli, che, trapassata l'età infantile, o in età giovanile, o anche più avanzata, domandano d'essere battezzati: in ordine ai quali, ancorchè avessero padre, cosa certa si è, che il di lui consenso non è in verun modo necessario. Così insegna San Tommaso *ne' luoghi sopraccitati*, cioè *nella 2. 2. alla quest. 10. art. 12.* ove discorrendo del Battesimo de' figli Ebrei contra il consenso del Padre, così scrive: *Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus, & potest quantum ad ea, quæ sunt Juris Divini, vel naturalis, sibi ipsi providere: & tunc est inducendus ad Fidem, non coactione, sed persuasione,*

*dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, jam quantum ad ea, quæ sunt juris Divini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse; & ideo propria voluntate, invitis Parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut & matrimonium contrahere; & ideo tales licitè moneri possunt, & induci ad suscipiendum Baptismum.* Quæ quidem cum iis conveniunt, quæ scripta reliquit idem *Doctor Angelicus in quodlib. 2. art. 7.*

37. S. Thomæ doctrina de modo, quo Hebræi jam rationis compotes ad fidem Catholicam amplectendam inducendi sunt, omninò congruit cum Sancti Gregorii sententia *in Can. qui sincera, dist. 45.* cujus hæc sunt verba: *Qui sincera intentione extraneos a Christiana religione ad fidem cupiunt recta perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis, quàm Dei causas probantur attendere.* Accedit Concilii Toletani IV. auctoritas *in Can. de Judæis dist. 45. De Judæis autem præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Cui enim vult Deus, miseretur; & quem vult, indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic, vocante se gratia Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii faeultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.* Idem sentit Clemens III. in sua Decretali, cujus hoc est exordium: *Sicut Judæi sub tit. de Jud. & Saracen. Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad Baptismum venire compellat: Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur, quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.*

38. Nec plane obest huic sententiæ auctoritas Adriani Pontificis, qui Baptismum a Carolo Magno Saxonibus vi conlatum, ut fertur, comprobavit, cum infidelium ratio æque ac Hebræorum habenda sit, juxta S. Thomæ sententiam *in 2. 2. quæst. 10. art. 8.* ubi sic scribit: *Infideles quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles, & Judæi, & tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant &c. alii verò sunt Infideles, qui quandoque fidem susceperunt, & eam profitentur, sicut Hæretici, & quicumque Apostatæ; & tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt, & teneant, quod semel susceperunt.* Nullius quoque momenti sunt, quæ gesta fuerunt a Sisebuto Hispaniarum Rege, quem Concilium IV. Toletanum *cap. Majores, de Baptismo*, Principem Religiosissimum compellavit, propterea quod vi, ac minis Hebræos ad Baptismum impulerit, cujus vestigiis institerunt Rex Ægæa, Ferdinandus, atque Isabella, ut videre licet in Mariana novissimæ editionis *ann. 1733. tom. 1. pag. 202. & in tom. 3. pag. 184. & 211.*

39. Placet hic verò nonnulla breviter adnotare; ac primo, Pontifex Adrianus gratulatus est quidem Carolo Magno, quod Saxones jussisset ad Baptismum accedere; in ejus tamen epistola typis impressa *in tom. 2. Concil. antiqu. Galliæ pag. 112.*, quod unum extat facti ejusmodi

*& potest etiam invitis parentibus consentire Fidei, & baptizari; non autem, antequam habeat usum rationis.* Ripete lo stesso *nella 3. part. alla quest. 68. art. 10. Respondeo dicendum, quod pueri Infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, jam quantum ad ea, quæ sunt Juris Divini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse; & ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut & Matrimonium contrahere; & ideo tales licitè moneri possunt, & induci ad susc[illegible]dum Baptismum.* E concorda quanto lo stesso Santo Dottore lasciò scritto *nel quodlibet. 2. all'art. 7.*

37. La dottrina di S. Tommaso circa il modo d'indurre gli Ebrei già capaci dell'uso di ragione ad abbracciare la Fede Cristiana, è in tutto, è per tutto conforme alla massima di San Gregorio *nel Can. Qui sincera, alla dist. 45.* ed eccone le parole: *Qui sincerâ intentione extraneos a Christiana Religione ad Fidem cupiunt recta perducere, blandimentis, non asperitatibus, debent studere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis, quam Dei causas probantur attendere:* ed a quella del Concilio Toletano quarto riferita *nel Can. de Judæis, alla stessa dist. 45. De Judæis autem præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Cui enim vult Deus, miseretur; & quem vult, indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic, vocante se gratia Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo, non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potiùs impellendi.* E concorda Clemente III. nella sua Decretale, che incomincia: *Sicut Judæi, sotto il tit. de Judæis, & Saracenis: Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad Baptismum venire compellat. Si quis autem ad Christianos causâ Fidei confugerit, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur: quippe Christi Fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum, non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.*

57. Neque id verò recens inventum est, sed decretum a Congregatione Sancti Officii anno 1727. cum adhuc in minoribus eadem in Congregatione Consultoris munere fungeremur; itemque hoc postea confirmavit per Litteras Apostolicas die 14. Februarii anni prædicti Benedictus Papa XIII. fel. rec., cujus in Nos beneficentia haud parva fuit: ejus Decreti verba talia sunt: *Feria 4. die 7. Februarii 1727. In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam coram Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sede Apostolica specialiter deputatis: Cum plures exortæ sint controversiæ super intelligentia, & executione Decreti ab hac Sacra Congregatione editi die 8. Julii 1641. quoad Hebræos utriusque sexus denuntiatos de eorum animi declaratione suscipiendi Baptismum; Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales Generales Inquisitores prædicti dictum Decretum declarando, & quatenus opus sit, reformando, in posterum illud sequenti modo exequi mandarunt, & decreverunt: nempe quod Testes, qui Hebræos denuntiabunt, sive mares, sive fœminas de declaratione animi suscipiendi Baptismum, per Notarium, juxtà interrogatoria generalia ab R. P. D. Vicesgerente præscribenda, cum speciali monitione relevantiæ Juramenti, in scriptis coram eodem R. P. D. Vicesgerente, & eo impedito, coram ejus Auditore, examinentur; qui etiam examen præfatum subscribere debeant; &, quatenus duo Testes sint de loco, tempore, & occasione contestes, tunc denuntiati ad domum Catechumenorum duci, & collocari in loco separato, ad hunc effectum destinato, in eoque per duodecim dies detineri possint, ut super veritate, & constantia declarationis eorum voluntatis suscipiendi Baptismum explorentur. Si autem Testes erunt singulares, vel unus adesset Testis idoneus, & fide dignus, tunc denuntiati, non statim post denuntiationem, & Testium examen ducendi erunt ad domum Catechumenorum, sed per R. P. D. Vicesgerentem extra Ghettum, vel in ejus domo, vel in aliqua Ecclesia, vel alio loco sibi bene viso, & intra tempus necessarium, & opportunum, juxta facti speciem & circumstantias, pro arbitrio, & prudentia dicti R. P. D. Vicesgerentis, eorum voluntas exploranda erit.*

II. De uxoribus, & sponsis oblatis a Maritis, qui Christiani efficiuntur.

58. Hanc alia quæstio sequitur ad sponsas pertinens, atque conjuges Hebræorum, quæ viri jam Christiani, aut sponsi operâ Fidei Catholicæ offeruntur. Nulla Judæorum querela est, quod a viris, aut sponsus Christifidelibus sponsæ, aut conjuges ad lavacrum Sanctissimum offerantur; non enim nesciunt vel ipsi Hebræi, nullam hac invitamenti, vel adhortationis specie violentiam includi, ita ut si mulier Baptismum respuat, matrimonium in Judaismo contractum omnino solvatur, teste Apostolo 1. *ad Corint. cap.* 7. & juxta *Decretalem, Quanto, de divortiis*, quæ quidem matrimonii solutio fit statim ac Judæus Ecclesiæ gremio admissus transit ad alias nuptias, ut a Nobis longa disceptatione probatum est, cum in Congregatione Concilii a Secretis essemus, in quadam causa Florentina proposita 27. *Julii* 1726., ut videre licet *in tom. 3. Thesauri resolut. pag. 346. & pag. 350. & seq. ac tom. 4. pag. 30. & sequ.* Quando infidelis ad Christum conversus transitum facit ad alias nuptias, an eadem sit libertas conjugi infideli alias contrahendi nuptias, res adhuc in dubio est. Sententiam negativam sustinet Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 48. num. 25.* Affirmativæ adhæret Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 77. n. 6.* Utramque probabilem Diana existimat *in*

57. Questo sistema non è di nostra invenzione. Fu stabilito dalla Congregazione del Sant' Offizio *nel* 1727., quando *in minoribus* eravamo Consultore della medesima; ed il Decreto fu confermato dalla felice memoria del Nostro Benefattore Benedetto XIII. con un suo Breve spedito sotto *il giorno 14. Febbrajo dell'anno predetto;* ed ecco le parole del Decreto confermato: *Feriâ IV. die 7. Februarii 1727. In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam coram Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sede Apostolica specialiter deputatis: Cum plures exortæ sint controversiæ super intelligentia, & executione Decreti ab hac Sacra Congregatione editi die 8. Julii 1641. quoad Hebræos utriusque sexus denuntiatos de eorum animi declaratione suscipiendi Baptismum; Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales Generales Inquisitores prædicti dictum Decretum declarando, & quatenus opus sit, reformando, in posterum illud sequenti modo exequi mandarunt, & decreverunt: nempe quod Testes, qui Hebræos denuntiabunt, sive mares, sive fœminas de declaratione animi suscipiendi Baptismum, per Notarium, juxtà interrogatoria generalia ob R. P. D. Vicesgerente præscribenda, cum speciali monitione relevantiæ Juramenti, in scriptis coram eodem R. P. D. Vicesgerente, & eo impedito, coram ejus Auditore, examinentur; qui etiam examen præfatum subscribere debeant; &, quatenus duo Testes sint de loco, tempore, & occasione contestes, tunc denuntiati ad domum Catechumenorum duci, & collocari in loco separato, ad hunc effectum destinato, in eoque per duodecim dies detineri possint, ut super veritate, & constantia declarationis eorum voluntatis suscipiendi Baptismum explorentur. Si autem Testes erunt singulares, vel unus adesset Testis idoneus, & fide dignus, tunc denuntiati, non statim post denuntiationem, & Testium examen ducendi erunt ad domum Catechumenorum, sed per R. P. D. Vicesgerentem extra Ghettum, vel in ejus domo, vel in aliqua Ecclesia, vel alio loco sibi bene viso, & intra tempus necessarium, & opportunum, juxta facti speciem & circumstantias, pro arbitrio, & prudentia dicti R. P. D. Vicesgerentis, eorum voluntas exploranda erit.*

II. Delle Mogli, e Spese offerte dai Mariti fatti Cristiani.

58. A questo quesito succede l'altro, che riguarda le mogli e le spose Ebree, che vengono offerte alla Fede Cristiana dal marito, o dallo sposo, che si fanno Cristiani. Non si lamentano gli Ebrei, che si faccia dal marito Cristiano l'offerta della moglie Ebrea, nè dallo sposo l'offerta della sposa, sapendo ancor essi, che tutto ciò si riduce ad una specie d'invito e d'esortazione, esclusa qualunque violenza, in tal maniera che, se la moglie ricusa di farsi Cristiana, il Matrimonio contratto nell' Ebraismo resta sciolto, secondo anche il testo dell'Apostolo *nella prima ad Corinthios al cap.* 7. e secondo la Decretale *nel Cap. Quinto, de Divortiis*: il che siegue, subito che il convertito passa alle altre nozze, giusta ciò, che da Noi fu diffusamente dedotto in un nostro Discorso fatto quando eravamo Segretario del Concilio, in una certa Causa *Florentina*, proposta *ai 27. di Luglio* 1726. come può vedersi *nel tom. 3.* del Tesoro delle Risoluzioni *alla pag. 346. ed alla pag. 350. e segg. e nel tom. 4. alla pag. 30. e segg.* Ma se, sciolto il matrimonio, quando il convertito passa ad altre nozze, s'intenda posta in libertà ancora il conjuge restato infedele, e possa nell'infedeltà contrarre un altro matrimonio; la sentenza negativa vien sostenuta dal Pontio *de Matri-*

*edit. coordinata de matrim. tom. 2. resol. 122. tract. 6.*

59. Illud quoque Hebræis est probe cognitum, conjugem viro esse obnoxiam, ejusdemque in potestate constitutam, quod legunt *Geneseos cap. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Ipsis præterea compertum est sponsalia plurimum a matrimonio differre, cum hæc non sint aliud, quàm futuri promissio matrimonii, ut *in Can. Nostrates 30. quæst. 1. & in leg. 1. ff. de sponsi.* quod & colligitur ex historia Jacobi *Genes. cap. 29.* qui servitutem servire Labano debuit ad statum tempus, ut uxorem duceret promissam sibi Rachelem. Non id audet Hebræorum quispiam inficias ire, juxta eorum mores, per sponsalia jus quoddam Sponso, & auctoritatem in Sponsam dari forsan etiam majorem illa, quam Christifidelis habet in Christianam mulierem sibi desponsatam. Nam jure Pontificio gravis est reus culpæ, non adulterii, qui aliena cum sponsa turpi consortio conjungatur, ut Nos alibi demonstravimus in *nostra Notificatione V. tom. 3. pap. 65. edit. Bonon.* At apud Hebræos, ex veteri instituto, qui rem aliena cum sponsa habuerit, non impudicus dicitur, sed adulter, ut *post Seldenum lib. 2. Uxor. Hebr. cap. 1.* animadvertit Calmet *in sua dissert. de Connubiis Hebr.* & adhuc in præsens apud Hebræos scelus, quo de nunc agimus, est capitale, ut observat Cardinalis de Luca *de matrimon. in dis. cur. 9. num. 15.* quem habuit de quorumdam Judæorum Romæ connubio. Igitur quemadmodum cum ad fidem accedunt, qui potestatem in filios, aut filias habent, eorum oblationem Ecclesiæ libere, ac jure faciunt; ita vir, aut sponsus Christi legem amplexus jure optimo oblationem facit suæ vel uxoris, aut sponsæ, in quam jus a Legibus, & auctoritatem sibi concessum habet. Facta hæc verò oblatio nec sane potest, nec omnino debet a Christifidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentiæ, nullique studio, ut Christiana veritas jam viro, aut sponso cognita, uxori quoque, aut sponsæ lucem afferat, ac salutem, eo vel maximè quod Romani Pontifices licet Judæis vim fieri quoad Religionem severè prohibeant, palam tamen significant, nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil, quàm ut iidem aliquando è tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo semel in singulas Hebdomadas iis publicè Evangelium annuntiari, eosdemque jubent Sacris hisce concionibus interesse, ut apparet *in Constit. 1. Nicolai III. & Constit. 106. Gregorii XIII.*

Sponsalia quando contracta dicantur juxta Hebræorum ritus.

60. Verùm quanquam Hebræi de uxorum, sponsarumque oblatione nec conquerantur, nec conqueri possint; queruntur tamen, ut primum Hebræorum aliquis ad Fidem profectus, aut profecturus, suam offert Ecclesiæ sponsam, quod hæc illico evocatur, domumque Catechumenorum transfertur, ubi quadraginta dierum spatio detinetur. Clamant in casu ejusmodi nimiam Christianos incertis vocibus habere fidem, & imprudenter agere, priusquam ullis probationibus demonstratum fuerit, sponsalia ritè ac validè contracta fuisse. Hinc dictitant damna, turbationesque oriri plurimas, cum non semel evenerit, ut Hebræus infima de plebe aliquis, mulieris, aut virginis amore flagrans & divitis & honestæ, desperans verò eam in Judaismo ducere uxorem posse, id consilii ceperit, contracta nempe sponsalia

*monio al lib. 7. cap. 48. num. 25.*, e l'affermativa viene diffusamente comprovata dal Sanchez *de Matrimonio al lib. 7. disput. 77. num. 6.* e tanto l'una, quanto l'altra opinione viene riputata probabile dal Diana *nell'Editione coordinata de Matrimonio al tom. 2. resolut. 122. tract. 6.*

59. Sono pure ben informati gli Ebrei, che la moglie è sotto la potestà del marito, leggendolo *nella Genesi al cap. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Sanno in oltre, essere gli sponsali cosa differente dal matrimonio, non essendo gli sponsali che una promessa del futuro matrimonio, come si legge *nel Can. Nostrates 30. quest. 1.* e *nella leg. 1. ff. de sponsalibus;* il che pure raccolgono dalla storia di Giacobbe *nella Genesi al cap. 29.* a cui convenne servire Laban tanto tempo per potersi maritar con Rachele, che dal di lei genitore Laban gli era stata promessa per moglie. Non possono negare, che, anche secondo il loro costume, in vigore degli sponsali non acquisti lo sposo un certo diritto, ed una certa autorità sopra la sposa, e forse anche maggiore di quella, che lo sposo Cristiano acquista sopra la sposa Cristiana; imperocchè, secondo il diritto Canonico, è reo di grave peccato, ma non d'adulterio, chi ha commercio colla sposa d'un altro, come da Noi fu ampiamente dimostrato *nella nostra Notificazione quinta del tom. 3. alla pag. 65.* della stampa di Bologna; ma secondo le antiche Ebraiche costumanze si commette adulterio da chi ha copula carnale colla sposa d'un altro, come dopo il Seldeno *nel lib. 2. Uxoris Hebrææ al cap. 1.* osserva il Calmet *nella sua Dissertazione de Connubiis Hebræorum*, ed ancor oggi il reato ha appo loro la pena della morte, come ben osserva al Cardinal de Luca *de Matrimonio, al discorso 9. n. 15.* fatto sopra il matrimonio di certi Ebrei seguito qui in Roma: e siccome convertendosi alla Fede chi ha in potestà figlio o figlie, ne fa liberamente l'offerta, così convertendosi il marito, o lo sposo, fanno con tutta giustizia l'offerta della moglie, o della sposa, sopre le quali hanno, come si è detto, jus, ed autorità; e fatta l'offerta, non può, ne dee ricusarsi da' Cristiani, che sono obbligati a far quanto possono, ed a non trascurar diligenza, acciò la verità della Religione, riconosciuta dal marito, e dallo sposo, sia anche riconosciuta ed abbracciata dalla moglie e dalla sposa; tanto più che, sebbene i Romani Pontefici si protestano di non volere sforzar gli Ebrei a ricevere il Battesimo, non lasciano però d'esprimere il loro vivo desiderio, acciò illuminati lo ricevano, pel qual effetto fanno loro predicare ogni settimana la verità della Fede Cristiana, e comandano, che assistano alla Predica, come si vede *nella Costituz. 1.* di Niccolò III. e *nella Costituz. 106.* di Gregorio XIII.

Quando i sponsali fidecano contratti secondo i riti Giudaici.

60. Ma, se non si lamentano, ne si possono lamentare gli Ebrei dell'offerta delle mogli e delle spose, si lamentano bensì, che subito che lo sposo è convertito, o vuol convertirsi, ed offre la sposa, la sposa si chiama, e si porta alla casa de' Catecumeni, si trattiene in essa lo spazio di quaranta giorni, dando troppo credito all'asserzione del convertito, o convertendo, senza veruna prova precedente de' sponsali contratti, & contratti in forma valida, secondo i loro riti; il che dicono esser causa di varj disordini, non essendo la prima volta, come essi suppongono, che qualche Ebreo di rango vile, innamorato d'Ebrea civile e comoda, disperato di conseguirla nell'Ebraismo, ha tentato d'averla per questa strada, cioè supponendo falsamente gli sponsali contratti.

falso, ac temere venditare, illustrem ut ad thalamum perveniret.

61. Magnus ille Prædecessor Noster S. Gregorius laudabili semper methodo, & incorrupta justitia in Hebræorum negotiis usus est. Consule *ejus epistolam 25. lib. 8. indict. 1. ultimæ edit.* Victori Episcopo Panormitano datam: *Si igitur querimonia eorum veritate fulcitur, oportet, ut Fraternitas Vestra, legis serie diligenter inspecta, ita eis quidquid hac de re decretum est, custodire debeat, ac servare, ut nec ipsa aliquid injustum facere, nec illi pati præjudicium videantur.* Sed admonet eodem tempore, ut facta diligenter accurateque perpendantur, ad veritatem rei a Judæis propositæ cognoscendam; ut colligitur ex alia ejus epistola ad Fantinum Panormi Defensorem missam, quæ 55. *est, lib. 9. indict. 2.* ubi legitur, *ne forte in eorum sola voluntate versari præjudicium videretur.* A S. Gregorio edocti, ne ullam his de sponsalibus diligentiam prætermisisse videremur, Seldenum, Bustorfium, Leonem Modena, & alios Scriptores consulendos dijudicavimus. Decreta quoque percurrimus, quæ aliàs in casibus hujusce generis a Congregatione Sancti Officii emanarunt. Sed auctorum lectio prædictorum, quam Nobis utilis extitisset exornandæ dissertationi pro aliqua ex Academiis Ecclesiasticis, quæ coram Nobis singulis hebdomadis haberi solent; tam planè inutilis, ac supervacanea fuit certo ac tuto decernendo sistemati, quod maximopere optabamus. Ex prædictis Decretis, quorum principium est ab anno 1725., licet illud intelligatur, quod si sponsus Hebræus jam Christianus sponsæ adhuc Judeæ oblationem fecit, hanc inter Catechumenos ad quadraginta dies detentam fuisse; nullo tamen modo cognosci potuit, an, & qua ratione sponsalia probata fuerint, itemque, an eorum probatio solius sponsi, vel plurium testimonio inniteretur; an demum quodlibet mutuæ sponsionis genus existimatum fuerit verus, ac legitimus sponsaliorum contractus.

62. Doctor Paulus Mediceus in suo Tractatu de Hebræorum ritibus, ac institutis, quorum ipse peritissimus erat, quippe qui è Mosaica ad Christianam legem transierat, *cap. 27.* de sponsalibus agit, & matrimonio Judæorum, & id, ut paucis dicam, ostendit, in hoc instituto non admodum a Christifidelibus differre Hebræos. Nam hanc apud eos consuetudinem esse testatur, ut scriptura conficiatur, in qua parentum alteruter filiam suam aut puellam, aut viduam promittit sponso; hic autem eam se ducturum pollicetur. Tempus quoque decerni solitum, in quo nuptiæ celebrentur. Contractui demum subscribere tum sponsus, tum duo præterea testes de more debent. Sed quia Hebræi eorum, qui Christi fidem amplexi sunt, dictis, ac testimonio ægrè acquiescunt, ideo Nos veritatis apprimè cupidi, cuidam familiari nostro jurisperito mandavimus, ut convocaret in unum Judæos aliquot, quorum unus jampridem Nobis, cum adhuc Anconæ Ecclesiam gubernaremus, est probè cognitus, & in Mosaicis ritibus egregiè versatus. Ex eo autem conventu ea, quæ sequuntur, evicta sunt.

63. Primo, semper sponsalia contrahi inter virum, & parentes mulieris, aut inter virum, & mulieris propinquos, si parentes mulieri desint: mulierem sponsalia non contrahere pudoris causa & honestatis, imo contractum, qui hebraicè dicitur תנאים *Tenaìm*, fœminæ plerumque ignotum esse, quæ postea explicitè

61. Il nostro gran Predecessore San Gregorio negli affari degli Ebrei tenne il lodevole sistema d'un'incorrotta giustizia, come si deduce *dalla di lui lettera 25. al lib. 8. indiz. 1.* dell'ultima stampa, scritta a Vittore Vescovo di Palermo in questo proposito: *Si igitur querimonia eorum veritate fulcitur, oportet, ut Fraternitas vestra, legis serie diligenter inspecta, ita eis quidquid hac de re decretum est, custodire debeat ac servare, ut nec ipsa aliquid injustum facere, nec illi pati præjudicium videantur:* ma nello stesso tempo avverti, che si appurassero i fatti, per vedere, se era vero ciò, che dagli Ebrei veniva esposto; come si raccoglie da un' altra sua lettera scritta a Fantino Difensor di Palermo, che è *la 55. al lib. 9. indiz. 2.* ove così si legge: *ne fortè in eorum sola voluntate versari præjudicium videretur.* Ammaestrati da S. Gregorio, e per arrivare, come suol dirsi, al fondo della materia degli sponsali degli Ebrei, abbiamo creduto opportuno il vedere il Seldeno, il Bustorfio, Leone Modena, ed altri, che trattano di detti sponsali. Abbiamo ancora voluto vedere i Decreti altre volte fatti in simili casi dalla Congregazione del Sant'Officio; ma per esporre a lei quello, che ci è accaduto, quanto la lettura de' predetti Autori ci sarebbe stata opportuna, se avessimo dovuto comporre una dissertazione per la nostra Accademia Ecclesiastica, che teniamo ogni Lunedì avanti di Noi; altrettanto ci è riuscita inutile per istabilire in pratica qualche sistema; nè lumi migliori abbiamo potuto ricavare dai sopraddetti Decreti, che incominciano *dal* 1725. da' quali benchè si riconosca, che se lo sposo Ebreo, che si converte, ha fatta l'offerta della sposa Ebrea, questa è stata condotta ai Catecumeni, ed ivi è stata di più trattenuta quaranta giorni; non si può però riconoscere, se, ed in qual modo fossero provati gli sponsali, se la prova non abbia avuta altra base, che il detto dello sposo, e se ogni e qualunque sorta di promessa sia stata qualificata come contratto di sponsali.

62. Il Dottore Paolo Medici nel suo Trattato de'riti e costumi degli Ebrei, de' quali era ben istrutto, essendo dall' Ebraismo passato alla Fede Cristiana, *nel cap. 27.* tratta dello sposalizio, e matrimonio degli Ebrei, ed in sostanza espone, che gli sponsali si fanno fra gli Ebrei, come si fanno fra i Cristiani; dicendo, che fra gli Ebrei si fa una scrittura, in cui il padre o la madre s'obbliga di dare la sua figliuola fanciulla, o vedova allo sposo con tanta somma di dote, e lo sposo accetta sopra di se l'obbligo di prenderla per isposa, determinandosi il tempo, in cui vogliono contrarre il matrimonio, sottoscrivendosi in oltre la scrittura dallo sposo, e da due testimonj. Ma perche sappiamo, che gli Ebrei sogliono dar eccezione ai detti de' convertiti, che risguardano i loro riti e costumanze, abbiamo perciò preso, per esser istrutti, un altro espediente, che è stato di commettere ad un nostro domestico ben inteso delle materie legali il fare un congresso con alcuni Ebrei, uno de' quali è a Noi ben cognito, essendoci convenuto il trattare più volte con lui, quando eravamo Vescovo d'Ancona, ed avendolo trovato uomo di cervello aperto, e ben pratico de' riti e costumanze Ebraiche; ed il risultato del congresso è il seguente.

63. Primo, che gli sponsali sempre si contraggono tra l'uomo, ed i genitori della donna, ovvero tra l'uomo, ed i parenti prossimiori della donna, a cui mancano i genitori; non contraendo per l'ordinario la donna stessa, e ciò a motivo di provedere al di lei pudore ed onestà: anzi facendosi il contratto, che in lingua Ebraica

præbet assensum suum in solemni nuptiarum celebratione hebraicè nuncupata קדושים *Kiddusçim.*

64. Secundo, sponsalibus hac ratione contractis obligari utramque partem; cum autem consensum parentes tantùm mulieris, aut consanguinei præbuerint, non verò fœmina, ideo hanc, si dissentiat, minimè cogi posse, & dissentientem non contractum frangere, sed peccare graviter juxta Hebræos, debitam nempe obedientiam parentibus, aut majoribus denegando.

65. Tertio, contractum dici obligatorium, & absolutum, cum a viro, ac fœminæ parentibus sponsio facta est, ac descripta, nec non testibus confirmata aut duobus, aut pluribus. Hic contractus Romæ describi solet Notarii opera, alibi a Judæis hebraicè.

66. Additur, contractum dici pariter absolutum, cum pars utraque, vel privatim, vel coram Rabbino sponsionem firmant jurejurando, coram duobus, aut pluribus testibus, & sponsionem insuper describi jubent. Quod si vel absque scripto, & testimoniis, aut coram testibus tantùm sine jurejurando sponsio facta fuerit, tunc neque obligationem inducit, nec contractum perficit sponsaliorum, ita ut pars utraque libera omnino sit; at si de sponsione constet, & de juramento per testes, tunc recedere licet utrique parti, dummodo præviam a Rabbino impetrent absolutionem a juramento.

67. Hæc Hebræorum ex conventu collecta sunt. Hinc verò deducitur, duabus tantummodo supradictis modis contracta sponsalia inter Judæos haberi valida, atque obligatoria. Mutuæ igitur viri, ac mulieris sponsiones, epistolis, aut schedulis expressè nihil ad effectum, de quo quæritur, valent; ac multò minus munera, vestes, & nuptiarum apparatus. Non probato autem, quod sponsio uno vel altero ex supradictis modis facta fuerit, si copula sequatur ante *Kiddusçim*, seu matrimonium, utraque pars ad contrahendum obligatur, non quidem contractus vi, sed commissi sceleris pœna, & ut crimen admissum luatur.

68. Si de sponsaliorum validitate, aut invaliditate, itemque de obligatione, aut contra, deberet judicium fieri, res autem inter Hebræum, & Hebræam intercederet, æquum esset sententiam ferre legibus consentaneam, & consuetudinibus Hebræorum; communis enim, & probata opinio est, in judiciis hujusmodi oportere non juri Pontificio, vel civili, sed legi, & Mosaicæ consuetudini adhærere. Marquard. *de Judæis par.* 2. *cap.* 4. Ricciul. *de jure person. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 7. Sessa *de Judæis cap.* 33. *num.* 6. Card. de Luca *de Matrimonio discurs.* 15. *num.* 3. In præsens verò res in disceptationem venit ad Hebræam pertinens, & ad Hebræum jam Christo servientem, aut inservire optantem: negotium nempe agitur sanè maximum, quod ad Christianam summopere pertinet Religionem. Concilio igitur prudenti admodum opus est ac salutari. Nos autem re diu ac multum considerata, hoc, quod sequitur, opportunè decernendum existimavimus.

69. Quotiescumque sponsus Hebræus Christianæ Religioni nomen dare statuerit, & Evangelio sponsam offerat, Tuum erit, eum prudenter interrogare, vel ut ab aliis interrogetur, imperare, quomodo sponsalia probentur, neque enim decet ejus affirmationi unicè habere fidem. Editas sponsaliorum probationes Tuum pariter munus erit examinare, aut alicui pru-

chiamasi תנאים *Tenaìm*, per lo più n'è ignara la donna medesima, che lo sà dopo che è concluso, e che dà poi il suo consenso esplicito nella celebrazione del matrimonio, che in lingua Ebraica chiamasi קדושים *Kiddusçim.*

64. Secondo, che questi sponsali in tal modo contratti obbligano l'una e l'altra parte; ma perche il consenso è stato dato o dai genitori, o dai parenti prossimiori, e non dalla donna; se essa dissente, non può esser sforzata, non avendo dato il suo consenso; e dissentendo, secondo gli Ebrei, commette peccato di disubbidienza ai genitori, e suoi maggiori, ma non d'infrazione di contratto.

65. Terzo, che il contratto dicesi obbligatorio, e compito, o quando la promessa corsa tra l'uomo, e i parenti della donna è ridotta in iscrittura, e vi si leggono sottoscritti o più testimonj, quale scrittura in Roma suol farsi per mano di Notajo, ed altrove si fa tra gli Ebrei in Ebraico:

66. O quando le parti o tra di loro, o avanti un Rabbino, si obbligano con giuramento alla presenza di due o più testimonj, facendone scrittura; ma se promettono senza scrittura e testimonj, ovvero se promettono alla presenza de' testimonj, ma senza giuramento, la promessa non vestita di giuramento si risolve in un mero trattato perfuntorio, non induce obbligo, nè contratto di sponsali, in tal maniera che ciascheduna delle parti è libera: ed in opposto costando della promessa, e giuramento *per testes*, se le parti vogliono recedere, possono farlo colla previa assoluzione, che ottengono dal Rabbino, dal già fatto giuramento.

67. Questo è quanto si è ricavato dall'accennato congresso. Dal che poi si deduce, che gli accennati due modi sono quelli, co'quali si fanno gli sponsali validi, ed obbligatorj fra gli Ebrei, non giovando pel detto effetto le promesse vicendevoli fatte fra l'uomo e la donna, espresse in lettere e biglietti, essendo insufficienti le congetture, come di regali, d'abiti, d'apparato di nozze; e non essendo la promessa provata nei due riferiti modi, se dopo la promessa sopraggiungesse la copula avanti il *Kiddusçim*, o sia matrimonio, entra l'obbligo di contrarlo, ma non già in vigore del contratto degli sponsali, ma in pena, e riparo del commesso reato.

68. Se si dovesse giudicare della validità, o invalidità degli sponsali, o dell' obbligo risultante, o non risultante da questo, o da quell' atto, e l'affare stasse fra Ebreo ed Ebrea, dovrebbe certamente questo giudizio esser regolato dalle leggi, e consuetudini Ebree, essendo proposizione ben ricevuta, che in queste materie fra gli Ebrei non si dee stare al Diritto Canonico, o al Diritto Civile, ma alla legge, e consuetudine Mosaica: Marquard. *de Judæis part.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. Ricciul. *de Jure personarum lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 7. Sessa *de Judæis cap.* 33. *num.* 6. Card. de Luca *de Matrimonio discurs.* 15. *num.* 3. Il punto è, che presentemente si tratta d'un affare, che verte fra uno o Cristiano, o che si vuol fare Cristiano, ed una Ebrea; e si tratta di un affare, che interessa la nostra Santa Religione Cristiana: e però è d'uopo il prendere qualche temperamento, che, dopo averci ben pensato, diciamo dover essere il seguente.

69. Convertendosi lo sposo Ebreo alla Fede Cristiana, e facendo l'offerta della sposa, sarà suo peso interrogarlo, o farlo interrogare, come si provi lo sponsalizio da esso asserito, o supposto; non essendo del dovere, che si stia alla sua unica asserzione. Manifestate le prove, sarà in oltre suo peso il riconoscere, o farle riconoscere; e quando arrivino a quel segno, che

denti viro examinandas tradere. Argumenta ſponſalibus comprobandis idonea erunt, ſi tanti eſſe ponderis, & momenti videbuntur, ut contracta inter Catholicos ſponſalia iiſdem rationibus evinci apertè ac tutò valeant. Apud Chriſtianos ſcriptura non opus eſt, cujus defectus teſtium auctoritate ſuppleri ſolet, adhibitis etiam cenſuris, cum quis poſt Canonicas admonitiones ſponſionem vel ſine juramento factam implere negat. Sponſaliorum itaque probationes ſi tales fuerint, ut modo diximus, antiqua tibi methodus, quæ uſui erat ante an. 1725., adhibenda eſt; è vico ſcilicet evocanda mulier, & ſemel atque iterum, aut quamdiù opportunum duxeris, ejus voluntas in templo aliquo, aut alibi exploranda, ac demum aut innata in pervicacia, atque errore relinquenda, ſi reſipiſcere nolit, aut inter Catechumenos retinenda eſt, ut inſtruatur, ſi converſionis certa ſpes aliqua oboriatur.

70. Cum aut ſponſus, aut alius quilibet fide dignus ejuſmodi argumenta proferat, quibus plane conſtet, ſponſalia ita, ut ſupra diximus, contracta fuiſſe, nempe apud ipſos Hebræos valida, atque obligatoria; ad Te ſpectabit, ſponſam illico inter Catechumenos collocare, ubi tamdiu verſabitur, quamdiu neceſſe erit, dummodo quadraginta dierum ſpatium non ſuperetur; intra enim hos limites procedere abſque dubio putamus ſupradicta decreta, quæ initium habent ab *anno* 1725.

71. Inter Caſſiodori epiſtolas Regis Theodorici nomine exaratas, ſeptima ſupra trigeſimam ad Hebræos Mediolanenſes tranſmiſſa fuit, in qua iis ſignificatur, hoc decretum fuiſſe, quod nimirum *nullus Eccleſiaſticus, quæ Synagogæ veſtræ jura competunt, violentia intercedente pervadat, nec veſtris ſe cauſis importuna acerbitate permiſceat, ſed ut religionis cultu, ita & actuum ſint converſatione diſcreti.* Et hoc idem Nos hactenus facere procuravimus. Eâdem præterea epiſtola admonentur Judæi, ne ingrati ſint, Chriſtianorum æquitate temerè abutentes: *Hac tamen moderatione Principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos, quod ad præfatæ Eccleſiæ jus, vel religioſas perſonas cæteras, legibus pertinere conſtiterit, inciviliter attrectare tentetis.* Et id quoque Nos addere non prætermittimus. Experimento enim didicimus, cum Hebræus palam declarat, Chriſtianorum ſe velle inſtitutis, ac legibus obtemperare, a Synagoga, ſi ejus voluntatem nequeat immutare, rationem, aut potius fraudem excogitare de more aliquam, celare ſcilicet, aut aliò mittere eum, qui a bono propoſito deterreri non poteſt. Cum verò ſponſus Chriſtiano ſe nomini devovere ſtatuit, ſtatim id Synagoga efficit, ut ſponſa pervicaci aliquo cum Hebræo matrimonii vinculo copuletur, aut ut omnes illico evaneſcant ſponſaliorum rationes, probationeſque. Hi porro eventus cum metaphyſicos non eſſe ſcias, ideo ſeveritatis erit ac vigilantiæ tuæ, remediis, ac pœnis etiam, ſi opus fuerit, Hebræorum principes in officio continere, ut fraus mulctetur, ac rerum perturbatio tollatur. Hæc ſunt, quæ noſtra hac epiſtola explicanda duximus, quibus ut feliciter utaris, paternam tibi ex animo Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 28. Februarii 1747. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

Dat Pont. an. VII. die 28. Februarii 1747.

basterebbero a provar gli ſponſali, ſe foſſero ſtati contratti fra Criſtiani; non eſſendo, come ella ben ſa, fra' Criſtiani neceſſaria la ſcrittura, potendoſi ſupplire il di lei difetto coi teſtimonj, ed anche con valevoli congetture, forzandoſi fra' Criſtiani anche con cenſure, quando ſi crede, che ſiano per eſſere profittevoli, chi dopo le canoniche ammonizioni non vuol adempire la promeſſa, ancorchè fatta ſenza giuramento; ella riprenda il ſiſtema antico, che praticavaſi prima del 1725. di chiamare, o far chiamare la donna fuori del Ghetto, eſplorando, o facendo eſplorare una o più volte, e per quanto tempo le parerà e piacerà, la di lei volontà in una Chieſa, o in luogo terzo; laſciandola nella ſua perdizione, ſe vuole oſtinatamente perſiſtere nell' Ebraiſmo, o facendola ritenere, e collocare ne' Catecumeni per eſſere iſtrutta, quando vi ſia ſperanza della ſua converſione.

70. Che ſe poi dal convertito, o convertendo ſpoſo, ſi diano a lei, o a chi comparirà per lei, tali lumi, dai quali potrà ella reſtar aſſicurata, che gli ſponſali ſono ſtati veramente contratti in quel modo, in cui, come di ſopra ſi è detto, ſono validi, ed obbligatorj anche appreſſo gli Ebrei; dovrà ella ſubito far collocare la ſpoſa nella caſa de' Catecumeni, ed ivi dovrà ſtare tanto tempo, quanto biſogna, purchè non ecceda i quaranta giorni; ne' quali termini ſenza dubbio crediamo eſſer emanati i Decreti ſopraddetti, che incominciano *dal* 1725.

71. Fra le lettere di Caſſiodoro ſcritte a nome del Re Teodorico, la trenteſima ſettima *del lib.* 5. è ſcritta agli Ebrei di Milano. In eſſa lor ſi fa noto eſſerſi ordinato, che, *nullus Eccleſiaſticus, quæ Synagogæ veſtræ jura competunt, violentiâ intercedente, pervadat, nec veſtris ſe cauſis importunâ acerbitate permiſceat, ſed ut religionis cultu, ita & actuum ſint converſatione diſcreti*: e queſto è quello, che infino ad ora ci ſiamo ingegnati di fare. Paſſa oltre la lettera, ed intima agli ſteſſi Ebrei il non eſſer ingrati, non corriſpondendo, come ſi deve, all'Equità Criſtiana: *Hac tamen moderatione Principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos, quod ad præfatæ Eccleſiæ jus, vel religioſas perſonas cæteras, legibus pertinere conſtiterit, inciviliter attrectare tentetis*: e queſto è quello, che Noi pure ſoggiugneremo. Siamo ben informati, e l'abbiamo veduto in atto pratico, che quando un Ebreo s'è dichiarato di volerſi fare Criſtiano, ſe la Sinagoga non può pervertirlo, ritrova il modo di naſconderlo, o di mandarlo altrove. Quando ſi ſa, che un Ebreo ſpoſo ſi vuol fare Criſtiano, ſi fa, che la ſpoſa ſi mariti con un Ebreo, o ſi fanno perdere le prove dello ſpoſalizio. Queſti caſi non ſono ideali: e però colla ſua ſolita vigilanza ella vi badi, e coi rimedj più ſeveri, anche delle gravatorie da ſpedirſi contra i fattori del Ghetto, non laſci di vendicare il torto, e rimediare al diſordine. Che è quanto Noi dovevamo accennarle, reſtando col darle l'Apoſtolica Benedizione.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 28. Februarii 1747. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

Data nell' anno VII. del Pontificato alli 28. Febraro 1747.

XXIX.

Super Cultu Sancti Lucæ Casalii.

*Venerabili Fratri Archiepiscopo Messanen.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Adducitur causa moræ in respondendo.

JAMPRIDEM epistola est reddita Nobis tua IV. Idus Quintiles superioris anni conscripta, cui nunc dumtaxat licuit respondere, propter gravissimas Ecclesiæ res, quibus undequaque sumus occupatissimi. Non enim, de qua scribis, materia Nos deterruit, quippe qui adhuc in minoribus cum versaremur, octo supra viginti annorum spatio ejusmodi de rerum genere pertractavimus, nunc Advocati Personam in sacræ Consistorialis Aulæ muneribus sustinentes, nunc gravissimum Fidei Promotoris officium exercentes; amplissimo demum Purpuræ ornamento, & Bononiensis Ecclesiæ Infulis illustrati quatuor volumina in lucem edidimus, quæ benigna omnium voluntate excepta sunt, quorum si nullum in Siciliam exemplum pervenit (quod vix credibile existimamus) istuc facilè transmitti potest.

Compendium Epistolæ, cui respondetur, cultum nimirum Sancti Lucæ non esse modificandum nec ampliandum.

2. Res porro, de qua epistola agit tua, ad cultum S. Lucæ Casalio tribuendum attinet, de quo Nicosiæ dissensio est, cum illum alii delendum, alii contra amplificandum censeant; ideoque enixe id expetunt, ut Officium proprium concedatur, & Civitatis patrocinium, quod eidem S. Casalio jampridem collatum fuit, auctoritate Apostolica confirmetur. At sententiam ut nostram liberè proferamus, ingenuè fatemur, utramque partem in errore versari: nec enim S. Lucæ Casalio Cultus omnino negandus, nec augendus, aut lectionibus propriis, aut patrocinii confirmatione.

In Oppido Nicosiæ variis actibus Sanctus Lucas honoratur.

3. Anno 1575. Nicosiæ Civitas cum peste teterrima laboraret, Senatus, Populique concilio sancitum fuit, ut sacra ædes S. Lucæ Casalio condaretur: Item anno 1586. decretum est, ut gratia a Summo Pontifice imploraretur, unde liceret eo planè solemni ritu, quo celebritates ex præcepto solent, dies festos colere Sanctorum Josephi, Cosmæ, & Damiani, tum Francisci de Paula, & Lucæ Casalii: deinceps anno 1589. statutus est locus, ubi prædictum Templum ædificaretur, quod tamen postea conditum non fuit, ne nova ædes S. Josephi sacello obesset: Publica quoque auctoritate latum fuit anno 1662., ut S. Lucæ celebritas expensis publicis recoleretur: pecuniam verò ex ærario usque ad annum 1744. depromptam fuisse constat. Demum cum ejusdem S. Lucæ Corpus in Templo S. Philippi de Argyrio servaretur, cumque Cœnobii Abbas Commendatarius esset bo. me. Cardinalis Carolus Columna, Nicosiæ Senatus enixè ab eo postulavit, ut insignes aliquæ sibi ejus Corporis Reliquiæ concederentur, quo scilicet majori pompa, & religione ejusdem dies festus celebraretur. Concessa petentibus perbenignè fuit Costa, quæ consuetis est ritibus, ac cœremoniis tum recognita, tum tradita, ac demum facultate a Prædecessore tuo Præsule Alvarez Messanæ Archiepiscopo impetrata, die Dominico Augusti tertio magna Populi frequentia per Civitatem translata fuit, cum icone ejusdem S. Lucæ Casalii, cujus

Sopra il Culto Di San Luca Casale.

*Venerabili Fratri Archiepiscopo Messanen.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Si adduce la cagione della tardanza in rispondere.

TEMPO fa ricevemmo una sua lunga lettera scritta alli 11. di Luglio dell' anno passato, alla quale ora rispondiamo; e la tardanza è provenuta dai gravi imbarazzi, da' quali siamo oppressi, e non già dalla qualità della materia in essa contenuta; imperocchè ne abbiamo qualche pratica, avendola maneggiata lo spazio di ventotto anni, quando eravamo in minoribus, ed esercitavamo l'uffizio d'Avvocato Concistoriale, e di Promotore della Fede, e ne abbiamo poscia, quando eravamo Cardinale, ed Arcivescovo di Bologna, dati alle stampe quattro volumi in foglio, che hanno incontrato l'universale compatimento, quali, quando non siano anche giunti in Sicilia, il che ci par difficile, ad ogni richiesta si possono mandare.

Compendio della Lettera, alla quale si risponde, che il culto di San Luca non deve nè toglierli, nè esser ampliato.

2. La materia contenuta nella di lei lettera appartiene al culto di S. Luca Casale: in ordine al quale vediamo esservi discordia nella Città di Nicosia, in cui esso è vigente; mentre alcuni vorrebbero, che fosse tolto ed abolito, ed altri per lo contrario richiedono, che sia ampliato colla concessione dell'Officio proprio, e conferma del Padronato della Città allo stesso già conferito. Ma per esporre a lei candidamente il nostro pensiere, le diremo creder Noi, che ambedue le parti abbiano torto; e che però non debba levarsi il culto a S. Luca Casale, e che per ora non sia luogo ad ampliarlo o colla concessione delle Lezioni proprie, o colla conferma del Padronato.

Nella Città di Nicosia con varii atti è onorato S. Luca.

3. Nel 1575. essendo la Città di Nicosia oppressa dalla peste, ne' pubblici Consigli fu risoluto d'eriggere un Tempio a S. Luca Casale: nel 1586. fu pure in pubblico Consiglio stabilito d'implorare la grazia, che si osservassero come Feste di precetto i giorni festivi de'Santi Giuseppe, Cosimo e Damiano, S. Francesco di Paola, e S. Luca Casale; e nel 1589. fu stabilito il luogo, ove il sopraddetto Tempio dovea fabbricarsi; il che poi non fu fatto, pel pregiudizio, che colla nuovo fabbrica si sarebbe dato alla Chiesa di S. Giuseppe. Nel 1662. si ritrova stabilita con pubblica autorità la spesa, che doveva farsi per solennizzare la Festa di S. Luca, ed il denajo si ritrova pagato fino al 1744. Finalmente essendo il Corpo di S. Luca Casale sepolto nella Chiesa Abbaziale di S. Filippo d'Argirò, ed essendo Abbate Commendatario di quell'Abbadia la buona memoria del Cardinale Carlo Colonna, il Senato di Nicosia vivamente lo pregò a concedergli qualche insigne Reliquia del detto Corpo, per poter solennizzare con maggior pompa, e divozione la di lui Festa; ed essendogli stata graziosamente conceduta una Costa mendosa, ne fu fatta la consegna con tutte le dovute formalità, ne fu fatta la legale recognizione, e colla licenza del di lei Predecessore Monsignor Alvarez Arcivescovo di Messina, fu portata processionalmente per la Città nella terza Domenica d'Agosto, unitamente colla Immagine di rilievo del medesimo

in laudem aram quoque erectam ſcimus in oppido Sancti Michaëlis.

Ex quibus evincitur ejus publicus cultus.

4. Quæ ſunt hactenus commemorata, publici ſanè cultus, & quidem inveterati, teſtimonia & argumenta eſſe nemo negaverit. Id enim prorſus a conſuetudine abhorret, ut publicis in Conſiliis de Templo agatur illius in gloriam erigendo, qui non apud Populum venerationem habeat, & cultum publicum. Nec minus abſurdum eſſet, ſi non Reliquiæ modo expeterentur, ſed etiam a Summo Pontifice facultas imploraretur diei feſti ex præcepto ejus in laudem inſtituendi, qui nullo ſacello, nullo cultu, nulla ſanctitatis fama præclarus eſſet, atque admirandus. Ex quo fit, ut intelligere non poſſimus, quonam jure a certis hominibus contendatur venerationem & cultum publicè denegandum huic Servo Dei, qui jampridem & ſupremis honoribus celebratur, & Sanctus conſenſu populorum unanimi appellatur.

Dai quali ſi rileva il di lui pubblico culto.

Caſus, in quibus ablatus fuit cultus iis, qui jam publicè colebantur.

5. Quanquam verò in ſcripto quodam ad Nos tranſmiſſo legatur, publicam aliquibus venerationem ſublatam fuiſſe, tamen liberè reſpondemus hoc minimè Nos latere, cum *in noſtro lib. 1. de Canonizatione Sanctorum cap. 6. num. 1.*, & multo etiam clarius *lib. 2. cap. 8. n. 1. & ſeqq.* id probaverimus exemplorum auctoritate. Illud autem a Nobis adnotatum animadvertas velim, cultum ſcilicet aut iis ſublatum eſſe, quibus & recens datus, & inconſulto erat, aut iis, qui ad Sanctorum honores aſcenderant, acclamatione Populi, quem falſa quædam portenta fefellerant, & virtutes inanes, utpote ab hypocriſi non alienæ, & interdum ab erroribus ad fidem ſpectantibus non ſejunctæ. Rem verò ejuſmodi nullam penitus deprehendis in cauſa, qua de nunc agimus, quin imo momenta occurrunt plurima tum ſanctitatis claritatem, tum cultus juſtitiam publici comprobantia, ut paulo poſt videbimus, ac propterea nihil Sancto Caſalio obeſſe hoc debet, quod nonnullorum memoriæ cultus publicus interdum ſit abrogatus.

Caſi, nei quali ſi è levato il pubblico culto a chi n'era in poſſeſſo.

Opponitur quoque cultum Sancti Lucæ non fuiſſe a Sancta Sede probatum.

6. At enim iiſdem in ſcriptis opponitur, cultum hunc publicum auctoritate Sedis Apoſtolicæ neque probatum, neque conceſſum eſſe, ſine qua nullo modo licet quempiam vel Beatum, vel Sanctum hominem publicè venerari. Id quidem & fatemur, & ſcimus: in noſtro ſiquidem jam citato *de Canonizatione* Libro Primo non exiguo ſanè labore id copioſè, ac evidenter probavimus, jus eſſe Romani Pontificis privativum, aliquem aut Beatorum, aut Sanctorum Albo adſcribere, nec abſque ejus conſenſu poſſe cuiquam cultum publicum exhiberi, quem præbet iis Eccleſia viris, quorum in æternitate memoria eſt. Abunde ſcribunt de Sancto Luca Caſalio multi Siciliæ hiſtorici, & auctores. Nos quidem ſcripta perlegimus Carreræ, Perdicari, Novarini, Aprilis, & Menniti. Hi verò cum recentiores ſint, ſalva & integra eorum fama, non prætermiſimus antiquiores etiam conſulere, utpote auctoritate præſtantiores, ac fide. Pater Octavius Cajetanus, qui vitas exornavit Sanctorum Siculorum, cum omnia illius Regni Tabularia excuſſerit, auctor eſt fide quidem digniſſimus, quem propterea multa cum laude memorat Antoninus Mongitorius *pag. 110. tom. 2. Bibiloth. ſuæ de Scriptoribus Siculis.* Eumdem plurimi facit Philippus Labbè in Chronologica Pinacotheca Scriptorum Societatis Jeſu *ann. 1620. pag. 336.* tum etiam qui ſcribunt acta Eruditorum Lipſiæ *ad menſ. Aprilis ann. 1710.*, quorum teſtimonium omni ſuſpicione carere debet, in examine Iſagoges ad Cajetani Hiſtoriam Sacram Siculam, hæc habent: *Morum pariter innocentia, & eruditione conſpicuus dicitur.* Cajetanus porrò in Actis Sancti Lucæ Caſalii ita ſcribit: *In Sanctorum*

Si oppone ancora non eſſer il culto di S. Luca approvato dalla Santa Sede.

Licet contrarium ab Authoribus affirmetur.

Il contrario peraltro ſi afferma da gravi Autori.

Santo, in onore del quale ritrovaſi ancora nella Pieve di S. Michele eretto un Altare.

4. Tutti queſti atti ſono atti di pubblico culto, e che ſuppongono il pubblico culto già molto prima introdotto, eſſendo impercettibile, che ne' pubblici Conſigli ſi tratti di fabbricar Chieſe in onore di chi non ha pubblico culto; che ſi diſcorra d'ottenere, che il di lui giorno feſtivo ſia feſtivo di precetto, ſi procuri il dono d'una inſigne Reliquia del Corpo, ſe non ſi ſuppone la precedente pubblica venerazione verſo di quello, la di cui Feſta ſi vorrebbe Feſta di precetto, e vorrebbeſi pure averne Reliquia, per eſporla alla pubblica venerazione: dal che poi deriva, non ſaperſi con qual ragione debba ora levarſi il pubblico culto al Servo di Dio, di cui ſi tratta, e che ne è in poſſeſſo anche col titolo di Santo.

5. E benchè in una delle Scritture a Noi traſmeſſe ſi dica eſſerſi altre volte levato il pubblico culto a chi ne era in poſſeſſo; riſpondiamo, non giungerci nuovo queſta notizia: avendo Noi *nel noſtro lib. 1. de Canonizatione Sanctorum al cap. 6. n. 1.* e molto più *nel lib. 2. al cap. 8. n. 1. e ſegg.* portati, e riferiti gli eſempj. Ma eſſendoſi levato il pubblico culto a chi l'aveva conſeguito pochi anni prima, e ſenza verun fondamento, o a chi l'aveva ottenuto per una certa tal quale acclamazione del popolo ingannato dalla relazione d'alcuni Miracoli poſcia ſcoperti falſi, o di Virtù non vere, e poſcia riconoſciute per ipocriſie, & tal volta ancora non diſgiunte da errori in materia di Fede; e non eſſendovi veruna delle dette circoſtanze nel caſo, di cui ora ragioniamo, anzi eſſendovene altre affatto contrarie, ed in tutto favorevoli alla ſantità, ed alla giuſtizia del pubblico culto, come or ora vedraſſi; ciaſcheduno può facilmente conoſcere, eſſer affatto eſtranea l'oppoſizione ricavata dall'eſſerſi elle volte levato il pubblico culto a chi n'era in poſſeſſo.

6. Nelle ſteſſe Scritture ſi paſſa ad un altro capo, e diceſi non eſſervi intervenuta in queſto pubblico Culto l'autorità della Sede Apoſtolica, ſenza la quale il pubblico Culto, che ſi eſibiſce a taluno come Beato, o Santo, è in tutto, e per tutto illecito. A Noi, per vero dire, non giunge nuova queſta maſſima; avendo nel noſtro citato primo libro *de Canonizatione* con non piccola fatica pienamente comprovato, eſſer jus privativo del Romano Pontifice il dichiarare i Beati, ed i Santi, nè poterſi ſenza il di lui aſſenſo eſibire a chi ſi ſia il pubblico Culto, che nella Chieſa ſi dà ai Beati, ed ai Santi. Trattano di S. Luca Caſale gli Storici, ed Autori Siciliani. Abbiamo letto il Carrera, il Perdicaro, il Novarini, l'Aprile, ed il Menniti. Ma eſſendo queſti aſſai moderni, e ſenza punto levar loro il credito, che poſſono avere, non abbiamo laſciato di dar mano ai più antichi, e più accreditati. Il Padre Ottavio Gaetani, che ha compoſte le Vite de Santi Siciliani dopo aver veduti tutti gli Archivj del Regno, è Autore accreditato, e del di lui credito ſe ne poſſono vedere le riprove *nel tom. 2.* della Biblioteca degli Scrittori Siciliani compoſta da Antonino Mongitore *alla pag. 110.* Parla di lui con molta ſtima Filippo Labbè nella Cronologica Pinacoteca degli Scrittori della Compagnia di Gesù *nell'anno 1620. alla pag. 336.* E gli Eruditi di Lipſia negli Atti del meſe d'Aprile *del 1710.* la teſtimonianza de' quali non dee certamente eſſer ſoſpetta, facendo l'eſame dell'Iſagoge all'Iſtoria Sacra Sicula compoſta dal Gaetano, così dicono: *Morum pariter innocentia, ac eruditione conſpicuus dicitur.* Ora il Gaetani riferendo gli Atti di S. Luca Caſale,

*numerum a Summo Pontifice relatus est efflagitante Oppido Aggyrio*, quod videre licet in ejus *tom. 2. Sanctorum Siculorum pag.* 184., itemque ejus in Martyrologio *die 2. Martii: In Nicosia S. Lucæ Abbatis cognomento Casalis Ordinis S. Benedicti*; additque in margine, ubi ejusdem de cultu mentionem facit; *ex Sedis Apostolicæ concessu.* Si quis Rocchi Pyrrhi, qui *notitiam Ecclesiarum Siculorum* edidit, doctrinam habere cognitam velit, is citatum adeat Mongitorem in *supradicto tom. 2. pag.* 201. & Pyrrhum ipsum in *tom. 1. ultimæ editionis pag.* 540. ubi de S. Luca Casalio hæc profert: *Pontificio permissu apud suos Nicosienses celebrior est dies festus.* Ferrarius, ut nemo ignorat, auctor advena, Lectorque olim in Archigymnasio Papiensi, Catalogum composuit Sanctorum, qui in Martyrologio Romano desiderabantur, & die 2. Martii nomen inserit S. Lucæ Casalis: *Nicosiæ in Sicilia Sancti Lucæ Abbatis Ordinis S. Benedicti cognomento Casalis:* In notis autem addit: *Ex tabulis, & monumentis Ecclesiæ Nicosiensis ex Martyrologio Siculo, fuit ex ordine S. Benedicti circa ann.* 890., *colitur ibi præcipuè ex Romani Pontificis auctoritate.* Bollandistæ demum die Martii 2. vitam non prætermittunt S. Lucæ typis a Cajetano editam, ubi ejusdem cultus dicitur a Sede Apostolica approbatus. Eamdem præterea vitam Cajetani studio exornatam, & apud Pyrrhum, ac Bollandistas laudatam, Mabillonius etiam inseruit Actis Sanctorum Ordinis Benedicti *sæculo IV. par. 2. pag. 93. editionis Venetæ ann.* 1738.

Orta verò inter eruditos iis de actis controversia, non defuit, qui nimis audacter senserit, omnem cultum dictis Martyribus denegandum. Nimis asperum, atque absurdum hoc visum est. Quid ergo? Cultus fuit in statu pristino conservatus, & Sanctis Martyribus eadem est habita, quæ antea, veneratio. At propter graves difficultates, quæ in actis occurrebant, Congregatio Rituum concedere Lectiones proprias recusavit, ut ex Decreto constat, quod emanavit *die 1. Octobris* 1707.

De concessione Patrocinii S. Lucæ pro Oppido Nicosiæ.

21. Reliquum est, aliqua ut addamus de patrocinio S. Lucæ Casalli. Scripta ad Nos translata significant, Nicosiæ Civitatem in duas partes divisam esse, quarum altera S. Lucam Patronum Urbis principem esse cupit, altera tenuit. Id autem a Nobis enixe petitur, ut S. Casalium Patronum designemus una cum S. Nicolao, quem unanimi consensu omnes Patronum Civitatis principem venerantur. Compertum est, non alios eligi patronos posse, quàm *qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum colunter, non autem beatificati dumtaxat.* Cum verò Cultus S. Lucæ non ad Ecclesiam pateat universam, hinc fit, ut Beati potius, quàm Sancti proprius videatur, tametsi qui colitur, Sancti nomine nuncupetur. Neque enim non exempla suppetunt, unde edoceamur, iis, qui tempore ab immemorabili Sanctorum numero adscripti sunt, hunc Titulum non auferri, licet eorum cultus certis terminis circumscribatur, nec alius omninò sit, quàm qui Beatorum meritis reddi solet. Præclare hoc videmus in duabus Lusitaniæ Reginis Theresia, & Sancia, quarum memoria licet Beatarum more tantummodo celebretur, iis tamen Sanctarum nomen, de quo controversia erat, Congregatio Rituum non denegavit, quo Nos argumento utimur in nostro *libro 2. de Canonizatione Sanctorum cap. 24. num.* 115. Luculentissima est quoque supradictæ regulæ circumscriptio, idest huic regulæ non esse locum, nisi in Patronorum electione, quæ fiat post ann. 1630., quo tempore statuta est regula, cujus quidem & post ann. 1630. nulla est auctoritas, si prædicto Decreto a Summo Pontifice derogetur. Inficias ire non possumus, ad sedandas Populorum controversias interdum a Sede Apostolica prudentissime statutum esse, alicujus ut Civitatis duo Patroni principes colerentur; quod a Nobis animadvertitur in Nostro *lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 14. & 15.* Jam verò cum Nos penitus lateat, quo tempore, aut qua ratione Patronus electus fuerit S. Lucas Casalius, cum nec exposita Nobis argumenta fuerint satis idonea rei obtinendæ, quæ petitur; nihil novi decernendum existimamus, atque id negotii in gradu pristino relinquendum. Prudentiam interea Tuam Nobis & perspectam, & cognitam ad sedandos Populi tumultus hortamur, ac Tibi, gregique tuo Nobis carissimo paternam Benedictionem benevolentissimo ex animo impertimur.

Quod pariter denegatur.

Dat. Pont. an. VII. die 28. Februarii 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 28. Februarii 1747. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

---

XXX.

Assignatio annuæ præstationis favore Collegii Pœnitentiariorum Basilicæ Lateranensis.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Procemium.

LABORANTIBUS in Vinea Domini & Apostolicæ Sedi assiduè & laudabiliter inservientibus, diurnum denarium non suppeditari, & necessaria ad vitæ sustentationem deesse, minime decet.

stò il Culto com'era; perseverò la divozione verso i Santi Martiri, come era sempre stata. Ma essendosi chieste alla Congregazione de' Riti le Lezioni proprie, ciò non fu accordato, per le gravi difficoltà incontrate negli Atti, come si desume dal Decreto della stessa Congregazione spedito *il primo d'Ottobre dell' anno mille settecento sette.*

Della petizione del Padronato de detto Santo per la Città di Nicosia.

21. Resta il punto del Padronato di S. Luca Casale. Nelle Carte a Noi trasmesse leggiamo, essere la Città di Nicosia divisa in due parti; volendo un partito per principale Padrone San Luca Casale; e non volendo l'altro: ed a Noi si fa istanza, che dichiariamo S. Luca Compadrone unitamente con S. Nicola, che da tutti si riconosce per Padrone principale. Chiare sono le regole, che non si possono eleggere in Padroni, se non quelli, *qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat*, e non essendo il Culto di San Luca Casale esteso alla Chiesa universale, il di lui Culto sembra piuttosto Culto di Beato, che di Santo; ancorchè si chiami *Santo*; non essendo senza esempio, che non si levi il titolo *di Santo* a chi n'è in possesso da tempo immemorabile, ancorchè il suo Culto sia ristretto, e non sia, che Culto di Beato. Ciò si vede nelle due Regine di Portogallo Teresa e Sancia, che in rigore non hanno, che il Culto di Beate, ancorchè nella Congregazione de' Riti fosse a loro mantenuto il titolo contrastato *di Sante*, come può vedersi *nel nostro lib. 2. de Canonizatione Sanctorum al cap. 24. num.* 115. Chiara pure è la limitazione della regola sopraddetta, cioè, ch'essa non abbia luogo, se non nell'elezioni de'Padroni, che si fanno dopo *il* 1630. nel qual anno fu stabilita la regola predetta: e che anche dopo il 1630. essa non procede, quando il Papa deroga al predetto Decreto. Non può negarsi, che, per sedare le gravi controversie, non siasi alle volte dalla Sede Apostolica preso il temperamento, che due Santi siano venerati come Padroni principali, perchè una parte del popolo ne acclamava uno, ed una parte un altro. Il tutto si può vedere *nel nostro lib. 4. de Canonizatione Sanctorum alla part. 2. cap. 14. e 15.* Ma non avendo Noi veruna notizia, quando e come fosse eletto San Luca Casale per Padrone, non essendoci esposte le circostanze, per le quali credesi poter esser luogo ad ottenere quel, che si chiede; non possiamo far altro, che lasciare le cose in quel grado, in cui sono, ed esortare il di lei zelo a sedare i tumulti: Ed in tanto con Paterno affetto diamo a Lei, ed al suo Gregge l'Apostolica Benedizione.

Il che pure non vien concesso.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 28. Februarii 1747. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Dat. nell'An. VII. del Pontificato alli 28. di Febraro 1747.

---

Hac tamen propemodum conditione, non sine admiratione ac dolore, nuper accepimus, operam laboremque suum præstare Dilectos Filios Sacerdotes Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum, qui pro demandato sibi Pœnitentiariorum Minorum Officio, apud Basilicam nostram Lateranensem in peculiari Collegio simul degentes, excipiendis Sacramentalibus Confessionibus Christifidelium ad eandem Basilicam confluentium incessanter occupantur. Quamvis enim eorum habitationis Domus non ita pridem a rec. mem. Decessore

Augustia rei domesticæ, & indigentia Patrum Pœnitentiariorum.

Noſtro Clemente Papa XII., veteri disjectâ, in ampliorem formam a fundamentis extructa fuerit, eam tamen nonnullis adhuc neceſſariis commoditatibus carere, jam verò ipſius Tectum magna, ac diſpendioſa reparatione indigere, aream autem horto deſtinatam, ſubterraneis fornicibus, quibus fulciebatur, jamdudum ſubſidentibus, magna ex parte inutilem remanſiſſe cognovimus. Præterea ipſi Religioſi Viri, ut ex relationibus omni fide dignis accepimus, maxima laborantes inopia, in ſumma rerum omnium anguſtia vivunt, itaut non modo neceſſaria Cellarum & Menſæ ſupellectilia, ſed ipſos pauperes lectos, atque pannoſas veſtes comparare nequeant, ac ſæpè etiam quotidiani cibi defectum ſuſtineant.

Eorum neceſſitatibus Pontifex ſuccurrit.

Quam ob rem valde mirandum non eſt, ſi, qui potiſſimum ſacrarum diſciplinarum ſcientia & profeſſione, inter præfati Ordinis Alumnos excellunt, quique, pro ſua doctrina & experientia, in arduis rebus & controverſiis, non ſolum Majori Pœnitentiario, ſed ipſi etiam Apoſtolicæ Sedi, ut aliàs, utilia & gravia conſilia maximè præbere poſſent; a ſuſcipiendo hujuſmodi Pœnitentiarii Lateranenſis munere, & labore refugiunt. Quare quum ad noſtram Paſtoralem ſollicitudinem pertinere cenſeamus, ut ejuſmodi Officia, quæ ad Forum Pœnitentiarium ſpectant, nonniſi præſtantibus in Theologica facultate, & in Sacrorum Canonum ſcientia verſatis, atque probatæ prudentiæ Viris commendentur; æquum præterea cenſentes prædictorum Dilectorum Filiorum indigentias paterna charitate ſublevare; quum præſertim noviſſimè acceperimus, in præfati Collegii Præſidem deputatum fuiſſe Religioſum Virum ſpectata virtute & egregiis dotibus præditum; poſtquam Oratorium in ipſius Collegii Ædibus ad pium domeſticum uſum Pœnitentiariorum ibi degentium ædificari, & ad ſacræ antiquitatis memoriam conſervandam, juxta exemplum illius, quod a pluribus Sæculis in veteri Pœnitentiaria viſebatur, ornari curavimus: Ædium ipſarum Tecta, ſumptibus quoque Noſtris reparari; Communis Foci Conclave, quo a fumi moleſtia liberetur, aptari & renovari; novos lectos, nova liteamina parari; ipſoſque Religioſos Viros in frigore & nuditate, ſupra quam Franciſcana paupertas jubet, laborantes, convenienti amictu operiri mandavimus; majora deinceps Deo adjuvante facturi, ubi conſilia Noſtra ad ipſius Dei gloriam directa, optatum conſequantur effectum.

Annuum cenſum eorum ſuſtentationi imparem agnoſcit.

Nunc verò ad annuum cenſum eidem Collegio attributum oculos intendentes, invenimus illum ad quadringenta ſexaginta ſcuta monetæ Romanæ dumtaxat pertingere, quorum tercenta exiguntur ex fructibus duorum Canonicatuum ipſius Baſilicæ Lateranenſis, ſuper quibus hujuſmodi Penſiones annuorum ſcutorum centum quinquaginta pro quolibet, ad ejuſdem Collegii favorem, perpetuò reſervatæ exiſtunt; alia verò centum ſexaginta eidem perſolvuntur a Dataria Noſtra Apoſtolica, ad rationem ſcutorum quadraginta de trimeſtre in trimeſtre; ac denique ſingulis bienniis a Capitulo præfatæ Baſilicæ eidem Collegio ſolvuntur ſcuta quinquaginta monetæ ſimilis, pro Pœnitentiariorum veſtiario. Quas porrò ſummas clarè patet minimè ſufficere poſſe pro alendis decem Fratribus præfatum Collegium conſtituentibus, & pro aliis Religioſæ Familiæ neceſſariis expenſis ſuſtinendis; quum præterea ob magnam ejuſdem Collegii ab Urbis centro diſtantiam, hoc etiam neceſſariò addendum videatur, ut alius ſive Frater Converſus, ſive Tertiarius ejuſdem Ordinis, pro ipſius Familiæ ſervitiis inibi alatur, quo excurrente ad quotidianum victum in Urbe comparandum, aliaque negocia pro Religioſorum indigentiis explenda, ipſi Sacerdotes Pœnitentiarii a Sæcularibus curis vacui, toti ſint in ſpiritualis Officii pro Animarum ſalute ipſis impoſiti muneribus adimplendis.

Ipſorum redditus augendos, ut infra, deliberat.

Quare quum de augendis ejuſdem Collegii redditibus ſollicitè cogitaremus, occurrit Nobis, pro diuturna experientia, quam de rebus ad Officium Pœnitentiariæ Apoſtolicæ ſpectantibus acquiſivimus, dum in minoribus exiſtentes in ipſa Pœnitentiaria munus Doctoris in Decretis plures annos ſuſtinuimus, Sigillatoris munus in eodem Pœnitentiariæ Officio adeſſe, cui ſatis ampla emolumenta attributa dignoſcuntur, quæ ſanè, pro ratione laboris ipſi incumbentis, & pro menſura honorarii, quod aliis ejuſdem Pœnitentiariæ Officialibus magis laborantibus conſtitutum eſt, juſto lautiora communiter reputantur. Dum enim Doctor in Decretis præfatus, aliuſque Conſultor Theologus, graviſſimis aſſiduiſque ſtudiis pro ipſius Apoſtolici Officii ſervitio occupati, annua ſcuta monetæ centum nonaginta & octo dumtaxat honorarii titulo ſinguli percipiunt; prædictus Sigillator, præter annuum honorarium ſcutorum ſimilium ducentorum nonaginta ſeptem, quod tamen, deductis inferiorum Miniſtrorum ſalariis, ad annua ſcuta monetæ triginta tria redigitur, alia incerta emolumenta percipit ex expeditionibus minoris gratiæ, ad rationem videlicet obulorum octo pro qualibet Bulla, quæ, ducto calculo per decennium, annua ſimilia ſcuta conſtituunt ſexcenta quadraginta quinque: Quodſi etiam ratio haberi velit alterius oneris, quod in noſtris Literis incipientibus: *In Apoſtolicæ Pœnitentiariæ*, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, Idibus Aprilis, editis, futuris in poſterum Sigillatoribus injunximus, nihilominus apparebit, hujus Officialis emolumenta ſingulis annis ſcutorum ſexcentorum ſummam ab omni onere liberam, vel propè attingere, vel etiam ſuperare.

Annua ſcuta ducenta ex redditibus Sigillatoris Pœnitentiariæ Apoſtolicæ ex nunc pro tunc ipſi affignat.

Quapropter æquum judicantes ex ſuperabundantibus unius Officialis emolumentis aliorum ejuſdem Fori & Officii Miniſtrorum indigentiam ſublevare, maturâ deliberatione præhabita, ac Motu proprio, & ex certa ſcientia, ut præfertur, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, & decernimus, ut evenientе quandocumque hodierni Sigillatoris ceſſu, vel deceſſu, ex præfatis emolumentis hujuſmodi Officio dudum attributis, annua ſcuta ducenta monetæ Romanæ de juliis decem pro quolibet ſcuto detrahantur, ac præfato Collegio Pœnitentiariorum Minorum Baſilicæ Lateranenſis perſolvantur; prout Nos ex nunc, prout ex tunc, & è contra, hujuſmodi annua ſcuta ducenta a præfati Sigillatoris emolumentis diſmembramus, ac de ipſis & ſuper ipſis reſervamus, eidemque Collegio perpetuò applicamus, & appropriamus; mandantes pariter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, omnibus futuris Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Sigillatoribus, ut pro hujus voluntatis Noſtræ executione, & annuæ præfatæ ſummæ ſolutione, quinquaginta ſcuta monetæ hujuſmodi libera ab omni onere, eidem Collegio de Trimeſtre in Trimeſtre, omni mora aut tergiverſatione remotis, cum effectu tradant, atque perſolvant. Interim verò, quoniam venter non patitur dilationem, donec diſmembratio, & applicatio hujuſmodi ſuum ſortiantur effectum, volumus annua ſcuta centum quinquaginta monetæ ſimilis ex redditibus Datariæ Noſtræ, & ex emolumentis Componendæ Beneficialis, eidem Collegio ſubminiſtrari; mandantes Dilecto Filio Magiſtro Joanni Jacobo Millo Datario Noſtro, ſive ejus in

Interim mandat ex Dataria centum quinquaginta annua ſcuta perſolvi.

Officio

Officio Succeſſoribus, ut hujuſmodi præſtationem, quam poſt prædictam applicationem quandocumque ſequutam illicò ceſſare decernimus, interea quotannis in Feſtis Natalitiis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſæpedicto Pœnitentiariorum Lateranenſium Collegio perſolvant. Quoniam verò nec ita prædictorum undecim Religioſorum ſuſtentationi, aliiſque ipſorum Collegii neceſſitatibus ſatis plene, & ſufficienter conſultum fore videmus; memores, Nos in præallegata Conſtitutione Noſtra ſuper Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Officialibus, eorumque muneribus editâ, certam annuam ſummam ſcutorum biſcentum è ſuperfluis ejuſdem Pœnitentiariæ emolumentis retrahendam, & a præfato Clemente Prædeceſſore ad Majoris Pœnitentiarii diſpoſitionem antea conceſſam, in eleemoſynis tamen erga pauperes recurrentes ad ipſius Pœnitentiariæ Forum omninò erogandam, ipſi Majori Pœnitentiario auctoritatis quoque Noſtræ robore confirmaſſe, & ad ipſius diſpoſitionem, ut præfertur, ex integro conceſſiſſe; experientia verò edocti, ipſius ſummæ medietatem abundè ſufficere pro ordinariis eleemoſynis in hujuſmodi perſonas erogandis; pro extraordinariis verò & particularibus caſibus, relictam eſſo Majori Pœnitentiario facultatem adeundi Summum Pontificem, ut videre eſt in ipſius Conſtitutionis *paragrapho* incipien.: *Sed præterea:* Idcirco nunc præfatam Clementis Prædeceſſoris, Noſtramque conceſſionem hac in parte moderantes, volumus & ſtatuimus, ex hujuſmodi pecuniis annua ſcuta centum monetæ Romanæ eidem Collegio Pœnitentiariorum Minorum Baſilicæ Lateranenſis ſimiliter applicari: Mandantes Venerabili Fratri Noſtro Vincentio Epiſcopo Prænestino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Petra nuncupato hodierno Majori Pœnitentiario, ejuſque in Officio hujuſmodi Succeſſoribus in perpetuum, ut è prædictis emolumentis in eleemoſynas, ut præfertur, convertendis, annua ſcuta centum, in duabus æqualibus ſolutionibus, pro una videlicet in Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ, & pro altera in Feſtis Natalitiis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, eidem Collegio in poſterum omnino perſolvant: Atque inſuper decernentes, ut omnes & ſingulæ mulctæ; & condonationes ab eodem Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Officio per ſingulos annos percipi ſolitæ, & in futurum percipiendæ, quæ, juxta calculos juſſu Noſtro efformatos, vix annua ſcuta triginta plerumque attingunt; eorumdem Pœnitentiariorum Lateranenſium Collegio, pro Linteaminum & Supellectilium manutentione, ab eodem Pœnitentiario Majori applicentur, & in fine cujuſlibet anni perſolvantur; quemadmodum Nos earumdem præſentium tenore, & Apoſtolica auctoritate ipſi Collegio applicamus, & perpetuò concedimus & aſſignamus.

Inſuper eorumdem Pœnitentiariorum Collegio applicat annua ſcuta centum ex ſuperfluis redditibus Pœnitentiariæ.

Tum etiam annuas mulctas, & condonationes pro manutentione Supellectilium.

Præſentes quoque Literas, etiam ex eo quod Major Pœnitentiarius, ac præfatæ Pœnitentiariæ Sigillator, ſive alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, eiſdem præmiſſis non conſenſerint, aut vocati, ſeu auditi non fuerint, aliaque quavis etiam juridicâ, & privilegiata cauſa, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis Noſtræ, vel alio quocumque defectu, notari aut impugnari poſſe; ſed omninò & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, eiſdemque Pœnitentiariis Minoribus, eorumque Collegio pleniſſimè ſuffragari, & ab eodem Majori Pœnitentiario, ejuſque Succeſſoribus, nec non futuris Sigillatoribus pro tempore exiſtentibus, aliiſque præmiſſis, inviolabiliter obſervari decernimus, & reſpectivè mandamus. Non obſtantibus Sancti Pii Papæ V. Prædeceſſoris Noſtri, ſuper erectione præfati Officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, nec non innocentii Papæ XII. Prædeceſſoris pariter Noſtri, ſuper applicatione ſuperfluorum ejuſdem Pœnitentiariæ emolumentorum favore Hoſpitii Apoſtolici Pauperum Sancti Michaëlis de Urbe; atque etiam prædicti Clementis Papæ XII., ſuper conceſſione annuæ certæ ſummæ ad ejuſdem Majoris Pœnitentiarii diſpoſitionem, Noſtriſque præmiſſis, ſuper ejuſdem Officii reformatione, aliiſque quibuſvis Literis, Conſtitutionibus, Regulis, & Ordinationibus Apoſtolicis, & dictæ Pœnitentiariæ Privilegiis, Indultis, Statutis, & conſuetudinibus quibuſcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis; quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores, quatenus opus ſit, præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, ad effectum præſentium, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie, & auctoritate prædicta, pleniſſimè, & expreſsè derogamus. Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc Noſtrarum Diſmembrationis, Reſervationis, Aſſignationis, Applicationis, Conceſſionis, Mandati, Statuti, & Voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Clauſulæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, tertio Idus Martii, Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

Dat. Pontif. die 13. Martii 1747.

D. Card. Paſſionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

I. C. Boſchi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

---

Sequitur Declaratio præcedentis Conſtitutionis. XXXI.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Motu proprio &c.*

Procœmium.

DECET Romanum Pontificem diligenter proſpicere, ut conceſſiones, & gratiæ, quæ de provida Sedis Apoſtolicæ benignitate proceſſerunt, ac neceſſariam ſuſtentationem Religioſorum Virorum, pro ſalute Animarum aſſiduè laborantium, concernunt, plenam obtineant roboris firmitatem; omnemque in eis ambigendi rationem tempeſtivè ſuccidere, ne quando poſſint in controverſiam adduci, aut quomodolibet impugnari.

Enarratio præcedentis Conſtitutionis.

Sanè Nos aliàs, ſeu nuper ad temporalia vitæ ſubſidia eatenùs attributa dilectis Filiis Presbyteris Regularibus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Reformatorum nuncupatorum, in Baſilica noſtra Lateranenſi Pœnitentiariorum Minorum munus obeuntibus, & apud ipſam in peculiari Collegio ſimul degentibus, oculos intendentes, invenimus illa ad quadringenta ſexaginta ſcuta monetæ Romanæ dumtaxàt pertingere, quorum nimirùm trecenta percipiuntur ex duabus penſionibus annuis ſcutorum centum quinquaginta pro qualibet, ſuper fructibus, non quidem duorum Canonicatuum ejuſdem Baſilicæ, prout in infraſcriptas noſtris Literis per errorem enunciatum eſt, ſed veriùs unius Canonicatus & Præbendæ, nec non Vicariæ perpetuæ prædictæ Baſilicæ, Apoſtolica eis auctoritate in perpetuum reſervatis; alia

vero centum sexaginta eisdem persolvuntur a Dataria nostra Apostolica ad rationem scutorum quadraginta de trimestre in trimestre; ac denique scuta quinquaginta monetæ similis eorumdem Pœnitentiariorum Collegio pro eorum Vestiario, non singulis biennìis a Capitulo prædictæ Basilicæ, prout in ipsis nostris Literis expressum est, sed singulis triennìis ex eisdem respectivè fructibus, redditibus, & proventibus prædictorum Canonicatus, & Præbendæ, ac Vicariæ Curatæ, ab uno ex ipsius Basilicæ Canonicis, Canonicatum & Præbendam hujusmodi pro tempore obtinen., nec non a Vicario perpetuo Curam Animarum Parochianorum inibi exercente, nempe scuta viginti quinque a quolibet ipsorum, itidem persolvuntur.

Et eorum, quæ in ipsa disponuntur.

Cumque clarè pateret prædictas summas impares esse alendis decem Fratribus prædictum Collegium constituentibus, aliisque ipsius Religiosæ Familiæ necessariis expensis substinendis, de augendis eidem Collegio subsidiis sollicitè cogitavimus. Eâ igitur cura moti per nuperas nostras Literas Apostolicas incipientes: *Laborantibus in vinea Domini*, datas apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, tertio Idus Martii, Pontificatus Nostri Anno Septimo, Motu simili &c. statuimus & decrevimus, ut eveniente quandocumque hodierni Sigillatoris Pœnitentiariæ Apostolicæ cessu, vel decessu, ex emolumentis ipsius Sigillatoris Officio dudùm attributis, annua scuta ducenta ejusdem monetæ Romanæ de juliis decem pro quolibet scuto detraherentur, ac prædicto Collegio Pœnitentiariorum Minorum Basilicæ Lateranensis persolverentur; prout Nos hujusmodi annua scuta ducenta a prædicti Sigillatoris emolumentis, cum clausula ex nunc prout ex tunc, & è contra, separavimus, eidemque Collegio, per futuros Apostolicæ Pœnitentiariæ Sigillatores in certis terminis, modoque & formâ tunc expressis, libera ab omni onere, annuatim persolvenda, perpetuò applicavimus, & appropriavimus: Interim verò donec dismembratio, & applicatio hujusmodi suum sortirentur effectum voluimus annua scuta centum quinquaginta ejusdem monetæ ex redditibus Datariæ nostræ, & ex emolumentis Componendæ Beneficialis quotannis in Festis Natalitiis Domini Nostri Jesu Christi eidem Collegio subministrari.

Quoniam verò, nec ita prædictorum Religiosorum sustentationi, aliisque ipsorum Collegii necessitatibus satis plenè, & sufficientèr consultum fore dignoscebamus; voluimus itidem, statuimus, & mandavimus, ex annua summa scutorum biscentum è superfluis dictæ Pœnitentiariæ Apostolicæ emolumentis retrahenda, & ad Majoris Pœnitentiarii dispositionem aliàs concessa, per eum tamen in eleemosynas erga pauperes recurrentes ad ipsius Pœnitentiariæ Forum erogandâ, medietatem, nimirùm annua scuta centum dictæ monetæ, Collegio prædicto similitèr applicari, ac per eumdem Majorem pro tempore Pœnitentiarium duabus æqualibus solutionibus, altera videlicèt in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, altera verò in Festis Natalitiis Domini Nostri Jesu Christi in perpetuum omninò persolvi.

Voluimus insuper, ut omnes & singulæ mulctæ, & condonationes ab ejusdem Pœnitentiariæ Apostolicæ Officio per singulos annos percipi solitæ, & in futurum percipiendæ, dicto Collegio Pœnitentiariorum Lateranensium pro linteaminum, & suppellectilium manutentione ab eodem Pœnitentiario Majori applicarentur, & in fine cujuslibet anni persolverentur, quemadmodum Nos ipsi Collegio Apostolica auctoritate applicavimus, ac perpetuò concessimus, & assignavimus: Et aliàs, prout in prædictis nostris Literis, quarum integrum tenorem hic pro plenè, & sufficientèr, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius & uberiùs continetur.

Pont. declarat assignationem hujusmodi factam fuisse per modum eleemosynæ.

Cum autem Pœnitentiarii Minores prædicti, tanquàm dicti Ordinis Fratrum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ Professores, strictam quoque paupertatem profiteantur; proindeque super validitate reservationum, concessionum, & assignationum prædictarum, nec non super capacitate eorumdem Pœnitentiariorum Minorum exigendi, & percipiendi subsidia eis, ut prædiximus, reservata applicata, concessa, & assignata, possit aliquandò perplexitas exoriri; Nos volentes dubietatibus hujusmodi obviam ire, eorumdemque Pœnitentiariorum Minorum quieti, & indemnitati in præmissis omni opere providere; Motu pari, & ex certa scientia, meraque deliberatione Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium expresè declaramus, omnia & singula superiùs relata subsidia, & ut supra reservata, applicata, concessa, & assignata pro victu, vestitu, aliisque necessitatibus Pœnitentiariorum Minorum, eorumque Collegii prædictorum, non alitèr, quàm per modum eleemosynæ, juxta capacitatem eorumdem Fratrum Ordinis Sancti Francisci Strictioris Observantiæ, reservata, applicata, concessa, & assignata fuisse, & esse, ac censeri debere.

Clausulæ.

Decernentes omnes, & singulos, ad quos solutiones, & præstationes singulorum subsidiorum prædictorum nunc quomodolibet spectant, & pertinent, & pro tempore spectabunt, & pertinebunt, ad integras solutiones, & præstationes hujusmodi, juxta reservationum, applicationum, concessionum, & assignationum prædictarum, nec non Literarum Apostolicarum desuper respectivè confectarum vim, continentiam, seriem, & tenorem, fuisse, ac esse, & fore efficaciter obligatos. Quocirca memoratas nostras Literas, ipsasque præsentes, cum omnibus, & singulis in eis contentis, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, vel impugnari posse, sed eas omninò, ac semper, & perpetuòs firmas, validas, & efficaces existere, eisdemque Pœnitentiariis Minoribus dictæ Lateranensis Basilicæ, eorumque Collegio pleniſſimè suffragari, nec non ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque, & non alitèr per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate, & potestate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus: Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis Nostris Literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fiat Motu proprio, P.

ET cum absolutione a censuris, ad effectum &c. Et quod Nostrarum Literarum prædictarum tenores, ac data habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis etiam gratis per viam de Curia cum clausula perpetuò, & ad perpetuam rei memoriam, si, & quandocumque videbitur expedien. Et de perpetuis declaratione, decreto, aliisque præmissis, ut supra, in dictis literis latissimè extenden. Volumus autem, quod sola præsentis

schedulæ

ſchedulæ Noſtri Motus proprii ſignatura ſufficiat, illique, ac illius quoque exemplis, ſeu tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ Sigillo munitis, tanta ubique fides adhibeatur in Judicio, & extra, quanta ſi ſub Plumbo Noſtro expedirentur, & originaliter exhiberentur, adhibenda eſſet, & adhiberi deberet, regula quacumque contraria non obſtante.

Fiat P.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſexto Kalendas Junii Anno Septimo.

Dat. Pont. An. VII. die 27. Maij 1747.

---

XXXII. Præfinitio Juriſdictionis Abbatiæ Farfenſis, & Sancti Salvatoris Majoris, quoad Loca & Eccleſias in alienis Diœceſibus exiſtentia.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. Vigilantia Pontificis, ut Paſtores gregem tranquillè regant.

Dum univerſi gregis Dominici curam imbellicitati Noſtræ commiſſam, ex hoc Apoſtolicæ Sedis faſtigio, majori, qua poſſumus, vigilantia ac ſollicitudine adminiſtrare ſatagimus, peculiarium quoque gregum commodis, eorumque utiliori regimini proſpicere Nos oportet, ut ſinguli Eccleſiarum Paſtores impoſitum ſibi munus tranquillè exercere, & ſubjectas ſibi plebes ad Divinarum, & Eccleſiaſticarum Legum normam utiliter valeant gubernare.

Incommoda ex juriſdictione Prælatorum inferiorum intra fines Diœceſium Epiſcopalium.

Quam ob rem advertentes quot quantaque in Eccleſiaſtici regiminis adminiſtratione oriri ſoleant incommoda ex eo, quod intra variarum Diœceſium fines, & in ipſis veluti earum viſceribus, aliqui inferiores Prælati gaudentes qualitate Nullius & Territorii ſeparati, in Eccleſias & Loca, atque Perſonas tam Eccleſiaſticas, quam Laicas activam obtinent juriſdictionem; non ſemel, occaſione data, cogitavimus, etiam cum conſilio nonnullorum hujus Noſtræ Curiæ Prælatorum, hujuſmodi peculiares juriſdictiones, pro rerum, atque Locorum conditionibus, & opportunitatibus, aut imminutas, ad aliam formam, & ad congruentes terminos redigere, aut omninò extinctas, atque ſublatas, Epiſcoporum Localium Ordinariæ Poteſtati, & Auctoritati adjungere, & incorporare.

Quæ Pont. non ſemel juxta opportunitatem tollere curavit.

Juriſdictio Monaſterii Abbatiæ Farfen. nimis ampla, & extenſa etiam in Loca, & Eccleſias intra Diœceſes Epiſcopales.

Quod quidem ſpeciali ſtudio jamdudum perficere optavimus in moderatione, & reductione illius juriſdictionis, quam intra diverſarum Diœceſium limites extendit celebre, & inſigne Monaſterium, Abbatia nuncupatum, Sanctæ Mariæ Farfen. Nullius Diœceſis in Diſtrictu Urbis, Ordinis Sancti Benedicti, cui alterum Sancti Salvatoris Majoris adnexum exiſtit: Quodque cum ſæpiùs Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus virtute, doctrina, & generis nobilitate præſtantibus commendari contigerit, a pluribus Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, ac præcipuè a felicis recordationis Urbano Papa VIII., ſingularibus Privilegiis, honoribus, & præeminentiis abundè cumulatum fuit; & juriſdictio quaſi Epiſcopalis illius Abbatis, ſeu perpetui Commendatarii, ſeparatum ac peculiare Territorium habentis, latè porrecta extitit, & ampliata.

Inconvenientia, & lites ex hac nimia extenſione juriſdictionis procedentia.

Ex hac enim hujuſmodi Juriſdictionis propagatione ad Eccleſias & Loca, extra proprium Territorium prædictum, in diverſis Epiſcoporum Diœceſibus exiſtentia, multæ profectò, & gravia inconvenientia conſecuta eſſe dignoſcuntur; dum, vel Epiſcopi pro jurium ſuorum indemnitate certantes, diuturnas lites & controverſias coram Congregationibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, aut in Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorio, aliiſque Urbis Tribunalibus ſuſtinere coacti ſunt, non ſine magno expenſarum utrinque factarum diſpendio, & ingenti profuſione pecuniarum, quæ in pauperum alimoniam, aut in Domus Dei decorem & utilitatem, convenientiùs erogari potuiſſent; quemadmodum eveniſſe conſtat ſub finem elapſi ſæculi, & currentis initium, quo tempore bon. mem. Cardinalis Cincius nuncupatus Archiepiſcopalem Firmanam Eccleſiam obtinebat: Vel, ſi iidem Epiſcopi hujuſmodi litium diſpendia formidantes, aut Cardinalis pro tempore dicti Monaſterii Farfenſis Abbatis Commendatarii auctoritate, & gratia deterriti, ſatiùs duxerunt, in proprii juris proſecutione, & in Epiſcopalis juriſdictionis uſu remiſſiùs ſe gerere, & contra delinquentes Perſonas tam Eccleſiaſticas, quàm Laicas, a prædicto Abbate dependentes, ad formam ſacrarum Legum, aut nullo modo, aut mitiùs quàm oportebat procedere; deplorabilis exceſſuum & criminum impunitas, & effrenata vivendi licentia in hujuſmodi locis ſummoperè excrevit, cum gravi Divini Cultus detrimento, & magna Fidelium animarum pernicie; præſertim ſi quando præfati Abbates Farfenſes a Reſidentia longiùs abſentes, & Paſtoralem Viſitationem diutiùs, quam par erat, protrahentes, numeroſum gregem eorum curæ concreditum uni Vicario Generali neceſſariis qualitatibus ad graviſſimum munus obeundum fortaſsè deſtituto, paſcendum, regendumque commiſerunt.

Pontifex ad hiſce malis occurrendum, de illius juriſdictionis diſmembratione agit cum Reverendiſſimo Cardinali Paſſioneo Abbate dicti Monaſterii.

His porrò malis, pro debita, Nobiſque potiſſimum demandata omnium Eccleſiarum ſollicitudine, remedium afferre, & in futurum obviam ire cupientes, quum proximis ſuperioribus annis cum dilecto Filio Noſtro Dominico Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Presbytero Cardinali Paſſioneo nuncupato, tunc prædicti Monaſterii Farfenſis Abbate Commendatario hac de re ageremus; non ſolum ipſe, pro ſua prudentia, & pietate, in eandem nobiſcum ſententiam de hujuſmodi Locis, & Eccleſiis a Territorio Farfenſi remotis, & in alienis Diœceſibus, ut præfertur, conſtitutis, ab ipſius Monaſterii dependentia eximendis, ac reſpectivè Diœceſanorum Antiſtitum juriſdictioni per omnia ſubjiciendis, facilè deſcendit; verum etiam promptum ſe, atque paratum exhibuit ad dimittendam, exuendamque juriſdictionem illam, quam uti Abbas, in hujuſmodi Loca, & Eccleſias exercebat.

Et deinde cum Reverendiſſimo Cardinali Lante in eadem Abbatia Succeſſore.

Cum verò ante hos aliquot menſes ipſe Dominicus Cardinalis, ex certis rationabilibus cauſis animum ſuum moventibus, Commendæ ejuſdem Monaſterii Farfenſis, ac omni & cuicumque juri ſibi in Monaſterio hujuſmodi, illiuſque regimine, & adminiſtratione, vel ad illa quomodolibet competenti, in manibus Noſtris, & ad Dilecti ſimiliter Filii Noſtri Federici Tituli Sancti Pancratii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis Lante nuncupati favorem, ſponte & liberè cedere propoſuiſſet; Nos hinc opportunam ſumpſimus occaſionem conſilia noſtra tandem re ipſa ad exitum perducendi; proindèque ceſſionem prædictam non aliter duximus admittendam, quàm ſi dictus Federicus Cardinalis ſuum præſtaret aſſenſum diſmembrationi plurium Locorum & Eccleſiarum, illorumque & illarum incorporationi, & ſubjectioni Ordinariæ juriſdictioni Epiſcoporum inferiùs nominandorum.

Qui huc diſmembrationi conſenſit.

Cum itaque prædictus Federicus Cardinalis non minori zelo pro Eccleſiarum, ac Populorum utilitate, & pro recto rerum ordine incenſus, Noſtris conſiliis, ac ſuaſionibus acquieſcens, diſmembrationi hujuſmodi aſſenſerit,

Noſque Monaſterium Farenſe prædictum eidem Federico Cardinali Apoſtolica Auctoritate commendaverimus; præſenti noſtra in perpetuum valitura Conſtitutione volentes relatos ſuperiùs abuſus de medio tollere, atque in futurum meliori locorum, & Perſonarum hujuſmodi gubernationi, adjuvante Domino, ſalubriter providere, auditis prius Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Firmano, nec non Montis Alti, Reatino, & Spoletano Epiſcopis, Motu proprio, non ad ipſorum Archiepiſcopi, & Epiſcoporum petitionem, vel inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraque, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, primo loco diſmembrationem a recolendæ memoriæ Gregorio Papa XIII. Prædeceſſore Noſtro Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo factam plurium Locorum, & Eccleſiarum ad prædictam Abbatiam Farenſem antea ſpectantium, illorumque, & illarum conceſſionem Archiepiſcopali Eccleſiæ Firmanæ, in compenſationem aliorum Locorum, & Eccleſiarum, quæ ab eodem Archiepiſcopatu fuerant avulſæ, pro erectione novi Epiſcopatus Ripani, (ipſarum diſmembrationis & conceſſionis, nec non Literarum Apoſtolicarum deſuper confectarum ſeriem, & tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes) in omnibus, & per omnia Apoſtolica auctoritate confirmamus, approbamus, & innovamus, illiſque novum, perpetuumque firmitatis robur adjicimus.

Hinc, auditis Ordinariis, intra quorum Diœceſum fines eadem Juriſdictio ſe extendit;

I. Confirmat diſmembrationem plurium Locorum, & Eccleſiarum aliàs a Gregorio XIII. factam favore Archiepiſcopatus Firmani.

Item extirpandis radicitùs litibus, & controverſiis, tam ortis, quàm in poſterum facilè orituris intenti, omnes & quaſcumque lites, & controverſias deſuper, ſive in prædicto Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorio, ſive forſan alibi, coram quibuſcumque, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Congregationibus, Judicibus, & Tribunalibus in quacumque Inſtantia pendentes, & introductas (quarum reſpectivè ſtatum & merita, nominaque & cognomina Judicum, & Collitigantium, ac jurium, actionum, exceptionum, & prætenſionum, nec non privilegiorum quorumcumque, & indultorum, conceſſionum, gratiarum conſuetudinem, & præſcriptionum, etiam longiſſimarum, & immemorabilium, aliorumque forſan exprimendorum tenores itidem pro plenè, & ſufficienter expreſſis haberi volumus), ad Nos avocantes, extinguentes, & reſpectivè caſſantes, tollentes & abolentes; ſimili modo approbamus, emologomus & confirmamus, ac executioni demandandam eſſe, & fore decernimus Deciſionem Rotalem coram bon. mem. Molines editam die vigeſima Martii Anni milleſimi ſeptingenteſimi ſecundi, confirmatoriam aliarum, & in rem judicatam tranſactam, quæ inter impreſſas ipſius Molines habetur numero ſeptingenteſimo ſeptuageſimo primo, nec non Vorum a prædicto Auditorio ſucceſſivè exrenſum, obſervatum, & emologatum a prædicta Congregatione Decretorum Concilii Tridentini Interprete.

II. Extinguit lites ſuper juriſdictione dictæ Abbatiæ pendentes.

Et approbat rem judicatam Rotalem ſuper juriſdictione Archiepiſcopi Firmani in Locis videlicet:

In quorum ſequelam dicimus & declaramus, hujuſmodi Oppida, Eccleſias, & Loca Pia ſub juriſdictione Abbatis Farenſis antea exiſtentia, a tempore Gregorii Prædeceſſoris prædicti evaſiſſe ſubjecta, adeoque eſſe, & remanere ſemper debere ſubjecta plenariæ, & Ordinariæ juriſdictioni Archiepiſcopi Firmani in locum Abbatis Farenſis ſuffencti, nempe in Caſtro Sanctæ Victoriæ Eccleſias infraſcriptas videlicet: Eccleſiam Sanctæ Mariæ Miſericordiæ, Eccleſiam & Hoſpitale Sancti Jacobi, Eccleſiam Sanctiſſimi Crucifixi, Eccleſiam & Oratorium Sancti Sebaſtiani, Eccleſiam Ruralem Sanctæ Mariæ de Monte, Eccleſiam Ruralem Sanctæ Mariæ de Palladiis ſeu Pladiis, Eccleſiam Ruralem Sanctæ Mariæ Angelorum, Eccleſiam Ruralem Sanctæ Mariæ del Piano, Eccleſias Rurales Sanctorum Tiburtii & Rochi, Cappellam SS. Petri & Pauli in Eccleſia Fratrum Minorum Sancti Franciſci, & Montem Pietatis. In Caſtro verò Montis Falconis Eccleſiam Parochialem Sancti Petri de Porta, Eccleſiam Parochialem Sancti Petri in Penna ſeu Ripa, Parochialem Sancti Januarii, Parochialem Sancti Angeli, Parochialem Sanctæ Mariæ, Eccleſiam Sanctæ Catharinæ, Eccleſiam Ruralem Sanctæ Mariæ Scalarum, ſive delle Scalelle. In Caſtro demum, ſeu Oppido Montis Sanctæ Mariæ in Sancto Georgio, Parochialem Sancti Joannis, Eccleſiam Sancti Benedicti, Eccleſiam Sancti Sebaſtiani; Ita quod in omnibus hiſce Locis & Eccleſiis habeat, & retineat Archiepiſcopus Firmanus jus conferendi, & inſtituendi, omneſque & ſingulos actus juriſdictionis ſpiritualis exerceat, qui ab Ordinariis exerceri ſolent.

Caſtri S. Victoriæ cum novem Eccleſiis &c.

Præterea ex præmiſſis cauſis, aliiſque juſtis & rationabilibus animum noſtrum moventibus, ad quarum verificationem nolumus quemquam ullo unquam tempore teneri, a prædicto Monaſterio Farenſe, & ab ejuſdem Monaſterii pro tempore Abbatis perpetui Commendatarii juriſdictione, ſuperioritate, poteſtate, & auctoritate in perpetuum diſmembramus, ſeparamus, & ſejungimus, quæ ſequuntur, Eccleſias, Monaſteria, Oppida, & Loca pia in infraſcriptis Diœceſibus Noſtræ Ditionis Eccleſiaſticæ ſita, nimirum: In Diœceſi Firmana, & in Caſtro Sanctæ Victoriæ, Eccleſiam & Capitulum Collegiatæ ſub titulo ejuſdem Sanctæ Victoriæ, Eccleſiam & Monaſterium Sanctæ Catharinæ Ordinis Sancti Benedicti, Eccleſiam ſeu Cappellam Sanctæ Crucis, Eccleſiam, ſeu Cappellam Sanctiſſimæ Trinitatis: & in Civitate Firmana Parochialem Eccleſiam Sancti Petri in Penna.

In Diœceſi verò Montis Alti in Terra Rotellæ Collegiatam Sanctæ Mariæ, Eccleſiam Ruralem Sanctæ Mariæ di Rovetino, Eccleſiam Ruralem Sancti Laurentii, Societates Sanctiſſimi Sacramenti, & Roſarii cum earum annexis. In Terra Montis Elpari Eccleſiam, Prioratum, ſeu Vicariam Sancti Angeli, Eccleſiam Ruralem Sancti Joſeph, Eccleſiam Sanctiſſimi Crucifixi, aliaſque Eccleſias penitùs dirutas, nempe Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Miſericordia, Eccleſiam Sancti Caroli, Eccleſiam Sancti Benedicti in Roſignano, Eccleſiam Sanctorum Laurentii & Petri Martyris in Contrata Pedemontis, aut Caſtigliani, Societates Sanctiſſimi Sacramenti, Roſarii, & Sancti Joſeph, cum earum dependentiis, Montemque Frumentarium. In Loco Montis de Nove, Parochialem Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Cellis, Eccleſiam Sanctiſſimi Crucifixi, Societatem Sanctiſſimi Sacramenti, ejuſque Oratorium. In Terra Forcis, Collegiatam Sancti Pauli, Eccleſiam ſeu Oratorium Sancti Blaſii, Eccleſiam Ruralem Sancti Georgii, Eccleſiam Ruralem Sanctæ Mariæ de Lacu, Eccleſiam Ruralem Sancti Stephani, Eccleſiam Suburbanam, cum alia annexa Sanctæ Mariæ Gratiarum, Eccleſias Rurales Sancti Joannis Baptiſtæ, Santi Salvatoris, & Sancti Angeli, Societates Sanctiſſimi Sacramenti, Sanctiſſimi Roſarii, earumque Oratoria, & alia annexa, Hoſpitale quoque, Montemque Frumentarium.

Item in Diœceſi Reatina, Eccleſiam Turritæ, Eccleſiam Sancti Georgii, Eccleſiam Flumatæ, & in Territorio Ciccoli Eccleſiam di Caſalivieri, Oſpaniſci, Collis, Collium, Sancti Thomæ de Latuſio, Neſpoſii, & Collis Gentileſchi.

Inſuper in Diœceſi Spoletana, in Loco di Savelli Præpoſituram Curatam Sancti Angeli,

III. Diſmembrat a dicta Abbatia Eccleſias, Monaſteria, Oppida, & Loca pia exiſtentia in Diœceſibus nempè:

In Firmana, & in Caſtro Sanctæ Victoriæ.

Unam Collegiatam, unum Monaſterium, & duas Eccleſias.

In Civitate Firmana unam Parochialem.

In Diœceſi Montis Alti, & in Terra Rotellæ unam Collegiatam, duas Eccleſias, duas Confraternitates.

In Terra Montis Elpari ſeptem Eccleſias, tres Confraternitates, & Montem Frumentarium.

In Loco Montis de Nove unam Parochialem, & unam Societatem cum Oratorio.

In Terra Forcis unam Collegiatam, octo Eccleſias, duas Confraternitates, Hoſpitale, & Montem Frumentarium.

In Diœceſi Reatina decem Eccleſias.

In Spoletana Eccleſias, & Beneficia

Eccle-

1747. in Locis, nimirum di Savelli. DiPaganelli. In Villa S. Andreæ. In Castro S. Marci.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ del Colle, & Sanctæ Mariæ ad Nives. In Loco di Paganelli, Ecclesiam Sancti Pauli. In Villa Sancti Andreæ aliam Ecclesiam Sancti Pauli, & Sanctæ Mariæ de Quercu. In Castro Sancti Marci, Ecclesiam Sancti Laurentii, Sancti Salvatoris di Casalino, & Sancti Ægidii delli Castiglioni, cum Beneficio, Præpositura nuncupato, & quinque Canonicatibus Ruralibus. In Territorio Casciæ, Monasterium Monialium Sanctæ Margaritæ cum omnibus eidem annexis, & Ecclesiam dirutam Sanctæ Crucis Vezzani. In Villa Sanctissimæ Trinitatis, Parochialem Sancti Blasii, & Ecclesiam dirutam Sancti Petri de Mutillo in Loco Coronellæ, & Parochialem Sanctæ Luciæ. In Villa Trognani, Parochialem Sancti Martini, cum aliis ei annexis, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ a Confini. In Civitate Spoletana, Ecclesiam Sancti Marci, & Ecclesiam Sancti Viti. Demum in Diœcesi Assisien., Ecclesiam Sanctorum Stephani, & Fortunati.

In Territorio Casciæ.

In Villa Sanctissimæ Trinitatis.

In Villa Trognani.

In Civitate Spoletana. In Diœcesi Assisien. unam Ecclesiam.

Quæ quidem omnia & singula superiùs adnotata, & expressa Monasteria, Ecclesias, Oppida, Terras, & Loca Pia a prædicto Monasterio Sanctæ Mariæ Farfensis, & a jurisdictione illius pro tempore Abbatis, seu perpetui Commendatarii, sic, ut præmisimus, dismembrata, separata, & sejuncta, singulis Firmanæ, Montis Alti, Reatinæ, Spoletanæ, & Assisiensis Ecclesiarum Diœcesibus, & Territoriis, in quibus respectivè posita sunt, itidem perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, omnimodamque jurisdictionem Ordinariam, quæ ipsius Monasterii Farfensis Abbati perpetuo Commendatario in Ecclesias, Monasteria, Oppida, Terras, & Loca Pia prædicta, eorumque Personas competebat, ad Archiepiscopum Firmanum, ac Montis Alti, Reatinum, Spoletanum, & Assisiensem Episcopos prædictos, singula singulis congruè referendo, transferimus; eamque illis respectivè concedimus & assignamus; ipsosque Archiepiscopum & Episcopos ex nunc plenarios successores prædicti Abbatis Farfensis in jurisdictione, superioritate, potestate, & auctoritate ordinaria hujusmodi esse & fore decernimus.

Applicat jurisdictionem in Ecclesias, & Loca dismembrata, dictis quinque Diœcesibus, & earum Ordinariis.

Cæterum firmam, salvam, & illæsam, ut priùs, remanere debere declaramus Ordinariam jurisdictionem ejusdem Abbatis Farfensis in cæteris Locis, Castris, & Ecclesiis intra proprium, & particulare Territorium prædictum consistentibus; Item in Suburbiis, & Ecclesiis positis in Suburbiis Reatin., in cæteris pariter Ecclesiis existentibus in Diœcesibus diversis subjectis Episcopis Regni Neapolitani, videlicet in Parochiali Ecclesia Sancti Petri d'Azzano, cum aliis eidem annexis, Aprutinæ Diœcesis; in Parochialibus Ecclesiis Sancti Laurentii di Beffi, Sancti Pii di Fontecchio, seu Fonticoli, Scopeti, Sanctæ Mariæ di Forfona, seu Forcelli, & Sociani; In Ecclesia Sancti Stephani in Terra Sancti Demetrii; in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Arquato; in Terra Fagnani; in Ecclesia Sanctæ Mariæ, vulgò Sancta Marinella, in Villa Pretusi, & Ecclesia Sanctæ Mariæ in Terra Barigiani Diœcesis Aquilanæ, & in Ecclesia di Rosciolo, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Terræ Magliani, cum aliis, Diœcesis Marsorum; & demum in Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ in Terra Gagliani Sulmonensis Diœcesis: Per præsentes enim non intendimus super hisce quidquam innovare.

Salva jurisdictione dicti Abbatis in Lovis, & Ecclesiis intra proprium, & particulare Territorium consistentibus. Et in nonnullis aliis Ecclesiis diversarum Diœcesum.

Quia verò Nostræ mentis & intentionis existit, ut dum confirmatio, dismembratio, unio, annexio, incorporatio, aliaque præmissa suum sortiantur effectum, in Collatione tamen, & provisione Beneficiorum Ecclesiasticorum nihil admodum innovetur, sed cum ampliatione jurisdictionis prædictorum Antistititum, ipse nihilominus Abbas Farfensis in hoc rerum genere, minori quo fieri possit, detrimento afficiatur; per easdem præsentes decernimus pariter, & statuimus, nec Archiepiscopum Firmanum, nec Abbatem Farfensem per hoc decidisse a jure conferendi, & providendi Ecclesias cum cura, & sine cura, Canonicatus, & Præbendas, cæteraque Beneficia Ecclesiastica, quorum collatio, & provisio, seu quævis alia dispositio ad ipsos respectivè spectabat, & pertinebat, tam jure Ordinario, quàm in vim privilegiorum Apostolicorum, ac memoratæ dismembrationis Gregorianæ, nec non decisionum, & voti prædicti Auditorii, resolutionum quoque Congregationis Concilii, & Laudi die duodecima mensis Augusti Anni Domini millesimi septingentesimi vigesimi primi, prolati a tribus Romanæ Curiæ tunc temporis Prælatis, nimirum Petra nunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale, ac Herrera, & Ansideo, quoad Collegiatam Ecclesiam Sancti Antonii de Altidona: Quinimmo hujusmodi jus utrique integrum præservamus; non innovantes, nisi ut infrà:

IV. Quoad Collationes Beneficiorum decernit Archiepiscopum, & Abbatem prædictos non decidisse a jure conferendi, quo ante præsentes gaudebant.

Archiepiscopus nimirum Firmanus in Ecclesiis, & Locis a prædicto Gregorio Prædecessore dismembratis conferet uti proprius Archiepiscopus, ut priùs, jure Ordinario, omnia Beneficia Ecclesiastica, præterquàm in mensibus Apostolicis vacantia, aut alias dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta. Insuper in Ecclesiis a Nobis per præsentes dismembratis, & respectivè incorporatis, tam prædictus Archiepiscopus Firmanus, quàm Montis Alti, Reatinus, Spoletanus, & Assisiensis Episcopi dabunt institutionem in Beneficiis Jurispatronatus tam Laicalis, quàm Ecclesiastici, cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis, absque examine, si curata non sint, si verò curata fuerint, prævio examine, & approbatione, aliisque servatis servandis, quoad Personas nominandas, & præsentandas a Patronis Laicis ex fundatione, dotatione, privilegio, seu indulto Apostolico existentibus, atque etiam prævio consueto concursu, & approbatione quoad Personas a Patronis Ecclesiasticis ex similibus titulis nominandas, & præsentandas.

Statuit tamen, quod Archiepiscopus Firmanus in Ecclesiis a Gregorio XIII. dismembratis conferat uti Ordinarius. Quodque in Ecclesiis, & Locis nunc dismembratis Archiepiscopus, & Episcopi prædicti quoad Beneficia Jurispatronatus habeant jus instituendi.

Abbas verò Farfensis in ipsis Ecclesiis a Nobis per præsentes ab ejus Territorio divulsis, & separatis, in quibus hactenus jus habuit conferendi, & providendi Paræcias, & Beneficia omnia, etiam Dignitates principales in Collegiatis, cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis, ex speciali privilegio memorati Urbani Prædecessoris, in posterum si Prælatus, non autem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis fuerit, jus habebit nominandi, & præsentandi, quâ Patronus Ecclesiasticus, in Mensibus dumtaxat Sedi Apostolicæ non reservatis, aliisque cessantibus reservationibus, & affectionibus prædictis, ad Beneficia nempè simplicia, & residentialia Personas idoneas sibi magis benevisas, ad Paræcias verò, & signanter ad Paræciam Sancti Petri de Penna, Personas, quas maluerit, ex approbatis ab Ordinariis in Concursu præcedenter habito ad præscriptum Concilii Tridentini *Cap.* 18. *Sess.* 24. *de Reformatione*, coram iisdem Ordinariis Locorum, a quibus erunt Literæ provisionis in eorum respectivè Cancellaria expediendæ, cum solita taxa expensarum hactenùs servata ab Abbatibus Farfensibus, & concedenda absque controversia institutio autorizabilis.

Abbas verò Farfensis Ecclesiarum, & Beneficiorum dismembratorum habeat Juspatronatus Ecclesiasticum.

Si autem Abbas Commendatarius fuerit, ut plerumque contingit, S. R. E. Cardinalis consueto gaudens Indulto conferendi Beneficia Ecclesiastica Sedi Apostolicæ reservata, vel affecta, tùnc idem Abbas Cardinalis semper, & quandocumque nominabit; videlicet quâ Patronus Ecclesiasticus, si vacatio sequuta fuerit in

Si autem Abbas fuerit Cardinalis in Mensibus aliàs non reservatis nominabit coram Ordinariis; sed in

Mensibus reservatis nominabit coram Pontifice.

Martii, Junii, Septembris, aut Decembris mensibus, aliæque reservationes, & affectiones Apostolicæ omninò cessent, coram præfatis Ordinariis Locorum, ad simplicia quidem, & residentialia, Personas idoneas sibi magis benevisas, ad Parœcias verò Personas a se præelectas inter approbatas ab ipsis Ordinariis Locorum in Concursibus præcedenter habitis, & per eosdem Ordinarios respectivè instituendas, in omnibus, & per omnia, prout de Abbate non Cardinale superiùs dispositum: Si autem vacatio sequuta fuerit in aliis octo anni mensibus alioquin eidem Apostolicæ Sedi reservatis, aut aliqua alia reservatio, vel affectio Apostolica occurrerit, tunc prædictus Abbas Cardinalis, quâ Patronus Ecclesiasticus simul, & Indultarius, nominabit, seu præsentabit coram Nobis, & Romano pro tempore Pontifice, Personas, ut præmisimus, idoneas sibi magis benevisas, seu respectivè a se præelectas, quarum nomina, & cognomina transmittet ad Datariam Nostram Apostolicam, ubi nimirum in earumdem Personarum favorem Literæ Apostolicæ expediendæ erunt; dummodo tamen Beneficia pro tempore vacantia, ac reservata, vel affecta, ut præfertur, sub Indulto prædicto comprehendantur, & non aliàs; ac salvo semper remanente Nostro, & Sedis Apostolicæ jure liberè conferendi ea Beneficia pro tempore vacantia, quæ subjecta fuerint reservationibus, & affectationibus in eodem Indulto non comprehensis.

V. Taxat Canonem ab Archiepiscopo, & Episcopis prædictis dicto Abbati præstandum.

Tandem in memoriam, & in recognitionem præsentis dismembrationis, quæ dum in Abbatis Farfensis præjudicium cedit, contrà, memoratis Archiepiscopo, & Episcopis ad commodum cedere dignoscitur; volumus, atque statuimus, ut iidem Archiepiscopus, & Episcopi perpetuis futuris temporibus prædicto pro tempore Abbati Commendatario Farfensi infrascriptum Canonem Ceræ Albæ, Archiepiscopus videlicet Firmanus libras triginta, Episcopus Montis Alti libras triginta, Episcopus Reatinus libras viginti, Episcopus Spoletanus libras decem, demùm Episcopus Assisiensis libram unam quotannis solvere, & præstare teneantur: Nos enim Canonem hujusmodi juxta numerum, & qualitatem Ecclesiarum dismembratarum, & habita ratione majoris, & minoris quantitatis redituum Mensarum Archiepiscopalis, & Episcopalium Ecclesiarum prædictarum, congruè, & proportionabiliter taxavimus, & constituimus.

Clausulæ præservativæ.

Præsentes quoque Literas de subreptionis, obreptionis, ac quocumque alio vitio, seù intentionis Nostræ, aut quolibet alio defectu, quantumlibet juridico, & substantiali, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis omnibus, & singulis quomodolibet interesse habentes, seu habere putantes, & prætendentes, cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, & dignitatis existant, etiam si essent Universitates etiam Laicales, ac Conventus, Monasteria, Capitula, & Collegia etiam Laicalia, citati, vocati, & auditi non fuerint, ac eisdem præsentibus Literis non consenserint, ac causæ, propter quas omnia, & singula præmissa emanaverint, minimè, vel minus sufficienter examinatæ fuerint, & ex quacumque alia causa quantumlibet legitima, etiam in corpore juris clausa, etiam pia, ac aliàs quomodolibet favorabili, aut publica, ac etiam ratione observantiæ, usus, & consuetudinis etiam longissimæ, & centenariæ, aut immemorabilis, sive ratione cujusvis concordiæ inter Abbatem Farfensem prædictum, & Archiepiscopum, aut quemlibet ex Episcopis prædictis quandocumque forsan initæ, etiam juramento, & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratæ & vallatæ, & aliàs quomodolibet impugnari, invalidari, infringi, aut irritari, ad viam & terminos juris reduci, nec adversus illas oris aperitionis, aut aliud quodcumque juris, vel facti remedium, etiam ex capite læsionis quantumvis enormis, & enormissimæ, vel cujuscumque præjudicii etiam majoris, quàm expressum sit, impetrari, ac etiam motu, scientia, & potestate paribus per quoscumque Romanos Pontifices Successores Nostros quomodolibet contra præmissa omnia, & eorum singula concessum acceptari, ac in judicio, & extra illud allegari, deduci, produci, aut aliàs illo quomodolibet uti non posse, quinimmò prædicta omnia, & singula perpetuò firma, valida, & efficacia esse & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, illaque sub quibuscumque etiam generalibus revocationibus, derogationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, & quibuscumque aliis contrariis dispositionibus, etiam consistorialibus, non comprehendi, nec comprehensa aliquo modo censeri, sed semper & perpetuò ab illis libera, & immunia:

Aliter judicari prohibitur.

Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos quacumque potestate, & auctoritate fungentes, ac dignitate, & præeminentia fulgentes, etiam Causarum ejusdem Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, de jure quæsito non tollendo, & de unionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, ac de exprimendo vero annuo valore in unionibus, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, ac in Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non prædicti Monasterii Farfensis, & Ordinis Sancti Benedicti, cujus illud existit, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac quibuscumque concordiis, & conventionibus, ut præfertur, forsan initis, roboratis, confirmatis, & approbatis; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis dicti Monasterii Farfensis pro tempore Abbati, seu perpetuo Commendatario, a quibusvis aliis Superioribus, & Personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu pari, & consistorialiter, etiam in fundatione, & primæva institutione, seù alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis; quibus, omnibusque aliis, quæ præsentibus quomodolibet obesse possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi etiam veriores, totosque & integros, etiam præsentibus pro expressis, insertis, ac de verbo ad verbum registratis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præsentium, & validitatis omnium & singulorum præmissorum, hac vice dumtaxat, harum serie, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, specialitèr & expresè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides præstanda transumptis.

Volumus autem quod præsentium Literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Per-

sonæ

sonæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Per hanc dismembrationem Taxa dicti Monasterii non imminuitur.

Cæterum per ea, quæ in præsentibus innovando statuimus, non intendimus Taxam Abbatiæ Farfensis, sive utriusque Monasterii prædictorum, in Libris Cameræ Nostræ Apostolicæ præfinitam, ullatenus imminui, aut immutari debere.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ Confirmationis, Approbationis, Dismembrationis, Sejunctionis, Unionis, Annexionis, Incorporationis, Declarationis, Statuti, Decreti, Derogationis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontif. Anno VII. die 15. Martii 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

J. Datarius. Pro D. Card. Passionco.

*Joannes Florius Substitutus.*

VISA DE CURIA.
I. C. Boschi.
J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die* 11. *Aprilis* 1747.

Schedula motus proprii super secunda dismembratione Jurisdictionis dictæ Abbatiæ.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Motu Proprio &c.*

Proœmium.

ETSI ea, quæ a Nobis pro Pastoralis officii debito per Apostolicas nostras Literas optima ratione statuta sunt, matura prius consideratione, singulisque facti circumstantiis seriò pensatis prodeant: Quia tamen nonnunquam evenit, ut aliæ ejusdem facti circumstantiæ, quæ antea Nobis non innotuerant, subinde patefiant: Hinc est, quod, quum illæ Nobis innotescunt, supplendo, vel immutando, aut ampliando ea, quæ a Nobis antea sancita fuerant, de Apostolica nostra benignitate providere non detrectamus.

Pontifex enunciat causas primæ dismembrationis jurisdictionis Abbatiæ Farfensis a se factæ.

Cum itaque Nos aliàs providè attendentes jurisdictionem quasi Episcopalem pro tempore existentis Abbatis Commendatarii Monasterii Abbatiæ nuncupati Sanctæ Mariæ Farfensis nullius Diœcesis in districtu Urbis, Ordinis Sancti Benedicti, cui alterum Sancti Salvatoris Majoris nuncupatum annexum existit; ad plurimas Ecclesias, & non pauca loca extra proprium & particulare Territorium, ac intra fines Diœcesum diversorum Episcoporum existentia, ex variis Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum concessionibus, latè propagatam fuisse: Et ex hac nimis ampla ac sejuncta jurisdictionis extensione ea in Ecclesiastici regiminis administratione eatenus consequuta fuisse mala & inconvenientia, quæ ob inferiorum Prælatorum in Loca, Ecclesias, & Personas intra aliarum Diœcesum fines existentia activæ jurisdictionis exercitium non rarò evenire solent: de dismembratione jurisdictionis dictæ Abbatiæ quoad loca & Ecclesias in alienis Diœcesibus Status Nostri Ecclesiastici existentia cum dilecto Filio nostro Federico Tituli Sancti Pancratii S. R. E. Presbytero Cardinale Lante nuncupato moderno dicti Monasterii Abbate Commendatario egissemus, ipseque Federicus Cardinalis eo, quo pollet, zelo, prudentia & pietate, Nostræ assensus esset voluntati: Auditis propterea Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Firmano, & Montis alti, Reatino, & Spoletano Episcopis, intra quorum Diœcesum fines plurima Loca & Ecclesias dicti Monasterii Abbatis jurisdictioni subjecta esse dignoscebatur: Motu simili &c. Oppida, Loca, Terras, Ecclesias, Monasteria & Loca pia intra Archiepiscopatus Firmani & Montis Alti, ac Reatini, & Spoletani Episcopatuum Diœcesum fines existentia & existentes, nocnon unam Ecclesiam, quam in Assisensi Diœcesi sub ejusdem Abbatis jurisdictione existere, tunc tantùm in comperto erat: sub certis modo & forma tunc expressis per Apostolicas Nostras Literas incipien. *Dum universi* sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI. Idibus Martii Pontificatus Nostri anno septimo, a prædicto Monasterio, illiusque pro tempore existentis Abbatis, seu perpetui Commendatarii jurisdictione, superioritate, potestate, & auctoritate in perpetuum dismembravimus, separavimus & sejunximus, eademque Oppida, Loca, Terras, Ecclesias, Monasteria & Loca pia, ut præfertur, dismembrata, separata, & sejuncta, singulis Firmanæ, Montis Alti, Reatinæ, Spoletanæ & Assisiensis Ecclesiarum Diœcesibus etiam perpetuò univimus, anneximus & incorporavimus, prout in dictis Literis plenius continetur.

Quia postea innotuit in Civitate Assisensi unum Monasterium, & intra fines Diœcesis Asculanæ plures Ecclesias sub Abbatis Farfensis jurisdictione reperiri.

Cum autem, postquam Literæ prædictæ jam editæ erant, Nobis innotuisset præter unam, ut præferebatur, Ecclesiam dictæ Assisiensis Diœcesis, in ipsa quoque Assisiensi Civitate unum Monasterium Monialium sub Titulo Sanctorum Jacobi & Donati, intra verò Diœcesis Asculanæ fines plures partim in Ditione dicti Status Nostri, partim verò in Regno Neapolitano sitas Ecclesias ejusdem Abbatis jurisdictioni obnoxias reperiri. Et quamvis jamdudum, videlicet de anno ejusdem Domini MDCLXVI. quædam Schedula per modum Concordiæ inter Episcopum Asculanum, & dicti Monasterii Abbatem Commendatarium tunc existentes, pro extinctione litis inter eos jam tunc ortæ super exercitio jurisdictionis in ultimo dictis Ecclesiis, ut accepimus, inita & subscripra, ac successivè ab eorum respectivè Successoribus ratificata fuisset, quia tamen Concordia hujusmodi Apostolica caret confirmatione, nec in ea singulis casibus consulitur, & quandoque ab una, aut altera ex futurorum Episcopi, vel Abbatis parte in dubium revocari, vel ab ea resiliri posset.

Hinc ob easdem causas illud, & illas dismembrat ab ejus jurisdictione.

Nos qui pro his quoque Ecclesiis stabilem, & indeficientem regiminis & gubernii methodum assignare cupimus, iisdem Causis in Nostris Literis prædictis latè enunciatis adducti, dictamque Concordiam, illiusque integrum tenorem præsentibus pro expresso habentes: Motu pari &c. Monasterium prædictum in dicta Civitate Assisien., necnon Ecclesiam Abbatialem nuncupatam Sanctissimi Salvatoris extra mœnia Civitatis Asculanæ dictæ Ausculanæ Diœcesis, & in infrascriptis Locis, Castris, & Villis ejusdem Asculanæ Diœcesis in parte Ditionis Status Nostri prædicti sitas Ecclesias, videlicet: Ecclesiam etiam Abbatialem nuncupatam Sancti Joannis in Salaria, cum ei annexis Sancti Petri de Rosara, & Sanctæ Mariæ ad Caprigliam nuncupat. ac ejusdem Sanctæ Mariæ Villæ Funti Parochialibus, seu aliis Ecclesiis, necnon Oratorio publico ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Lauretanæ in eadem Villa Funti, necnon unam Sancti Stephani Loci Quinzani, cum Ecclesia ei annexa Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis dicti loci, & aliam Beatæ Mariæ Virginis Villæ Osoli, cum ei annexis Ecclesiis Sanctæ Luciæ Villæ Bovecchiæ, & Sancti Joannis ad Saxum nuncupat., ac aliam Beatæ Mariæ Virginis inter Sylvas Villæ Gaici, & aliam

Sanctæ Anatoliæ Villæ Paſtini, ac aliam Sancti Sylveſtri Villæ Rocchettæ cum filiali Oratorio Sanctæ Luciæ dictæ Villæ, & aliam Sancti Petri Villæ Talleani, cum ei annexa Eccleſia Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis dicti loci, ac aliam Sancti Joannis Villæ Forcellæ, cum uno Sancti Andreæ Planarum nuncupat., & altero Sancti Antonii Oratoriis publicis ejuſdem Villæ Forcellæ, & aliam Sanctiſſimæ Annunciationis Villæ Arli, cum Eccleſia ei annexa Sancti Petri ejuſdem Villæ, ac aliam Sanctæ Juſtæ Villæ Juſtinianæ, & aliam Sanctorum Nicolai & Hilarii Villæ Rocchæ Caſaregnanæ, ac aliam Sancti Stephani Villæ Martiæ, cum Sancta Maria Villæ Vallicellæ, & ejuſdem Sanctæ Mariæ Villæ Vetuli, ac Beatæ Mariæ Virginis de Ponte nativo, ac Sanctæ Catharinæ Villæ Moneſtini, & Beatæ Mariæ Virginis Villæ Caſtiglionum, ac Sancti Sebaſtiani Villæ Caſacagnani annexis, ſeu filialibus Eccleſiis, & aliam Sancti Flaviani Loci, ſeu Villæ Venæruptæ, ac aliam Sanctæ Luciæ Loci, ſeu Villæ Capradoſſi, & aliam Sancti Salvatoris Villæ Cerreti, & aliam Beatæ Mariæ Virginis Caſtri Poleſii, cum Oratorio Sancti Benedicti in Valle Gineſtra, & aliam Sancti Gregorii Villæ Talvacchiæ, & aliam Sanctæ Mariæ Arcis Montis Calvi, & aliam Sancti Joannis Villæ Arolæ, cum ei annexa Eccleſia Beatæ Mariæ Villæ Pedis Cavæ, & Oratorio Publico Annunciationis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis Villæ Turris, ac aliam S. Benedicti Vallis Aquarum cum Oratorio ſimiliter publico Sanctæ Mariæ Gratiarum nuncupat. dictæ Vallis Aquarum, & aliam Sancti Joannis Baptiſtæ Aquæ Sanctæ, cum Oratorio Sancti Joſephi Villæ Cagnani, ac aliam Beatæ Mariæ Virginis Villæ Farni, cum una Sancti Petri, & altera Sancti Gregorii Villæ Fleni Parochialibus Eccleſiis ei annexis, & Oratorio Sancti Cerbonii, ſeu Sanctæ Cerboniæ in Territorio Petraltæ, & aliam Sancti Joannis Baptiſtæ Collagrati juxta fines Regni Neapolitani præfati cum Eccleſiis intra idem Regnum ſitis ei annexis, & Oratorio Sanctæ Mariæ Villæ Franchæ, & reliquam Parochiales Eccleſias Sancti Laurentii Caſtri Troſei, antea, & uſque nunc juriſdictioni primodicti Monaſterii, illiuſque pro tempore exiſtentis Abbatis, aut perpetui Commendatarii obnoxium & obnoxias, ab ejuſdem Monaſterii, illiuſque Abbatis, ſeu Commendatarii prædicti juriſdictione, ſuperioritate, poteſtate & authoritate una cum ejus, & earum reſpectivè annexis, & Oratoriis prædictis, necnon aliiſque dependentibus Eccleſiis, ſi quæ ſint, præſentis tenore de novo in perpetuum diſmembramus, ſeparamus & ſejungimus.

Et annectit uni, & alteri Diœceſibus in quibus ſitæ ſunt.

Illoque & illis ſic diſmembratis, ſeparatis & ſejunctis, dictum videlicet Monaſterium Civitatis Aſſiſienſis prædictæ Aſſiſienſi; Eccleſias verò prædictas, cum earum reſpectivè annexis, & Oratoriis prædictis, aliiſque dependentibus Eccleſiis, ſi quæ ſint, Aſculanæ reſpectivè Diœceſibus prædictis, etiam perpetuò unimus, annectimus & incorporamus, omnimodamque in illo, & illis juriſdictionem Ordinariam, quæ ipſi primò dicto Monaſterio illiuſque Abbati, ſeu Commendatario prædicto competebat, ad Aſſiſienſem & Aſculanos Epiſcopos pro tempore exiſtentes prædictos transferimus & reſpectivè tribuimus, concedimus & aſſignamus, ipſoſque Venerabiles Fratres modernos Aſſiſienſem, & Aſculanum Epiſcopos ex nunc plenarios in prædicti Abbatis, ſeu Commendatarii juriſdictione hujuſmodi Succeſſores fore & eſſe decernimus.

Salvat juriſdictionem Abbatis in aliis Eccleſiis.

Quemadmodum verò in prædictis noſtris Literis ſalvam & illæſam, ut prius, remanere debere declaravimus Ordinariam juriſdictionem primodicti Monaſterii, illiuſque Abbatis, ſeu Commendatarii in Locis, Caſtris, & Eccleſiis intra proprium & particulare Territorium conſiſtentibus, & in aliis Locis & Eccleſiis, ſignanter in Eccleſiis aliis ſitis in Diœceſibus nonnullis Epiſcopis Regni Neapolitani ſubjectis: Ita quoque per præſentem dicti Monaſterii, illiuſque Abbatis ſeu Commendatarii juriſdictionem in aliis Eccleſiis intra fines dictæ Aſculanæ Diœceſis, ſed in Locis temporalis Dominii Regni prædicti ſitis, præter tamen illas annexas dictæ Parochiali Eccleſiæ Sancti Joannis Baptiſtæ Collagrati, cum dicto Oratorio Sanctæ Mariæ Villæ Franchæ; ſalvam & illæſam præſervamus.

Quod in conferendis Eccleſias diſmembratas & Beneficia in eis ſita idem præcipit quod in prima diſmembratione.

Præterea reſpectu collationum & proviſionum dictarum Eccleſiarum etiam Parochialium per præſentem diſmembratarum, & ut præfertur, incorporatarum, necnon Beneficiorum in eiſdem Eccleſiis ac etiam illa dicti Monaſterii Monialium Civitatis Aſſiſien. præfatæ, forſan conſiſtentium, & quarum, ac quorum proviſio Abbati, ſeu Commendatario prædicto hactenus ſpectavit; idem prorſus quoad jus, formam, & modum ad illas & illa nominandi ſeu præſentandi, & illas, ac illa conferendi & providendi, quod in eiſdem Literis pro aliis Eccleſiis, & Beneficiis per illas, ut præfertur, diſmembratis, præſcripſimus, etiamſi ipſius primodicti Monaſterii Commendatarius fuerit prædictæ S. R. E. Cardinalis, ſervari etiam volumus & mandamus.

Taxat Canonem ſolvendum a Epiſcopo Aſculano.

Demum in recognitionem diſmembrationis dictarum Eccleſiarum intra fines Diœceſis Aſculanæ exiſtentium per præſentem factæ, volumus quoque & ſtatuimus, ut Eccleſiæ Aſculanæ prædictæ Epiſcopus pro tempore exiſtens, pro tempore etiam exiſtenti primodicti Monaſterii Abbati, ſeu Commendatario, aut illius Procuratori legitimo, libras viginti ceræ albæ ſingulis annis offerre & præſtare teneatur.

Clauſulæ præſervativæ.

Quocirca memoratas noſtras Literas, & præſentem Motus Noſtri Schedulam cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, vel impugnari poſſe, ſed eas, & præſentem, omninò ac ſemper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces exiſtere, eiſdemque Epiſcopis pleniſſimè ſuffragari, necnon ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari; ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, & ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus Schedula ſubſcripta, ſeu Concordia prædicta, quatenus opus ſit, ac omnibus illis, quæ in dictis Noſtris Literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

## Fiat Motu proprio P.

Et cum abſolutione a cenſuris, ad effectum &c. Et quod Noſtrarum Literarum prædictarum tenor, ac data habeantur pro expreſſis, ſeu in toto, vel parte exprimi poſſint in literis etiam gratis per viam de Curia, cum clauſula perpetuò, & ad perpetuam rei memoriam, ſi, & quandocumque videbitur, expediendis. Et de perpetuis diſmembratione, ſeparatione, ſejunctione, unione, annexione, incorporatione, voluntate, decreto, aliiſque præmiſſis, ut ſupra, in dictis literis latiſſimè extendendis. Volumus autem, per ea, quæ in Præſenti ſtatuimus, taxam primodicti Monaſterii in Libris Cameræ Apoſtolicæ præfinitam nul-

Fiat P.

latenus

latenus imminui. Volumus præterea, quod ſola præſentis Schedulæ Noſtri Motus proprii ſignatura ſufficiat, illique, ac illius quoque exemplis, ſeu tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ Sigillo munitis, tanta ubique fides adhibeatur in Judicio, & extra, quanta ſi ſub Plumbo Noſtro expedirentur, & originaliter exhiberentur, adhibenda eſſet, & adhiberi deberet, regula quacumque contraria non obſtante.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem pridie Idus Auguſti Anno Septimo.

Dat. Pontif. anno VII. die 12. Auguſti 1747.

## XXXIII.

De Juriſdictione Epiſcopi Tuſculani in Clerum, & Populum Territorii Abbatiæ Cryptæ Ferratæ.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Pontificis ſtudium in diſcutiendis negotiis Eccleſiaſticis.

INTER multa onera cum Sacroſancti Apoſtolatus Officio debilibus humeris noſtris impoſita, ad evitandam, quantum in Nobis eſſet, inutilis Servi condemnationem, hoc planè connumerandum cenſuimus, ut non ſolùm præſentiâ noſtrâ aſſiduam operam impenderemus Congregationibus Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, in quibus Religionis negocia, aliaque graviora, pro Catholicæ Eccleſiæ regimine in dies occurrentia tractantur; Generali nimirum Congregationi Sacrorum Rituum, quoties præcipua capita Cauſarum Beatificationis Servorum Dei, aut Beatorum Canonizationis in eâ expenduntur; ſicut etiam Congregationi Sanctæ Univerſalis Inquiſitionis, quæ per ſingulas hebdomadas coram Nobis habetur; ſæpe etiam illi, in qua de Propagandæ Fidei rationibus agitur; atque alteri, quæ præpoſita eſt executioni & interpretationi Decretorum Sacri Tridentini Concilii; ac demum præter alias Congregationes in peculiaribus caſibus deputatas, & coram Nobiſmetipſis coactas, Supremæ Signaturæ Gratiæ, quam vocant, in qua inferiorum Tribunalium judicata, totaque adminiſtrandæ Juſtitiæ ratio ad trutinam revocantur; Verum etiam, ſi quando graviores controverſiæ inter Eccleſiaſticas potiſſimum perſonas orirentur, ut eas ad judicium Noſtrum avocaremus, eaſque, reſecatis tum litium diuturnitatibus ac diſpendiis, tum partium querelis ac ſimultatibus, modò cum Auditorum Cauſarum Palatii noſtri coram Nobis congregatorum, modò cum aliorum gravium, atque prudentum Virorum conſilio, non ſine proprio labore ac diligentia, multique temporis, ut plurimùm ſomno detracti, in diſcutiendis rationum momentis, evolvendiſque domeſticæ Bibliothecæ noſtræ libris, impendio, definitionis noſtræ Oraculo decideremus, penituſque de medio tolleremus.

Et in litibus judicandis, & extinguendis.

Controverſia juriſdictionalis inter Epiſcopum Tuſculanum, & Abbatem Commendatarium Cryptæ Ferratæ.

Quod genus oneris a Nobis pro communi utilitate libenter ſuſceptum, quum Nobis propoſitum ſit, donec Omnipotenti Deo valetudinis noſtræ vires ſervare placuerit, nullo pacto deponere; facilè adducti ſumus, ut exortam nuper litem & controverſiam inter bonæ memoriæ Joſephum hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Accoramboni nuncupatum, cujus ex hac vita migrationem ſuperioribus diebus eluximus, tamquam Epiſcopum Tuſculanum ex una, & dilectum Filium noſtrum Joannem Antonium Tituli Sanctorum Silveſtri & Martini in Montibus Presbyterum ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Guadagni nuncupatum, tamquam Monaſterii, Abbatiæ nuncupati, Sanctæ Mariæ de Crypta Ferrata Ordinis Sancti Baſilii, Abbatem Commendatarium ex altera, partibus, ad Noſmetipſos avocaremus, inappellabili judicio Noſtro definiendam ac terminandam. In qua controverſia quum prædictus Joſeph Epiſcopus Cardinalis contenderet prædicti Monaſterii Territorium ſuæ Tuſculanæ Diœceſis portionem eſſe, proindeque ſe omnimodam ſuam Ordinariam Juriſdictionem in eo exercere poſſe; contra verò præfatus Joannes Antonius Cardinalis & Abbas Commendatarius defenderet; hujuſmodi Territorium ab ipſa Tuſculana Diœceſi omnino ſeparatum exiſtere, ſeque illius Ordinarium eſſe, cum plena & quaſi Epiſcopali Juriſdictione in Clerum & Populum, privativè ad ipſum Epiſcopum Tuſculanum; Nos omnibus maturè libratis, quæ in copioſis juris & facti allegationibus, & monumentorum collectionibus tam ex una, quàm ex altera parte oblatis, deducta ſunt, auditis quoque oretenus utriuſque partis Defenſorum & Advocatorum Informationibus, atque in conſilium adhibitis duobus viris in Canonica facultate peritiſſimis, Dilecto ſcilicet Filio Magiſtro Ildephonſo Clemente de Aroſtegui Cappellano Noſtro & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditore, qui, edito volumine, cujus Titulus eſt: *Concordia Paſtoralis*: eximium ſuæ in hoc rerum genere ſcientiæ ſpecimen dedit; ac dilecto pariter Filio Magiſtro Clemente Argenvilliers Conſiſtorialis Aulæ noſtræ Advocato, ac Prælato Domeſtico, & Auditore noſtro, cujus etiam doctrinæ in hac ipſa controverſiarum ſpecie plura monumenta extant in conſultiſſimis diſceptationibus multorum annorum decurſu, dum in exercitio Fori magna cum laude verſaretur, ab ipſo editis; hiſque coram Nobis die XIII. elapſi Februarii menſis accitis; ac diligenti cum iiſdem tractatu habito, totam hujuſmodi controverſiam in hunc, qui ſequitur, modum dirimere ac definire ſtatuimus.

Ad Pontificem avocatur, & ab eo definitur cum conſilio &c.

Quamvis autem, ut ſupra diximus, ipſius controverſiæ ſumma præcipuè circa Territorium ſeparatum, & juriſdictionis Ordinariæ & quaſi Epiſcopalis competentiam verteretur; quum tamen in ipſius diſcuſſione alii quidam articuli excitati fuerint, nimirum circa juriſdictionem Baronalem Abbatis Commendatarii in præfati Monaſterii Territorio; circa ipſius Monaſterii & Monachorum in eo degentium exemptionem paſſivam ab Ordinaria juriſdictione Epiſcopi Tuſculani; ac demum circa curam animarum, quæ in præfata Eccleſia Sanctæ Mariæ Cryptæ Ferratæ, & in ipſius Parochiæ ambitu exercetur ab uno ex Monachis ipſius Monaſterii: Nos ut omnia litium germina ſtirpitùs evelleremus, ac perpetuæ pacis tranquillitatem firmiter ſtabiliremus, ſuper his etiam maxura deliberatione præhabita, opportunas declarationes & ordinationes futuris temporibus obſervandas, edere, & pronunciare ſtatuimus.

Quædam incidentia controverſiæ capita.

Itaque, quod attinet ad primum, ad temporalem videlicet, ſeu Baronalem Juriſdictionem Abbatis Commendatarii, quam Epiſcopus Tuſculanus in ſuis allegationibus impugnabat, decrevimus, & pronunciavimus, ipſum Epiſcopum in hoc non eſſe legitimum Contradictorem; ideoque Abbatem Commendatarium prædictum, hujuſmodi oppoſitione nihil obſtante, jure ſuo uti poſſe, ſi quod ipſi competit quoad prædictam temporalem & Baronalem juriſdictionem.

I. De Juriſdictione Baronali Abbatis. Rejicitur contraria inſtantia Epiſcopi Tuſculani.

Ad ſecundum, nimirum quod ſpectat ad exemptionem paſſivam Monachorum & Monaſterii Cryptæ Ferratæ ab Ordinaria juriſdictione Epiſcopi Tuſculani, diximus & pronunciavimus, hujuſmodi exemptionem paſſivam prædictis Monachis & Monaſterio competere, eoſdemque illâ gaudere debere, ad formam Privilegiorum eiſdem, ut infra latiùs dicemus, ab Apoſtolica

II. Exemptio paſſiva Monaſterii & Monachorum firmatur.

Sede indultorum; salvis nihilominus, & firmis remanentibus Sacrosancti Tridentini Concilii, necnon ejusdem Apostolicæ Sedis posterioribus Constitutionibus, & Ordinationibus, quoad illos omnes & singulos casus, in quibus Regulares, etiam exempti, Episcopi jurisdictioni sive Ordinariæ, sive Delegatæ, subesse debent.

III. Animarum cura, & legitima existentia Parochiæ in Ecclesia Cryptæ Ferratæ canonizatur.

De tertio, videlicet de animarum cura in Ecclesia præfati Monasterii, ut supra diximus, administratâ; decrevimus ac definivimus, constare de legitima existentia Parochiæ in prædicta Abbatiali Ecclesia, quamvis illius erectio nequaquam exhibita fuerit; quum satis demonstratum fuerit, hujusmodi Curæ Parochialis exercitium in ipsa Ecclesia, & in ipsius Monasterii Territorio, ab antiquo tempore viguisse & vigere; Quocirca statuimus, prædicto Abbati Commendatario competere jus præsentandi coram Episcopo Tusculano unum aliquem pro tempore Sacerdotem sive Sæcularem, sive Regularem, qui tamen Latinum Ritum observet, atque hunc a prædicto Episcopo examinandum esse, & ad ipsius Curæ exercitium ritè approbandum; eumdem verò, quamvis Regularis Monachus existat, tamen eidem Episcopo subesse debere in his omnibus, quæ prædictam Curam & Sacramentorum administrationem concernunt, juxta Decretum prædicti Concili Tridentini *cap.* 11. *sess.* 15. *de Regularibus*, nostramque Constitutionem, quæ incipit: *Firmandis*, VIII. Idus Novembris anni MDCCXLIV. editam, & impressam in Bullario nostro *Tom.* 1. *num.* 109.

Jurisdictio Ordinaria in Territorium Cryptæ Ferratæ adjudicatur Episcopo Tusculano.

De ipsa denique Episcopali Ordinaria jurisdictione in præfato Territorio Cryptæ Ferratæ, an scilicet ea ad Episcopum Tusculanum, an verò ad Abbatem Commendatarium, aut Monachos ipsius Monasterii, pertineat; quod erat præcipuum, vel potius unicum propositæ controversiæ caput; decernendo pronunciavimus, & pronunciando decrevimus, hujusmodi jurisdictionem Ordinariam & Episcopalem in Clerum & Populum universum prædicti Loci, & Territorii Cryptæ Ferratæ, competere Episcopo Tusculano, non autem Abbati Commendatario, aut Monachis ipsius Monasterii.

Monasterium cum suo Territorio in Diœcesi Tusculana existit.

Et sanè dubitari nequit, quin Territorium Cryptæ Ferratæ situm sit intra fines Diœcesis Tusculanæ. Nam, præterquamquod in eo loco, ubi nunc Monasterium ipsum cum adnexis Ædificiis existit, ex magis receptâ Antiquariorum sententiâ, Ciceronis Villa olim fuit, in qua scilicet ille Philosophicas Quæstiones conscripsit, quas de Loci nomine *Tusculanas* appellavit; id quod magno argumento est, eundem locum deinceps in Diœcesi Tusculana comprehensum fuisse; ipsi profectò ejusdem Monasterii Monachi jam usque ab anno MCXLV. in quadam controversia inter ipsos, & Episcopum Tusculanum oborta, quæ a Prædecessore Nostro Eugenio Papa III. definita fuit; dum exemptionis suæ amplitudinem adversus eundem Episcopum, nonnulla jura in eorum Monasterium sibi competere asserentem, strenuè tuerentur, ultrò tamen professi sunt, Monasterium suum *in Tusculanensi Parochia constitutum* existere. Ubi autem constat de existentia Loci intra alicujus Episcopi Diœcesim, non potest Prælatus Inferior jure asserere, in eo loco veram qualitatem Nullius cum Territorio separato sibi acquisitam esse, & jurisdictionem Ordinariam & quasi Episcopalem in eumdem, privativè ad Episcopum, sibi competere; nisi clarum exhibeat Apostolicæ Sedis Privilegium, quo idem locus a Diœcesi & jurisdictione Ordinaria Episcopi dismembratus, avulsus, & separatus fuerit, ipsiusque Prælati jurisdictioni per omnia subjectus; vel nisi, deficiente hujusmodi Privilegio Apostolico, immemorabilem saltem consuetudinem sibi faventem attulerit, cum omnibus requisitis circumstantiis juridicè probatam, eamque non limitatam, ad unum aliquod actuum genus, sed quæ omnes complectatur actus, in quibus Episcopalis jurisdictionis jura consistunt, eosque ostendat a se pacificè, & sine ulla Diœcesani Episcopi contradictione, exercitos fuisse; quum ea sit immemorabilis possessionis & consuetudinis natura, ut legitimam Privilegii Apostolici præsumptionem & famam inducat.

Unde illius prætensa separatio probanda esset.

Vel per privilegium Apostolicum.

Vel immemorabilem consuetudinem.

His sanè principiis in hujus generis Litibus definiendis proceditur, & procedendum esse non dubitatur, ex quo potissimum ea de anno MDCCXXI. studiosè ac maturè discussa, & pro regulis constituta sunt in quadam Congregatione particulari ex sapientioribus & doctioribus illius temporis S. R. E. Cardinalibus, Romanæque Curiæ Prælatis composita, cujus Congregationis Nos tunc in minoribus constituti Secretarii munus obtinuimus; eademque a sanctæ memoriæ Prædecessore nostro Clemente Papa XI. approbata sunt, ut videre est in Decreto V. impresso ad calcem illius Bullarii; Nec aliis profectò principiis inhærendum esse censuimus, quum actum fuit de dirimenda veteri controversia inter Episcopum Conversanum, & Militiam Hospitalem Sancti Joannis Hierosolymitani, super competentia jurisdictionis Ordinariæ in Oppido Putiniani; quam controversiam Nos ipsi quatuor ab hinc annis, cum consilio totius Auditorii Causarum Palatii Nostri, Apostolica auctoritate definivimus, & perpetuò extinximus; quâ de re extant Literæ Decretales in Bullario Nostro impressæ *Tom. I. num. 76.*

Præmissa regulæ fundamenta.

Equidem Prædecessor Noster Callistus Papa II. præfatum Monasterium Cryptæ Ferratæ *sub jurisdictione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ despondit*, constituitque, ut *nullus Episcopus, præter Romani Pontificis licentiam, in ipsum excommunicationis seu interdictionis sententiam inferre præsumeret.* Eugenius quoque Papa III. similiter Prædecessor Noster prædicti Callisti Privilegia eidem Monasterio confirmavit: Cumque tunc existens Episcopus Tusculanus, non obstantibus hujusmodi Privilegiis, nonnullos Episcopalis jurisdictionis actus in ipso Monasterio exercere contenderet, quæ ab Episcopis Prædecessoribus suis exercita fuisse dicebat; ipse Eugenius Prædecessor, re cognita, adversus Episcopum sententiam tulit. Cui quum Episcopus non planè acquievisset, eandem litem sub altero Prædecessore Hadriano Papa IV. instauravit, nova veteribus addens postulata, quæ tamen omnia ab ipso Hadriano Pontifice rejecta fuerunt, injunctumque Episcopo fuit, ut sententiæ a præfato Eugenio Pontifice promulgatæ irrefragabiliter acquiescens, si quid præterea juris, præter id, quod in ipsa sententia continebatur, in præfato Monasterio eundem habere contingeret, id omne, etiamsi post latam sententiam illud obtinuisset, abrenunciare, & resignare deberet. In quorum tamen compensationem ipse Hadrianus Prædecessor aliud Monasterium Sanctæ Mariæ de Pescho nuncupatum Episcopo Tusculano concessit, ejusque Diœcesi perpetuò univit & incorporavit. Atque hæc omnia a Gregorio Papa IX. Prædecessore pariter Nostro per Literas Apostolicas confirmata & roborata dignoscuntur.

Privilegia judicum a Abbate Commendatario prodicta.

Eadem exemptionem passivam Monasterii referuntur.

Verùm Apostolica hujusmodi Privilegia, ipsum dumtaxat Monasterium Cryptæ Ferratæ, aut ad summum Monachos in eo degentes respiciunt; atque illius, illorumque demonstrant exemptionem a jurisdictione Ordinaria Episcopi Tusculani, cui de cætero ex jure Canonum subesse debuissent. Sed in ipsis nulla mentio fit jurisdictionis activæ Abbatis, aut Monachorum, in Clerum & Populum illius Territorii.

Ideoque ad meram exemptionem paſſivam referri debent; neque eorum vigore dici poteſt eiſdem conceſſam fuiſſe Ordinariam activam juriſdictionem in Clerum & Populum; aut conſtitutum fuiſſe Territorium ſeparatum, ab ipſius Monaſterii Abbate, aut Monachis, cum hujusmodi quaſi Epiſcopali juriſdictione regendum, & gubernandum. Quin immò quum ſupradictus Eugenius Prædeceſſor in præfata ſententiâ, de duabus ipſius Monaſterii Granciis, nimirum de Cappellis Sancti Benedicti, & Sancti Pancratii, quas Epiſcopus ad ſe pertinere, Monachi autem ab illius poteſtate immunes eſſe aſſerebant, ſtatuerit ac decreverit, Epiſcopum Tuſculanum in Eccleſia Sancti Benedicti quartam partem omnium Decimarum, & oblationum mortuorum; & in Eccleſia Sancti Pancratii quartam partem totius medietatis omnium Decimarum, & oblationum mortuorum jure perpetuo habere; Presbyteris verò, qui in Cappellis ipſis pro tempore ad animarum curam deputandi eſſent, ab eodem Epiſcopo, cum Abbatis conſenſu, Inſtitutionem authorizabilem concedi debere; ipſos autem teneri de Populi quidem Curâ, Epiſcopo Tuſculano, de rebus verò temporalibus ad Monaſterium pertinentibus, ipſius Monaſterii Abbati rationem reddere; tantum abeſt, ut ſententia ab Eugenio Pontifice lata, & a prædictis illius Succeſſoribus confirmata, ad ſtabiliendam Ordinariam, & quaſi Epiſcopalem Abbatis jurisdictionem, & prætenſum ab eo Territorium ſeparatum, ullo modo conferat; quin potiùs Epiſcopi Tuſculani juribus mirificè favet, dum illius juriſdictionem in Clerum & Populum, non obſtante paſſiva exemptione Monaſterii, & Eccleſiarum ab eo dependentium, expreſſè præſervare dignoſcitur.

Judiriſdictio Epiſcopi in Territorium in ipſis ſupponitur.

Ritus Græcus in Monaſterio Cryptu Ferratæ conſtanter ſervatus.

Ut autem magis eluceſcerent, quæ ad hujuſmodi controverſiam dirimendam ampliùs conferre poſſent, minimè ſupervacaneum duximus ad Hiſtoriam fundationis ipſius Monaſterii Sanctæ Mariæ de Crypta Ferrata, animum intendere. Ex hac itaque conſtat, illud ſub initium ſæculi undecimi fundatum fuiſſe a duobus Sanctis Monachis Nilo & Bartholomæo, qui & natione, & ritu Græci erant; & quidem hujuſmodi Ritum Græcum in ipſo Monaſterio ſemper ſervatum fuiſſe, annuentibus, quin potiùs volentibus Romanis Pontificibus; qui etiam, quoties Miſſarum ſolemnia auguſtiore Ritu celebrabant, ut in Libris Ritualibus memoriæ proditum eſt, antequam Collegium pro Clericis Græcis a piæ memoriæ Gregorio Papa XIII. in Urbe erigeretur, conſueverunt ex eodem Monaſterio duos evocare Monachos, quorum unus Epiſtolam, alter Evangelium Græco idiomate, ut mos eſt, in Miſſa Pontificali canerent. Præterea Monachi in prædicto Monaſterio degentes Sacroſancta Myſteria in fermentato conficere non deſtiteruut, uſque ad tempora Beſſarionis hujus S. R. E. Cardinalis, cui primùm a felicis recordationis Pio Papa II. Prædeceſſore Noſtro, Anno Domini MCCCCLXII., idem Monaſterium commendatum fuit: Ipſe autem Beſſarion Cardinalis ab Apoſtolica Sede indultum obtinuit, ut Monachi prædicti, exemplo Maronitarum & Armenorum, a proprio ritu non recedentes, in azymo conſecrarent, & ſacris Latinorum Veſtibus induti, Græco tamen idiomate & Ritu, Miſſas celebrarent. Nec niſi ſub poſterioribus Romanis Pontificibus Paulo V., Urbano VIII., & Innocentio X., iiſdem conceſſum fuit, ut in gratiam Chriſtifidelium confluentium ad Eccleſias Ordinis Sancti Baſilii, cujus ipſi Regulam profitentur, nonnulli ex ipſis deputarentur, qui Latino Ritu, & Linguâ Miſſarum Sacrificia peragerent.

Ac diu etiam uſus Fermentati in Miſſa.

Quæ excludunt præſumptionem conceſſæ juriſdictionis in Clerum & Populum Latinum.

Ex quibus omnibus validum conficitur argumentum, ut ne quis probabiliter putet, ſupradictos Prædeceſſores Noſtros Calliſtum II., & Eugenium III. conſtituere voluiſſe Territorium ſeparatum, cum Ordinaria, & quaſi Epiſcopali juriſdictione in Clerum & Populum, favore Abbatis, & Monachorum Monaſterii Cryptæ Ferratæ; quod ſanè nil aliud fuiſſet, quàm ſubditos Latinos ab Epiſcopi Latini ſuperioritate divulſos, contra conſtantem Eccleſiæ diſciplinam, Prælati Græci juriſdictioni ſubjicere; ac præterea efficere, ut Fideles Latini, propè ipſa Romanæ Urbis mœnia, relicto uſu azymi, ſacram Euchariſtiam in fermentato ſuſciperent; neque enim in Eccleſia præfati Monaſterii de myſticis donis potuiſſent in alia ſpecie communicare, quàm in ea, in qua inibi conſecrabantur. Quod quidem nemo ſibi perſuaſerit, qui ſciat, inter Auctores, qui celebrem quæſtionem de Azymo, & Fermentato tractarunt, nullum inveniri, qui promiſcuum utriuſque uſum in Eccleſiâ Latinâ, eumdemque non continuum, ſed interruptum, poſt decimum Eccleſiæ ſæculum manſiſſe contendat; multos verò eſſe, qui ſolidis rationibus confirment, diſciplinam Azymi ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſia Occidentali invectam, & ſemper deinceps inviolatè ſervatam fuiſſe. In omnibus verò locis Italiæ Noſtræ, in quibus Græci ſimul degerent & Latini, hoc fuit perpetuum Apoſtolicæ Sedis inſtitutum, ut Græcos, ſine ullo proprii Ritus detrimento, Latinorum Antiſtitum juriſdictioni ſubeſſe voluerit: Nullibi autem ſtatutum eſſe reperietur, ut Populus Latinus ab obedientia Epiſcopi Latini ſubtractus, Prælati Græci juriſdictioni ſubditus fieret.

De prætenſa immemorabili.

Atque hæc ſufficere viſa ſunt, ut Apoſtolicorum Privilegiorum, quæ pro parte Abbatis Commendatarii Cryptæ Ferratæ, tamquam expreſſa prætenſæ ſuæ juriſdictionis fundamenta afferebantur, nullam rationem habendam eſſe judicaremus. Sed quoniam, ut ſupra diximus, deficiente Titulo expreſſo, fundari poteſt Titulus præſumptus in immemorabili hujuſmodi juriſdictionis exercitio, & quaſi poſſeſſione, de hac conſequenter videndum ſupereſt. Neque verò a Nobis ſummo jure expendetur, an poſtquam prætenſus Titulus productus eſt, iſque minus aptus, & ad intentum inefficax deprehenſus fuit, adhuc tamen permittendum ſit, ut de adſtruendo præſumpto Titulo agatur. Sed quum ſit de eſſentia immemorabilis conſuetudinis, ut nihil contra eam auditum unquam, vel dictum, aut factum fuerit; contra verò ſatis conſtet, quod ſeries actuum juriſdictionalium, quos Abbates pro tempore exercuerunt, non ſemel interrupta fuit per alios ſimiles actus intra Territorium Cryptæ Ferratæ ab Epiſcopis Tuſculanis pro tempore exercitos; non modo excluſa remanet hujuſmodi prætenſa immemorabilis favore Abbatis, quin potiùs Epiſcopo, qui pro ſe habet aſſiſtentiam juris, ea quoque regula ſuffragatur, quod unus dumtaxat actus ab ipſo exercitus in eo Territorio, quod intra fines propriæ Diœceſis conſiſtit, totam ipſius Ordinariam juriſdictionem in idem Territorium, quoad reliqua etiam, integram præſervat.

Ea deſtruitur, 1. per actus juriſdictionales ab Epiſcopis exercitos.

Quod autem pertinet ad Titulum *Nullius Diœceſis*, quod prædictus Abbas Commendatarius Monaſterio ſuo dudum attributum fuiſſe, monumentis undique collectis demonſtrare nitebatur, ex adverſo Epiſcopus, aliis adductis tum veteribus, tum recentioribus documentis, in quibus idem Monaſterium *Tuſculanæ Diœceſis* nuncupatur, ſatis probavit præfatam appellationem nequaquam conſtantem & perpetuam, ut par erat, extitiſſe: Neque verò novum eſt, quod Monaſteria aut Loca, quæ gaudent exemptione paſſiva, quemadmodum proculdubio gaudet Monaſterium, de quo agitur, aliquando appellata fuerint *Nullius Diœceſis*, quum & apud Scriptores, & in ipſis Decretis Sacri Tridentini Concilii, plura hujuſmodi loquutionis exempla ſuppetant.

2. Per appellationem Tuſculanæ Diœceſis eidem Monaſterio ſæpe tributam.

3. Per actus Abbatum de propriis facultatibus dubitantium.

Denique quum Abbates Commendatarii Cryptæ Ferratæ pro tempore existentes, facultatem approbandi Monachos ipsius Monasterii ad audiendas in ea Ecclesia Sacramentales Confessiones Sæcularium, sive in ipso Monasterio habitantium, sive aliunde ad ipsam Ecclesiam confluentium, ab Apostolica Sede postulaverint, & obtinuerint; quamvis ea facultas ad cautelam, & ad majorem conscientiæ securitatem petita fuisse dicatur; hoc ipsum apertè demonstrat, non satis firmam eisdem Abbatibus fuisse opinionem de suo Territorio separato, ac de activa & quasi Episcopali jurisdictione in Clerum, & Populum; adeoque ipsosmet aliquando audisse, prætensa jura sua non levibus rationibus in dubium revocari; id quod assertam immemorabilem prorsus destruit, ut suprà diximus.

Sententia profertur favore Episcopi Tusculani.

His igitur, aliisque legitimis fundamentis innixa fuit definitiva sententia, quam pro hujus litis, & controversiæ decisione, omnibus maturè perpensis, ac de unanimi præmissorum consilio, ipsa die decima tertia proximè elapsi mensis Februarii, protulimus; quamque nunc per hæc Apostolica scripta edicimus, promulgamus, & Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine communimus, & roboramus.

Nova Privilegia, & Indulta conceduntur Abbati Cómendatario Cryptæ Ferratæ.

Et nihilominus antiquum respicientes splendorem ipsius Monasterii Sanctæ Mariæ de Crypta Ferrata, ac memores insignium Abbatum, qui & ejus primævum Claustrale gubernium, & deinceps ipsius commendatum regimen obtinuerunt; præcipuam verò rationem habentes singularium meritorum prædicti Dilecti Filii Nostri Joanni Antonii Presbyteri Cardinalis, hodierni ipsius Abbatis Commendatarii, qui non modò cum eximia sui nominis laude demandatum sibi munus Vicarii Nostri in Urbe, ejusque Districtu exercet; sed etiam, tamquam diligens præfati Monasterii Præsul, pro commendata sibi illius jurium defensione, omnia monumenta ad hunc effectum opportuna, etiam in sanctioribus Apostolicæ Sedis Tabulariis conquisita, non sine magna impensa, colligere & proferre non prætermisit, omniaque rationum momenta ab egregiis Jurisconsultis deduci & exponi curavit; eidem Joannio Antoni Cardinali, & Abbati Commendatario, ejusque in perpetuum, infrascripta Privilegia, & Indulta, Motù proprio, ac de Apostolica liberalitate, & auctoritate, tribuimus & impertimur.

I. Conferendi Sacramentum Confirmationis semel in anno.

Primum videlicet; ut tam ipse, quàm illius Successores præfati, dummodo Episcopali charactere præditi sint, Sacramentum Confirmationis in ipsa Ecclesia Abbatiali semel singulis annis administrare, ac omnibus illud expetentibus per se ipsos ritè conferre possint, & valeant.

II. Approbandi Confessarios pro Sæcularibus, in perpetuum.

Secundùm, ut, quoniam Prædecessores Nostri Romani Pontifices ejusdem Monasterii Abbatibus pro tempore Commendatariis facultatem concesserunt approbandi aliquot ex ipsius Monachis ad excipiendas Confessiones Sacramentales Fidelium ad eandem Abbatialem Ecclesiam confluentium; hujusmodi facultas, quam Nos ipsi prædicto Joanni Antonio Cardinali ad ejus vitam, seu donec ejusdem Monasterii Commendam obtinuerit, per Apostolicas Literas in forma Brevis elargiti fuimus, non ad ipsum solummodo hodiernum Abbatem Commendatarium, sed ad futuros etiam illius Successores in perpetuum extensa sit, & esse censeatur; quibus etiam Monachis, ab Abbatibus Commendatariis pro tempore, ut præfertur, ad Sæcularium Confessiones approbatis, aliquoties infra annum, at potissimum in solemnioribus Festivitatibus, in quibus frequens populus ad prædictam Ecclesiam Cryptæ Ferratæ accedere solet, facultatem absolvendi a peccatis in ipsa Tusculana Diœcesi reservatis, per futuros pro tempore Episcopos Tusculanos indulgeri, plurimum in Domino cupimus, & Apostolicis hortationibus suademus.

Tertium, quod spectat ad Matrimonia contrahenda a personis Territorium incolentibus Cryptæ Ferratæ, ut idem Abbas Commendatarius, ejusque Successores possint examina Testium super statu libero contrahentium per Cancellarium Abbatialem recipi facere; nec non Monacho animarum curam pro tempore exercenti licentiam impertiri pro denunciationibus ad formam Concilii Tridentini faciendis, quoad personas ipsius Parochiæ subditas; dummodò tamen causæ tam super separatione Tori, quàm super nullitate Matrimonii in ipsa Parochia contracti, si quas judicialiter cognosci oporteat, ad Episcopi Tusculani, non autem ad Abbatis prædictè judicium deferantur.

III. Recipiendi examina Testium super statu libero.

Et concedendi licentias pro publicationibus Matrimoniorum.

Salvo jure Episcopi in Causis Matrimonialibus.

Quartum denique, ut præter causas civiles, criminales, & mixtas, quæcumque ad Abbatis Commendatarii Forum Laicale, seu Baronale, spectare dignoscuntur, idem Abbas, ejusque Successores pro tempore futuri, eas etiam causas merè civiles, quæ inter Mensam Abbatialem, aut Monasterium, seu eorum Conductores ex una, & ipsius Mensæ, aut Monasterii debitores ex altera, partibus, super canonibus, livellis, aliisque responsionibus, verti contingat, etiamsi hujusmodi causæ, ratione personæ, vel ratione rei controversæ, ad Forum Ecclesiasticum pertineant, tam per se ipsos, quàm per Judices a se deputatos; dummodò hi Clericali qualitate præditi sint; & dummodò neminem verbaliter, seu realiter citent, nisi intra Territorium ipsius Monasterii, aut si quem extra Territorium prædictum citare voluerint, opportunas facultates, sine *exequatur*, ab Ordinario Loci antea obtinuerint; in prima instantia cognoscere, decidere, ac debito fine terminare possint & valeant, motu & auctoritate prædictis, ac præsentium Literarum tenore perpetuò concedimus, & indulgemus.

IV. Cognoscendi in prima instantia causas civiles Mensæ Abbatialis, etiam ad forum Ecclesiasticum spectantes.

Caterum supradictam sententiam a Nobis prolatam, easdemque præsentes Literas, cum omnibus, & singulis in ipsis contentis, semper firmas & efficaces existere, & fore decernimus, nec ullo unquam ex capite, colore, prætextu, aut causa, etiam quantumvis juridica, & privilegiata, aut in corpore juris clausa, etiam litis pendentis coram quocumque Judice, aut Tribunali, cujus litis statum & merita, & alia quæcumque etiam specificam mentionem, & individuam expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, vel etiam ex eo, quod ipse Abbas Commendatarius, aut Monachi præfati, vel alii quicumque in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, illis non consenserint, vel non satis auditi, & causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, sufficienter verificatæ, aut justificatæ non fuerint, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari posse; sed ipsas præsentes suos debitos, ac plenarios effectus perpetuò sortiri & obtinere, & tam Episcopis Tusculanis pro tempore existentibus, quàm dicto Joanni Antonio Cardinali, & Abbati Commendatario, ejusque in præfata Commenda Successoribus respectivè, in omnibus, & per omnia etiam perpetuò suffragari.

Servata juris forma in Citationibus extra proprium Territorium exequen.

Clausulæ præservativæ.

Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices, Ordinarios,

&

& Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, aliosque quoslibet, quacumque præeminentia, potestate, & auctoritate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet, aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam scientèr, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus præmissis Callisti, Eugenii, Gregorii, aliorumque Romanorum Pontificum Apostolicis Literis, Constitutionibus, & Ordinationibus, aliisque quibuscumque privilegiis, aut indultis, eidem Monasterio, ejusve Abbatibus Claustralibus, sive Commendatariis, nec non præfato Ordini Sancti Basilii, ejusque Professoribus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam ex titulo oneroso, etiam Consistorialiter, & motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, concessis, aut pluries approbatis, confirmatis, & innovatis; nec non Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ejusdemque Monasterii usibus, stilibus, & consuetudinibus, si quas etiam ab immemorabili tempore pacificè observatas fuisse apparuerit; quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, latissimè & plenissimè, ac specialitèr & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides præstanda transumptis.

Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur iisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ Sententiæ, Decreti, Declarationis, Constitutionis, Concessionis, Ordinationis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Pontif. Anno VII. die 24. Aprilis 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, pridie nonas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

D. Card. Passionеus. J. Datarius.

Visa de Curia I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 24. Aprilis 1747.*

---

XXXIV. Ampliatur Episcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis; etiam per alios, tam in Civitatibus, quàm in Diœcesibus, ab ipsis subdelegatos.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Ecclesiæ pia cura erga

PIA Mater Catholica Ecclesia, de æterna Filiorum suorum salute in primis sollicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam prætermisit omnibus eos subsidiis pro hujusmodi temporis necessitate opportunis juvare, atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad æterna præcavenda supplicia, quàm quæ apta & salubria forent ad evitandas pœnas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpæ, æternæque pœnæ reatu, in Purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licèt ex veteri simul, & recenti Ecclesiæ disciplina, graviorum quorumdam criminum absolutio Romano dumtaxat Pontifici in universo Christiano Orbe, aliorum autem singulis Ecclesiarum Præsulibus in eorum Diœcesibus, reservata fuerit; attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die, omnes hujusmodi absolutionum reservationes cessare, & cuilibet Sacerdoti liberam, & plenam facultatem esse, quemcumque pœnitentem a quibuscumque peccatis, & criminibus, nec non Ecclesiasticis sententiis, atque censuris absolvendi, providè declaratum fuit. Præterea quum in Ecclesia immensus, & inæstimabilis existat Thesaurus spiritualis, ex infinitis constans satisfactionibus Passionis, & mortis Domini Nostri Jesu Christi, ac præterea ex meritis, & satisfactionibus gloriosæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, omniumque Sanctorum, & Electorum, cujus Thesauri dispensationem Salvator Noster Beato Petro Apostolorum Principi, ejusque in perpetuum Successoribus tradidit; hoc semper summo studio curarunt Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos Fideles largè diffunderent, & maximà omnium amplitudine, quæ Indulgentia Plenaria nuncupatur, cujusque impertiendæ jus in Apostolica Sede unicè residet, ipsis potissimum applicarent: Quam quidem in rem Episcopis per Ecclesias constitutis vices suas cum opportunis facultatibus delegarunt; ne ullus in Orbe Terrarum angulus esset, ubi Catholicæ Religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia deesset, pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur.

Ut & a peccatis absolvantur.

Et promeritas pœnas evadant.

Hactenus hujusmodi facultas Episcopis concedi consuevit, Pontificis nomine, & auctoritate, per privatas Epistolas ipsius Secretarii Brevium secretorum, qui expositâ Pontifici petitione pro parte cujusque Episcopi, & pro spirituali utilitate ipsius Subditorum ad se delatâ, rescribere solebat, petitam facultatem ab ipso Pontifice eidem indulgeri *ad Triennium proximum*; hac tamen lege, ut ipse eâ uteretur, nimirum Benedictionem impertiret, & Indulgentiam Plenariam ægrotis in mortis articulo constitutis largiretur *per se ipsum immediatè*, vel, quatenùs Episcopum suffraganeum haberet, *per Dominum Suffraganeum suum*; nec, nisi necessitate cogente, & quidem nocturno tempore, alium Sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset: *Ubi verò præcisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat, idem permittit, ut alicui Sacerdoti pio, per Dominationem Vestram qualibet vice eligendo &c. communicare valeat.* Quo verò ad Moniales, Ordinarii earum Confessarii operâ in eum finem uteretur.

Forma Indultorum pro largitione Indulgentiæ Plenariæ in articulo mortis, Episcopis concedi solet.

Hanc porrò facultatem, prout in hujusmodi Literis concedebatur, Ecclesiarum Pastores jamdudum judicarunt angustis nimium limitibus circumscriptam; non solùm ob brevè Triennii spatium ipsi præfinitum; verùm etiam quia, propter relatas leges circa illius usum præscriptas, ab hujusmodi Indulgentiæ Plenariæ beneficio excludi videbant plerosque fideles sibi subjectos, præsertim verò eos, quos extra

Eorum ampliatio alias expetita fuit.

ipsorum Residentiæ locum, & in remotis Diœcesum regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt instantiæ Vicariorum Capitularium, & Vicariorum Apostolicorum, sicut etiam Prælatorum inferiorum Territorium separatum habentium, cum activa in Clerum & Populum jurisdictione, qui eandem facultatem Episcopis concedi solitam, sibi quoque tribui postularunt: Quibus de rebus actum fuit die XXII. Novembris MDCCX. in Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpositâ, cujus Consultoris officium in minoribus tunc constituti obtinebamus; sed nihil tunc temporis est innovatum, resque in priori statu relicta fuit.

Congregatio Concilii in eundem sensum devenit.

Cum verò deinceps alterum quoque munus Secretarii Congregationis Decretorum Concilii Tridentini interpretis Nobis in minoribus pariter degentibus demandatum fuisset; instante Episcopo Mazariæ tunc existente, duo Dubia eidem Congregationi definienda proposuimus, unum videlicet, an, stante dispositione præmissarum Epistolarum Secretarii Brevium, ut scilicet Episcopus pro impertienda Monialibus Benedictione, & Indulgentia Plenaria eisdem in articulo mortis applicanda, earum Confessarii operâ uteretur, licitum sit Episcopo, Monasterii Claustra ingredi, ut hujusmodi pium opus per se ipsum adimpleat; alterum verò, quatenùs id Episcopo permittatur, an, & a quibus comitatus Monasterium ingredi debeat; super quibus, perpenso Folio a Nobis pro hujusmodi quæstionum elucidatione de more exarato, die x. Maji anni MDCCXXVII., responsum fuit, ad primum: Licere Episcopo, quoties voluerit, ad impertiendam Benedictionem Moniali in mortis articulo constitutæ Monasterium intrare. Ad secundum; Episcopo ad hunc effectum intra Monasterii septa se conferenti comites esse debere Confessarium ordinarium ipsius Monasterii, aliumque Sacerdotem ipsius Episcopi arbitrio eligendum. Rescripto autem additum fuit: *Et ad Dominum Secretarium cum Eminentissimo Secretario Brevium;* quibus nimirum verbis Nobis demandatum fuit, ut cum bonæ memoriæ Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium secretorum Prædecessoris Nostri Benedicti Papæ XIII. Secretario, ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis Epistolis contentarum, quarum formulam a Nobis in Folio tunc eidem Congregationi, ut præfertur, exhibito, integrè insertam, ipsa Congregatio paulò arctioribus conclusam limitibus judicavit.

Pontificis experientia in Episcopalis Officii administratione.

Neque porrò omisimus injunctum Nobis onus agendi cum præfato Cardinali Brevium Secretario quamprimum implere; verùm quum paulò post ab eodem Benedicto Prædecessore in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptati, ad regendam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam Nos contulerimus, ex qua biennio post ad Metropolitanam Bononiensem translati fuimus, non licuit Nobis negocium istud ad optatum finem perducere. Interim verò, quum non minùs pro Anconitano, quàm pro Bononiensi Populo, hujusmodi facultatem Indulgentiæ Plenariæ moribundis Fidelibus impertiendæ ab Apostolica Sede, ut par erat, expetitam, juxta consuetam formam, ac superiùs enunciatis limitibus circumscriptam obtinuissemus; ipso statim usu, & propria experientia, in eas incidimus difficultates, quæ & anno MDCCX., ut præfertur, in Congregatione Sacris Reliquiis, & Indulgentiis præposita, a Nobis tanquam Consultore propositæ fuerant; quæque deinceps anno MDCCXXVII. alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a Nobis etiam, pro Secretarii munere, expositæ, causam dederunt memoratæ consultationi cum Secretario Brevium introducendæ. Etenim tum in Anconitanæ, tum verò in amplioris Bononiensis Ecclesiæ regimine, animadvertimus, ob interdictam Nobis hujusmodi facultatis subdelegationem, omnes plerumque Diœcesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio summis suis temporibus orbatos manere; & quidem cum irreparabili damno, deficientibus per Diœcesim Collegiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus a felicis recordationis Prædecessore Nostro Alexandro Papa VII. per Literas die XV. Januarii anni MDCLVI. datas, & perpetuò valituras, indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis Benedictionem cum Indulgentia Plenaria impertiri valeant; nec aliis extantibus Cœnobiis Regularium, quibus, pro Confratribus piarum quarumdam Societatum ab eorum Ordinibus institutarum, similia Indulta, & Privilegia ab Apostolica Sede concessa fuerunt. Quod verò spectat ad Incolas ipsius Civitatis, si quidem hæc, ut Bononia est, frequenti Populo sit referta, quum facultas substituendi non aliter in præfata Epistola tribuatur, quàm in casu præcisæ necessitatis cum nocturno tempore conjuncto, cum magno animi Nostri dolore experti sumus Paternæ hujusmodi charitatis actus erga dilectos in Christo Filios nostros, non eâ assiduitate, qua cupiebamus, per Nos ipsos præstari posse. Nam præterquamquod necesse habebamus nonnullis per annum mensibus a Civitate abesse, ut, juxta præscriptum Sacræ Tridentinæ Synodi, si non totam, saltem aliquam illius amplæ Diœcesis partem singulis annis coram invisendo, corrigendo, docendo, & Sacramentum Confirmationis visitatis plebibus ministrando, lustraremus; jam in ipsa Civitate degentes, nullam ferè diurni temporis horam vel a Divinis rebus, vel a Pastoralis Officii occupationibus vacuam habebamus; dum pro occurrentium negociorum expeditione, nunc adeuntium postulationibus, nunc Ministrorum relationibus, nunc Congregationum consultationibus operam dare oportebat; recurrentibus autem Ordinationum temporibus, vel evenientibus Ecclesiarum Parochialium vacationibus, aut cessantibus Confessariorum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnisi temporibus definitas iisdem concedere consuevimus, Examina atque Concursus sine Nobis haberi non permittebamus. Et sanè, si quis Episcopalis vitæ conditiones, ut verè se habent, considerare velit, facilè agnoscet, majorum Civitatum Episcopos ferè redactos esse ad hujusmodi Benedictionis, & Indulgentiæ beneficium aliquibus dumtaxat Personis, vel genere, vel aliis qualitatibus conspicuis, & quidem instantibus, & postulantibus, exhibendum; pauperibus autem, & humilioribus, ob præclusam sibi, extra necessitatis & noctis tempora, subdelegandi facultatem, vix unquam succurrere posse.

Episcopalis vitæ assidua occupatio.

Objectum adversus frequentes concessiones Indulgentiæ Plenariæ in articulo mortis diluitur.

Quod si satis momenti, & auctoritatis haberet sententia a nonnemine proposita, Plenariam scilicet Indulgentiam in mortis articulo concedendam non esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam merita extitissent; eâ nimirum de causa, quod quum pro hujusmodi Indulgentiæ consequutione vel nullum omninò opus injungi, vel nonnisi morientis statui & viribus accommodatum imponi possit, præterita dumtaxat in Ecclesiam merita, cum extrema præsenti necessitate conjuncta, locum supplere possint aliorum operum, quæ cæteroquin ad Plenariam Indulgentiam adipiscendam præscribi solent; nihil profectò esset, cur aliquid nunc a Nobis innovando statueretur. Verùm Prædecessorum nostrorum hac in re agendi ratio, relatæ opinioni contraria dignoscitur. Ut enim multas

præ-

prætereamus concessiones Indulgentiæ Plenariæ morientibus fidelibus indistincte applicandæ; quænam porrò, & quam magna in Ecclesiam promerita fuisse dicemus eorum, qui quatuor ab hinc sæculis, pestifera lue per Angliam grassante, ex hac vita decedebant? quibus tamen omnibus, dummodo sacramentaliter confessi, & sacra Communione refecti fuissent, Prædecessores Nostri Clemens Papa VI. & Gregorius Papa XI. Benedictionem cum Indulgentia Plenariâ per Legatos suos impertiri non recusarunt. Sed & ipsa Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita jam usque ab anno MDCLXXV. die XIII. Aprilis, re diligenter perpensâ, censuit, Indulgentiæ Plenariæ largitionem in eos etiam, qui singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excellerent, recte & utiliter conferri, atque diffundi.

Pontificis benignitas veteribus, & recentibus exemplis innititur.

Quapropter Apostolicæ charitatis nostræ viscera dilatantes, & tam veteribus, quàm recentioribus Ecclesiasticæ benignitatis exemplis inhærentes; siquidem extat illustre monumentum tertii Ecclesiæ sæculi in Epistola Sancti Cypriani, quæ in novis Editionibus impressa est *numero XII.*; quâ scilicet, in eorum gratiam, qui Libellos Martyrum obtinuerant, & in mortis periculo versabantur; quum ipse æstivis ardoribus præpediretur, quò minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos sese conferre posset; permittit ut id, vice sua, a quocumque Presbytero, aut etiam Diacono, præstari queat: Novissimis verò temporibus, ex secunda Mediolanensi Provinciali Synodo constat, a felicis recordationis Prædecessore Nostro Gregorio Papa XIII., omnibus Episcopis illius Provinciæ concessum fuisse, non solùm ut ipsi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria moribundis Fidelibus impertiri; sed etiam, ut aliis hujusmodi facultatem liberè subdelegare possent: His igitur, aliisque exemplis, nec non rationibus superius relatis permoti, hac Nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione novas in hac materia regulas præfinire, quodque olim, ut præmisimus, de alterius sententia deliberandum Nobis fuerat, nunc demum de concessa Nobis Apostolicæ potestatis plenitudine absolvere, ac perficere constituimus.

Indulta ad triennium concessa confirmantur, & ampliantur ad vitam, seu &c.

Itaque primùm volumus atque decernimus, ut quæ facultates impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis nunc existentibus a Nobis, vel a Prædecessoribus Nostris ad hunc diem concessæ reperiuntur, licet illæ in consuetis Epistolis Secretarii Brevium ad Triennium dumtaxat, vel aliàs ad definitum tempus indultæ fuerint, nihilominus præsentis nostræ Constitutionis vigore eò usque in suo robore maneant, quoad iidem Antistites earum Ecclesiarum, atque Diœcesum regimen obtinebunt, quarum favore, & intuitu easdem facultates a Nobis, & ab Apostolica Sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus hujusmodi, motu proprio, & auctoritate præfata, atque earumdem præsentium Literarum serie, extendimus, & prorogamus.

Adjecta facultate subdelegandi in Civitatibus, & Diœcesibus, etiam de die.

Utque præterea unusquisque ex Antistitibus præfatis, unum, aut plures pios Sacerdotes sive Sæculares, sive Regulares, prout necessarium fore judicabunt, in eorum Civitatibus subdelegare valeant, qui, dum ipsi Antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis hujusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice, Benedictionem hujusmodi cum Indulgentiæ Plenariæ applicatione Christifidelibus in præfato articulo constitutis impertiantur; aliosque similiter per Diœcesim Sæculares, aut Regulares Sacerdotes, quotquot pro numero animarum in Diœcesibus existentium necessarios judicaverint, ad prædictum effectum deputare, & subdelegare possint; nec non eosdem a se deputatos, & subdelegatos removere, aliosque in eorum locum pro suo arbitrio, & prudentia subrogare valeant; iisdem motu, potestate, & tenore, concedimus, & indulgemus.

Ampliora Indulta in posterum cõcedentur per Literas Apostolicas.

Si verò aliquem ex Antistitibus nunc per Ecclesias constitutis, & præfatâ facultate gaudentibus, ad aliarum Ecclesiarum regimen Apostolica auctoritate transferri contingat; sive aliquis eorum sit, quorum favore consuetæ Literæ Secretarii Brevium ad hunc diem expeditæ non fuerint; ac denique quum novi Episcopi Catholicis Gregibus in posterum præficientur; volumus atque statuimus, ut singulis eorum hujusmodi facultatem a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice postulantibus, Apostolicæ Literæ in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus prædicta facultas ipsis concedatur, non ad Triennium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiæ regimen obtinebunt; adjecta etiam facultate subdelegandi tam pro Civitate, quàm pro Diœcesi, non quidem in casu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore conjuncti, sed in omnibus & per omnia ad normam eorum, quæ pro Episcopis nunc existentibus, & Indulto hujusmodi actu gaudentibus, supra statuimus.

Etiam favore Prælatorum Inferiorum jurisdictionem habentium.

Insuper pro Prælatis Inferioribus Territorium separatum habentibus, cum vera qualitate Nullius, & activâ in Clerum & Populum jurisdictione; quamvis Prædecessores Nostri hanc de præterito consuetudinem non habuerint; nihilominus de Apostolica liberalitate, ac simili motu & tenore concedimus & indulgemus, ut, si ab ipsis hujusmodi facultas petita fuerit, similes Literæ in forma Brevis in posterum singulis eorum expediantur, juxta eandem formam, mutatis mutandis, quàm pro Episcopis constituimus; ne exceptâ quidem facultate subdelegandi, ut suprà; dummodo ipsi Prælati hanc gratiam postulantes, Apostolicis Literis nostris Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXL. nono Kalend. Decembris datis, quarum initium est: *Quod sancta*, impressis in Bullario nostro *Tom. I. num.* 7., obtemperaverint; nimirum sacra Apostolorum Limina præscriptis temporibus visitaverint, & relationem status Ecclesiarum sibi subjectarum Apostolicæ Sedi exhibuerint; vel, quatenus Prælationis honorem de novo accipiant, debitum juramentum in memorata Constitutione præscriptum antea præstiterint.

Indulta non expirant morte Pontificis.

Dum autem hujusmodi facultatem Episcopis eam actu obtinentibus prorogavimus, & ampliavimus, ut præfertur; cæteris verò tam Episcopis, quàm Prælatis Inferioribus in posterum eam petentibus, supradicta formâ & amplitudine concedendam fore decrevimus; sequitur, ut hujusmodi Indulta nequaquam morte concedentis expirent; quum jurisdictio delegata in iis, quæ non justitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat. Quoniam verò iisdem Episcopis, & Prælatis permittimus, ut hujusmodi facultatem, pro Incolarum Civitatum, Locorum, atque Diœcesum opportunitate & necessitate, uni, vel pluribus Sacerdotibus in posterum subdelegare valeant; statuimus atque decernimus, hujusmodi subdelegationes, per subdelegantis cessum aut decessum similiter non expirare; sed potestatem ipsis tributam perseverare usque ad superventum novi Præsulis, cujus arbitrio relinquimus, eosdem in hujusmodi officio confirmare, vel ab eo removere. Atque ita quicumque Antistes memoratam facultatem à Romano Pontifice semel obtinuerit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicæ

Nec subdelegationes per cessum aut decessum subdelegantis.

Cathedræ Succeſſorem recurrere. Sicque etiam cedente vel decedente Epiſcopo, ſeu Prælato, a quo eadem facultas in ſua Diœceſi aut Territorio ſubdelegata fuerat, novâ conceſſione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium, aut Apoſtolicorum, regimine; quum Subdelegatorum auctoritas ſuper manere debeat, quamdiù vel Epiſcopus ipſe, aut Prælatus, vel illius Succeſſor eandem ipſis non ademerit.

Hac igitur ratione animarum ſaluti conſulentes, quantum Nobis in Domino licuit, piam conſuetudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indulgentiam Eccleſiæ Filiis in mortis articulo conſtitutis, ampliare, & faciliorem reddere curavimus. Permiſsâque Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis, Eccleſiarum Epiſcopis & Præſulibus, facultate alios Sacerdotes ad hunc effectum, tam in Civitatibus, quàm in Diœceſibus ſubdelegandi, non parum levaminis eorum anxieratibus, & ſollicitudinibus per Nos allatum eſſe putamus. Verumtamen ipſis declaratum volumus, non id propoſitum Nobis fuiſſe, ut eos prorſus eximeremus ab hoc paternæ charitatis officio, per ſe ipſos adeundi miſeros ægrotos Plenariæ abſolutionis in extremo articulo adipiſcendæ cupidos; ſed ut eorum pietatem opportunè juvaremus, ne, dum ipſi aliis Paſtoralibus curis detinentur, dolere debeant, commiſſos ſibi Fideles hoc tanto ſpirituali beneficio deſtitutos ex hac vita migrare. Qui verò pium hujuſmodi opus per ſemetipſos exercere gaudent (quod ſanè omnes, quoties legitimè impediti non fuerint, facturos eſſe confidimus), meminerint, non id dumtaxat erga nobiliores & potentes hujus ſæculi, ſed erga pauperes quoque, & adjectæ ſortis homines præſtandum eſſe. Qua de re utiliter legi poterit Prædeceſſoris Noſtri S. Gregorii Magni Homilia XXVIII. in Evangelia *ad Cap. IV.* Joannis: *Erat quidem Regulus, cujus Filius infirmabatur Capharnaum*, in qua mirabilem atque cœleſtem obſervat amantiſſimi Redemptoris Noſtri JESU CHRISTI agendi rationem, qui ad inviſendum ægrotantem Reguli filium invitatus ire abnuit, ad Centurionis Servum nec invitatus iturum ſe profitetur: *Quid eſt quod Regulus rogat, ut ad ejus filium veniat, & tamen venire recuſat; ad Servum verò Centurionis non invitatur, & tamen ſe corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præſentiam non dignatur adeſſe; Centurionis Servo non dedignatur occurrere.*

Monitum ad Epiſcopos ut ad Ægrotos perſonaliter accedant.

Ut autem Indulgentiæ fructus a Fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc ſedulò agendum erit, ut Populus in Sacris Concionibus & Catecheſibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiæ Dei, quam in Baptiſmo acceperunt, ingrati, per actualia peccata Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & Templum Dei violare non ſunt veriti, quantumvis æterna ſupplicia in Pœnitentiæ Sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque pœna Divinæ juſtitiæ exſolvenda ſupereſt, cujus remiſſio obtinenda eſt non ſolùm per ſatisfactiones a Sacerdote Confeſſario in ipſo Pœnitentiæ Sacramento pro menſura delicti impoſitas, aut per Chriſtianam tolerantiam earum adverſitatum, a quibus mortalium vita immunis eſſe nequit; verùm etiam per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia; Alioquin verendum eſſet, ne ſalutis remedia ab Eccleſiæ benignitate Fidelibus ſuppeditata, paulatim in pravæ libertatis & licentiæ fomentum traherentur; compluribus ſibi temerè blandientibus de remiſſione tùm ſempiternæ pœnæ, per Sacramentalem abſolutionem, tum temporalis, per Indulgentiæ Pontificiæ applicationem, in exitu vitæ impetranda; neque cogitationibus quam incertum ſit omnibus non ſolùm quâ horâ, & quo mortis genere ex hac vita migrandum ſibi fuerit; ſed etiam an Indulgentiam, licèt externo ritu ſibi applicatam, cum effectu ſint percepturi. Præpoſtera æquè ac periculoſa antiquis Eccleſiæ temporibus inoleverat conſuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptiſmum nomina obtulerant, ad finem uſque vitæ ipſius Sacramenti perceptionem prorogarent, quò ſcilicet interim ingenio liberè indulgerent, ac demum quum è vita diſceſſuri eſſent, per ſalutare lavacrum, ab omni culpa, & tam ab æterna, quàm a temporali pœna ſoluti, ad cœleſte Regnum rectâ transferrentur; contra quos extant graviſſimæ objurgationes Sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione XL., & Sancti Joannis Chryſoſtomi in Homilia I. ſuper Acta: Sed & Eccleſia Catholica pravam hujuſmodi confidentiam improbare ſe declaravit, dum eos, qui in mortis periculo Baptiſmum ſuſceperant, ſi convaluiſſent, a Sacris Ordinibus & ab Officiis Eccleſiaſticis arcendos, ac perpetuò irregulares fore decrevit.

Monita ſalutaria Fidelibus inculcanda.

Et quoniam Sacerdotibus, qui Fideles in extremo agone laborantes piè adjuvant, vel Eccleſiæ Sacramenta ipſis miniſtrant, Rituale Romanum injungit, ut ſi ægrotus Indulgentiam Plenariam legitima auctoritate conceſſam conſequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque quid ad eam conſequendam agere debeant; ex his autem, qui ad hujuſmodi ſtatum redacti ſunt, alii quidem cum plenâ cognitione integrum loquelæ uſum retinent, alii verò loquendi facultatem amiſerunt, licèt antea ſinceræ contritionis indicia dederint, eaque adhuc ratione utentes, identidem dare non deſinant; Ideò, quò certius prædicti omnes Indulgentiæ fructum conſequi valeant, præfatis Sacerdotibus mandamus, ut omni ratione ſtudeant moribundos Fideles excitare ad novos de admiſſis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendoſque ferventiſſimæ in Deum charitatis effectus; præſertim verò ad ipſam mortem æquo ac libenti animo de manu Domini ſuſcipiendam. Hoc enim præcipuè opus in hujuſmodi articulo conſtitutis imponimus & injungimus, quo ſe ad Plenariæ Indulgentiæ fructum conſequendum præparent, atque diſponant. Qua in re auctor Nobis eſt Sanctus Doctor Auguſtinus, qui *in Libro XIII. de Civit. Dei cap. 6.* poſtquam horridam mortis ſpeciem, eique renitentes hominum animos deſcripſit, quodque in aliis ſuis operibus non ſemel docuerat, mortem nimirum eſſe peccati originalis pœnam, ibi quoque aſſeruit & confirmavit; hæc ad rem noſtram appoſitè ſubdit: *Quidquid tamen illud eſt in morientibus, quod cum gravi ſenſu admit ſenſum, piè, fideliterque tolerando, auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio ſit mors pœna naſcentis; tamen, ſi proprietate, juſtitiaque pendatur, ſit gloria renaſcentis; & cum ſit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

Religioſis actus moribundis fidelibus inſinuandi.

Præfertim acceptatio mortis, tanquam opus pro Indulgentia injunctum.

Pro impertiendâ verò Benedictione Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, applicandâque ipſis Plenariâ Indulgentiâ, quum nulla certa formula olim præſcripta foret, ſanctæ memoriæ Prædeceſſor Noſter Benedictus Papa XIII. anno Domini MDCCXXVI. pias quaſdam Preces & Orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exemplo, in his, quæ opportuna judicavimus, inhærentes, aliam de novo formulam, cum his, quæ in hac noſtra Conſtitutione præſcripta ſunt, magis congruentem confecimus, & inſtituimus, quam ab omnibus in poſterum uſurpari præcipimus; Mandantes, hoc ipſum inculcari, & injungi in Apoſtolicis Literis, quæ deinceps pro conceſſione prædictæ facultatis Indulgentiæ

Formula impertiendæ Benedictionis a Pontifice conſtituitur.

Plena-

Plenariæ moribundis impertiendæ, ut præmiſimus, expediendæ erunt.

Clauſulæ & derogationes.

Ac decernentes, ipſas præſentes Literas ſemper validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus perpetuò ſortiri, & obtinere, atque iis ad quos ſpectat, ſeu ſpectabit in futurum, pleniſſimè ſuffragari: Non obſtantibus Apoſtolicis, & in Generalibus, ſeu Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, ſeu ſpecialibus Conſtitutionibus, ac quibuſcumque contrariis, etiam Congregationum S. R. E. Cardinalium, Decretis & Reſolutionibus etiam Apoſtolica auctoritate approbatis, roboratis, & pluries confirmatis; uſibus quoque, ſtilibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus: Quibus omnibus & ſingulis, ad præmiſſorum effectum, motu, ſcientia, & poteſtate præfatis ampliſſimè derogamus, aliiſque contrariis quibuſcumque.

Fides præſtanda Tranſumptis.

Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tenor Formulæ ſupra enunciatæ.

Formula igitur, quam pro impertienda Benedictione, & Plenaria Indulgentia moribundis Fidelibus applicanda, ut præfertur, in poſterum adhibendam eſſe præſcripſimus, talis eſt:

*MODUS*

A SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV.

approbatus.

*Pro opportunitate temporis ſervandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis conſtitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apoſtolica delegatam.*

*BEnedictio in Articulo mortis cum ſoleat impertiri poſt Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum ſana mente, & integris ſenſibus erant, ſeu veriſimiliter petiiſſent, vel dederint ſigna contritionis; impertienda iiſdem eſt, etiamſi poſtea linguæ, cæterorumque ſenſuum uſu ſint deſtituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis verò, impœnitentibus, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, eſt omnino deneganda.*

*Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet Infirmus; dicat*: Pax huic Domui &c., *ac deinde ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam*: Aſperges &c.

*Quod ſi Ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Si Confeſſionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia, ac virtute, ſi tempus ferat, breviter admoneat; tum inſtruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque ſeſe paratum offerat ad ultrò acceptandum quidquid ei placuerit, & mortem ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipſum verbis conſoletur, in ſpem erigens fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remiſſionem, & vitam ſit conſecuturus æternam. Poſtea dicat*:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.

*Antiphona.*

Ne reminiſcaris Domine delicta Famuli tui (*vel* Ancillæ tuæ) neque vindictam ſumas de peccatis ejus.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac Servum tuum (*vel* Ancillam tuam, & *ſic deinceps*).
℟. Deus meus ſperantem in Te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

Clementiſſime Deus, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque ſperantem, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice propitius Famulum tuum N., quem tibi vera Fides, & ſpes chriſtiana commendant. Viſita eum in ſalutari tuo, & per Unigeniti Tui Paſſionem, & Mortem, omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus ſui Te Judicem propitiatum inveniat, & in ſanguine ejuſdem Filii tui ab omni macula abluta, tranſire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

*Tum dicto ab uno ex Clericis adſtantibus* Confiteor &c. *Sacerdos dicat* Miſereatur &c. *deinde*:

Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & reſtituat tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti; Et Ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris &c.

Per ſacroſancta humanæ reparationis myſteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes præſentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen.

Benedicat Te omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

*Si verò Infirmus ſit adeò morti proximus, ut neque Confeſſionis generalis faciendæ, neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.*

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum confirmationis, prorogationis, ampliationis, & conceſſionis, mandatorum, ſtatutorum, decretorum, ac derogationum infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Dat. Pontif. Anno VII. die 3. Aprilis 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Nonis Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

D. Card. Paſſionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

I. C. Boſchi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die 4. Maji anni 1747.*

De

XXXV.

De resumendo, ac retinendo Titulo Episcopi Anconæ, & Humanæ.

*Venerabili Fratri Nicolao Episcopo Anconitano, & Humanatensi.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilii Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Pontifex antea fuit Episcopus Anconitanus.

NOTUM tibi est, Ven. Frater, Nos quoque Anconitanam Ecclesiam rexisse, cujus Diœcesis, Cleri, ac Populi nunquam obliti sumus, nunquamque obliviscemur. Quum verò primum ad eam accessissemus, invenimus Prædecessores Nostros, quorum adhuc vivit memoria, in actis publicis sibi Titulos dedisse Episcopi Anconæ, & Comitis Humanæ, quorum morem sequuti sumus & Nos ipsi, at non sine aliqua animi hæsitatione, quum legissemus in Ughellio, ubi agit de Anconitana Ecclesia, Martinum V. Pontificem Maximum anno Christi Domini 1422. cum Anconitano Episcopatu Humanatensem Episcopatum conjunxisse, hincque Anconæ Episcopos titulum assumpsisse non Comitis, sed Episcopi Humanæ: *Quamobrem in posterum Præsules Anconitani etiam Humanatenses dicti sunt.* Quapropter Nobis videbatur, Episcopum Anconæ debere se nuncupare non Comitem, sed Episcopum Humanæ; accedente sententia quoque Saracini historici Anconitani, cui quamquam minime displiceret Episcopum Patriæ suæ Titulo gaudere Comitis Humanæ, negare ausus non est ei quoque convenire Titulum Episcopi Humanæ; in sua enim historia Italice scripta, hæc habet: *Quæ Urbs*, loquitur de Humana, *quanquam olim destructa fuerit, uti in hisce notitiis meis ostendi, tamen a Martino V. anno 1422. fuit ejus Episcopatus unitus cum Episcopatu Anconæ; Unde ab eo tempore Anconitani Episcopi se subscribunt: N. N. Episcopus Anconæ, Humanæ, & Comes dictæ Humanæ.* Baldovinettus de Baldovinettis Nobilis Florentinus a Paulo III. renuntiatus est Episcopus Anconæ anno salutis 1523., obiitque anno 1538. ut narrat Ughellius. Anno autem 1536. fieri curavit pro Canonicis Subsellia ex nuce, quæ adhuc integra perstant exposita omnium commodo in anteriori Secretario Cathedralis Ecclesiæ, quæ, insertis nuci sub coronide albis patentibusque Literis, exhibent hanc inscriptionem: *Hoc opus fecit fieri Baldovinettus de Baldovinettis Episcopus Anconæ, & Humanæ, dictæque Humanæ Comes suis sumptibus MDXXXVI.*

Et invenit Episcopos Prædecessores se Comites Humanæ denominasse:

Dubitavit Pontifex de hoc titulo Comitis, quia Martinus V Anconitanæ. Humanatensem Ecclesiam univit.

Ac propterea potius Episcopus Humanatensis, quam Comes esset denominandus.

Auctoritas Historici Anconitani.

Usus denominationis ab utraque Ecclesia anno 1536.

Percurritur Historia Civitatis Humanæ, & ejus destructionis.

Civitas Humana in Piceno, Humana quoque ab antiquis dicta est, posterioribus sæculis Umana, dempta priori litera. Ejus nominis meminerunt prisci Scriptores, inter quos Pomponius Mela lib. 2. cap. 4. scribit: *Piceni littora excipiunt, in quibus Humana, Potentia, Cluana, Cupra.* Et Plinius lib. 3. cap. 13. *Cluana, Potentia, Humana a Siculis condita.* At multis prætermissis ad Civitatem hanc pertinentibus, cujus annales scribere Nobis non est in animo, satis Nobis erit indicare, fuisse eam Sedem Episcopalem, cujus Episcoporum series in Ughellio non quidem integra est, sed solos vigintiquinque commemorat, incipiens a Gratioso, qui fuit sexto sæculo sedente in Petri Cathedra S. Gregorio Magno, desinensque in Astorgio, de quo mentionem, re id postulante, inferius faciemus.

Sopra il dover riassumere, e ritenere il Titolo di Vescovo di Ancona, e di Umana.

*Venerabili Fratri Nicolao Episcopo Anconitano, & Humanatensi.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilii Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

COME ella ben sa, siamo stati ancor Noi Vescovo di Ancona; nè mai ci siamo scordati, nè mai ci scorderemo di quella Chiesa, di quella Diocesi, di quel Clero, e di quel Popolo. Giunti a quella residenza, ritrovammo che i nostri degni Predecessori, de' quali era ancor viva la memoria, negli atti pubblici s'erano intitolati Vescovo di Ancona, e Conte di Umana: e Noi continuammo nello stesso modo, ma non senza qualche ribrezzo, perchè, avendo letto nell'Ughelli, ove tratta della Chiesa d'Ancona, che Martino V. *l'Anno di Cristo* 1422. uni al Vescovado di Ancona il Vescovado di Umana, e che di poi i Vescovi di Ancona avevano assunto il titolo, non già di Conte, ma di Vescoro di Umana: *Quamobrem imposterum Præsules Anconitani etiam Humanatenses dicti sunt*: sembravaci, che il Vescovo di Ancona, non Conte d'Umana, ma Vescovo d'Umana avesse dovuto chiamarsi; sì perchè lo Storico Saracini Anconitano, a cui non molto dispiaceva, che il Vescovo della sua Patria avesse il titolo di Conte d'Umana, non ebbe però mai il coraggio di privarlo del titolo di Vescovo pure di Umana; onde *nella sua Storia* così lasciò scritto: *La qual Città*, parla di Umana, *benchè già distrutta, come ho in queste notizie narrato, fù nondimeno da detto Martino V. l'Anno* 1422. *unito il suo Vescovado con questo d'Ancona; onde da detto tempo in quà si sottoscrivono i Vescovi pro tempore d'Ancona, N. N. Vescovo d'Ancona, di Umana, e Conte di detta Umana.* Monsignor Balduinetto de' Balduinetti, nobile Fiorentino, fu fatto Vescovo d'Ancona da Paolo III. nel 1523. e morì nel 1538. come si vede nell'Ughelli. Nel 1536. fece fare alcuni Banconi di noce per comodo de'Canonici. Questi ancor oggi sono in essere, e stanno a pubblico comodo, e a vista di tutti nella Sagrestia anteriore della Cattedrale d'Ancona, e nella noce, di legno bianco, sono formate a capo de'detti Banconi le seguenti parole in carattere grande, e leggibile con tutta facilità: *Hoc opus fecit fieri Baldovinettus de Baldovinettis Episcopus Anconæ & Humanæ, dictæque Humanæ Comes suis sumptibus MDXXXVI.*

La Città di Umana nel Piceno fu negli antichi tempi chiamata *Humana*, e ne'posteriori *Umana*; ed il suo nome è celebrato presso gli antichi Scrittori, imperocchè Pomponio Mela *al lib. 2. cap. 4.* così lasciò scritto; *Piceni littora excipiunt, in quibus Humana, Potentia, Cluana, Cupra*: e Plinio *al lib. 3. cap. 13. Cluana, Potentia, Humana a Siculis condita.* E tralasciando molte altre notizie istoriche appartenenti alla Città di Umana, non avendo Noi intenzione di comporre gli annali di quella Città, ci contenteremo di accennare, ch' essa fu Sede Vescovile; ritrovandosi nell'Ughelli la serie, non di tutti, ma di venticinque Vescovi, incominciando da Grazioso, che viveva nel sesto secolo nel Pontificato di S. Gregorio Magno, fino al Vescovo Astorgio, di cui caderà in acconcio il parlare più abbasso.

Il Pontefice è stato Vescovo di Ancona.

E ritrovò che i suoi Predecessori s'erano denominati Conti di Umana.

Dubitò il Pontefice del titolo di Conte, perchè Martino V. uni alla Chiesa di Ancona quella di Umana.

E perciò più tosto Vescovo, che Conte di Umana dovette intitolarsi

Autorità d'un'Istorico Anconitano

Uso della denominazione, e l'altra Chiesa nel 1536.

Breve notizia della storia della Città di Umana, e della sua distruzione.

In Bulla Bonifacii VIII., qui creatus fuit Pontifex anno 1294. inspecta alias a Nobis inter scripturas ad Humanæ rem publicam spectantes, hæc leguntur: *Sane petitio dilectorum Filiorum Communis Civitatis nostræ Anconitanæ Nobis nuper exhibita continebat, quod cum olim, videlicet a centum annis proxime præteritis, aut cum Civitas Humanæ, quæ tunc satis potens, nec non opulenta divitiis, ac populosa fuisse dicitur, peccatis forsan exigentibus, aut Divino interdicto, ad tantam ruinam devenisset, quod nunc non Civitatis, sed vix parvi Castri videretur, ac videatur habere figuram.* Quo Bonifacii testimonio referenda est ad finem XII. sæculi Humanæ ruina, quæ quanquam ingens fuerit, non tamen Civitatem penitus delevit, ut ex præfato monumento colligitur, & ex iis, quæ mox subjiciemus.

Civitatem igitur Humanam ruinis suis deformem, stetisse tamen adhuc sæculo XIV. compertum est. Nam Raynaldus *annal. an. 1353. num.* 8. narrat quemdam fuisse Fratrem Morialem Equitem Sancti Joannis Hierosolymitani ex Provincia, qui sub prætextu ferendi auxilii Cardinali Egidio Albornozio Sedis Apostolicæ Legato, cohortem conflavit perditorum Hominum, quibuscum postquam cœpta aliqua pro Status Ecclesiastici utilitate perfecerat, Picenum ingressus, ad partes Malatestarum hostium Ecclesiæ transiit, & coacto agmine, quod italico nomine *la gran Compagnia* vocabatur, multas Marchiæ Anconitanæ Urbes diripuit, & Civitate Humana potitus est, teste Matthæo Villani in Chronico *lib. 3. cap. 107.* At raptorem diù inultum non passus est Deus. Nam captus tandem, Romamque ductus, ut grassatorum dux, vastatorque Marchiæ, capite truncatus est die 29. Augusti an. 1354. uti habetur in eodem Villani *lib. 4. cap. 16. 24.* & in antiqua vita Nicolai a Laurentio, vulgo Cola di Rienzo *cap. 15. 20. 21. & 22.*

Non longum tempus est inter annum 1354., & 1422., quo tamen intervallo Civitatem Humanam penitus concidisse fateri necesse est. Nam in Bulla Martini V., de qua inferius loquemur, data anno 1422. hæc habentur: *Sane per Nos nuper intellecto, quod Civitas Humanatensis propter incendia, guerrarum turbines, mortalitatum pestes, & alias calamitates, quæ illam multipliciter afflixerunt, funditus quasi destructa est.* Hinc Scriptores subsequentis ævi, ubi de Humana sermo incidit, de ea loquuntur tanquam de Urbe excisa, ac deleta. Flavius in Italia illustrata, quod opus edidit circa annum 1450. hæc de ea prodidit *pag. 339. Et paulo supra mare vetustissima interiit Urbs Humanæ, & parvo ab inde spatio adhæret mari, ipso in promontorio, Siriolum Oppidum.* Apud Leandrum Albertum, qui Italiam descripsit ante medium sæculi decimi sexti *pag.* 244. editionis Bononien. anno 1550. hæc ex Italico sermone in Latinum versa habentur: *Descendendo ad mare ad fauces Musonis tribus miliaribus situs apparet, ubi erat antiqua Civitas Humana, hoc nomine dicta a Pomponio Mela*: Numana verò a Plinio, & Ptolomeo: & a Silio *lib. 8.* hoc versu:

*Hìc, & quos pascunt scopulosæ rura Numanæ.*

Anno 1422. erat Episcopus Anconæ Astorgius ex Familia Agnesi Neapolitana, qui sexaginta annis vixit, ut habetur in ejus epitaphio in Claustro S. Mariæ supra Minervam Fratrum Prædicatorum, at pluries translatus est ab una ad aliam Ecclesiam, gessitque plura, ac magna negotia. Anno 1411. fuit creatus Episcopus

Il Pontefice Bonifazio VIII. fu eletto *l'anno* 1294. ed in una sua Bolla, altre volte da Noi veduta fra le scritture della Communità di Umana, così si legge: *Sanè petitio dilectorum filiorum Communis Civitatis nostræ Amonitanæ Nobis nuper exhibita continebat, quod cùm olim, videlicèt a centum annis proximè præteritis, aut cùm Civitas Humanæ, quæ tunc satis potens, nec non opulenta divitiis, ac populosa fuisse dicìtur, peccatis forsan exigentibus, aut Divino interdicto, ad tantam ruinam devenisset, quod nunc, non Civitatis, sed vix parvi Castri videretur, ac videatur habere figuram.* Quando debbasi prestar fede a questo monumento, dee il precipizio della Città di Umana riferirsi al fine del secolo duodecimo, che benchè fosse grande, non fu però tale, che affatto la distruggesse, come si deduce dalle parole del detto monumento, e da quanto or'ora soggiugneremo.

Se la Città di Umana era in cattivo stato, era però anche in piedi senza dubbio nel secolo decimo quarto, leggendo Noi negli Annali del Rainaldi *all'anno 1353. num.* 8., che un certo Fra *Moriale* Cavaliere di Rodi di nazione Provenzale, col pretesto di porgere ajuto al Cardinale Egidio Albornozzi Legato della Sede Apostolica, fece una ragunanza di masnadieri, e di ladroni, coi quali avendo fatte nel principio alcune imprese a favore della Chiesa, entrato nella Marca, si buttò al partito dei Malatesta; formò una Compagnia, che fu chiamata *la gran Compagnia*; saccheggiò varie Città della Marca, e s'impadronì della Città di Umana, per testimonianza di Matteo Villani *nella sua Cronica al lib. 3. cap. 107.* Ma non tardò molto la giustizia di Dio a punire la di lui baldanza, mentre preso, e condotto a Roma, come capo di Assassini, e devastatore della Marca, fu decapitato *ai 29. di Agosto l'anno* 1354., come leggesi nello stesso Villani *al lib. 4. cap. 16. 24.* e nell'antica Vita di Cola di Rienzo *al cap. 15. 20. 21. e 22.*

Dal 1354. al 1422. non corre grande intervallo di tempo; ma è d'uopo, che fra questi due tempi precipitasse la Città di Umana, e che succedessero tali, e tante disgrazie, ch' essa ne restasse oppressa: e però nella Bolla di Martino V., di cui parleremo in appresso, spedita *l'anno* 1422., così si legge: *Sanè per Nos nuper intellecto, quod Civitas Humanatensis propter incendia, guerrarum turbines, mortalitatum pestes, & alias calamitates, quæ illam multipliciter afflixeraut, funditus quasi destructa est.* E però gli Scrittori de' tempi susseguenti scrivendo della Città di Umana, ne scrivono come di una Città distrutta. Flavio *nell'Italia illustrata*, Opera, che compose verso *l'anno* 1450. così lasciò scritto di Umana *alla pag. 339. Et paulò supra mare vetustissima interiit Urbs Humana; & parvo ab inde spatio adhæret mari ipso in Promontorio Siriolum oppidum.* Ed appresso Leandro Alberti, che descrisse l'Italia prima della metà del secolo decimo sesto, *alla pag.* 244. dell'Edizione di Bologna *del* 1550., così si legge: *Scendendo verso il Mare, presso alla foce del Musone tre miglia, appare il luogo, ov'era l'antica Città di Umana, così da Pomponio Mela nominata, e da Plinio, e Tolomeo Numana, e parimente da Silio nell'ottavo libro, quando dice*:

*Hìc, & quos pascunt scopulosæ rura Numanæ.*

Nel 1422. era Vescovo d'Ancona un certo Monsignor Astorgio, che, benchè non vivesse molto tempo, mentre non trapassò l'età d'anni sessanta, come si deduce dal di lui deposito, che con una nobile iscrizione ancor oggi si vede nel Claustro di questi Padri Domenicani del loro Convento detto della Minerva, fece gran

Mileti in Calabria a Joan. XXIII., hinc ad Ravellensem Ecclesiam translatus est anno 1413., deinde ad Melphitanam; postremo a Martino V. anno 1422. ad Anconitanam. Eo tempore, quo eam gubernabat, fuit Locumtenens Pontificis in Marchia Anconitana. Ab Eugenio IV. deinde promotus ad Acchiepiscopatum Beneventi anno 1436. Et tandem a Nicolao V. creatus est Cardinalis Presbyter Tituli S. Eusebii anno 1448., uti in Ughellio videre est in Ecclesia Mileti, & in Ecclesia Anconæ. Obiit Romæ 10. Octobris anno 1451., ut in citato Epitaphio habetur.

passaggi da una Chiesa all'altra, ed ebbe grand'impieghi. Era esso della Famiglia *Agnesi* Napolitana. Nel 1411. da Papa Giovanni XXIII. fu creato Vescovo di Mileto in Calabria: Dipoi fu trasferito alla Chiesa di Ravello *l'anno* 1413.: Susseguentemente a quella di Melfi; e da Martino V. *nel* 1422. a quella di Ancona. Nel tempo, che governava la Chiesa d'Ancona, fu Luogotenente del Papa nella Marca Anconitana. Da Eugenio IV. fu poscia fatto Arcivescovo di Benevento *l'anno* 1436.; e da Nicola V. creato Cardinal Prete del Titolo di Sant'Eusebio *l'anno* 1448. come il tutto risulta dall'Ughelli, nella Chiesa di Mileto, e nella Chiesa d'Ancona. Mori finalmente in Roma *ai* 10. *di Ottobre l'anno* 1431., come si legge nella citata iscrizione posta al suo Sepolcro.

De causa unionis utriusque Ecclesiæ.

Credibile est Astorgium, cum regimen accepit Anconitanæ Ecclesiæ, eam inveniisse redditibus tenujorem, quàm speraverat: quamobrem Martino V. exposuit, redditus Mensæ Anconitanæ non superare summam quadringentorum florenorum aureorum, quo modico proventu non posset pro dignitate provinciam suam gerere: Redditus autem Ecclesiæ Humanæ, cujus tunc Episcopus erat quidam Antonius, non plus esse, quàm ducentos florenos aureos; hincque benè provisum, atque opportunum fore, si duæ simul Ecclesiæ conjungerentur, Anconæ videlicet, & Humanæ *nunc pro tunc*, idest differendo effectum unionis ad tempus, quo Episcopus Antonius aut obiisset, aut translatus esset ad aliam Ecclesiam. Martinus, ne temere postulatis annueret, rem commisit inquirendam Cardinali Francisco Lando Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, qui cum exposita vera esse cognovisset, Astorgioque favisset apud Pontificem, is Bullam unionis dedit anno quinto sui Pontificatus.

E d'uopo, che giunto Astorgio al governo della Chiesa d'Ancona, la ritrovasse più povera di rendite, di quello, che forse erasi figurato: e però avendo esposto al Pontifice Martino V. che non avendo la Mensa d'Ancona, che l'entrata di quattrocento fiorini d'oro, colla qual' entrata eragli impossibile il mantenere la sua dignità colla dovuta decenza, e che non eccedendo l'entrata della Chiesa d'Umana, di cui allora Vescovo un certo Antonio, la somma di dugento fiorini d'oro, sarebbe stato ben fatto l'unire insieme le due Chiese di Ancona, e di Umana, *nunc pro tunc*: che è lo stesso che dire, differendo l'effetto dell'unione al tempo, in cui il Vescovo Antonio o fosse morto, o fosse trasferito al governo d'altra Chiesa; non volle Martino V. camminare, come suol dirsi, alla cieca, ma commise la cognizione dell'affare al Cardinale Francesco Lando del Titolo di S. Croce in Gerusalemme; ed avendo questi ritrovato, che tutto l'esposto era la verità, ed avendo data al Papa tutta l'informazione favorevole, fu da esso spedita la Bolla dell'unione nell'anno quinto del suo Pontificato.

Bulla unionis Ecclesiæ Humanatensis in comperto non erat.

Bullam illam cum Anconæ essemus, nullo loco invenire potuimus; at præteritis mensibus quum in privata Bibliotheca nostra moraremur, quo in loco, ubi Nobis permissum est, levamen a gravibus ministerii Nostri curis quærimus, & invenimus, contigit, ut legentes dissertationem historicam Cathedræ Episcopalis Setiæ compositam a Dominico Georgio SecretoCappellano Nostro viro admodum erudito Romæ editam an. 1727. in appendice Monumentorum §. 26. inveniremus impressam per extensum Martini V. Bullam unionis Ecclesiæ Humanatensis cum Anconitana, depromptam ex Archivis hujus Sanctæ Sedis, & præter cætera, quæ superius indicavimus, præcipitur in ea, ut Astorgius, ejusque successores in Ecclesia Anconitana, Titulo Episcopi Anconæ Titulum Episcopi Humanæ conjungerent: *Decernentes, ut prædictus Astorgius, ex tunc in antea Episcopus Anconitanus, & Humanatensis, sicque consequenter illius in posterum successores &c. nuncupentur.* Quapropter oportune prædictus Georgius *pag.* 99. scripsit: *Martinus V. anno Domini* 1422. *Humanam Civitatem jamjam ruituram ob varias calamitates Anconitanæ Ecclesiæ conjunxit, ea lege, ut Anconitanus Episcopus Humanatensis etiam diceretur. Tabulas hujus conjunctionis nunc primum luci donare duximus.*

Nel tempo della nostra dimora in Ancona non ci è mai riuscito di poter vedere la Bolla: ma ne' mesi passati essendo nella nostra privata Biblioteca, che è l'unico luogo, in cui, quando ci è permesso il trattenerci, ritroviamo qualche sollievo dalle spinose cure ed incessanti del nostro Apostolico Ministero, dammo di mano alla dissertazione istorica della Cattedra Episcopale della Città di Sezza nel Lazio, composta da Monsignor Domenico Giorgi nostro Cappellano Segreto, Uomo di molta e profonda erudizione, stampata in Roma *l'anno* 1727. e nell'Appendice de' monumenti al §. 26. abbiamo ritrovata impressa *per extensum* la Bolla di Martino V. della unione delle due Chiese di Ancona, e di Umana, ricavata dagli Archivj di questa Santa Sede; ed oltre le cose di sopra espresse, in essa si contiene, che Monsignor Astorgio, e tutti gli altri di lui Successori nella Chiesa d'Ancona, dovessero unire al titolo di Vescovo d'Ancona anche l'altro di Vescovo d'Umana: *Decernentes, ut prædictus Astorgius ex tunc in antea Episcopus Anconitanus, & Humanatensis, sicque consequenter illius in posterum Successores &c. nuncupentur*: per lo che molto a proposito scrisse il citato Monsignor Giorgi *alla pag.* 99. *Martinus V. anno Domini* 1422. *Humanam Civitatem jam jam ruituram ob varias calamitates Anconitanæ Ecclesiæ conjunxit, ea lege, ut Anconitanus Episcopus, Humanatensis etiam diceretur. Tabulas hujus conjunctionis nunc primùm luci donare duximus.*

Tandem a Pontif. invenitur.

Et in ea præcipitur, quod Episcopus ab utraque Ecclesia denominaretur.

Idem testantur varii Scriptores.

Testatur Ughellius, Astorgium, perfecta unione, Titulo Episcopi Anconitani Titulum addidisse Episcopi Humanatensis. Compagnonius in Regia Picena *lib. 6. pag.* 313. & Lucentius *in additionibus ad Ughellium* idem testantur, nixi statuto Recinetensi, in quo hæc leguntur:

Attesta l'Ughelli, che, effettuata l'unione, Astorgio al titolo di Vescovo d'Ancona aggiunse l'altro di Vescovo d'Umana. Il Compagnoni *nella sua Regia Picena al lib. 6. pag.* 313. il Lucenti *nelle addizioni all'Ughelli* confermano lo stesso, ricavandolo dallo Statuto di Recanati,

*Actum Maceratæ in domibus residentiæ Domini Astorgii Episcopi Anconæ, & Humanæ.* Wadingus in Annal. Minorum anno Christi 1426., postquam dixit Astorgium cum S. Jacobo a Marchia renunciatum fuisse Inquisitorem contra Sectam Fraticellorum, affert ejus Epistolam, cujus hic est titulus : *Astorgius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Anconitanus, & Humanæ.* Data fuit hæc epistola die 19. Novembris *anno* 1426. Idem Astorgius Commissarius Romanæ Ecclesiæ, ac Quæstor generalis anno sequenti 1427. coëgit Monticellenses ad solvenda Sanctæ Sedi tributa, ac vectigalia, hùncque edicto suo Titulum præfixit : *Reverendus in Christo Pater, & Dominus Astorgius Episcopus Anconitanus, & Humanas, Marchiæ Commissarius, & Thesaurarius Generalis.* In antiquis libris reformationum Civitatis novæ in Marchia legitur ejus epistola scripta eodem anno 1427., cujus initium est : *Astorgius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Anconæ, & Humanæ, Marchiæ Anconitanæ pro Sanctissimo Domino Nostro Locumtenens.* Fateri necesse est Astorgii successores Titulos hosce longo tempore retinuisse. Nam duo Cives Bononienses ex Familia de Luchis Anconitani Episcopi fuerunt, quorum alter, scilicet Joannes Matthæus, translatus est ad Ecclesiam Tropeæ, alter Vincentius, qui obiit anno 1585., sepultusque est in Cathedrali Ecclesia Anconæ, sibi hos titulos tribuit, quos ejus sepulcrum exhibet his verbis : *Vincentio de Luchis Bononiensi Episcopo Anconæ, & Humanæ.* Et ut superius observatum est, testatur Canonicus Julianus Saracenus in Notitiis Historicis Patriæ suæ Anconæ, ad sua usque tempora Episcopos Anconæ dictos fuisse etiam Episcopos Humanæ, quod evincit usque ad ann. 1675., quo & Saracenus scribebat, & Nos nati sumus, fuisse conjunctos Titulos utriusque Episcopatus.

De usu utriusque denominationis habito ab Episcopis post unionem.

Quæ cum ita se habeant, & existente Bulla unionis Episcopatus Humanæ cum Anconitano, & urgente Præcepto ejusdem, ut Episcopus Anconæ Humanæ quoque Episcopus nuncuparetur, & stantibus monumentis observantiæ hujus præcepti ad nostra usque tempora; scire peroptaremus, quo pacto mutatus fuit Episcopatus in Comitatum; quaque ratione Episcopus Anconæ in actis publicis omittat Titulum Episcopi Humanæ. Quæ dicimus, non quod Anconitano Episcopo Titulum Comitis Humanæ invideamus, quandoquidem illius assumendi fundamentum sit, quod esse quidem credimus argumentis ante duo sæcula certis, ac superius allatis; sed ut, aut retento, aut relicto Humanæ Comitis Titulo, nunquam Titulus Ecclesiasticus Episcopi Humanæ relinquatur.

Ex quibus concludit Episcopum utraque denominatione uti debere.

Quod si quis dixerit, cum Martinus V. Bullam unionis dedit, fuisse Anconæ Capitulum Canonicorum, uti adhuc nunc est, fuisse autem Humanæ Capitulum Canonicorum, quod nunc non amplius est : Et in Martini Bulla, vacante Anconitana Ecclesia, ac reservationibus Apostolocis cessantibus, statui, ut utrumque Capitulum debeat ad Episcopi electionem procedere : respondemus, qui hoc dicat, verum dicere; Nos autem vim argumenti non videre, cum ex deficientia Capituli deficientia Episcopatus non inferatur, nec proinde relinqui debeat titulus, qui in Bulla Martini retineri præcipitur : Capitulum erat corpus civile, quod esse destitit, cum nulla pars ejus corporis remanfit,

Objecto respondet rationibus.

ove così si legge : *Actum Maceratæ in Domibus residentiæ Domini Astorgii Episcopi Anconæ, & Humanæ.* Il Wadingo *negli Annali de' Minori all'anno di Cristo* 1426., dopo aver'esposto, che Astorgio fu fatto Inquisitore in compagnia di S. Giacomo della Marca contra gli Eretici Fraticelli, porta una di lui lettera, il titolo della quale è il seguente : *Astorgius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Anconitanus, & Humanæ.* La data di questa lettera è *dei* 19. *di Novembre* 1426. Lo stesso Astorgio come Commissario della Chiesa Romana, e Tesoriere Generale, *nell'anno seguente* 1427. sforzò quelli di Monticelli a pagare i tributi, e le gabelle alla Santa Sede, e nel precetto così s'intitolò : *Reverendus in Christo Pater, & Dominus Astorgius Episcopus Anconitanus, & Humanas, Marchiæ Commissarius, & Thesaurarius Generalis.* E ne' Libri antichi delle Riformazioni di Civitanova nella Marca vi è una di lui lettera, scritta *lo stesso anno* 1427. e che incomincia così : *Astorgius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Anconæ, & Humanæ, Marchiæ Anconitanæ pro Sanctissimo Domino Nostro Locumtenens.* Ed è d'uopo, che i di lui Successori continuassero anche così per molto spazio di tempo : imperocchè essendo stati due Cittadini di Bologna della Famiglia Luchi Vescovi d'Ancona, cioè Monsignor Giovanni Matteo, che poi fu trasferito alla Chiesa di Tropea, e Monsignor Vincenzo, che morì *nell'anno* 1585. e che fu sepolto in cotesta Cattedrale, leggesi nell'iscrizione sopra il di lui Sepolcro, come anche attesta l'Ughelli, il titolo di Vescovo di Ancona, e di Umana : *Vincentio de Luchis Bononiensi, Episcopo Anconæ, & Humanæ.* E, come anche di sopra si è osservato, attestando il Canonico Giuliano Saraceni nelle Notizie Istoriche della sua Patria d'Ancona, che fino al suo tempo i Vescovi d'Ancona si chiamavano ancora Vescovi d'Umana, ciò dà a divedere, che fino *all'anno* 1675. che è quello per appunto in cui il Saraceni scrivéva, e Noi nascemmo, al titolo di Vescovo d'Ancona aggiungevasi l'altro ancora di Vescovo di Umana.

Dell'uso dell'una, e l'altra denominatione dopo l'unione.

Ciò stante, se v'è la Bolla dell'unione del Vescovado d'Umana a quello d'Ancona; se nella Bolla vi è il precetto, che il Vescovo d'Ancona si chiami anche Vescovo di Umana; se abbiamo le prove dell'osservanza di questo precetto, e la continuazione di essa fino a' giorni nostri; sapressimo volentieri, per qual cagione il Vescovado si è mutato in una Contea, e perchè il Vescovo d'Ancona non continua negli atti pubblici almeno ad usare il titolo anche di Vescovo d'Umana : il che da Noi vien suggerito, non perchè invidiamo al Vescovo d'Ancona il titolo di Conte d'Umana, quando vi sia il fondamento di assumerlo, che Noi crediamo esservi, essendovi le prove certe, già di sopra indicate, di più di due secoli; ma acciocchè, o ritenendo, o abbandonando il titolo di Conte d'Umana, non si abbandoni mai il titolo Ecclesiastico di Vescovo pure di Umana.

Conchiude, che il Vescovo debba usare ambedue le denominazioni.

Che se mai da tal'uno si dicesse, che quando da Martino V. fu fatta l'unione dei due Vescovadi di Ancona, e di Umana, era in Ancona il Cepitolo de' Canonici, come ancor oggi vi è, ed era in Umana il Capitolo de' Canonici, che oggi non v'è; e che nella Bolla di Martino, vacando la Chiesa d'Ancona, e cessando le riserve Apostoliche, viene stabilito, che l'uno, e l'altro Capitolo debbano procedere alla elezione del Vescovo, rispondiamo, che chi ciò dice, dice il vero; ma che non vediamo la forza dell'argomento, non potendosi dalla deficienza sopraggiunta del Capitolo inferire alla deficienza del Vescovado, ed al dover lasciare il titolo ordinato nella Bolla di Martino. Il

Risponde ad una difficoltà con le ragioni.

*juxta observat. Gloss. in leg. sicut municipium §. in Decurionibus, verb. nomen, ff. quod cujusque universitatis, ibi: Quod si nullus omninò remansit? Respondet Joannes, solutum esse Collegium.* Hæc autem deficientia fuit deficientia, quæ vocatur *de facto*, & quæ quanquam distincta ab ea, quæ dicitur *de jure*, & quæ provenit ab auctoritate Superioris, qui supprimit Collegium, aut Capitulum, est tamen quantum ad effectum similis deficientiæ de jure, ut docet *Baldus leg. non ambigitur ff. de legibus num. 3.* ubi: *Nam paria sunt, aliquid esse destructum de jure, vel per rerum naturam.* Quod autem, destructo, ut diximus, Capitulo destructus remanserit etiam Episcopatus, & annihilatus Titulus, qui, ut habetur in Bulla Martini, uniendus erat cum Anconitano, hoc punctum est, in quo hæremus.

Et exemplis.

Tibi res plana videbitur, Venerabilis Frater, si libebit animadvertere, per plurima sæcula fuisse in Ecclesia Episcopos, & Episcopatus sine Canonicis, aut Capitulis, si cogitationem convertes ad tot Sedes Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, quæ gemunt sub potestate Paganorum, in quibus nulli certè sunt Canonici, nulla Capitula; sunt autem veri Tituli, ad quos quotidie ordinantur a Summis Pontificibus, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, qui Episcopi, *in partibus* nuncupantur. Quoniam verò compertum est, exemplis recentioribus magis moveri homines; exemplum adducimus Cardinalis Decani Sacri Collegii, qui ut plurimum Episcopus est Hostiæ, & Velitrarum, quæ Episcopales Ecclesiæ simul unitæ sunt: Is utriusque titulo utitur, quanquam Hostiæ nulli sint Canonici, nullum Capitulum. Huc accedunt duæ Episcopales Ecclesiæ a Calixto II. unitæ, scilicet Portuensis, & Sylvæ Candidæ, seu SS. Rufinæ, & Secundæ. Episcopus autem Portuensis, qui ut plurimum est Cardinalis Sub-Decanus, utitur pro libito titulis ambarum Ecclesiarum, uti videre licet in opere citato Dominici Georgii pag. 143., quamvis in Ecclesia Portuensi, quæ sola nunc supereſt, nec Canonici sint, nec Capitulum.: *Cathedrale Portuense Templum*, inquit Lucentius in additionibus ad Ughellium, *S. Hyppolitho sacrum, extra, & propè Civitatis muros exsurgebat; modo parvula exsurgit Ecclesia sub invocatione S. Luciæ, in qua nulla Dignitas, nulli Canonici, seu Beneficiati. Ibi cura animarum exercetur per Presbyterum in nautas, & advenas.*

Philippus Cluverius scriptor decimi septimi sæculi *l. 2. Italiæ antiquæ cap. 11.* statum describens, quo tempore suo erat Humana, hæc habet: *Vicus in eodem litore visitur vulgari nunc vocabulo Humana, Templo splendidissimo maximè nobilis.* De nullo alio Templo hæc verba videntur posse accipi, quàm de Templo Crucifixi Sirolì, cujus situm ponit non in Anconitana, sed in Humanatensi Diœcesi. At hæremus adhuc animo in ejusmodi re, quanquam propensi sumus ad credendum, quod Cluverius asserit, postquam indicata Nobis fuit Bulla Episcopalis Vincentii de Luchis Episcopi Anconitani data anno 1560. sub die 14. Maji, quæ in Archivo Sirolì servatur, in qua hæc leguntur: *Cum itaque Ecclesia S. Nicolai Plebis Castri Sirolì cum suis annexis sit in Castro prædictæ Humanensis Diœcesis.* Quod si in Portuensis Civitatis situ unica est Ecclesia, cui præest Presbyter curam animarum gerens, quam in modicam miseramque plebem exercet, illud itidem contingit Humanæ: Sylva Candida lapsis retro sæculis penitus fuit deleta, sedesque Episcopalis translata ad

Capitolo era un Corpo Civile, che restò distrutto quando non vi fu più veruno dello stesso Corpo, giusta l'osservazione della Chiosa *nella leg. sicut municipium §. In Decurionibus verb. nomen ff. quod cujusque universitatis*, ivi: *quod si nullus omnino remansit? respondet Joannes, solutum esse Collegium*: e questa deficienza fu deficienza, che si chiama *de facto*, e che, benchè distinta dall'altra, che si dice *de jure*, e che proviene dall'autorità del Superiore, che sopptime il Collegio, o sia Capitolo, è però, quanto all'effetto, in tutto e per tutto simile alla deficienza *de jure*, come insegna Baldo *nella l. non ambigitur ff. de Legibus num. 3.* ivi: *Nam paria sunt, aliquid esse destructum de jure, vel per rerum naturam.* Ma che distrutto nel divisato modo il Capitolo, restasse anche distrutto il Vescovado, ed annichilito il titolo, che secondo la Bolla di Martino doveva unirsi all' altro di Vescovo d'Ancona, questo è il punto; e questo è quello, in cui con ragione intoppiamo.

E co sempj.

Ne resterà ella ben persuasa, se avrà la bontà di riflettere, che per molti secoli nella Chiesa ci sono stati Vescovi, e Vescovadi, senza che vi fossero Canonici, o Capitolo; se darà un'occhiata a tante Chiese Patriarcali, Arcivescovili, e Vescovili, che oggidì gemono sotto la tirannia degl'Infedeli, nelle quali certamente non vi sono nè Canonici, nè Capitolo, ma resta il titolo; creandosene quotidianamente dai Sommi Pontefici i Patriarchi, gli Arcivescovi, e i Vescovi, che si chiamano Vescovi *in Partibus*. E perchè sappiamo, che gli esempj più recenti fanno appo gli Uomini breccia maggiore, diremo, che il Cardinal Decano del Sacro Collegio è per lo più Vescovo d'Ostia, e Velletri, Chiese Vescovili unite insieme; che usa il titolo d'ambedue, senza che in Ostia vi sieno Canonici, nè Capitolo: Che da Calisto II. furono unite insieme le due Chiese Vescovili di Porto, e di Selva Candida, o sia delle Sante Rufina, e Seconda; che il Vescovado di Porto unito, come si è detto, per lo più si ottiene dal Cardinale Sotto-Decano, che usa, quando vuole, i titoli d'ambedue, come può vedersi nell'Opera citata di Monsignor Giorgi *alla pag. 143.* ancorchè non vi sieno nella Chiesa di Porto, che è quella sola, che oggi resta in piedi, nè Canonici, nè Capitolo: *Cathedrale Portuense Templum* (sono parole dell'Abbate Lucenti nelle additioni all'Ughelli) *Sancto Hyppolito sacrum, extra & prope Civitatis muros exsurgebat; modò parvula exsurgit Ecclesia sub invocatione S. Luciæ, in qua nulla Dignitas, nulli Canonici, seu Beneficiati. Ibi cura animarum exercetur per Presbyterum in nautas, & advenas.*

Filippo Cluverio Scrittore del decimo settimo secolo *nel lib. 2. dell'Italia antica al cap. 11.* descrivendo lo stato, in cui allora ritrovavasi Umana, si serve delle seguenti parole: *Vicus in eodem littore vicitur, vulgari nunc vocabulo Humana, Templo splendidissimo maximè nobilis.* Non ci possiamo figurare, che esse parli d'altro Tempio, che del Santuario del Crocifisso di Sirolo, mettendo il sito, in cui è eretto, non nella Diocesi d'Ancona, ma in quella di Umana. Ma non essendo Noi bene appagati sopra questo assunto, ancorchè siamo ben disposti ad appagarcene, dopo esserci stata indicata una Bolla Vescovile di Monsignor Vincenzo de' Luchi Vescovo d'Ancona, spedita *l'anno 1560. sotto il giorno 14. di Maggio*, che è nella Secretaria di Sirolo, nella quale si leggono le seguenti parole: *Cum itaque Ecclesia Sancti Nicolai Plebis Castri Sirolì cum suis annexis sit in Castro prædictæ Humanensis Diœcesis*; riflettiamo, che se in Porto non si trova, che una Chiesa, in cui risiede il Sacerdote, che ha la cura dell'Anime, e che l'esercita sopra quelle povere genti, lo stesso

Eccle-

per

Ecclesiam a Plautilla ædificatam in honorem SS. Rufinæ, & Secundæ, quæ pariter Ecclesia temporis injuria prorsus concidit. Ad nihilominus Episcopi Portuenses, ut paulo ante indicavimus, Titulum retinent Episcopatus Sylvæ Candidæ, seu SS. Rufinæ, & Secundæ; ita decernentibus Romanis Pontificibus, ut testatur Ughellius agens de præfata Ecclesia a Plautilla ædificata, his verbis: *Hujus itaque Ecclesiæ cum vel tenue vestigium antiquior, ut non semel dico, aboleverit ætas; factum est, ut ejusdem Præsul, Romano ita censente Pontifice, promiscue & Portuensis, & Sylvæ Candidæ, Sanctarumque Rufinæ, & Secundæ Pontifex appellaretur.* Addimus his, in Senensi ditione nullum amplius esse vestigium Populoniæ Urbis olim celebris, quam primum Sylla, deinde Carolus Magnus excidit, ac delevit; attamen Episcopus Massæ Titulum Episcopi Populoniæ nunquam dimisit, ut sæpe citatus Ughellius affirmat: *Sub excisæ Populoniæ promontorium*, inquit, *Plumbinum extulit muros, Episcopalisque dignitas Massam demigrare narratur, tametsi ad multos annos Massensis Antistes adhuc Populoniæ Titulum præseferret, quo etiam hodie iidem nobilitantur Antistites.*

per appunto succede anche in Umana; riflettiamo, che Selva Candida ne' secoli passati fu affatto distrutta, e che essendo stata la Sede Episcopale trasportata alla nobile Chiesa fabbricata da Plautilla Matrona in onore delle Sante Rufina, e Seconda, restò pur questa atterrata dall' ingiuria de' tempi; e che, ciò non ostante, i Vescovi di Porto, come anche poch'anzi si è accennato, ritengono il titolo del Vescovado di Selva Candida, o sia delle Sante Rufina, e Seconda; e ciò per ordine de' Sommi Pontefici, conforme attesta l'Ughelli: *Hujus itaque Ecclesiæ*, sono parole dello stesso Ughelli, che ragiona della sopradetta Chiesa edificata da Plautilla, *cum vel tenue vestigium antiquior, ut non semel dico, aboleverit ætas, factum est, ut ejusdem Præsul (Romano ita censente Pontefice) promiscuè, & Portuensis, & Sylvæ Candidæ, Sanctarumque Rufinæ, & Secundæ Pontifex appellaretur*: aggiungiamo, che nello stato di Siena non si ritrova più l'antica celebre Città di Populonia, dopo la desolazione fatta d'essa da Silla, e l'eccidio di Carlo Magno, senza che però il Vescovo di Massa abbia mai abbandonato il Titolo di Vescovo di Populonia, come attesta il più volte citato Ughelli: *Sub excisæ Populoniæ promontorium Plumbinum extulit muros, Episcopalisque Dignitas Massam demigrasse narratur, tametsi ad multos annos Massensis Antistes adhuc Populoniæ titulum præseferret, quo etiam hodie iidem nobilitantur Antistites.*

Et rursus concludit, resumendum esse Titulum Episcopi Humanatensis.

Quæ omnia plane demonstrant non esse ab Episcopo Anconitano omittendum Titulum Episcopi Humanæ, quanquam ibi nulli sint Canonici, & tota Humana redacta sit ad unicam Ecclesiam Parochialem, paucosque ac miseros Incolas, eo vel maxime quod cum Martinus V. eam univit cum Anconitana, præcepitque Episcopo Anconitano, ut assumeret Titulum Episcopi Humanæ, ut supra diximus, *Humana erat funditus quasi destructa*; & tam longo tempore Anconitani Episcopi nuncupati sunt etiam Episcopi Humanæ, licet Humana jam eo in statu esset, quo nunc eam jacere videmus. Si verò argumentum hoc magnam vim habet, supposito, quod Humana redacta sit ad Ecclesiam Parochialem, paucosque incolas; quid dicendum est, cum verisimile sit, valdeque probabile, Sirolum Castrum populo plenum, florensque, pertinere ad Diœcesim Humanæ, quod supra indicatum est?

E di nuovo conchiude, che debba riassumersi il titolo di Vescovo di Umana.

Cose tutte, che pienamente persuadono non doversi dal Vescovo d'Ancona tralasciare il titolo di Vescovo di Umana, ancorchè non vi sieno più Canonici in Umana, e sia Umana ridotta ad una Chiesa Parrocchiale, e ad alcuni pochi miserabili Abitatori; tanto più che, conforme di sopra si è dimostrato, quando Umana fu da Martino V. unita ad Ancona, e fu dallo stesso Pontefice ordinato al Vescovo d'Ancona il prendere il titolo anche di Vescovo di Umana, Umana era quasi distrutta, *funditus quasi destructa*, e che per tanto tempo i Vescovi d'Ancona non hanno abbandonato il titolo di Vescovi anche di Umana, ancorchè Umana fosse in quello stato deplorabile, in cui è ancora oggidì. E se questo argomento procede nel supposto che Umana sia ridotta ad una Chiesa Parrocchiale, e ad alcuni pochi abitatori; che dovrà dirsi, quando non è affatto inverisimile, anzi è molto probabile, che il Castello di Sirolo, che ancor oggi è abitato, ed è in buona positura, sia di ragione della Diocesi d'Umana, come di sopra si è accennato?

Commemorat unum Episcopum Anconitanum in Serie aliorum prætermissum.

At de Humana satis: De Ancona verò aliqua adhuc supersunt dicenda. Ughellius, commemorato Transone Episcopo Anconæ, qui unus ex testibus fuit sententiæ ab Othone Imperatore anno 983. prolatæ in favorem Ecclesiæ Sanctæ Floræ Aretii, subdit post dictum Trasonem deficere memoriam seriei Episcoporum Anconitanorum propter incendium Archivi, quod contigit an. 1179. Nos verò cum legeremus primum tomum Philippi Labbæi Bibliothecæ Libr. mss. pag. 793. invenimus seriem Episcoporum Magalonæ descriptam ab Arnaldo de Verdula, qui obiit anno 1351. ut tradit Jacobus le Long in historia Galliæ pag. 175. In hac serie inserta est epistola Joannis XIX. ibi dicti XX., quæ spiritualia bona concedit iis, qui promoverint restaurationem Cathedralis Magalonensis: in ea autem Bulla, de more eorum temporum, subscripta sunt nomina aliquorum Episcoporum cum Gallorum, tum Italorum, inter quæ invenimus nomen Stephani Episcopi Anconitani: *Stephanus Anconensis.* Pontificium hoc Diploma prodiit circa annum 1030. Itaque inter Anconæ Episcopos post Trasonem numerandus est etiam hic Stephanus, cujus

Fà menzione di un Vescovo di Ancona ommesso nella Serie degl'altri.

Quì finisce il discorso di Umana, ma non finisce il discorso d'Ancona. L'Ughelli dopo aver fatta menzione di Trasone Vescovo d'Ancona che fu uno de' Testimonj della Sentenza proferita da Ottone Imperadore *l'anno 983.* a favore della Chiesa di Santa Flora d'Arezzo, dice, che dopo il detto Trasone manca la memoria della Serie de' Vescovi di Ancona, essendo succeduto il noto abbruciamento dell' Archivio *l'anno 1179.* Leggendo Noi il tomo primo di Filippo Labbè della nuova Biblioteca de' Libri manoscritti *alla pag.* 793. ritroviamo la serie de' Vescovi dell'Isola di Maguelone scritta da Arnaldo de Verdala, che morì *l'anno 1351.* come può vedersi nella Storia di Francia di Giacome le-Long *alla pag.* 175. Fra questa serie de' detti Vescovi è inserita una lettera del Pontefice Giovanni XIX. ivi chiamato XX. nella quale si concedono alcune grazie a quelli, che contribuiranno alla riedificazione della Cattedrale di Maguelone, ed a questa Bolla secondo lo stile di que' tempi, si ritrovano sottoscritti alcuni Vescovi Francesi, ed altri Italiani; e fra questi ritroviamo il nome di Stefano d'Ancona, *Stephanus Anconensis.* Il Pontificio Diploma

notitiam non habuit Ughellius. Nec mireris Stephanum scripsisse : *Anconensis*, *non Anconitanus*. Nam testatur Cluverius antiquitus dictam esse Urbem, & *Anconam* & *Anconem*. Quamobrem Stephanus, tempore præsertim, quo Latini sermonis puritas obsoleverat, nullam difficultatem habuit subscribendi se *Anconensis*, non, uti Nos fecissemus, *Anconitanus;* cum nulla sit, aut fuerit in Italia, neque extra Italiam Urbs nomine Ancona, præter eam, cujus Nos fuimus, Tuque nunc es Episcopus. Dum interim speramus, Te quo in Nos es benevolenti animo accepturum hasce Literas voluntatis Nostræ indices, rerumque, quas in iis exposuimus, notitiam, quæ argumenta sunt haud dubia, apud Nos perpetuo vigere memoriam & Ecclesiæ Anconitanæ, & Tui; Tibi, Venerabilis Frater, & dilectis Filiis Canonicis, & omni Clero, ac Populo, Apostolicam benedictionem impertimur.

può riferirsi intorno *all'anno* 1030. Sicchè frà i Vescovi d'Ancona, dopo Trasone, deve annoverarsi anche questo Stefano, di cui non ha avuta notizia l'Ughelli. Nè Ella punto si maravigli, se Stefano si sottoscrisse *Anconensis*, e non *Anconitanus*; perchè Filippo Cluverio attesta, che gli Antichi chiamarono la Città alle volte *Anconam*, alle volte *Anconem* : per lo che Stefano non ebbe nel suo tempo, in cui non v'era gran polizia nello scrivere Latino, difficoltà di scriversi *Anconensis*, e non, come avressimo fatto Noi, *Anconitanus*; non essendovi mai stato in Italia, o anche fuori d'Italia, altra Città col nome di Ancona, fuori di quella, di cui Noi siamo stati, ed ella è Vescovo. E mentre la preghiamo a gradire col solito suo affetto verso di Noi non meno questi nostri Ordini, che queste nostre notizie, vivo testimonio, che non ci scordiamo nè della Chiesa, ne di Lei, con pienezza di cuore diamo alla sua Venerabile persona, ai nostri diletti figli Canonici della Cattedrale, ed a tutto il Clero, e Popolo, l'Apostolica Benedizione.

Dat. Pontif. Anno VII. die 22. Aprilis 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 22. Aprilis 1747. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 22. Aprilis 1747. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Dat. [illegible] l'An. VII. [illegible] Pont. [illegible] Aprile 1747.

---

XXXVI. Super Assignatione Archiepiscopatus Nicosiensis Cardinali delle Lanze.

XXXVI. Sopra l'assegna dell'Arcivescovado di Nicosia *in partibus*, al Cardinale delle Lanze.

*Dilecto Filio Nostro Carolo Victorio Amedeo S. R. E. Diacono Cardinali delle Lanze nuncupato.*

*Dilecto Filio Nostro Carolo Victorio Amedeo S. R. E. Diacono Cardinale delle Lanze nuncupato.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili Noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili Noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Rex Sardiniæ petit a Pontif. ut Card. delle Lanze Episcopatum assignaret pro exercitio ejus Officii.

CUM a Nobis Carissimus in Christo Filius noster Carolus Emanuel Sardiniæ Rex Illustris postulaverit, ut Titulum Episcopi *in partibus* tibi impertiremur, hoc est alicujus ex illis Civitatibus ac Diœcesibus, quæ tyrannico Infidelium jugo premuntur, eo quod ille munus Supremi Eleemosynarii, seu Majoris Capellani in suo Regio Sacello tibi demandaverit, nullæ menti nostræ propositæ fuerunt ex iis difficultatibus, quæ Nobis obvenire solent, cum ejusmodi negotia ad Nos deferuntur.

ESSENDOCI stata fatta positiva istanza per parte del Carissimo in Cristo Figlio nostro Carlo Emmanuele Rè di Sardegna, che dessimo a Lei un Titolo Vescovile *in partibus*, che vuol dire d'una di quelle Città, e Diocesi, che gemono sotto la tirannia degl'Infedeli, avendole esso destinato il posto di Grand' Elemosiniere, o sia Cappellano Maggiore della sua Regia Cappella, non abbiamo in questa domanda incontrate quelle difficoltà, che per lo più incontriamo, quando simili istanze ci sono fatte.

Il Rè di Sardegna ha richiesto dal Pontefice, che assegnasse al Cardinale delle Lanze un Vescovato per esercitare il suo Uffizio.

Sententia Pontif. de non promovendo ad Ecclesias in partibus absque speciali causa.

Equidem in ea sententiâ semper versati sumus, & nunc etiam versamur, consentaneum valde esse, si Tituli *in partibus* aliquando conferantur, nempe si juxta intercesserit causa, si non ambitioni serviant illius, qui solam Episcopi dignitatem expetit, omni negotio, & animarum cura vacuam & immunem, si denique Episcopus *in partibus* aliquam Ecclesiæ Dei afferre possit utilitatem; & iis muneribus perfungi debeat, quæ Characterem Episcopalem necessariò requirunt, & quæ Ecclesiastico Regimini prodesse maximè judicantur.

Abbiamo sempre creduto, e crediamo, essere ben fatto, che alle volte si diano simili Titoli *in partibus*, quando vi è una giusta causa di farlo; quando il darlo non serve a fomentare l'ambito di chi vuole l'onorificenza Vescovile senza il peso dell'attuale cura dell'anime, e quando l'ordinato Vescovo in questa maniera non deve esser inutile nella Chiesa di Dio, ma dee far quelle cose, che senza il Carattere Vescovile non si possono fare, e che sono profittevoli al regime Ecclesiastico.

Sentenza del Pontefice di non promovere Chiesastibus senza speciale causa.

Quæ juri communi innititur.

Inter Canonica statuta se nobis offert Clementina, *In plerisque*, *de Electione*, quæ vehementer improbat eos Episcopos *in partibus*, plerumque Regulares, *qui nec*, *ut expediret*, *prodesse*, *nec præesse*, *ut deceret*, *valentes*, *instabilitate vagationis*, *& mendicitatis opprobrio serenitatem Pontificalis nubilant dignitatis*. Ex Tridentino Concilio *sess.* 14. *cap.* 2. deprehendimus Titularibus Episcopis gravissime indici, ne consistant in locis *Nullius Diœcesis*, nec ibi conferant Ordines, nisi illi, qui ordinari postulant, sui Episcopi patentes litteras exhibeant. Percurrimus etiam libros illorum, qui temere nimis, & inconsulto negocium reformandæ Ecclesiæ susceperunt, & præsertim Petri Alliaci *de*

Ne' Canoni della Chiesa Noi ritroviamo la Clementina, *In plerisque*, *de Electione* : Noi in essa leggiamo riprovati que' Vescovi *in partibus* per lo più Regolari, che ricevevano il Titolo di qualcheduno di que' Vescovadi, e di poi la Consecrazione, ed andavano girando di quà e di là, ed erano mendici e miserabili, *qui nec*, *ut expediret*, *prodesse*, *nec præesse*, *ut deceret*, *valentes*, *instabilitate vagationis*, *& mendicitatis opprobrio serenitatem Pontificalis nubilant dignitatis*. Noi vediamo nel Sagro Concilio di Trento *alla sess.* 14. *cap.* 2. proibirsi severamente a questi Vescovi Titolari in fermarsi in qualche luogo *Nullius Diœcesis*, ed ivi conferire gli Ordini senza le lettere dimissorie del Vescovo,

La quale appoggiata Jus commune.

*necessitate reformationis in Concilio universali cap.* 12., qui primò adfirmans, ab *Episcopis Titularibus*, dum munere Suffraganei Episcopi in aliorum Diœcesibus funguntur, pecuniam exprimi pro conferendis Ordinibus, deinde his verbis utitur : *Expediret, ut eis in ipso Concilio regula daretur super hoc limitationis providæ, quam excedere non deberent; ipsi enim emunt exercitium illud spirituale, ut plurimum, & postea rodunt alios pro libito voluntatis.*

Porro his corruptelis Romani Pontifices Prædecessores Nostri opportunè consuluerunt, uti constat apertissime ex Decretis Sancti Pii V. post Synodum Tridentinam pro *Episcopis Titularibus*, qui Suffraganei eliguntur, & pro statuenda illis congrua sustentatione; quæ omnia complectitur Fagnanus *in cap. Episcopalia num.* 48. *& seqq. de Privilegiis.* At vero, si Titulares Episcopi illi nominentur, qui merentes ob virtutem putantur; & qui præditi sunt in Ecclesia quibusdam muneribus, quibus omnino satisfacere nequeant, vel parum decenter, nisi dignitas Episcopalis adjungatur, corruptelæ omnes de medio auferuntur, pietati, ac religioni promovendæ aditus referatur, & illarum Diœcesum memoria excitatur, quæ in potestatem Infidelium devenerunt. Vetus Apostolicæ Sedis consuetudo id magnopere commendat; nec aliena fuit sententia Patrum virtute præstantium, qui in Tridentina Synodo *de Episcopis Titularibus* agentes, haud censuerunt nullos in posterum *Titulares Episcopos* constituendos esse, sed corruptelas tantummodo hoc in negotio corrigendas, & abstinendum deinceps ab hujusmodi Episcopis sacrandis, nisi legitima causa, ac necessitas id exigere videretur; uti commemorat Cardinalis Pallavicinus in historia, quam de Synodo Tridentina conscripsit *lib. 21. cap. 6. num.* 12., *& cap.* 8. *num.* 2.

Pro exercitio muneris Cappellani Majoris Regii Sacelli requiritur Dignitas Episcopalis.

Dignitatem Episcopalem cum munere Supremi Eleemosynarii, seu Capellani Majoris Regalis Sacelli jungi oportere testatur Petrus Galandius in vita Petri Castellani Galliarum Magni Eleemosynarii his verbis : *Aulæ totius Regiæ unicus Episcopus est : quocumque in loco per totum Regnum Rex versetur, ab eo Sacramenta petere solet.* In Glossario Du Fresne, ac Du Cange, quod ultimò typis commissum est, ad verbum *Eleemosynarii*, recensentur illorum nomina, qui Magni Eleemosynarii apud Reges Galliarum constituti fuerunt, cum essent Episcopi, & peculiares Ecclesias regendas obtinerent. Idem ostendit Thomassinus *de veteri, & nova Ecclesiæ disciplina par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 112. *num.* 9. Sed omissis quibuscunque exemplis, cum Nos ipsi literis Apostolicis datis die 11. Augusti anno 1745. jam concesserimus eidem Carissimo in Christo Filio nostro Carolo Emanueli Sardiniæ Regi, ut supremus ipsius Eleemosynarius, seu Regalis Sacelli Major Capellanus Episcopali dignitate exornetur, utque is Territorium proprium habeat, & subditos, in quos suam exerceat ordinariam jurisdictionem, hinc facile perspici potest, nullam superesse nobis difficultatem, ac scrupulum (quo a sacrandis *Titularibus Episcopis* retrahi solemus, nisi gravis causa id requirat), ut Episcopum *in partibus* te constituamus, quem' paucis adhinc mensibus ob virtutem, ac præclara merita inter Cardinales cooptavimus.

Verum proponitur dubium, an Cardinalis ad Ec-

Illud accuratè, ac diligenter examinandum supereſt, an conveniens judicetur, cum Cardinalis sis, ad Episcopatum in partibus te adhuc assumi.

a cui sono soggetti quelli, che ad essi ricorrono per essere ordinati. Noi abbiamo letto le Opere ancora di chi con zelo troppo avanzato si è preso l'assunto di voler riformare la Chiesa, e fra questi Pietro de Alliaco *de necessitate reformationis in Concilio universali al cap.* 12., ove dopo aver detto, che questi Vescovi Titolari, facendo i Vescovi Suffraganei nelle Dioceſi d'altri, esigevano denaro per conferire gli Ordini, così conchiude : *Expediret, ut eis in ipso Concilio regula daretur super hoc limitationis providæ, quam excedere non deberent; ipsi enim emunt exercitium illud spirituale, ut plurimum, & postea rodunt alios pro libito voluntatis.*

A quest'inconvenienti non hanno mancato i nostri degni Predecessori Romani Pontefici di porre il dovuto riparo : bastando leggere i Decreti fatti da S. Pio V. dopo il Concilio di Trento sopra questi Vescovi *in partibus*, eletti Suffraganei, e sopra la congrua, che ad essi si deve assegnare, come può vedersi appresso il Fagnano *nel cap. Episcopalia num.* 48. *e segg. de Privilegiis.* Eleggendosi in oltre Vescovi Titolari quelli, che ne sono meritevoli, e che hanno qualche incombenza nel servigio della Chiesa, che o non si può fare, o non è decente che si faccia senza il Carattere Vescovile, resta tolto di mezzo qualsivoglia disordine, e si apre la strada a molte opere buone, e resta vigente la memoria di quelle povere Dioceſi, che abbandonate, sono in potere degl'Infedeli. Concorda con queste massime il sistema sempre rispettabile di questa Santa Sede; e concordano ancora i pareri di que' savj Padri, che nel Sagro Concilio di Trento, quando si trattò il punto di questi Vescovi Titolari, non dissero che più non si facessero, ma bensì che si levassero gli abusi, come poscia fu fatto, e che non si creassero, se non per giusta causa, o per necessità, come può vedersi nella Storia del detto Concilio scritta dal Cardinale Pallavicino *al lib.* 21. *cap.* 6. *num.* 12., *ed al cap.* 8. *num.* 2.

Per esercitare l'Uffizio di Cappellano Maggiore di una Cappella Regia si richiede la Dignità Vescovile.

La Carica di Grand'Elemosiniere, o sia di Cappellano Maggiore della Regia Cappella, porta seco il Carattere Vescovile : *Aulæ totius Regiæ unicus Episcopus est : quocumque in loco per totum Regnum Rex versetur, ab eo Sacramenta petere solet* : Sono parole di Pietro Galandio nella Vita di Pietro Castellano Grand'Elemosiniere di Francia. Nel tomo terzo dell'ultima Stampa del Glossario del du Fresne, e del du Cange, alla parola *Eteemosynarii*, si può vedere l'Elenco dei Grandi Elemosiniere dei Re di Francia, assunti a questa dignità, essendo anche Vescovi di residenza. Può anche leggersi il Tomassino *de veteri, & nova Ecclesiæ disciplina alla par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 112. *num.* 9. Ma, senza cercar esempj da altre parti, avendo già Noi con un nostro Breve spedito agli 11. di Agosto 1745. conceduto al sopradetto Carissimo in Cristo Figlio nostro Carlo Emmanuele Re di Sardegna, che il suo Grand' Elemosiniere, o sia il suo Capellano Maggiore della Regia Cappella, sia costituito in dignità Vescovile, avendogli assegnato il Territorio, in cui deve esercitare la giurisdizione ordinaria, avendogli assegnati i Sudditi, ciascheduno può facilmente conoscere, che (essendo Noi pienamente persuasi del di lei merito, per cui pochi mesi sono l'abbiamo fatto Cardinale), saremmo irragionevolmente scrupulosi, se al suo caso estendessimo quella tal quale ripugnanza, che abbiamo, di fare Vescovi Titolari senza il concorso delle necessarie circostanze.

Ma si propone il dubio, se un Cardinale possa

La vera difficoltà, che può promoversi, e deve esaminarsi, è la seguente, che si desume dall'esser ella già Cardinale, e doversi ora promovere ad

cleſiam Titularem ſit promovendus.

aſſumi. Nam, ſi primo Epiſcopus *in partibus*, deinde Cardinalis renunciatus fuiſſes, procul dubio ad omnem tollendam difficultatem ſatis viſum eſſet, ſi, quo tempore Diaconiam Sanctorum Coſmæ, & Damiani tibi contulimus, eo vinculo, ſeu ſpirituali matrimonio, quod inter Te, tuamque Eccleſiam, licet *in partibus Infidelium* poſitam, prius initum fuerat, minime ſolviſſemus; quemadmodum Decreto noſtro Conſiſtoriali die 11. Martii 1745. faciendum mandavimus, quotics Cardinali, qui jam ſit Epiſcopus *in partibus*, ſeu Titulus, ſeu Diaconia tribuatur; neque defuiſſet nobis ad hoc faciendum legitima cauſa, eo quod Magni Eleemoſynarii munere perfungi debeas, quod exerceri minimè poteſt, niſi dignitas Epiſcopalis adjungatur: At vero, cum Epiſcopus antea non eſſes, quum inſignia Cardinalis obtinuiſti, & cum pro ineundo munere Magni Eleemoſynarii, Titulo Epiſcopi carere nequeas, id profecto Nobis aliiſque dubitandi præbuit occaſionem; quamquam, eodem negotio diligenter examinato, dubitationem omnem depoſuimus.

Epiſcopi quandoque renuerunt Cardinalatum, ut ſuis Eccleſiis adeſſent.

Omnibus, qui parumper in Hiſtoria Eccleſiaſtica verſati ſint, cognitum perſpectumque eſt, non ſemel contigiſſe, ut non multis ab hinc ſæculis Epiſcopi honorem Cardinalis recuſaverint; cum enim Romæ Cardinales immorari deceret, ut ſuam operam, & conſilium in adminiſtrandis Eccleſiæ univerſalis negotiis præſtarent; ideo ſi quis Epiſcopus in Cardinalem feligeretur, illum oportebat Eccleſiam ſuam dimittere. Thomaſſinus *de veteri, ac nova Eccleſiæ diſciplina par. 2. lib. 3. cap. 5. num. 12. & cap. 33. §. Primogenia*, plura recenſet Epiſcoporum exempla, qui, ne cogerentur Epiſcopatum relinquere, inter Cardinales cooptari noluerunt: Deinde commemorat inductam conſuetudinem, ob quam Romani Pontifices facultatem impertiri cœperunt, Cardinalis honorem una cum Epiſcopatu retinendi: Quare Hieronymus Platus in ſuo libro *de Cardinalis dignitate, & officio cap. 4. §. 1.* ſcriptum reliquit: *Morem olim fuiſſe in Eccleſia, eumque diutiſſime ſervatum, ut non alii eſſent Cardinales Epiſcopi, quàm illi ſeptem prius, poſtea verò ſex*: Cardinalitios Epiſcopatus Suburbicarios intelligit, de quibus Cardinalis Brancaccius præclaram edidit diſſertationem: *qui, ob locorum propinquitatem, ſimul & Pontifici adeſſe, & ſuo tamen Gregi non deeſſe poterant; alii verò aliarum Civitatum Epiſcopi nunquam ad Cardinalatum promoverentur.* Equidem venerabiles Cardinales, quos pro Eccleſia reformanda Paulus III. elegerat, veterem hanc diſciplinam iterum proponere, & collapſam reſtaurare conati ſunt: Nam his verbis conſilium ſuum anno 1538. declarant: *Officium Cardinalium, & officium Epiſcopi, incompatibilia ſunt. Nam Cardinalium eſt aſſiſtere Sanctitati Tuæ pro gubernanda univerſali Eccleſia, officium autem Epiſcopi eſt paſcere Gregem ſuum, quod præſtare bene, &, ut debet, haud poteſt, niſi habitet cum ovibus, ut paſtor cum grege.* Attamen ob contrariam conſuetudinem jam diu inveteratam hujuſmodi conſilium executioni mandari non potuit: Sed illud ſemper cautum fuit, ut Cardinales ad Epiſcopatum adſumpti, & Epiſcopi inter Cardinales adlecti, ſi Eccleſiam ſuam retinerent, reſidendi lege tenerentur; uti conſtat ex variis Concilii Tridentini Decretis, Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, ac potiſſimum Urbani VIII., quibus congruunt Apoſtolicæ litteræ, quas Nos ipſi ſuper hac eadem re promulgavimus. Porro non deſunt rationes, quæ id maximè conſentaneum oſtendunt;

Er olim alii non erant Cardinales Epiſcopi, quam ſex.

Mos inde introductum aſſumendi ad Epiſcopatus etiam Cardinales ex mente Concilii Tridentini, & Romanorum Pontif.

ad una Chieſa, o ſia Veſcovado *in partibus*. Se ella foſſe ſtata Veſcovo *in partibus* prima di eſſer Cardinale, per l'effetto, di cui ſi tratta, ſarebbe ſtato baſtante, nel conferirle la Diaconia dei Santi Coſma e Damiano, come abbiamo fatto, non aſſolverla dal legame, o ſia dal Matrimonio ſpirituale da lei contratto colla ſua Chieſa, benchè coſtituita *in partibus Infidelium*, come da Noi con noſtro Decreto Conciſtoriale nel giorno 11. di Marzo 1745. è ſtato ſtabilito che ſi faccia, ogni qual volta ſi conferiſcono al Cardinale gia Veſcovo *in partibus* o il Titolo, o la Diaconia; e vi ſarebbe ſtata una cauſa legittima per diſpenſarla dal Decreto, e non iſcioglierla dal legame, dovendo ella riempire il poſto di Grand'Elemoſiniere, che non ſi può riempire, come già ſi è detto, ſe non da chi ha l'Ordine Veſcovile: ma il non eſſer ella ſtata Veſcovo prima d'eſſer Cardinale, e dovendo ricevere il Carattere di Veſcovo *in partibus* dopo il Cardinalato per poter eſſere Grand'Elemoſiniere del Re di Sardegna, queſto è quello, che a prima viſta ha ſomminiſtrato a Noi e ad altri l'occaſione di dubitare. Ma Noi, per vero dire, dopo aver ben conſiderato il tutto, non abbiamo in ciò ritrovata veruna intrinſeca ripugnanza.

E noto a ciaſcheduno, che ha qualche tintura della Storia Eccleſiaſtica, che ne' Secoli da noi non molto remoti, chi era Veſcovo, ricuſava bene ſpeſſo d'eſſer Cardinale; imperocchè portando il Cardinalato il peſo di dover riſedere in Roma per aſſiſtere ai negozj della Chieſa univerſale, era lo ſteſſo accettare il Cardinalato, che reſtar privo del Veſcovado. Può vederſi il Tomaſſino nella ſua antica, e nuova Diſciplina della Chieſa *alla par. 2. lib. 3. cap. 5. num. 12., ed al cap. 33. §. Primogenia*, ove porta gli eſempj di quelli, che ricuſarono il Cardinalato, per non perdere il Veſcovado, ed in oltre l'uſo delle diſpenſe, che s'incominciarono a dare dai Papi per la ritenzione de' Veſcovadi unitamente col Cardinalato: per lo che Girolamo Plato nel ſuo Trattato *de Cardinalis dignitate, & officio, al cap. 4. §. 1.* laſciò ſcritto, *morem olim fuiſſe in Eccleſia, eumque diutiſſime ſervatum, ut non alii eſſent Cardinales Epiſcopi, quam illi ſeptem prius, poſtea verò ſex*; parla dei Veſcovadi ſuburbicarj Cardinalizi, de' quali il Cardinale Brancacci compoſe la ſua famoſa Diſſertazione; *qui, ob locorum propinquitatem, ſimul & Pontifici adeſſe, & ſuo tamen Gregi non deeſſe poterant; alii verò aliarum Civitatum Epiſcopi nunquam ad Cardinalatum promoverentur.* Tentarono quei venerabili Cardinalj eletti da Paolo III. per riformare la Chieſa, nel loro conſiglio, che diedero *l'anno* 1538., di rimettere in piedi queſta diſciplina: *Officium Cardinalium, & officium Epiſcopi, incompatibilia ſunt. Nam Cardinalium eſt aſſiſtere Sanctitati Tuæ pro gubernanda univerſali Eccleſia; officium autem Epiſcopi eſt paſcere Gregem ſuum, quod præſtare bene, &, ut debet, haud poteſt, niſi habitet cum ovibus, ut paſtor cum grege.* Ma queſta loro idea non ebbe il ſuo effetto, avendo preponderato al loro conſiglio la pratica già radicata d'aſſumere i Veſcovi al Cardinalato colla ritenzione del Veſcovado, e di dare a i Cardinali i Veſcovadi, benchè non ſiano dei ſei Cardinalizj, aſtringendoli però alla reſidenza; come ſi vede in varj Decreti del Sacro Concilio di Trento, nelle Coſtituzioni de' Romani Pontefici, e ſpecialmente in una d'Urbano VIII., ed anche in una noſtra: Nè l'accennata pratica è priva del ſuo fondamento; imperocchè eſſendo creſciuto il numero de' Cardinali ſino a ſettanta, non può mancare oggidì un numero ſufficiente di quelli, che riſiedono in Roma, per aſſiſtere il Papa nel governo della Chieſa univerſale; ed è ben

Nam, cum septuaginta Cardinales modo numerentur, plures ex illis Romæ semper degere consueverunt, qui in regenda universali Ecclesia Pontificem Romanum adjuvent : Hinc maxime decet alios ex Cardinalibus in suis Diœcesibus morari, & Ecclesias administrare ipsorum curæ commendatas; alios verò perhonorificis munebus ornatos longe ab Urbe ita se gerere, ut novum Cardinalium Collegio ornamentum, & Sedis Apostolicæ negotiis operam, quam possunt, exhibeant.

Arguitur ab antiqua disciplina ad præsentem, an liceat Cardinalem ad Episcopatum promoveri.

Cum hæc ita se habeant, argumentationem ita conficere possumus. Si recens Ecclesiæ disciplina, videlicet Sacrandi Episcopos *in partibus*, tum viguisset, cum non licebat Episcopis inter Cardinales adscribi, neque Cardinalibus conferri poterant Episcopatus, nisi Suburbicarii; si, inquam, tunc temporis legitima causa postulasset, ut Episcopus *in partibus* Cardinalis fieret, vel aliquis ex Cardinalibus ad Episcopatum *in partibus* eligeretur, procul dubio tunc difficile fuisset asserere, Cardinalis munus cum Episcopatu conjungi nequaquam posse; cum ex lege residendi, qua tenentur Episcopi, id solum desumatur, uti superius ostendimus, qua quidem lege Titulares Episcopi non adstringuntur. Quamobrem, si tunc temporis nihil adversari potuisset, quin Episcopus *in partibus*, si quis fuisset, inter Cardinales adlegeretur, & Cardinalis Episcopatu *in partibus* donaretur; quis unquam jure postulabit, ut his temporibus, cum mos obtinuit ut Cardinales creentur etiam Episcopi residentes, & Cardinalibus administrandæ tradantur Ecclesiæ, quæ residendi legem habent, quis, inquam, jure postulabit, ut Episcopus *in partibus* inter Cardinales haud numeretur, retenta Ecclesia sua *in partibus*, aut aliquis ex Cardinalibus ad Episcopatum *in partibus* minime renuncietur, si pro his gerendis legitima causa Romanus Pontifex adducatur.

Respondetur objecto, an consentaneum sit Cardinalium dignitati, illos ad Episcopatum titularem assumere.

Quod si difficultas ea proferatur in medium, videri nempe parum consentaneum Cardinalis dignitati, si *Episcopus in partibus* ipse consecretur, qui omni prorsus jurisdictione reipsa careat; id sane a nobis, ut ingenuò fateamur, nullius momenti, ac ponderis judicabitur. Non ignoramus, quàm præclara sit Cardinalium dignitas, qui præcedere debent Patriarchis ipsis, Archiepiscopis, & Episcopis. Legimus quoque Eugenii IV. Constitutionem, quæ incipit : *Non mediocri*, quæ decima quinta inter ipsius Constitutiones *in Bullario Romano tom.* 1. recensetur. Postremo Nos minime latet Decretum Nicolai V. Summi Pontificis, cùm ageretur controversia de loci primatu in Regni Conventibus inter Gnesnensem Archiepiscopum totius Regni Poloniæ Primatem, & Cardinalem Sbigneum Episcopum Gracovienſem : tunc enim Pontifex ita statuit, ut Cardinalis Sbigneus principem locum in iisdem Conventibus obtineret, ut tradit Raynaldus ad *annum Christi* 1419. *num.* 9., quod sanè Decretum, interposita Regis Polonorum auctoritate, statim executioni mandatum fuit, quemadmodum Cromerus *lib.* 22. commemorat. Porro id maxime convenit Cardinalibus, qui pars *Corporis Pontificis* appellantur a Doctoribus, eo quod in regimine totius Ecclesiæ universalis operam suam præbeant : Idem sentiunt alii Scriptores, licet a communione Romanæ Ecclesiæ disjuncti & alieni, inter quos Theodorus Rinkinghius in Tractatu *de Regimine Sæculari, & Ecclesiastico lib. 3. class. 2. cap. 3.*, Jacobus Andreas Crusius in Tractatu *de Præeminentia cap. 3. de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sessione, tam quoad* fatto, che altri di loro, stando fuori di Roma, risiedano nelle loro Diocesi, governino le Chiese a loro commesse, o pure rivestiti d'altre dignità proprie al loro grado, ed amministrandole, contribuiscano sempre più al lustro del loro Collegio, e somministrino un tal quale indiretto ajuto al buon governo della Chiesa universale, ed agli affari della Sede Apostolica.

Dell'antica disciplina alla presente, si argomenta, se sia lecito promovere un Cardinale al Vescovado.

Premessa questa istorica narrazione, e ritornando al nostro proposito, Noi la discorriamo così. Se in que' tempi, ne' quali i Vescovi non si facevano Cardinali, nè ai Cardinali si davano altri Vescovadi, che i suburbicarj, fosse stata vigente la disciplina d'oggidì, di conferire, concorrendo le debite circostanze, i Vescovadi *in partibus*, e vi fosse stato qualche Vescovo *in partibus*, che si facesse Cardinale, o pure qualche già Cardinale, a cui fosse stato d'uopo conferire un simile Vescovado; sarebbe stato molto difficile il sostenere l'incompatibilità del Vescovado col Cardinalato; essendo essa, come già si è veduto, unicamente fondata nella legge della residenza nel Vescovado, alla quale i Vescovi *in partibus* non sono tenuti; e però, se ne' tempi, ne' quali il Vescovado di residenza era incompatibile col Cardinalato, nè chi era Vescovo, facevasi Cardinale, nè chi era Cardinale, facevasi Vescovo, non vi sarebbe stata ripugnanza, o che un Vescovo *in partibus* si facesse Cardinale, o che un Cardinale si facesse Vescovo *in partibus*; con qual ragione potrà oggi pretendersi, che, mutata la disciplina, fissato il sistema, che il Vescovo di residenza si fa Cardinale, ed al Cardinale si dà l'amministrazione d'una Chiesa di residenza, non possa un Vescovo *in partibus* esser fatto Cardinale con la ritenzione del Vescovado *in partibus*, quando vi concorra una giusta causa di ritenerlo, o non possa un Cardinale esser fatto Vescovo *in partibus*, quando vi sia un giusto motivo di farlo?

Si risponde all'obietto, se sia consentaneo alla Dignità Cardinalizia ricevere il Vescovado in partibus.

Che se poi il punto si riducesse alla decenza, e si dicesse non esser conveniente che un Cardinale si faccia Vescovo *in partibus*, e che il Cardinalato serva come di strada per arrivare ad un Vescovado, che non ha attuale giurisdizione; le diremo con ogn'ingenuità, che questa riflessione non sarebbe certamente di verum peso appo Noi. Siamo ben informati dell'eminente Dignità Cardinalizia : Sappiamo dover precedere i Cardinali ai Patriarchi, agli Arcivescovi, ed ai Vescovi : abbiamo letta la Costituzione *Non mediocri* d'Eugenio IV.; che è la decimaquinta fra le sue Bolle nel Bollario Romano al tomo primo : ci è nota la decisione del Pontefice Niccolò V. nella controversia fra l'Arcivescovo di Gnesna Primate del Regno di Polonia, ed il Cardinale Sbigneo Vescovo di Cracovia, in cui decretò, che il primo luogo nelle Diete si dovesse al Cardinale, come può vedersi appresso il Rainaldi *all'anno di Cristo* 1419. *num.* 9., alla qual definizione volle il Re si desse pronta esecuzione, come attesta il Cromero *al lib.* 22. Ciò è loro dovuto per esser parte *Corporis Pontificis*, come parlano i Dottori, per essere impiegati nel governo della Chiesa universale, come anche al nostro proposito vanno discorrendo gli Scrittori, benchè eterodossi, fra quali Theodoro Rinkingk nel suo Trattato *de Regimine Sæculari, & Ecclesiastico lib. 3. class. 2. cap. 3.*, Giacomo Andrea Crusio nel Trattato *de Præeminentia al cap. 3. de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sessione, tam quoad Ecclesiasticos, quàm Sæculares, Reges, & Principes.* Ma sappiamo altresì, essere il Vescovo, nell'Ordine, Superiore al Cardinale Diacono,

*Ecclesiasticos, quàm Sæculares, Reges, & Principes.* Attamen certum est, Episcopum Ordinis potestate Cardinali Diacono, & Cardinali Presbytero præstare: *Si consideremus* (inquit Cardinalis Bellarminus *tom. 2. Controvers. lib. 1. de Clericis cap. 16. §. Quantum ad tertium*) *Ordinis potestatem, major est Episcopus Presbytero, vel Diacono Cardinali; nam Episcopus ordinat Presbyteros, confirmat baptizatos, aliaque id genus facit, quæ Cardinales Presbyteri, vel Diaconi facere non possunt: qua etiam ratione Summus Pontifex Episcopum se vocat, non Cardinalem, & Episcopos omnes appellat Venerabiles Fratres, Cardinales autem dilectos Filios, quomodo vocat etiam Laicos.* Equidem potestas Ordinis, quæ in Episcopo residet, non satis est, ut ipse Cardinali præcedat; eo quod loci primatus non Ordinis potestati, sed dignitati potissimum tribuatur: Hinc Archidiaconus, licet Presbyter non fuerit, ob suam jurisdictionem Archipresbytero antecedit; Diaconus pariter, vel Subdiaconus, aut etiam Clericus, qui Vicarium Metropolitani gerunt, aut ipsius locum tenent, in Synodis Provincialibus anteferuntur Episcopis Suffraganeis, ob auctoritatem, quam obtinent, & ratione personæ, quam præseferunt, uti Eugenius IV. declarat in sua Constitutione: *Non mediocri* §. 13. quam superius nominavimus. Hæc quidem vera sunt; tamen ex his, quæ diximus, satis aperte constat, non alienum esse, & indecorum Cardinalibus, si Episcopatum *in partibus* accipiant, cum Titulares quoque Episcopi eadem potestate Ordinis præditi sint, qua reliqui Episcopi residentes fruuntur; quippe Ordines valide conferunt, & Sacramentum Confirmationis jure administrant, si rite præscripta materia, forma, & intentione utantur; etiamsi nulla facultas intercedat Ordinarii, in cujus Diœcesi hæc peragunt, nullæque ab Ordinando litteræ dimissoriales exhibeantur: Ita perpendunt Scriptores, quos Vasquesius recenset, & quibus etiam ipsi subscribit *in 3. part. disput. 243. num. 21. tom. 2.*; Verumtamen, nisi proferantur ab Ordinando litteræ, quas diximus, & facultas Ordinarii loci interveniat, illicite Titulares Episcopi ejusmodi muneribus funguntur, quemadmodum decernitur a S. Tridentina Synodo *sess. 14. cap. 2.* superius citato.

Cardinales etiam sunt Archipresbyteri Basilicarum Patriarchalium.

Omittimus hoc loco verba facere de Archidiaconatibus, Decanatibus, & Canonicatibus, aliisque Ecclesiasticis Beneficiariis, quibus abesse Choro non licet, ideoque cautum fuit Decreto Sixti V. Prædecessoris nostri (illud est 79. in Bullario Romano *tom. 2.*) ne hujusmodi Beneficia simul cum Cardinalatu retinerentur, eoquod dignitati Cardinalium convenire non videatur, ipsos in Choro secundum post Episcopum locum obtinere: Hæc, inquam, omittimus, cum exemplis quotidianis hic Romæ videamus conferri Cardinalibus Archipresbyteratus Patriarchalium Ecclesiarum, neque alienum a Cardinalium dignitate id existimari, neque ob hanc causam a quopiam censeri per Cardinalatum viam ad honorem Archipresbyteratus sterni, & comparari: Cum hæc ita sint, nemo inficiabitur Episcopatum *in partibus* tribui posse alicui ex Cardinalibus, quin ipsius titulo, atque amplitudini indecorum id judicetur, & quin Cardinalatus, veluti quidam gradus habeatur ad Episcopatum attingendum; præsertim cum Archipresbyteratus longè inferior sit Episcopatu. Nam inter Archipresbyteros Patriarchalium, ille solum, qui in Basilica S. Petri hoc munere fungitur, ob singularia privilegia, Clericis suæ Basilicæ addictis, & subjectis, ad Ordines suscipiendos Litteras Dimissoriales impertit, & sacramentum Confirmationis administrat: Attamen, nec ipse, neque

Et concluditur Cardinalibus Episcopatum in partibus tribui posse.

ed al Cardinale Prete: *Si consideremus Ordinis potestatem, major est Episcopus Presbytero, vel Diacono Cardinali; nam Episcopus ordinat Presbyteros, confirmat baptizatos, aliaque id genus facit, quæ Cardinales Presbyteri, vel Diaconi facere non possunt: qua etiam ratione Summus Pontifex Episcopum se vocat, non Cardinalem, & Episcopos omnes appellat Venerabiles Fratres, Cardinales autem dilectos Filios, quomodo vocat etiam laicos*: sono parole del Cardinale Bellarmino *nel tom. 2. delle Contoversire al lib. 1. de Clericis cap. 16. §. Quantum ad tertium*: E sebbene questa maggioranza circa la podestà dell' Ordine non basta, acciò il Vescovo debba precedere al Cardinale, desumendosi la precedenza non dalla podestà dell'Ordine, ma dalla Dignità; perlocchè veggiamo che l'Archidiacono, che non è Prete, in sequela della sua giurisdizione, precede all'Arciprete, che è Sacerdote; e il Diacono, o Suddiacono, o pure il semplice Chierico, che è Vicario, o Luogotenente del Metropolitano, nel Sinodo Provinciale precede ai Vescovi Suffraganei, per l'autorità, che ha, e per la persona, che rappresenta; come bene al nostro proposito riflette il Pontefice Eugenio IV. nella sua citata Costituzione *Non mediocri al* §. 13. Basta però, ed è più che sufficiente, per escludere l'opposta indecenza, che un Cardinale sia assunto ad un Vescovado *in partibus*; essendo nel Vescovo Titolare consecrato la stessa podestà dell'Ordine, che è in tutti gli altri Vescovi di residenza; per lo che sono valide le collazioni degli Ordini, e le Cresime, purchè il tutto da esso si faccia servendosi della dovuta materia, e della dovuta forma, ed abbia la dovuta intenzione, ancorchè non vi sia la licenza dell'Ordinario, nella di cui Diocesi fa le dette funzioni, ed ancorchè non vi siano le dimissorie del Superiore dell'Ordinando; come osservano gli Autori, riferiti e seguitati dal Vasquez *in 3. par. disput. 245. num. 21. tom. 2.*; Ma sono illecite, venendogli vietato il far le funzioni Vescovili senza l'annuenza del Prelato locale, e conferir gli Ordini senza le dimissorie del Superiore dell'Ordinando, come si vede nel luogo sopraccitato del Sagro Concilio di Trento *alla sess. 14. cap. 2.*

I Cardinali sono anche Arcipreti delle Basiliche Patriarcali.

E per vero dire, ciò che fiasi degli Archidiaconati, Decanati, Canonicati, e simili Benefizj, che obbligano all'intereſſenza nel Coro, la ritenzione de' quali unitamente col Cardinalato vien proibita dal Decreto del nostro Predecessore Sisto V., che è il 79. nel Bollario Romano *al tom. 2.*, per la ragione, che non conviene alla Dignità di Cardinale l'avere in Coro il secondo luogo dopo il Vescovo, come si legge nel detto Decreto; se ogni giorno in mezzo a Roma vediamo darsi ai Cardinali gli Arcipretati delle Patriarcali, senza che ciò si reputi disdicevole alla loro Dignità, e senza che si dica essere il Cardinalato strada per l'Arcipretato, con molta maggior ragione dovrà dirsi, potersi con giusta causa conferire ad un Cardinale un Vescovado *in partibus*, senza che ciò pregiudichi al suo decoro, ed alle sue preeminenze, e senza che si possa valutare il Cardinalato come uno scalino per ascendere al Vescovado; essendo fra gli Archipreti delle Patriarcali solo quello della Basilica di San Pietro, che per Indulti particolari concede le Dimissorie ai Sudditi, e dipendenti della sua Basilica, ed anche conferisce la Cresima; non avendo però nè esso, nè gli altri Arcipreti veruna giurisdizione contenziosa sopra i Canonici, e gli altri, che servono alle Basiliche, per esser essa stata soppressa dalla santa memoria d'Innocenzio XII. in una sua Costituzione confermata da Noi con un'al-

E si conchiude potersi dare ad un Cardinale un Vescovado in partibus.

cæteri Archipresbyteri ulla gaudent jurisdictione ad cognoscendas, ac dijudicandas causas, quæ excitantur inter Canonicos, aliosque, qui Basilicis ipsis inserviunt, cum hac facultate spoliati fuerint Innocentii XII. Constitutione, quam Nos alia Constitutione confirmavimus, quæ incipit : *Quantum ad procurandam* : Ea fuit in lucem edita *die* 15. *Februarii anno* 1742., & *lib.* 1. nostri Bullarii quadragesima quarta recensetur. Porro nulla alia jurisdictio post has Constitutiones ipsis Archipresbyteris relinquitur, nisi *paterna*, & *œconomica* in iis, quæ ad cultum Ecclesiæ, morum emendationem, vel Ecclesiasticam disciplinam pertinent, uti manifestò desumitur *ex decreto* 65., quod in peculiari Bullario Innocentii XII. continetur. At vero Titulares Episcopi ob potestatem Ordinis, qua plenè post Consecrationem prædìti sunt, non modo conferre Ordines, & Confirmationis Sacramentum administrare possunt, si Ordinarii loci facultas, & cætera, quæ superius memoravimus, interveniant; sed etiam (si per eundem Ordinarium loci liceat exercere Pontificalia) a Titulari Episcopo Ordinibus initiari posse contendunt gravissimi Scriptores, ac præsertim Hallier *in Tractatu de Sacris Ordinationibus*, eos omnes, qui profecti ab ea Civitate, a qua Titularis Episcopus nominatur, in has regiones venirent, & Catholicam Religionem amplecterentur. Accedit, quod licet Episcopus Titularis revera subditis careat, eoquod solum Infideles in ipsius Diœcesi versentur, tamen in illos jurisdictionem exercere potest, si ad Christianam Religionem traducantur, vel si Fideles aliqui in eam Diœcesim commigrarent, ibique domicilium suum constituerent. Hinc in Litteris Apostolicis, quæ ad Episcopum Titularem declarandum exarantur, ipse monetur, ut suam in Diœcesim se conferat, si fieri possit, ut pastorali munere fungatur; cum verò ipse consecratur, tum Episcopus consecrans illis verbis utitur, quæ in reliquis omnibus Episcopis consecrandis proferri solent : *Accipe Evangelium, & vade; prædica populo tibi commisso* : Id animadvertit Cardinalis de Lugo *in Responsis Moralibus lib.* 5. *quæst.* 15. *num.* 2.

Episcopus Titularis jurisdictionem exercere potest in subditos, si ad Christianam Religionem convertantur.

Il Vescovo Titolare può esercitare la giurisdizione nei sudditi, se si convertono alla Religione.

Quæritur, an de hoc adsit exemplum.

Hæc sanè ut medium afferri possunt, si intimam rei, de qua agimus, naturam inspicere, ac perpendere velimus. Sed quoniam exploratum Nobis est, homines plerumque exemplis magis permoveri, inquirendum duximus, an Cardinalis aliquis superiori tempore Titularem Episcopatum habuerit.

Si cerca esempio in cio che si è conchiuso.

Exemplum promotionis Cardinalis Gotti, quod casui non applicatur.

Ac primò Cardinalis Vincentii Gotti idoneum exemplum visum est. Ipse die 30. Aprilis anno 1728. creatus fuit Cardinalis, quo die Nos etiam, aliique plures, a Benedicto XIII. de Nobis optimè merito in Cardinalium Collegium cooptati fuimus. Tunc ille Bononiæ morabatur, ad quem de more Birettum novæ dignitatis insigne missum fuit, quod ille manu Cardinalis Georgii Spinulæ Legati Bononiensis, magno cum apparatu ac pompa, suscepit die 9. Maji in Ecclesia Ordinis Prædicatorum, ubi die 19. ejusdem mensis Constantinopolitanus Patriarcha fuit consecratus a Cardinali Jacobo Boncompagni Bononiensi Archiepiscopo, cui simul aderant Torrellus Episcopus Forlivii, & Cervionus tunc Episcopus Faventinus. Attamen advertimus idem Consistorium, habitum die 30. Aprilis, initium desumpsisse a Patriarchatu Constantinopolitano, cujus vacatio antea contigerat, cum Cardinalis Cybo in Sacrum Collegium adscriptus fuerat, cujus loco Pater Magister Gotti Ordinis Prædicatorum a Pontifice suffectus fuit; quo negotio peracto, ad Ecclesias alias Episcopales Pastore donandas in eo Consistorio Pontifex se convertit; ac postremo Cardinales creati fuerunt, inter quos idem

Ecco quanto abbiamo saputo considerare, riflettendo alla ragione intrinseca. Ma perchè ben sappiamo, che la maggior parte degli uomini resta appagata dai motivi estrinseci, e, come suol dirsi, dai casi seguiti, abbiamo creduto opportuno il ricercare, se fiasi mai dato un Vescovado *in partibus* ad uno già Cardinale.

Esempio della promozione del Cardinale Gotti, il quale non si applica.

A prima vista ci parve adattato l'esempio del Cardinal Vincenzo Gotti. Fù questi in compagnia nostra, e d'altri, fatto Cardinale dal nostro comun Benefattore Benedetto XIII. *ai* 30. *d'Aprile* 1728. Era esso in Bologna, ed essendogli stata secondo il solito mandata la Berretta Cardinalizia, fu con gran pompa fatta la funzione dalla buona memoria del Cardinale Giorgio Spinola allora Legato di Bologna nella Chiesa de' Padri Domenicani *ai* 9. *di Maggio*, e nella stessa Chiesa fu *ai* 19. *di Maggio* consecrato Patriarca di Costantinopoli dal su Cardinale Giacomo Buoncompagni nostro Predecessore nell'Arcivescovado di Bologna, coll'assistenza di Monsignor Torelli ancor oggi Vescovo di Forlì, e del *quondam* Monsignor Cervioni allora Vescovo di Faenza. Ma avendo poscia ben osservato, che il Concistoro sopraddetto *dei* 30. *d'Aprile* incominciò dal Patriarcato di Costantinopoli, che era vacante per l'antecedente promozione al Cardinalato del su Cardinale Cybo, quale fu conferito al Padre Maestro Vincenzo Gotti Domenicano; che di poi si fece passaggio alla promozione d'altre Chiese Vescovili; e che nell'ultimo fu fatta la Promozione de' Cardinali, fra' quali fu annoverato il predetto Gotti già

Vincentius Gotti jam Patriarcha Constantinopolitanus numerabatur. Quamobrem advertimus in hoc exemplo, ad Patriarchatum Constantinopolitanum electum, & renunciatum fuisse Vincentium Gotti tunc, quum Cardinalis honore nondum exornatus erat; qui deinde inter Cardinales adscitus Consecrationem suscepit, quod prætermitti nullo modo poterat, eo quod *Provisio Consistorialis* (ut inquit Fagnanus *Cap. Nihil num. 29. de Electione*) *habet vim electionis, & confirmationis* : Quare juxta Canones intra tres menses consecrari omnino debebat; Ita *Can. Quoniam dist. 100. & cap. 9.* Concilii Tridentini *sess. 7. de Reformatione, & cap. 2. sess. 23.*, ubi Cardinales etiam eidem legi obnoxii declarantur, & restituendi fructus decernuntur ab iis, qui intra tres menses haud consecrantur, & Episcopatu etiam spoliantur, si alii tres menses ante Consecrationem elabantur : Neque illud adversatur, in Synodo Tridentina actum tunc fuisse de residentibus Episcopis, non verò Titularibus, qui nullos omnino fructus ab Ecclesiis suis consequuntur; Quippe nonnulli ex iisdem Titulis dotem aliquam adnexam habent, quemadmodum Archiepiscopatus Theodosiæ, quo Nos ornati quondam fuimus a Benedicto XIII., tum quia Titulares Episcopi, quamvis nullis fructibus instructi sint, possunt Episcopali dignitate privari, si intra sex menses consecrari recusent : Ita perpendit Sacerdos Societatis Jesu in Tractatu, quem Romæ typis commisit *anno 1732. de Episcopo Titulari part. 4. num. 186.*

Alia exempla ex Historia Ecclesiæ desumpta.

Itaque, omisso exemplo Cardinalis Gotti, quod rei nostræ nequit accommodari, animum tamen haud despondimus; Annales Ecclesiæ percurrimus, in quibus tres Patriarchas Constantinopolitanos deprehendimus, qui hunc Titulum assecuti fuerunt, cum jam inter Cardinales adnumerarentur, & urbs Constantinopolis Turcarum imperio subderetur. Illi nempe fuerunt Cardinales Isidorus, Bessarion, ac Riarius: Equidem duo primi ab Eugenio IV. Cardinales creati sunt anno 1439.; Isidorus autem Patriarchatu deinceps auctus fuit a Pio II. anno 1459.: cumque is mortali hac vita Romæ defunctus fuisset die 27. Aprilis anno 1463., uti scriptum reliquit Oldoinus, vel die 8. Martii anno 1464., uti plures alii tradiderunt, Cardinalis Bessarion in Patriarchatum Constantinopolitanum demortui loco suffectus fuit, quemadmodum in Commentariis Pii II. *lib. 11. pag. 299.* continetur. Deinde post mortem ejusdem Cardinalis Bessarionis anno 1472. Sixtus IV. Patriarcham Constantinopolitanum constituit Petrum Riarium Nepotem suum, quem superiori anno Cardinalem creaverat; quod apertissimè constat ex Raynaldo ad annum Christi 1472. *num. 11.*, & ex Patre le Quien *tom. 3.* præclari operis, quod inscribitur *Oriens Christianus pag. 835. & 836.* Illud quoque adfirmavimus, Constantinopolim sub Turcarum potestate tunc extitisse, cum Cardinales, quos paulo ante nominavimus, Patriarchatum illius Urbis susceperunt. Nam primus inter ipsos Isidorus missus ab Eugenio IV. Constantinopolim Sedis Apostolicæ Legatus, ut concordiam inter Latinos, & Græcos in Concilio Florentino feliciter sancitam plenè confirmaret, cum in illa Urbe moraretur, ipsam Mahometus II. expugnavit: mortem sagacissimo consilio effugit, Cardinalitiis insignibus exanimum cadaver] induens; quod ipsius vultum, ac lineamenta mirificè referebat. Qua re Turcæ decepti, obtruncatum cadaveris caput, ac Pileum Cardinalitium hastæ præfixerunt, putantes, se Cardinali Romani Pontificis Legato

Patriarca di Costantinopoli; ci siamo avveduti, che il caso non era d'un Cardinale fatto Vescovo *in partibus*, ma d'uno, che prima del Cardinalato era stato fatto Patriarca di Costantinopoli, e che dopo il Cardinalato ricevè la Consecrazione : il che doveva farsi, mentre avendo la provista Concistoriale la forza d'elezione, e confermazione, come ben osserva il Fagnano *nel Cap. Nihil, num. 29. de Electione*, ove così scrive : *Et provisio Consistorialis habet vim electionis, & confirmationis* : entrava la disposizione Canonica di dover ricevere dentro tre mesi la Consecrazione secondo *il Can. Quoniam, dist. 100.* ed *il cap. 9.* del Concilio di Trento *alla sess. 7. de Reformatione*, ed *il cap. 2. della sess. 23.*, ove alla stessa legge sottopone i Cardinali, condannando alla restituzione de' frutti percetti chiunque non si consacra dentro i tre mesi, ed alla perdita del Vescovado, se dentro altri tre mesi non si fa consecrare : nulla giovando il replicare, che non si trattava di Vescovo di residenza, ma di Vescovo Titolare, che non riceve veruna entrata dalla sua Chiesa; si perchè vi sono alcuni di questi Titoli *in partibus*, che hanno qualche dote assegnata, come è quello dell'Arcivescovado di Teodosia, che a Noi fu conferito dalla santa memoria di Benedetto XIII. ed in questi Vescovadi può aver luogo la privazione de' frutti; si perchè, o siano, o non siano dotati questi Vescovadi, sono sempre i Provisti capaci della pena della privazione della dignità, se non si consagrano dentro i sei mesi; come assai bene considera un moderno Sacerdote della Compagnia di Gesù nel suo Trattato stampato in Roma *l'anno 1732. de Episcopo Titulari, alla par. 4. num. 186.*

Altri esempj presi dalla Storia Ecclesiastica.

Posto dunque da parte l'esempio del Cardinale Gotti, come inapplicabile al caso nostro, non ci siamo perduti d'animo, ed avendo scorsi gli Annali della Chiesa, abbiamo in essi ritrovati tre Cardinali Patriarchi di Costantinopoli, fatti Patriarchi dopo che erano già Cardinali, e dopo che Costantinopoli era nelle mani della Potenza Ottomana. Si è detto essersi ritrovati tre Cardinali Patriarchi di Costantinopoli, e questi sono i Cardinali Isidoro, Bessarione, e Riario. Si è detto, che furono fatti Patriarchi, dopo che già erano Cardinali : e questo è certo; Imperocchè Isidoro, e Bessarione furono fatti Cardinali dal Pontefice Eugenio IV. *nel 1439.*, ed il Cardinale Isidoro fu fatto Patriarca di Costantinopoli da Pio II. *nel 1459.*; ed essendo morto in Roma o ai 27. d'Aprile *del 1463.* come vuole l'Oldoino, o agli 8. di Marzo *del 1464.*, come altri pretendono, gli fu dato per Successore nel Patriarcato di Costantinopoli il memorato Card. Bessarione, come può leggersi ne' Commentarj di Pio II. *al lib. 11. pag. 299.* giusta l'edizione della quale ci serviamo. Morto poi il Card. Bessarione *nell' anno 1472.*, fu da Sisto IV. fatto Patriarca di Costantinopoli il Card. Pietro Riarj suo Nipote, che l'anno antecedente era stato fatto Cardinale da lui medesimo, come si vede nel Raynaldi all'anno di Cristo 1472. *num. 11.* ed anche nel Padre le Quien *al tom. 3.* della sua grand'Opera *Oriens Christianus pag. 835.* e *pag. 836.* Si è detto finalmente, che questi Cardinali furono fatti Patriarchi di Costantinopoli, dopo che Costantinopoli era nelle mani della Potenza Ottomana; e ciò si comprova. Il primo d'essi, che dopo il Cardinalato fu fatto Patriarca di Costantinopoli, fu il Card. Isidoro. Era questi stato mandato da Eugenio IV. suo creatore a Costantinopoli Legato Apostolico per istabilire l'unione fatta tra' Greci e Latini nel Concilio di Firenze. Nel tempo ch'era nella detta Città, fu essa soggiogata da Maometto II., ed essendogli riuscito di liberarsi dalla morte con uno strattagemma assai provido, avendo posti i soi vestiti Cardinalizj sopra

Legato mortem intulisse. Illud etiam fortunatè contigit, ut factus ipse Turcarum captivus, sed illis omnino incognitus, a captivitate vindicari potuerit, & Romam se conferre, quo prius anno 1451. confugerat Gregorius IV. Patriarcha Constantinopolitanus, ut schismaticorum vexationes, & belli imminentis pericula devitaret, qui paulo post; videlicet anno 1459. Romæ vitæ suæ cursum absolvit, cujus loco idem Cardinalis Isidorus Patriarcha Constantinopolitanus renunciatus fuit. Hanc historiam desumpsimus ex Commentariis Pii II., quæ antea commemoravimus; ex Attichy, cum verba facit de Cardinalibus Isidoro, & Bessarione; ex Ciacconio, & ex libris Aubery, qui generalem historiam Cardinalium complectuntur; & postremo ex allato superius Patre le Quien *tom.* 1. *pag.* 309., *ac tom.* 3. *pag.* 835. Hinc apertissimè consequitur, eosdem tres Cardinales, de quibus sermo est, Patriarchatu Constantinopolitano ornatos fuisse, postquam ea Civitas in potestatem Turcarum devenerat: equidem, ut id perspectum fieret, satis superque fuisset indicare, Urbem Constantinopolitanam a Mahometo II. penitus subactam die 19. Maji anno 1453., cum Nicolaus V. Pontificatum gereret, qui ob hanc calamitatem tanto mœrore perculsus fuit, ut vitam ipsam paulò post dolore amiserit.

Censura dictorum Exemplorum.

Fortasse his exemplis, quæ paulo ante recensuimus, Nos prorsus acquiescere putabis; sed ut verum ingenuò fateamur, aliter se res habet. Revera non inficiamur tres Cardinales Nobis occurrere, qui Patriarchatum Constantinopolitanum obtinuerunt, & quidem cum in Collegium Cardinalium jampridem cooptati fuissent; Illud quoque veritati consentaneum est, eosdem Cardinales ad Patriarchatum pervenisse, cum Civitas Constantinopolitana in Turcarum potestate jam versaretur. At verò iidem tres Patriarchæ inter Episcopos *in partibus* adnumerandi non videntur, eo quod Summi Pontifices, post devictam, captamque Constantinopolim, nihil intentatum reliquerunt, ut ipsam recuperarent, eaque de causa Principes Christianos sollicitare non destiterunt, ut unanimi consilio arma caperent, & bellum Turcis indicerent. Porro hoc temporis spatio tres Cardinales, quos antea commemoravimus, sibi invicem in Patriarchatum illius Urbis successerunt; Quamobrem inter eos Episcopos recensendi potius videntur, quibus magna spes affulgebat, ut jurisdictionem in suum populum exercerent: Nam Episcopi *in partibus* ii revera sunt, qui Titulum obtinent Ecclesiæ sub Infidelium potestate ita constitutæ, ut vindicari ab ipsorum tyrannide difficillimè posse videatur; ideoque ejusdem Ecclesiæ Titulus conceditur, ut ejus memoria apud posteros conservetur.

Equidem ex historiis clarè desumitur, quales conatus impenderint Romani Pontifices, ut simul conspirantibus Christianis Principibus Constantinopolim a Barbarorum manibus eriperent. Nicolaus V., qui subactæ eidem Civitati per duos annos assiduo mœrore tabescens superstes fuit, omnem curam, & operam contulit, ut in manus Christianorum illa rediret; Id constat ex ejus vita, quam Dominicus Georgius Capellanus noster, non sine magno animi nostri dolore nuper defunctus, accuratissimè in lucem edidit *pag.* 139. *& seqq.* Callistus III. idem consilium suscepit restituendæ Constantinopolis; & Barbaros victoria superbos, & insolentes non mediocriter compescuit, quemadmodum Æneas Silvius in Historia Bohemica *cap.* 67. testatur. Pius II., qui post Callixtum III. Summum Pontificatum accepit, ejusdem præclari facinoris ardore adeo succensus fuit, ut Christianos principes ab bellum contra Barbaros ineundum

il corpo d'un defunto, che era simile a lui, due profittevoli effetti da questo fatto derivarono; uno che i Turchi, tagliata la testa al cadavere, la posero sopra un'asta unitamente col Cappello Cardinalizio, pensando, che fosse la testa del Cardinale Legato; l'altro, che essendo esso restato prigioniere, ma sconosciuto, gli riuscì felicemente di liberarsi dalla schiavitù, e venire a Roma, ove già erasi ricoverato *nel* 1451. il celebre Gregorio IV. Patriarca di Costantinopoli, per sottrarsi dalle persecuzioni degli Scismatici, e dal pericolo della guerra imminente, ed ove anche santamente morì *nel* 1459. essendo stato poscia di lui Successore immediato nel Patriarcato il predetto Card. Isidoro. Tutta questa Storia è riferita nei Comentarj di Pio II. *al luogo citato*, nell' Attichy, quando tratta del Card. Isidoro, e del Card. Bessarione, nel Ciacconio, e ne' Tomi dell'Aubery della Storia Generale de' Cardinali, nel citato Padre le Quien *al tom.* 1. *pag.* 309. ed *al tom.* 3. *pag.* 835., e da tutta questa istorica narrazione si pone in chiaro, che i tre Cardinali furono fatti Patriarchi di Costantinopoli, dopo che Costantinopoli era nelle mani del Turco: pel quale assunto riconosciamo, che sarebbe stato bastante il dire in poche parole, che Costantinopoli fu presa l'ultima volta da Mehemet II. *ai* 29. *di Maggio* 1453. nel tempo del Pontificato di Niccolò V., che ne morì di dolore.

Censura delli detti esempj.

Elia crederà, esser Noi pienamente soddisfatti de' riferiti esempj: ma con ogn'ingenuità le diremo, che non lo siamo. E' vero, che tre furono i Cardinali Patriarchi di Costantinopoli; è vero, che furono fatti Patriarchi, dopo che erano Cardinali; ed è anche vero, che furono eletti Patriarchi, dopo che Costantinopoli era in mano del Turco. Ma non essendosi dai Sommi Pontefici trascurato, dopo la fatale perdita di quella Metropoli, di procurarne il riacquisto, unendo le armi de' Principi Christiani, ed essendo stati in questo mentre i tre Cardinali fatti successivamente Patriarchi, non sembra, ch' essi possano annoverarsi fra i Vescovi *in partibus*, ma fra i Vescovi, che con molta probabilità speravasi, che fossero per esser Vescovi di governo attuale, essendo i veri Vescovi *in partibus* quelli, che hanno il Titolo d'una Chiesa oppressa dagl' Infedeli, e della quale non vi è prossima speranza, che possa liberarsi dalla tirannia, e della quale si dà il Titolo, acciò se ne conservi la memoria.

Che poi dopo la presa di Costantinopoli seguita *nel* 1453. non si trascurasse dai Sommi Pontefici di procurarne il riacquisto, unendo le armi de' Principi Christiani, si comprova dalle Storie. Sopravvisse benchè sempre oppresso dal dolore Niccolò V. lo spazio di due anni, nè lasciò strada, che non tentasse, acciò Costantinopoli ritornasse nelle mani de' Cristiani, come diffusamente si legge nella di lui vita scritta colle pezze autentiche alla mano, e data alle stampe dal fu nostro Cappellano Segreto Domenico Giorgi ultimamente defunto con nostro indicibile dispiacere, come può vedersi *alla pag.* 139. *e segg.* Successore di Niccolò V. fu Calisto III., e quanto da esso fosse fatto, ed anche con alcuni prosperi avvenimenti, contra il Turco reso troppo baldanzoso, ed audace per la presa di Costantinopoli, si può leggere nella Storia Boemica d'Enea Silvio *al cap.* 67. Pio II. successe a Calisto III. Basta leggere i Commentarj

in- del

inflammare magnopere contenderit, & ipsemet, licet ætate gravis, & infirma corporis habitudine, Anconam se contulerit, ut operi vehementius instaret, ac præesset; verum in ea Civitate ad immortalem vitam migravit, quæ omnia in Commentariis Cardinalis Papiensis continentur. Paulus II. in locum Pii II. Pontifex renunciatus, ob eandem causam maximo studio adlaboravit; & incredibilem pecuniæ summam impendit, uti fusè comprobatur *cap. 3. vindiciarum*, quas Dilectus Filius Noster Angelus Maria Cardinalis Quirinus Brixiensis Antistes, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius erudite, ac diligenter conscripsit, ut eundem Pontificem ab infensis Scriptoribus, & præsertim Platina, falsisque ipsius criminationibus vindicaret. Postremò quantum studii contulerit pro recuperanda Constantinopoli Sixtus IV., qui Paulo II. suffectus fuit, Spondanus, aliique rerum Scriptores commemorant. Quamobrem, cum Cardinales Isidorus, ac Bessarion Patriarchatum Constantinopolitanum a Pio II., Cardinalis autem Riarius a Sixto IV. acceperint, dubitandum non est id contigisse, cum spes magna recipiendæ Constantinopolis affulgeret.

Hinc sequitur, eosdem Patriarchas haud numerandos esse inter Episcopos *in partibus*, sed potius inter eos, de quibus sperandum videbatur, ut jurisdictionem reciperent, quod Hierosolymitani Patriarchæ suo exemplo satis ostendunt. Præclarissimus Dux Gotifredus anno 1099., cum Urbanus II. Pontificatum administraret, Saracenos devicit, & Hierosolymam subegit, quæ deinde anno 1187. rursum in potestatem Barbarorum redacta fuit, cum Urbanus III. Sedem Apostolicam teneret. Attamen Christiani in finitimis Oppidis adhuc versabantur, donec anno 1290., capta Ptolemaide, ab omni Terra Sancta depulsi penitus fuerunt; quæ calamitas Nicolaum IV. adeo afflixit, ut post undecim menses mœrore vitam hanc mortalem reliquerit. Sanctus Cœlestinus V. ad summum Ecclesiæ regimen evectus, consilium restituendæ in pristinam libertatem Terræ Sanctæ, brevi licet Pontificatus sui tempore, minime deposuit, & Rodulphum a Magnavilla Ordinis Prædicatorum Patriarcham Hierosolymitanum constituit. Sancto Cœlestino Bonifacius VIII., & Beatus Benedictus XI. suffecti fuerunt, quorum ultimus octo mensium spatio Pontificatum, & vitam obsolvit. Post illum Clemens V. Pontifex renunciatus, in expeditione bellica, quæ susceptа fuit anno 1305. contra Barbaros, Antonium Episcopum Dunelmensem Hierosolymæ Patriarcham designavit, cujus virtutem, ac religionis studium magnopere commendavit; quo mortuo, Patriarcham in ejus locum Petrum Rutenensem Episcopum an. 1314. elegit, cum ad ultimos Pontificatus sui menses Clemens ipse jam pervenisset. Deinde Sedem Romanam obtinuit Joannes XXII., qui anno 1314., defuncto jam Petro Hierosolymæ Patriarcha, in ipsius locum Raymundum ex ordine Prædicatorum substituit, cui Nimosiensem Ecclesiam administrandam reliquit, eo quod facili conjectura perspiceret Terram Sanctam non posse tam citò a Barbarorum manibus vindicari. Petrus de Palude ex eodem Ordine Prædicatorum post Raymundum secutus est Patriarcha anno 1329., qui, Pontifice assentiente, Filiam Comitis Clarmontii ad Filium Regis Cypri adduxit, inter quos jampridem sponsalia inita fuerant; sperabatque a Cypro Hierosolymam se conferre, ut eam Ecclesiam sibi commendatam præsens administraret, & Divinum Salvatorem in eo loco veneraretur, *ubi stererunt pedes ejus.* Hi Patriarchæ omnes, quos enumeravimus, a Raynaldo in suis Annalibus eadem serie memorantur, del Cardinale Papiense, per vedere quanto operò per unire i Principi Cristiani ad una guerra contra il Turco, pel qual'effetto essendosi portato in Ancona con deliberazione d'assistere personalmente all' impresa, non ostanti la grave età, e la debole complessione, passò nella detta Città da questa a miglior vita. Dopo Pio II. fu eletto Sommo Pontefice Paolo II., e quanto denaro fosse da esso speso, e profuso per la stessa cagione, può vedersi nell'erudite Vindicie di questo Sommo Pontefice contra il Platina, ed altri Scrittori malevoli, scritte con molta accuratezza, e date alla luce da un degno Cardinale di lui paesano, cioè dal Cardinale Quirini Vescovo di Brescia, e Bibliotecario della Biblioteca Vaticana, come può vedersi *al cap. 3.* Finalmente Sisto IV. fu Successore di Paolo II., e quanto da esso fosse operato per lo stesso effetto, si può vedere nello Spondano, e negli altri Storici. Ed essendo stati fatti Patriarchi di Costantinopoli i Cardinali Isidoro, e Bessarione da Pio II., ed il Cardinale Riario da Sisto IV., non pare potersi dubitare, che la loro elezione non seguisse nel tempo, in cui v'erano l'idea, e la speranza di ricuperare Costantinopoli.

Che poi questi Patriarchi, eletti nel tempo predetto, non possano annoverarsi fra i Vescovi *in partibus*, ma bensì fra i Vescovi, che con molta probabilità poteva sperarsi, che fossero per essere Vescovi di governo, si può dimostrare coll'esempio dei Patriarchi di Gerusalemme. Dall'insigne, e glorioso Capitano Goffredo fu a forza d'armi levata dalle mani de' Saraceni la Città di Gerusalemme nel Pontificato d'Urbano II. *l'anno* 1099., e tornò sotto il dominio del Turco nel Pontificato d'Urbano III. *l'anno* 1187. Continuarono ciò non ostante i Cristiani a vivere in quelle vicinanze; ma presa Tolemaide *l'anno* 1290. furono i Cristiani cacciati, ed esterminati da Terra Santa; il che tanto afflisse il Pontefice Niccolò IV., che dopo la nuova non sopravvisse, che undici mesi. S. Celestino V. fu di lui immediato Successore; e questi nel tempo del suo breve Pontificato non abbandonò il pensiere di ricuperare Terra Santa, ed elesse Patriarca di Gerusalemme Radulfo de Grandevilla Religioso Domenicano. Succesе a San Celestino Bonifazio VIII. ed a Bonifazio VIII. il Beato Benedetto XI., che non visse più di otto mesi. A Benedetto XI. succesе Clemente V., che nella spedizione *dell'anno* 1305. de' Crocesignati, non trascurò di provvedere di Patriarca la Chiesa di Gerusalemme, avendone eletto un certo Antonio Vescovo Dunelmense, lodando molto il di lui zelo; e, morto Antonio, diede il Patriarcato a Pietro Vescovo di Rodes *nell' anno* 1314. nel penultimo mese del suo Pontificato. A Clemente V. succesе Giovanni XXII., che *nel* 1314., essendo morto Pietro, fece Patriarca di Gerusalemme Raimondo Religioso Domenicano, lasciandogli in amministrazione la Chiesa Nimosiense, prevedendo, che non era tanto vicina la ricupera di Gerusalemme. A Raimondo nel Patriarcato succesе Pietro de Palude parimente Domenicano *nell'anno* 1329., che con licenza del Papa portò la Figlia del Conte Claramonte al Figlio del Re di Cipro, con cui aveva contratti gli Sponsali, sperando coll'ajuto di Dio di passare da Cipro in Gerusalemme per governare quella Chiesa commessa alla sua cura, ed adorare il Nostro Signor Gesù Cristo in quel luogo, *ubi steterunt pedes ejus.* Questa serie de' Patriarchi di Gerusalemme si ricava dagli Annali del Rainaldi, ed è fedelmente riferita nella Storia Cronologica de' Patriarchi di Gerusalemme, composta dai Continuatori del Bollando nel principio del tomo terzo del mese di Maggio *pag. 69. num. 272. Al*

& etiam accuratissimè recensentur in Historia Chronologica, quam Bollandi sectatores conscripserunt initio *tom.* 3., qui mensem Majum complectitur *pag.* 69. *num.* 272. Insuper *num.* 274. illud sapienter indicant, eosdem Patriarchas adscribendos non esse inter Episcopos *in partibus*, sed illud potius conjici posse, nempe ex his Patriarchis eo tempore constitutis, quo spes non deerat recipiendæ Hierosolymæ, eam disciplinam, & consuetudinem dimanasse, ob quam conferuntur Ecclesiarum Tituli, quæ Infidelium jugo premuntur, nec liberari posse a captivitate videntur. Quippe Sedes Apostolica jurisdictionem suam designandi Pastores in illis Ecclesiis dimittere noluit, nec ullo modo pati debuit, ut ipsarum memoria oblivione deleretur.

Aliud exemplum.

Cum hæc ita se habeant, quod initio probandum suscepimus, nullo exemplo, sed ratione tantum demonstrabitur? Non ita profecto, sed illud statim subjicimus. Clemens VIII. Ferdinandum Ninum de Guevara (cujus meminit Cardinalis Bentivolus in Commentariis Historicis) a Rege Hispaniarum commendatum inter Cardinales adsciverat. Ille Romam veniens, ut Pileum novæ dignitatis insigne acciperet, ob suam virtutem omnium sibi existimationem conciliavit, uti commemorat in ipsius vita Ciacconius *tom.* 4. *pag.* 306. Salellesius *in tom.* 1. *Tribunalis Sacræ Inquisitionis prolegom.* 4. Generales Inquisitores Hispaniarum ordine recenset, ex quo desumitur, honore Episcopali fere semper ornatos eos fuisse, qui locum Generalis Inquisitoris haberent. Rex Hispaniarum virum meritis præstantem Romano Pontifici ad eam dignitatem nominat, & commendat: Itaque Salellesius decimum sextum inter Generales Hispaniarum Inquisitores enumerat Ferdinandum de Guevara Archiepiscopum Hispalensem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, quem Rex ad illud munus nominaverat, & Clemens VIII. sua auctoritate Generalem Inquisitorem constituerat. Congruit etiam Ciacconius his verbis: *In Hispaniam revocatus, totius Regni contra hæreticam pravitatem Generalis Inquisitor institutus, Hispalensis Ecclesiæ administrationem delatam suscepit.* Sed illud omiserunt, cum Salellesius, tum Ciacconius, quod tunc temporis evenit; videlicet, quod Cardinalis de Guevara Generalis Inquisitor declaratus, nondum Episcopali honore præditus erat; ideoque consentaneum visum fuit ad munus Inquisitoris gerendum, titulum, ac dignitatem Episcopi ipsi superaddere: Hinc Clemens VIII. id præstitit, quemadmodum ex Paulo Alaleone Cœremoniarum Magistro *tom.* 2. *par.* 2. his verbis ostenditur: *Die* 10. *Octobris* 1599. *Dominica. Clemens Papa VIII. consecravit in Episcopum, & Pastorem Ecclesiæ Titularis Philippensis, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis, Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Ferdinandum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem de Guevara nuncupatum, assistentibus sibi Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus Burghesio olim Episcopo Æsino, & Alphonso Vicecomite Episcopo Cerviensi, & ministrantibus Papæ Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Gesualdo Episcopo Ostiensi Decano Sacri Collegii Cardinalium, Sancti Georgii, Cæsio, & Deto Diaconis.* Si hæc addantur Salellesio, & Ciacconio, nihil superest nobis ipsorum testimoniis desiderandum, & illud quoque cum ipsis adfirmabimus, traditam deinde fuisse eidem Cardinali Ecclesiæ Hispalensis, cujus vacatio contigerat, administrationem, & ipsum postremò acerbissime laborantem ex renibus supremum diem obiisse die 8. Januarii anno 1609.

Illius applicatio casui præsenti.

Hoc potissimum exemplo res nostra perfecte demonstratur. Nam Ferdinandus de Guevara

*num.* 274. saviamente avvertono, non potersi i detti Patriarchi annoverare fra i Vescovi *in partibus*, ma potersi piuttosto dire, che da questi Patriarchi fatti, quando v'era la speranza di poter ricuperare il perduto, sia derivata la pratica di conferire i Titoli delle Chiese, che gemono sotto gl'Infedeli, e che non v'è attuale speranza di poter ricuperare; non avendo voluto la Santa Sede perdere il possesso di provvedere le dette Chiese, e non avendo voluto, che si perda la memoria delle medesime.

Altro esempio.

Manca dunque, Ella dirà, l'opportuno esempio, nè altro resta, che l'intrinseca ragione; al che Noi rispondiamo, che l'esempio non manca, e che è il seguente. A raccomandazione della Corona di Spagna, Ferdinando Niño di Guevara, del quale parla il Cardinal Bentivoglio nelle sue Memorie Istoriche, fu annoverato fra' Cardinali da Clemente VIII. Venne a Roma a ricevere il Cappello, si trattenne qualche tempo, e fece una ben degna comparsa per le sue rare qualità, come può vedersi nella sua Vita appresso il Ciacconio *al tom.* 4. *pag.* 306. Il Salelles *nel tom.* 1. *del Tribunale della Santa Inquisizione, nel prolegomeno quarto*, fa l'elenco cronologico del posto di primo Inquisitore Generale delle Spagne, dal quale risulta, che per lo più, anzi quasi sempre, chi ha ottenuto il detto posto, ha avuto il carattere Vescovile. La nomina del Soggetto si fa dal Rè di Spagna al Sommo Pontefice; ed il Salelles fa il decimo sesto Inquisitore Generale, costituito da Clemente VIII. a nomina del Rè di Spagna, il sopraddetto Ferdinando Niño di Guevara Arcivescovo di Siviglia, e Cardinale di Santa Romana Chiesa, e con esso sembra anche concordare il Ciacconio nel luogo citato: *In Hispaniam revocatus, totius Regni contra hæreticam pravitatem Generalis Inquisitor institutus, Hispalensis Ecclesiæ administrationem delatam suscepit*: ma tanto il Salelles, quanto il Ciacconio, si scordano d'un fatto intermedio; ed è, che non essendo il Cardinale Guevara Vescovo, quando fù nominato primo Inquisitore, ed essendosi creduto ben fatto, che il posto non si amministrasse da chi non avesse il carattere Vescovile; il Pontefice Clemente VIII. fece quanto ora esporremo, ricavato dai Diarj di Paolo Alaleone Maestro di Ceremonie *al tom.* 2. *par.* 2. *Die* 10. *Octobris* 1599. *Dominica. Clemens Papa VIII. consecravit in Episcopum, & Pastorem Ecclesiæ Titularis Philippensis, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis, Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Ferdinandum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem de Guevara nuncupatum, assistentibus sibi Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus Burghesio olim Episcopo Æsino, & Alphonso Vicecomite Episcopo Cerviensi, & ministrantibus Papæ Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Gesualdo Episcopo Ostiensi Decano Sacri Collegii Cardinalium, Sancti Georgii, Cæsio, & Deto Diaconis.* E fatto così il supplimento a quanto manca nel Salelles, e nel Ciacconio, ci accorderemo nel rimanente con loro, dicendo, che, essendo poscia vacata la Chiesa di Siviglia, esso ne prese l'amministrazione, e morì *agli* 8. *di Gennajo del* 1609. per dolore di calcoli.

Applicazione di esso al caso presente.

Qui entra la similitudine dell'uovo all'uovo. Il Cardinale Guevara era già Cardinale, come

in Collegium Cardinalium cooptatus erat, inter quos Te quoque jampridem numeravimus. Eidem Cardinali de Guevara, cum Episcopus nondum esset, ad gerendum munus Generalis Inquisitoris a Rege Hispaniarum nominato, Titulus *in partibus* collatus fuit, eo quod decere id maxime Generalem Inquisitorem vetera exempla probarent, ut ipse Episcopali honore decoraretur. Nos etiam Titulum *in partibus* elargiri Tibi proposuimus, eò quod Sardiniæ Rex Te Magnum Eleemosynarium, seu Majorem Cappellanum declaraverit; quod quidem munus, si prima ipsius institutio perpendatur, potestatem Episcopalem sibi adjunctam postulat, ac requirit. Cardinalis de Guevara Titulum Philippensis Archiepiscopi consecutus fuit, quæ sane Ecclesia ab Apostolis fundata magnam sibi celebritatem ab Epistola Sancti Pauli comparavit: Porro ipsa jugo Infidelium ab anno 1391. ita premebatur, ut nullus pene ipsius recipiendæ locus relinqueretur: Titulum ejusdem naturæ, & conditionis tibi pariter designavimus. Postremo exemplum præclari Pontificis imitamur, qui juris Canonici scientia tunc temporis magnopere commendabatur; Itaque Nos ipsi Te consecrantes, quem antea Cardinalem creavimus, idem præstabimus, quod Clemens VIII. Ferdinando de Guevara Cardinali ab se renunciato, præstandum existimavit. Id tamen perficiemus, cum immodici calores paulum imminuentur; nam satis superque fatigati fuimus has litteras postmeridianis horis dictantes, cum æstûs magnitudo vix respirare permitteret, postquam antemeridianas in audiendis, & expediendis negotiis impendimus. Hæc Tibi declaranda censuimus, & peramanter Te amplectentes Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. Pontif. Anno VII. die 4. Augusti 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 4. Augusti 1747. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Ella lo è. Al Cardinale Guevara, che non era Vescovo di residenza, quando dal Re di Spagna fu nominato al posto di Primo Inquisitore, fu conferito un Titolo *in partibus*; essendosi creduto conveniente, anche secondo gli esempj precedenti, che il primo Inquisitore avesse il carrattere Vescovile. Noi pensiamo di dare a lei un Titolo *in partibus*, per la nomina datale dal Re di Sardegna alla carica di Grand'Elemosiniere, o sia Cappellano Maggiore, carica, che, giusta la legge dell'erezione, esigge il carattere Vescovile. Al Cardinale Guevara fu conferito il Titolo d'Arcivescovo di Filippi, Chiesa Apostolica, e celebre per la lettera scrittale da S. Paolo, e che gemeva sotto la tirannia del Turco fino *dall'anno* 1391., senza che vi fosse attuale speranza di poterla ricuperare: e simile sarà il Titolo, che già abbiamo destinato per lei. Ci appoggiamo all'esempio d'un Papa, che ne' giorni suoi fu ben pratico del Diritto Canonico, ed abbiamo risoluto, nella Consecrazione, di fare per lei, che è nostra Creatura, quanto esso fece pel Cardinale Guevara, che era sua Creatura. Aspetteremo bensì a far la funzione, che il caldo scemi; avendone provato tanto, che ci basta, nel dettare questa nostra Lettera nelle ore infocate del dopo pranzo, dopo aver consumate quelle della mattina in continue penose udienze. Che è quanto abbiamo creduto di doverle esporre: e con pienezza di cuore abbracciandola, le diamo l'Apostolica Benedizione.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 4. Augusti 1747. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Dat. [illegible] l'An. VII. Pont. a dì [illegible] d'Agosto [illegible] 1747.

*Tenor Literarum promotionis dicti Cardinalis ad Archiepiscopatum Nicosiensem.*

*Dilecto Filio Nostro Carolo Victorio Amedeo S. R. E. Diacono Cardinali delle Lanze nuncupato.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili Noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

ROMANI Pontificis, quem Pastor ille Cœlestis, & Episcopus Animarum, potestatis plenitudine sibi tradita, Ecclesiis prætulit universis, sollicitudo requirit, ut circa cujuslibet Ecclesiæ statum sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per ejus providentiam circumspectam, nunc per simplicis provisionis officium, quandoque verò per ministerium accommode, prout personarum, locorum, & temporum qualitas exigit, atque Ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet, Ecclesiis singulis Pastor accedat idoneus, & Rector providus deputetur, qui Populum sibi commissum salubriter dirigat, ac bona Ecclesiæ sibi traditæ non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium tunc vacantium, & in antea vacaturarum, ordinationi, & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero Metropolitana Ecclesia Nicosiensis, quæ in partibus Infidelium consistit, per assumptionem ad Cardinalatus Dignitatem Dilecti Filii Nostri Raynerii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Simonetti nuncupati, Pastoris solatio destituta remansit: Nos ad provisionem ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ Nicosiensis celerem, & felicem, in qua nullus præter Nos hac vice se intromittere potuit, seu potest, reservatione, & decreto obsistentibus supradictis, ne Ecclesia ipsa Nicosiensis longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ Nicosiensi personam utilem, ac etiam fructuosam, habuimus diligentem, demum ad Te, qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Diaconus Cardinalis existis, & Fidem Catholicam juxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos expresse professus es, ob tuorum exigentiam meritorum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum Largitor Altissimus multipliciter insignivit, & attendentes, quod Tu Ecclesiam Nicosiensem prædictam scies, voles, & poteris auctore Domino salubriter regere, & fideliter gubernare, direximus oculos nostræ mentis. Intendentes igitur tam dictæ Ecclesiæ Nicosiensi, quàm ejus gregi Dominico salubriter providere, de Apostolicæ potestatis plenitudine Ecclesiæ Nicosiensi præfatæ de persona tua providimus, Teque illi in Archiepiscopum præfecimus, & Pastorem, curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ Nicosiensis Tibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, Tibique, quod donec Ecclesia præfata Nicosiensis ab Infidelibus detinebitur, ad illam accedere, & apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate indulsimus, firma spe, fiduciaque conceptis, quod, dextera Domini Tibi assistente propitia, hujusmodi Ecclesia Nicosiensis per Tuæ circumspectionis industriam, & studium fructuosum, regetur utiliter, &

prospe-

prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, & temporalibus suscipiet incrementa. Quo circa circumspectioni Tuæ per præsentes injungimus, quatenus curam, & administrationem prædictas sic exercere studeas sollicite, & fideliter, ac prudenter, quod exinde sperati fructus adveniant, & tuæ bonæ famæ odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur; ipsaque Ecclesia Nicosiensis Gubernatori provido, & fructuoso Administratori gaudeat se commissam, Tuque, præter æternæ retributionis præmium, Nostram, & dictæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius consequi merearis. Ac Tecum, ut statum tuum juxta Cardinalatus sublimitatem decentius tenere, ac expensarum onera, quæ Te de necessitate jugiter subire oportet, facilius perferre valeas; quod etiam, postquam in vim provisionis, & perfectionis prædictarum, pacificam possessionem, seu quasi possessionem regiminis, & administrationis præfatæ Ecclesiæ Nicosiensis, & illius Mensæ Archiepiscopalis bonorum, seu majoris partis eorum assecutus fueris, una cum eadem Ecclesia Nicosiensi, quamdiu illi præfueris, Ecclesiam Tibi pro titulo tui Cardinalatus assignatam, seu pro tempore assignandam, ac quæcumque Romanæ Curiæ officia, & Montium tam vacabilium, quàm non vacabilium loca, & quæcumque Monasteria, etiam consistorialia, & conventualia, & quævis alia Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum, & Militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, & Sancti Antonii Viennensis regularia, quæ ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, vel administrationem, aut aliàs quomodolibet obtines, & in quibus, & ad quæ jus Tibi quomodolibet competit, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque sint, etiamsi sæcularia, Canonicatus, & præbendæ, Dignitates etiam majores, & principales, personatus, administrationes, vel officia in Cathedralibus, & Metropolitanis, ac Patriarchalibus, vel Collegiatis Ecclesiis, regularia verò Beneficia hujusmodi, Prioratus, Præposituræ, Præpositatus etiam conventuales, Personatus, administrationes, vel officia etiam clausstralia; & tam illa, quàm sæcularia Beneficia hujusmodi elective, & curata, curam etiam jurisdictionalem, ac de jurepatronatus Regum, Ducum, Principum, vel aliorum laicorum etiam Nobilium, & Illustrium, vel Clericorum, mixtim etiam ex fundatione, & dotatione, ac inter Te, & alios quoscumque in Romana Curia, vel extra eam, litigiosa sint, ut prius, quoad vixeris, retinere, ac jus Tibi in illis, vel ad illa competens prosequi, & non deductum deducere; nec non quibusvis regressibus, accessibus, & ingressibus; ac regrediendi, accedendi, & ingrediendi ad Cathedrales, etiam Metropolitanas, Primatiales, & Patriarchales Ecclesias, & Monasteria etiam consistorialia, aliaque Beneficia quæcumque etiam, ut præfertur, qualificata, ac etiam testandi, & disponendi de bonis tuis, illaque ab intestato transmittendi, & beneficia conferendi, fructus, redditus, proventus, & pensiones transferendi, aliisque concessionibus, & facultatibus, gratiis, dispensationibus, & indultis Tibi concessis uti, & quoscumque fructus, redditus, & proventus etiam loco pensionum annuarum, & quascumque pensiones annuas super similibus, ac etiam quarumvis Episcopalium, Archiepiscopalium, Abbatialium, aliarumque Mensarum, quorumcumque Beneficiorum etiam, ut præfertur, qualificatorum fructibus, redditibus, & proventibus, ac distributionibus etiam quotidianis Tibi reservatos, & assignatos, ac reservatas, & assignatas, seu in Te canonice translatos, & translatas, etiam ut prius, quoad vixeris, percipere, exigere, & levare, ac in tuos usus, & utilitatem convertere valeas, motu proprio, ac Apostolicæ potestatis plenitudine hujusmodi dispensamus. Ac propterea Ecclesias, Monasteria, & Beneficia, ac officia, loca Montium, & alia prædicta non vacare, ac Commendas, & administrationes non cessare, nec accessus, regressus, & ingressus, vel accedendi, vel regrediendi, & ingrediendi, transferendi, conferendi, testandi, & disponendi facultates, concessiones, & indulta, neque reservationes fructuum, reddituum, proventuum, & pensionum hujusmodi expirasse, vel extinctas esse; irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Insuper volumus & concedimus, ut omnia, & singula Ecclesiæ, Monasteria, & Beneficia prædicta, illorumque qualitates, majoritates, principalitates, invocationes, denominationes, nuncupationes, situationes, Civitates, & Diœceses, Ordines, dependentia, & adnexa, ac alia quæcumque etiam speciali mentione digna, illorumque fructuum, reddituum, & proventuum, secundum communem æstimationem, vel librorum Cameræ Apostolicæ taxationem, veri annui valores, ac ipsorum Beneficiorum litigiosorum statum, litium, & facultatum, concessionum, gratiarum, dispensationum, indultorum, reservationum, regressuum, accessuum, vel ingressuum, Literarumque desuper confectarum tenores, ac fructuum, reddituum, proventuum, & pensionum hujusmodi quantitates, aliaque desuper necessaria, & opportuna pro expressis, prout opus fuerit, habeantur, & haberi debeant in omnibus, & per omnia, perindè ac si super illis, regula quacumque contraria non obstante, singulæ Literæ expeditæ fuissent. Non obstantibus Nostra de exprimendo vero valore Beneficiorum per promotos ad Ecclesiarum regimina obtentorum in dispensationibus sibi super illorum retentione concedendis, ac fel. record. Julii II., Leonis X., Julii III., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, quibus cavetur, quod dispensationes super Beneficiis per promotos ad Metropolitanarum Ecclesiarum regimina retinendis non valeant, nec suffragentur, nisi Literæ Apostolicæ super omnibus simul expediantur, aliisque Apostolicis, ac Conciliorum etiam generalium Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non præfatæ Metropolitanæ Ecclesiæ Nicosiensis, aliarumque Ecclesiarum, in quibus sæcularia, & Monasteriorum, seu aliorum locorum, in quibus regularia Beneficia hujusmodi fuerint, ac Ordinum, quorum illa extiterint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die undecima Augusti millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

*D. Card. Passionеus.*

XXXVII. Erectio Publicæ Universitatis Studii generalis in Collegio Societatis Jesu Civitatis Sancti Dominici Insulæ Hispaniolæ.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Procemium. IN supereminenti Apostolicæ Sedis specula, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, & intra Mentis Nostræ arcana revolventes, quantum ex Literarum Studiis Catholica Fides augeatur, Divini Numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac justitia colatur, ad ea, propter quæ Literarum Studia hujusmodi ubilibet excitentur, ac etiam humiles personæ eis incumbere desiderantes, id efficere possint, libenter intendimus, & in iis Nostræ sollicitudinis partes propensius impertimur, prout pia Christifidelium, præsertim Regali dignitate fulgentium accedentium vota exposcunt, Nosque, locorum qualitate pensata, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio facta Pontifici a Procuratore Societatis Jesu in Urbe. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Josephus de Lara Presbyter Societatis Jesu in Alma Urbe Nostra pro Provinciarum Hispaniarum, & Indiarum Regnis Procurator, quod alias, nempè die XXIII. Septembris Anni MDCCI. clar. mem. Philippus, dum vixit, earumdem Hispaniarum Rex, ad Religionem, literarumque scientias promovendas, provehendasque, licentiam concessit, ut in Civitate Sancti Dominici Insulæ Hispaniolæ unum Collegium ejusdem Societatis ex bonis, & rebus ad hunc effectum a tunc in humanis agente Hieronymo de Quesada relictis erigi posset, ac insuper mandavit, ut hujusmodi Collegio, sic ut præfertur, de novo erigendo domus assignarentur, ac redditus applicarentur, ad aliud Collegium, & domum studiorum jamdudum, nempè Anno MDLVIII. in dicta Civitate a quondam Hernando de Jorgon fundatum, quod in publicam Studiorum Generalium Universitatem, ad instar alterius publicæ Studiorum Generalium hujusmodi Universitatis Civitatis Salamantinæ, erectum fuerat, spectantes, ac insuper declaravit, quod Collegium sic erigendum ad sustinendas Cathedras, & onera, juxta reditus a memorato Hernando relictos, assignatosque, obligatum esset, & remaneret; quoniam nonnullis ex causis sperari nequibat casus, ut in secundodicto Collegio morarentur Collegæ, Magistri, nec adesset Discipulorum copia, prout dictus Hermandus fundator optaverat.

Philippus V. Rex anno 1701. mandaverat erectioni Collegii Societatis Jesu.

Cum applicatione bonorum, & rerum alterius Universitatis studiorum.

Et alia ann. 1745. disposuit pro dicti Collegii erectione. Ac successive, & de Anno MDCCXLV. dictus Philippus Rex injunxit, quod secundodictum Collegium, cum ruinam minaretur, ac ob defectum capitalium necessariæ reparationes minimè paragendæ essent, demoliretur, eâque occasione omnes reditus a prædicto Hernando hujusmodi Collegio relictos, cum eisdem oneribus, & gravaminibus per ipsum Hernandum injunctis, primodicto Collegio de novo applicavit, ac demùm imposuit, ut laudabilis memorati Hernandi tamquam de Fundatore, & Benefactore memoria, in principalioribus Collegii primodicti hujusmodi actibus literariis quoque haberetur. Pro præmissorum verò observantiâ, Collegiique primodicti progressu, Judicem Conservatorem cum privativâ jurisdictione cognoscendi omnia negotia, recuperationes bonorum, reddituum, & rerum aliàs secundodicto Collegio assignatorum, quæ in primodictum Collegium translata remanebant, concernentia, elegit, & deputavit.

Lis orta fuit cum Conventu Ordinis Prædicatorum super

Vix tamen a memorato Philippo Rege primodictum Collegium erectum fuerat, quædam lis, seu verius quæstionis materia, in Tribunali Regiæ Audientiæ dictæ Civitatis Sancti Dominici inter dilectos Filios tunc existentes primodicti Collegii Rectorem ex una, & Priorem Conventus ejusdem Sancti Dominici Fratrum Ordinum Prædicatorum ex altera partibus, introducta remansit, super privativâ facultate conferendi gradus in scientiis, quæ docebantur: Et pro parte dicti Rectoris adducebatur, in primodictum Collegium translatum fuisse aliud secundodictum a dicto Hernando fundatum, quod Anno MDLVIII. in publicam Studii Generalis Universitatem erectum fuerat; Pro altera verò dicti Prioris parte, nuda possessio privilegii conferendi gradus allegabatur.

In hujus Causæ progressu, manutentio in possessione, seu quasi possessione privilegii prædicti eidem Priori, & Conventui de facili data fuit, sed coactus dictus Prior ad exhibendum titulum, seu documentum concessionis hujusmodi privilegii, quoddam sumptum de alio sumpto quarumdam literarum fel. record. Pauli Papæ III. Prædecessoris Nostri, vel sub Plumbo, vel in simili formâ Brevis expeditarum, quibus idem Conventus in publicam Studii Generalis Universitatem erectus declarabatur, produxit: Ob defectum tamen originalis dictarum literarum, & quia de concessione hujusmodi facultatis, & rectionis, nullum in Regestris Regii Concilii Indiarum, prout moris est, monumentum reperitur, sumtum hujusmodi adulterinum, ac suppositium habitum fuit.

Rationes triusque Partis.

Resolutio capta.

Postmodum, pro parte dicti Collegii, dilectus etiam Filius Petrus Ignatius Altamirano ejusdem Societatis Professor, ac Indicarum Provinciarum prædictarum Procurator, instetit, quod quatenus privativa facultas ipsi Collegio minime competeret, saltem cumulativa non impugnaretur; sed ob novas a Priore, & Conventu prædictis factas oppositiones, non sine gravamine, lis, & causa hujusmodi per plures annos, & ad usque annum MDCCXLIII. in suspenso remansit; Interea temporis cum novæ rationes, probationesque a Rectore, & Collegio prædictis pararentur, ad hoc ut causa hujusmodi absolveretur, diiectus etiam Filius Thomas Ripoll. Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, cui præmissa non latebant, & proposita a dicto Procuratore primodicti Collegii probabat, ad dirimendas lites inter partes hujusmodi ortas, Procuratoribus memorati Conventus mandavit, ut supersederent, & propositionem pro parte dictorum Rectoris, & primodicti Collegii factam amplecterentur.

Procurat Societatis instetit fali pro facult cumulativ conferend gradus.

Magister Generalis Ord Prædicat. propositionem Rectore Collegii factam amplecti mandavit.

Hisce præhabitis, Procurator primodicti Collegii Charissimo in Christo Filio nostro Ferdinando earumdem Hispaniarum Regi Catholico supplicavit, quatenus instantiæ assentire dignaretur, commissaque ab eodem Ferdinando Rege cuidam ejus Ministro plenæ fiduciæ, & literaturæ prædito, quæstionis, seu litis hujusmodi cognitione; post cognitionem hujusmodi, relationemque eidem Ferdinando Regi factam, ipse Ferdinandus Rex die XVII. Februarii proximè præteriti suum edidit decretum; in quo, factâ prius de omnibus præmissis actis, & gestis mentione, primodictum Collegium in publicam Studii Generalis Universitatem cum eisdem facultatibus, & privilegiis, quibus secundodictum Collegium a dicto Hernando, sicut præmittitur, fundatum, gaudebat & fruebatur, erexit; & ad hujusmodi effectum mandavit, quod gradus quicumque inibi Studentibus conferri possent, cum onere sustinendi Cathedras, juxtà reditus, qui ex secundodicto Collegio illi fuerunt adjudicati, & adjectione aliarum Cathedrarum, quatenus Rectori primodicti Collegii propriis expensis illas adjicere placuerit; Injungens eidem Judici Conservatori a prædicto Philippo Rege deputato, ut præmissa omnia adimpleri faceret, & in singulis actibus publicis de dicto Hernando tanquam Fundatore, &

Supplicat Regi Hispaniarum pro ejus Regio assensu.

Qui instantiæ annuit cum opportunis ordinationibus.

Benefac-

Benefactore memoriam haberi; & decrevit gradus in hujusmodi primodicto Collegio in singulis Scientiis, & facultatibus susceptos, eamdem vim, & prærogativam habere, quas habent illi in quacumque Universitate susceptis, &, illorum virtute, Officia, & Dignitates illis correspondentia conferri posse. Pro eo vero, quod ad dictum Conventum attinet, circa ejus continuationem in prætensa facultate, de quâ legitimè, & validè, ut præfertur, non docebatur, dictus Ferdinandus Rex attendens supplicationem dicti Petri Ignatii Procuratoris pro bono pacis promovendæ factam, amplecti etiam erectionem Universitatis in dicto Conventu, erectionem quoque hujusmodi unâ, eâdemque die concessit, itaut una, & altera Universitates gradus quoscumque in eis respectivè Studentibus conferre possint, ad instar Universitatum, quibus tam Ordo Fratrum Prædicatorum, quàm Societas Jesu hujusmodi, in Civitatibus de Manila Sanctæ Fidei, & Quitensi gaudent: Ac pro suæ voluntatis executione, Dilectis quoque Filiis Consilio Indiarum mandavit, quod super hisce actus quicumque in Judicio habiti delerentur, nec amplius ulla instantia admitti deberet, perpetuumque silentium in præmissis imposuit, & alias, prout in ejusdem Ferdinandi Regis decreto manu propriâ subscripto, & die XXVI. Maji proximè elapsos expedito, cujus tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Petitio dicti Procuratoris de Urbe.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Josephus Procurator, quo præmissa firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri, Collegiumque hujusmodi in supradicta Sancti Dominici Civitate erectum, fundatumque, in publicam Studiorum Generalium Universitatem per Nos erigi, & institui summoperè desideret.

Pontifex Regium Decretum confirmat.

Nos, qui Societatem hujusmodi, cujus Alumni, & Professores uberes literarum, & pietatis in publicum fructus producere pergunt, paternis complectimur affectibus, ipsius Josephi Procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ipsumque Josephum Procuratorem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supradictum Decretum a memorato Ferdinando Rege, sicut præmittitur, factum, editum, subscriptum, & publicatum, cum omnibus, & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & confirmanus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & sanamus.

Et quatenus opus sit, dictum Collegium in publicam Universitatem Studiorum erigit.

Ipsumque Collegium Societatis Jesu in dicta Civitate Sancti Dominici Insulæ Hispaniolæ, ut præfertur, erectum, & institutum, ubi Scholæ nunc habentur, seu forsan in ampliorem formam constituentur, in publicam Studiorum Generalium Universitatem, in quâ dictæ Societatis Alumni, & Professores, Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Physicam, & Theologiam Scolasticam, & Moralem, ac Sacros Canones, ac Jus tum Canonicum, nec non per Lectores sæculares Jus Civile, ac Medicinam, aliarumque literarum studia profiteantur, & Juvenes quoscumque doceant, eadem auctoritate, tenore itidem præsentium, sine tamen quorumcumque præjudicio, erigimus, & instituimus, ipsumque Collegium sic in publicam Universitatem erectum, & institutum, curæ, & regimini, & administrationi dictæ Societatis, illiusque Præpositi Generalis pro tempore existentis, seu ab eo deputandi, prædicta auctoritate etiam perpetuo supponimus, ac submittimus.

Cum cumulativa privilegiorum aliarum Universitatum.

Ac eidem Collegio, illiusque Rectori, Magistris, Lectoribus, Scholasticis, aliisque prædictis universis, & singulis, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, Indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, & præeminentiis hujusmodi publicis Studiorum Generalium Universitatibus, illarumque pro tempore existentibus Rectoribus, Magistris, Lectoribus, Doctoribus, Præceptoribus, Scholasticis, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, Officialibus, Ministris, & aliis Personis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter, in omnibus, & per omnia uti, potiri, & gaudere: Ac insuper Rectori pro tempore existenti Collegii hujusmodi, ut quoscumque ad illud accedentes, ac per debitum tempus Studentes, si scientiâ, & moribus idoneos esse repererit, in omnibus Facultatibus, quæ in dicto Collegio, ut præfertur, docentur, & leguntur, ad Baccalaureatus etiam formati, Licentiaturæ, Laureæ, ac Doctoratus, nec non Magisterii gradus, servatâ tamen in omnibus, & per omnia formâ Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, & alias laudabiles aliarum publicarum Universitatum consuetudines, promovere, & ipsorum graduum insignia eis exhibere, usque ad dictos graduum; Utque per Rectorem hujusmodi Collegii promoti, posteà publicè privatimque omnium aliarum publicarum Studiorum Generalium Universitatum Facultates prædictas interpretari, & alios docere, de eis disputare, gradui, seu gradibus hujusmodi convenientes actus exercere, nec non omnibus aliis privilegiis, favoribus, gratiis, prærogativis, & indultis, quibus alii in aliis quibusvis Universitatibus, & alibi, juxtà illarum Constitutiones, & mores, ad gradus prædictos promoti, de jure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia, perinde, ac si gradus prædictos in publicis Universitatibus prædictis, juxtà illarum mores, & consuetudines, ritè susceppissent.

Et facultate conferendi gradus quoscumque.

Præposito Generali Societatis Jesu tribuit facultatem condendi statuta.

Necnon moderno, & pro tempore existenti dictæ Societatis Præposito Generali, ut per se, vel dicti Collegii, & sic erectæ Universitatis Rectorem, aut alium, vel alios deputandos, pro felici, salubrique sic erectæ Universitatis directione, ac Rectoris, Magistrorum, Lectorum, & aliorum Ministrorum, & Officialium muneribus, & functionibus, modoque, & formâ docendi, & aliàs sua respectivè Officia exercendi, & Scholasticorum manutentione, quæcumque statuta, & ordinationes, licita tamen, & honesta, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini prædicti Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis minimè contraria, edere, & promulgare, ac edita, & promulgata, pro temporum, rerum, & personarum qualitate, mutare, corrigere, & reformare, seu illa cassare, vel abrogare, ac alia de novo condere, edere, & publicare, & super illorum observatione pœnas ejus arbitrio imponere, ac impositas pœnas executioni demandare, dictique Collegii, ac sic erectæ publicæ Universitatis hujusmodi Doctores, Magistros, Lectores, Scholasticos, Procuratores, Bidellos, aliosque Ministros, & Officiales eligere, & nominare, ac electos, & nominatos amovere, electionesque factas confirmare liberè, & licitè, ac validè possint, &

valeant respectivè, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Clausulæ pro præmissorum firmitate.

Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dictorum Collegii, Civitatis, & Societatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, staturis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Septembris MDCCXLVII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. Pontif. anno VIII. die 14. Septembris 1747.

*D. Card. Passioneus.*

---

XXXVIII. Super abusu libelli Repudii Conversorum a Judaismo ad Fidem Catholicam.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

Apostolici Ministerii munus Nobis licet immerentibus commissum assiduè Nos excitat, atque impellit, ut sollicito studio, ac vigili cura, abusus, pravasque consuetudines, si quas in Ecclesia Dei, vel hominum infirmitate, vel malitia, certò novimus irrepsisse, Pastoralis Providentiæ sollicitudine compescamus, congruisque adhibitis remediis, quo citius fieri potest, aboleamus.

Judæi ad Fidem conversi, si habent Uxorem in Judaismo, illam quandoque repudiant.

Nuper quidem Nobis relatum est, certisque probationibus manifestò comprobatum, quod aliqui Hebræorum, qui ad Christianam Fidem conversi uxorem habent renuentem Christianam veritatem amplecti, minime dubitant, posteaquam ejuratâ Judaicâ perfidiâ sacro lavacro abluti sunt, & solemni professione se ad Christi Fidem adstrinxerunt, reverti sacrilego ausu ad Judæorum Castra, seu Vicum, vulgò *il Ghetto*, ibique Rabbinico ritu, Judaicis superstitionibus, damnandisque observationibus, libellum repudii uxoribus concedere, vel etiam extra Judæorum domicilium, coram Notario Testibusque Christianis, eumdem libellum repudii uxoribus dare, ut liberam eis nubendi alteri Viro potestatem faciant. Moyses quidem in Deuteronomio *cap.* 24. ita scriptum reliquit : *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Utrum verò hæc dumtaxat indulgentia quædam fuerit ad majus malum evitandum, adeout qui libellum repudii mitteret, & quæ missum reciperet, & a culpa, & a pœna exemptus foret, eisque minimè veritum esset ad aliud matrimonium validè, ac licitè contrahendum procedere, dissident inter se veteres, recentioresque Theologi, cum alii primam, alii alteram opinionem sequantur. Verùm quidquid hac de re sit, illud certum est, quod Redemptor Noster Jesus Christus Dei Filius interrogatus quid censeret de libello repudii, quem Moyses permiserat, respondit, ut legitur in Evangelio apud Matth. *cap.* 19., & apud Marc. *cap.* 10. : *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras ; ab initio autem non fuit sic : dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur ; & qui ipsam duxerit, mœchatur :* Sermonemque suum ita concluſit : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ex his autem verbis per legitimam consequentiam inferunt Theologi, in præsentiarum non amplius licere Hebræis proprias uxores repudiare, neque per libellum repudii, matrimonii vinculum amplius dissolvi, eo quod Jesus Christus illud ad suum primævum statum redegit, nempe ad indissolubilitatem, non lege novâ conditâ, sed dumtaxat sublatâ veteri indulgentiâ, seu dispensatione super prædicta indissolubilitate concessa. Quæ cum ita se habeant, etiamsi repudium toleretur inter Hebræos conjuges, qui ambo in eadem Judaica perfidia permanent, certè ferri, ac tolerari nullo modo debet, ut Hebræus ad Fidem conversus, & sacro Baptismate ablutus, libellum repudii uxori, quæ in Hebraica pervicacia remanet, judaico more, ac ritu concedat.

Repudium in Veteri Testamento permissum.

Quamobrem ut in posterum omnia debito ordine, & laudabili modo, ac ratione fiant; volumus, ac decernimus, ut Hebræus ad Fidem conversus, si uxorem Hebræam habet, eam more solito interpellet, an etiam ipsa converti, & cohabitare velit sine contumelia Creatoris : Renuente autem muliere, liberum ei erit aliud matrimonium contrahere, juxta verba Beati Apostoli Pauli *in Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 7. : *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est Frater, aut Soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.* Ut benè jam ante animadverit clar. me. Prædecessor Noster Innocentius III. in sua Decretali, quæ incipit: *Quatuo, de divortiis.*

Hinc Pontifex decernit quod Hebræus conversus interpellet Uxorem Hebræam.

Eaque renuente, potest contrahere cum Christiana.

Quæritur a Theologis, & Canonici juris Consultis, quando solvatur matrimonium contractum ab Hebræo cum Hebræa, quæ se convertere recusat, & quando conversus novum matrimonium cum muliere Christiana, & quando Hebræus cum Hebræa contrahere possit. Quod ad conversum attinet, quidam volunt, præcedens matrimonium dissolvi quoad vinculum, statim ac infidelis renuit Fidem Christianam amplecti, aut intra terminum, seu temporis spatium præfixum in interpellatione, quæ illi facta est, nullum responsum præbet. Alii verò putant matrimonium solvi, quando conversus aliud matrimonium celebrat cum Christiana : Quæ opinio in præsenti communior est inter Theologos, & Canonici juris peritos, & in praxi eam sequitur Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini Interpretum. De solutione autem vinculi matrimonialis, pro eo quod pertinet ad uxorem, quæ in Hebraica superstitione perseverat,

De Theologorum quæstione, quando dissolvitur Matrimonium Infidelium ob conversionem unius ex conjugibus.

aliqui

aliqui censent, quod ea in pœnam suæ perfidiæ semper illigata remaneat, neque aliud matrimonium contrahere valeat, donec & quousque Maritus Christianus factus vivit : Alii verò putant, nullo modo eam matrimonium celebrare posse, si Maritus conversus non adhuc ad alias nuptias transiverit : ubi verò conversus matrimonum iniverit, permitti debere mulieri, ut idem facere possit, quia solutio matrimonii privilegium est concessum favore Christianæ Fidei, quam ad Christum conversus amplectitur; & ideo rectè affirmari posse, datum esse directè, & per se fideli, indirectè verò, & per accidens infideli. Sed quidquid sit de hujusmodi controversiis, quæ inter Theologos, & juris Canonici professores disceptantur; de quibus nihil Nos definire intendimus, singulas illorum sententias eo loco, quo sunt, relinquentes; cum Nostra mens, & voluntas nequaquam sit aliquid nunc definire de matrimonio, quod a muliere Hebræa contrahitur, posteaquam nolle se Christianæ Fidei nomen dare declaravit : Sed id solum Motu proprio, ex certa scientia, & plenitudine potestatis tenore præsentium volumus, intendimus, ac jubemus, ut cum aliquis Hebræorum Christianam veritatem amplexus fuerit, non prætermittatur interpellatio mulieri more recepto facienda, an velit, nec ne, se ad Christum convertere, dummodo tamen ex aliqua gravi causa, vel a Nobis, vel a Romanis Pontificibus Successoribus nostris, non censeatur hujusmodi interpellatio omittenda, ut videre licet in nostra Constitutione : *In suprema*, data die 16. Januarii anno MDCCXLV., quæ est CXVII. *in Tom. I.* Nostri Bullarii; immo expresè vetamus, prohibemus, ac interdicimus, ne Conversi quovis tempore, & quovis modo, sive in Judæorum domicilio, nempe *Ghetto*, Rabbinico ritu, sive extra, coram Notario & Testibus Christianis, libellum repudii uxoribus, quæ interpellatæ recusant se convertere, aut, omissa vigore dispensationis ejusmodi interpellatione, quia ex probabili conjectura creditum est, minimè se ad Christi Fidem conversuras, dare, scribere, aut mittere audeant, & possint.

Circa quam nil Pontifex statuere intendit.

Sed solum statuit, ut supra.

Pœnæ contra delinquentes.

Et quoniam ut plurimum contingit, ut leges debitam executionem non consequantur, nisi Sanctio pœnalis contra eas transgredientes accedat; hac Nostra in perpetuum valitura Constitutione, motu, scientia, ac potestate pari mandamus, ac præcipimus, ut omnia Tribunalia, ac Judices competentes, habitâ notitia, aliquem ex Hebræis conversis, post susceptum Baptismum, libellum repudii intra ipsum Judæorum domicilium, Rabbinicis superstitionibus adhibitis, uxori non conversæ dedisse, statim in eum sine ulla cunctatione, tanquam in Judaizantem, solitis pœnis animadvertant; & insuper contra ipsam Judæorum Universitatem in casu prædicto procedant manu regia mulctam ab ea exigentes centum scutorum aureorum, cujus tertia pars in præmium accusatori tribuatur, quod verò supereſt, concessum, & addictum ipso jure per hanc Nostram Constitutionem intelligatur Piæ Domui Catechumenorum in illis Civitatibus, in quibus ea reperitur, ubi autem hujusmodi Catechumenorum Domus non extat, remaneat liberæ dispositioni Episcoporum, & Ordinariorum, ut eam pecuniam pauperibus Christianis pro eorum arbitrio, & conscientia distribuant. Sin autem ad Tribunalium, seu Judicum competentium cognitionem pervenerit, quod Conversus libellum repudii extra Judæorum domicilium, seu *Ghetto*, dederit coram Notario, & Testibus Christianis, pari modo eum tanquam Judaizantem debita pœna afficiant, minori tamen, qua plecti debet, qui intrà ipsum *Ghetto* Rabbinicis superstitionibus libellum repudii scripserit. Item procedatur contra Notarium Christianum, & dictam Hebræorum Universitatem, sine cujus scientia, & procuratione hujusmodi damnabilia negotia non transiguntur, & pro rata parte mulctentur centum scutis aureis, exigendis, distribuendis, applicandisque, ut supra dictum est; tum etiam Testes Christiani pœna arbitraria, etiam corporis afflictiva, pro prudenti Judicum arbitrio puniantur. Præterea, etsi libellus repudii, juxta hebraicum morem, ac ritum, solùm a Marito uxori mittatur, non autem permissum sit uxori, ut illum Marito præbeat, nihilominus, quia nobis compertum est, esse aliquos, qui existimant etiam a Muliere Marito dari posse, ut omni in futurum dubitationi, ac quæstioni, quæ exoriri posset, occurramus, hac Nostra præsenti volumus, ac declaramus, ut omnia, & singula, quæ a Nobis superius de marito ad Fidem converso, remanente ejus uxore in Judaica superstitione, dispositа ac statuta sunt, etiam in casu uxoris ad Christum conversæ, remanente marito in infidelitate, locum omnino habeant, atque obtineant, & ab omnibus prorsus serventur, & custodiantur.

Declarat, quod dictum est de Marito erga Uxorem, intelligendum esse etiam de Uxore erga Maritum.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, dictis Hebræis, eorumve Universitatibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi alias pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio habenda, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, nec non formas, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis quoad reliqua in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum, specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariis.

Volumus autem præsentes Literas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, in Acie Campi Floræ, atque in Piatea, quæ Judæorum nuncupatur, per Cursores Nostros publicari, earum exemplis inibi affixis, ac dimissis, ac post hujusmodi publicationem, & elapsum terminum superius præscriptum, cunctos, & singulos, quos concernunt, perinde arctare, atque afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent, illarumque exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in judicio, & extra illud haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Publigationem præsentium decernit.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ voluntatis, inhibitionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud Sactam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, decimosexto Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. Pont. Anno 8. die 16. Septembris 1747.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

N. Antonellus Pro-Abbreviator.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die 30. Septembris* 1747.

XXXIX. De Ædificiis, & jure congrui in Civitate Centumcellarum, ejusque Suburbiis.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium ab accessu Pontificis ad Centumcellas.

AD Centumcellas Civitatem Nostram superioribus mensibus Nos contulimus, ut Cives illos Nobis temporaliter Subditos conspectu Nostro solaremur, quod tamen perbreve paucorum dierum spatium, quo ibi morati sumus, a curis Apostolicæ servitutis Nobis impositæ vacuum esse non sivimus; inter cætera enim respondimus Consultationibus nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum, atque etiam dilecti Filii Sigismundi Vicarii Generalis Zagrabien. de quartis nuptiis apud Græcos initis, irritæne, an validæ essent; aliaque plura Pontificalis sollicitudinis munera obivimus. Siquidem Pastoralis Officii Nobis cœlitus demandati, Nos ipsius Tyrrheni maris aspectus admonebat. In memoriam Nostram redibat, apud Ostia Tyberina Beatum Augustinum magnum Ecclesiæ lumen, dum se post longi itineris laborem navigationi instaurat, cum Sancta ejus Matre, paulo ante quàm migraret ad Deum, de Divinæ contemplationis dulcedine, & de cœlestis Patriæ jucunditate colloquentem, in deliciis Domini diem suavissimè transegisse; in hujus maris littore Marcum Minutium Felicem, vindemialibus feriis, dum a Foro vacabat, egregium illum Dialogum pro Christiana Religione adversus Gentilium calumnias inter Cœcilium, & Octavium medium sedentem disceptationis arbitrum audivisse, & scripsisse: demum hujus maris Insulas innumeros propemodum Dei Servos pro Christi nomine egentes, vexatos, afflictos, verbera & carceres expertos, vinculis & ludibriis onustos, expulsos, ejectos, & quibus dignus non erat mundus, excepisse, & in sinu suo fovisse quodammodo, & amplexas esse. Decet autem, ut adventus Noster in eam Urbem Paterno non destituatur beneficio, & Pontificiis gratiis, ac favoribus non careat, quò benevolentiæ Nostræ memoria apud illos Cives gratior, & diuturnior benignitate Apostolica reddatur.

Ubi curis non fuit vacuus.

Et ex aspectu illius Littoris varia, ipsius mente digna, ei meditanda occurrerunt.

Accessus Pontificis ad illam Civitatem aliquod ei afferre debet beneficium.

Nuper autem dilecti Filii Populus, & Incolæ dictæ Civitatis Centumcellarum Nobis exponi fererunt, quod cum die tertia mensis Octobris anni proximè præteriti duæ parvæ domunculæ nocte ex improviso concidissent, earum ruinis oppressi, quod non sine animi Nostri dolore audivimus, duodecim homines sunt: Hujusmodi gravis infortunii nuncio delato ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici præpositam, eadem Congregatio jussit Gubernatori, ut Domus omnes prædictæ Urbis visitari, & recognosci, easque describi eo statu, ac conditione, qua reperirentur, curaret. Electis autem duobus Magistris Cœmentariorum, & duobus ejusdem Urbis Civibus, omnia, quæ præcepta fuerant, probè, ac diligenter executioni demandata sunt, & totius Civitatis descriptio accuratè confecta Congregationi prædictæ exhibita est: Ex ea autem descriptione, seu relatione, subjungebatur, evidenter constare, Centumcellensem Civitatem plurimis abundare domibus parvis, veterrimis, ruinosis, malè materiatis, rimisque fatiscentibus, jam prope collabentibus, fulcimentisque subnixis, quæ informem Civitatis aspectum, aërem insalubrem, & incolatum, atque habitationem ingratam, atque injucundam efficiunt, neque hujusmodi publico malo, atque incommodo novis construendis ædificiis remedium aliquod afferri posse: Nam contractus emptionum & venditionum, ob obstinatam Dominorum renuentium vendere voluntatem, aut avaritiam plus justo distrahere volentium, vel ob hypothecas, oppignorationes, Canones, Fideicommissa, aliaque hujusmodi vincula, & onera iisdem domibus imposita, difficillimi, maximèque periculosi redduntur; Propterea humiliter Nobis supplicare, ut de Apostolica Nostra Indulgentia, & suprema auctoritate, eorum necessitatibus prospicere, ac subvenire dignaremur.

Expositio pro parte dictæ Civitatis super mala conditione ejus domorum tunc facta.

Nos igitur, cum superius exposita Nobis ipsis probè perspecta, & planè cognita sint, supplicationibus hujusmodi benignè inclinati, volentes ea, quæ ad prædictæ Civitatis ornatum, salubritatem aëris, ac populi, & Incolarum prædictorum commodum, & incolumitatem conducunt, paterna Nostra Providentia efficaciter procurare, exemplo Prædecessorum Nostrorum Alexandri VI., Pii IV., Gregorii XIII., & Sixti V., qui in suis respectivè Constitutionibus pro hac Alma Urbe plura statuerunt, quæ Nobis a jure, & æquitate minimè aliena, sed maximè consona, & dictæ Civitati Centumcellarum ampliandæ, ornandæque apta, & necessaria visa sunt, disponere, ac ordinare constituimus.

Itaque præsenti hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, motu proprio, ex certa scientia, & de potestatis Nostræ plenitudine statuimus, ac decernimus, ut Gubernator præfatæ Civitatis Nostræ Centumcellarum pro tempore, cum ædificiorum, viarumque Magistris duobus, vel tribus, quolibet anno, vel triennio, publici Consilii decreto eligendis, cum duobus peritis Architectis, seu Fabris Murariis ejusdem Civitatis, singulis annis intra tres menses æstivos, universam Civitatem, quemadmodum hoc vertente anno jussu præfatæ Congregationis super consultationibus Status Ecclesiastici peractum est, circumeat, visitet, atque inspiciat, & ubi in visitatione hujusmodi singulis annis facienda aliquas domos ruinosas, vel ex parte collapsas, aut omnino dirutas, locave aperta viis publicis hærentia esse cognoverit, sollicitè curet, ne laceræ, atque inhabitatæ domus, interruptaque spatiis viarum interjacentibus domorum septa Urbi deformitatem, atque incommoditatem afferant, eas celeriter de novo construi, aut resarciri. Quare quoscumque earum domorum Dominos, ad instantiam dictorum Magistrorum Viarum, debitis pœnis propositis, cogat coram publico Notario in actis intra terminum unius mensis declarare, an velint domus hujusmodi dirutas, vel ruinam minitantes vel apte instaurare, vel rursus ædificare; areas verò, aliaque loca hujusmodi aperta ab iisdem possessa, an velint in eis nova ædificia construere, an muro saltem claudere, si locum, seu spatium prædictum ad novum ædificium construendum minimè sufficere, aut idoneum esse idem Gubernator censuerit, murumque ipsum ad eam altitudinem, quæ proxima ædificia, proximosque muros æquet, vel ad aliam, quam ipse, ex consilio prædictorum Viarum Magistrorum, præscripserit, attollere: Si autem dicti Domini, & possessores intra præfatum spatium modo prædicto se ad restaurandum, vel de novo ædificandum promptos, ac paratos esse declaraverint, idem Gubernator pro tempore alium terminum duorum mensium præstituat, intra cujus spatium arenam, calcem, lapides, cæmenta, aliaque hujusmodi ad ædificationem

Et propter mandat, singulis an Ædificiis visitentur.

Et Dom ruinosæ re dificentur, sarciantur.

Interpell do eos Domin

Aliàs devo vantur ad Fi cum, qui illi sub onere no væ ædificatio nis vendat

neces-

necessaria conquisita, & parata habeant, & deinde tertium terminum novem, vel plurium mensium, juxta qualitatem reparationis, seu novæ ædificationis faciendæ, ex consilio dictorum peritorum, & Magistrorum Viarum, assignet, intra quod necessariam reparationem, seu novam ædificationem absolvere, ac perficere debeant, sub pœna, in casu contraventionis, amittendæ domus, vel areæ, vel spatii prædicti, quod statim sine ulla dilatione, omnique beneficio purgationis moræ excluso, ipso jure statim addictum, & adjudicatum Cameræ Nostræ Fisco censeatur, non obstantibus quibuscumque fideicommissis, primogenituris, investituris, donationibus, pactisque succedendi, aliisque juribus, & oneribus hujusmodi: Easdem verò domos, areas, vel spatia, statim ac adeptus est, debeat Fiscus Noster aliis vendere, & concedere, qui ad eas apte restaurandas, seu de novo ædificandas, oblatis fidejussoribus, seu data idonea cautione, aliisque observatis inferius respectu emptoris sub hasta præscribendis, se obligaverint.

Consulit tamen Dominorum construere volentium indemnitati.

Ad consulendum verò majori Dominorum commoditati, seu facilitati pro dictis reparationibus faciendis, vel novis ædificiis construendis, volumus, & mandamus, ut quicumque illis pecuniam ad dictum effectum dederit, prælatio ei super dicta domo restaurata, vel novo ædificio constructo, ante omnem alium Creditorem cuicumque juri, hypothecæ, anterioritatis, vel titulo dotis, fideicommissi, reservationis dominii, vel alio quocumque quantumvis privilegiato, vel privilegiatissimo innixum, & suffultum, omnino competat, dummodo tamen pecunia prædicta depositа in Monte Pietatis cum ordinibus ab ipso Domino domus ædificandæ, vel restaurandæ, & ab ipso pecuniæ datore, & ab uno ex Magistris Viarum subscriptis, in præfatam restaurationem, seu novam ædificationem, verè conversa & erogata fuerit.

Secus si renuant.

E diverso autem, si Dominus domus, seu areæ prædictæ, intra primum unius mensis terminum, in actis voluntatem suam restaurandi, aut ædificandi non declaraverit, Gubernator pro tempore, solitis propositis edictis, intra terminum alterius mensis ad venditionem ejusdem domus, seu areæ deveniat, eamque plus licitanti, majusque pretium offerenti addicat, eumque omnibus aliis oblatoribus præferendum decernat; si autem plures fuerint ejusdem pretii Oblatores, tunc, & eo casu dumtaxat, is præ omnibus obtineat, qui rei particeps, & consors fuerit; post hunc vicinus, & inter plures vicinos, qui magis indiget, vel qui vicinus est pluribus partibus, inter cæteros verò, qui plus, quique ad majorem ejusdem Civitatis ornatum, & commoditatem publicam ædificare voluerit, judicio ejusdem Gubernatoris, ex consilio dictorum Magistrorum Viarum, præferatur. Is autem, qui licitatione vicerit, & adjudicationem domus, seu areæ sub hasta venditæ obtinuerit, teneatur integrum pretium, seu pecuniam deponere in Monte Pietatis ad eam insumendam in emptionem tot Locorum Montium non vacabilium, sive unius, aut plurium censuum cum Locis piis, seu Communitatibus Status Ecclesiastici contrahendorum, quæ Loca Montium non vacabilia, seu census, perpetuò subjecta, & illigata remaneant iisdem vinculis fideicommissi, investituræ, hypothecæ, aliorumque onerum cujuscumque conditionis, & qualitatis, quibus antea domus vendita obnoxia erat; adeo ut domus illa ab omni quocumque onere, præterquam ab annuo Canone, cui forte subjecta esset favore Domini directi, libera, & exempta in Emptorem, ejusque Successores pertranseat.

Da gradibus prælationis quoad emptores sub hasta.

Quid in Edictis subhastionis expressè caveri debeat.

In hujusmodi autem publicis auctionibus, & venditionibus sub hasta faciendis, illud etiam palam edicatur, quod auctione, seu subhastione peracta, non amplius ad offerendum, quicumque alius fuerit, admittetur, sive pupillus, sive minor, sive mulier, sive Ecclesia, sive Locus Pius, seu alia quæcumque Persona, quæ ex quavis causa, vel titulo, etiam fundato in jure communi, aut statuto municipali, & quantumvis privilegiato, & privilegiatissimo, vel etiam ex pacto, & conventione expressa, se omnibus aliis præferri intendat, ut a litibus, & controversiis, quæ hinc exoriri possent super prælatione hujusmodi, celeris dirutarum domuum restauratio, sive ædificatio non retardetur. Propterea illud etiam in publicis auctionis, seu subhastationis Edictis apertè exprimatur, & declaretur, quod major Oblator, seu is, cui domus, vel area sub hasta posita addicetur, non solum tenebitur integrum pretium oblatum, cum supradictis vinculis, apud Ædem Sacram deponere, sed ulterius debebit in actis, oblatâ idoneâ fidejussione, seu cautione, a Magistris Viarum eorum periculo approbanda, se obligare instituendi statim, & sine ulla mora reparationem, seu novam ædificationem domus, seu areæ in auctione emptæ, eamque absolvendi, & perficiendi intra alium terminum octo, vel plurium mensium, juxta qualitatem ædificationis, seu reparationis faciendæ, a Gubernatore pro tempore ex consilio Magistrorum Viarum determinandum, sub pœna in casu contraventionis confiscationis ejusdem domus, seu areæ, & alterius quingentorum aureorum, applicandorum similiter Fisco ad effectum deponendi in Monte Pietatis, & erogandi in restaurationem, seu ædificationem ejusdem domus, seu areæ, absque eo quod in alium usum ex quacumque urgenti, & urgentissima causa converti possint.

De facultate Magistrorum Viarum quoad formas Ædificiorum.

Ut verò ex restaurationibus, seu novis ædificiis construendis majus ornamentum Urbi, nullum verò detrimentum publicis viis, & Foris, sive Urbis munitionibus proveniat, munus sit Magistrorum Viarum diligenter curare, ut nova ædificia apto modo, ac forma fiant, & si opus fuerit, per ipsos Variarum Magistros ad vias dirigendas, informesque situs tollendos præscribatur locus jaciendis fuedamentis novi ædificii, jussu tamen, & decreto Gubernatoris pro tempore, eo modo, ratione, & forma ab ipso Gubernatore ante approbanda, quo magis, sine damno tamen ac præjudicio Dominorum domuum, aliorumque ædificiorum, pulchritudini, & commoditati Civitatis consulatur.

Insuper indulget Ecclesiis & Locis piis, ut in Suburbiis Centumcellarum ædificando, in evidentem Ecclesiæ ut litatem pecuniæ investimentum cedere censeatur.

Ulterius ut eadem Civitas Nostra Centumcellarum populi multitudine, & Incolarum frequentia augeatur, quia brevi, & angusto murorum spatio circumdatur, ad ejus Suburbia inhabitanda, novisque ædificiis replenda, non solum temporali Ditioni Nostræ subditos, sed etiam exteros paternis favoribus, & gratiis invitare decrevimus. Quo igitur promptius alacriusque ad ædificandum, habitandumque in Suburbiis præfatæ Civitatis Nostræ omnes cujuscumque gradus, & conditionis alliciantur, & provocentur; Motu proprio, scientia, & potestate simili, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ut omnibus Ecclesiis, & Locis Piis, aliisque quibuscumque, qui penès quamcumque idoneam personam, aut Ædem Sacram, & in quocumque loco pecunias ad effectum illas in emptionem aliorum bonorum stabilium, & in evidentem utilitatem convertendi depositas tenent, vel in futurum tenebunt, illas in domorum in præfatis Suburbiis existentium ædificationem impendere possint, & pecuniæ hoc modo collocatæ & impensæ, in evidentem utilitatem ipsarum Ecclesiarum, & Locorum Piorum, aliorumque ad similia obligatorum cessisse, & cedere censeantur.

Habitantes in suburbiis, ratione Dubi-

Insuper eisdem motu, auctoritate, & scientia, præ-

ti extra Statum contracti cum Persona non subdita molestari nequeat.

tia, præsentiumque tenore præcipimus, & mandamus, ut ii, qui domos, seu ædificia in dictis Suburbiis constituta pro tempore habitabunt, ratione æris alieni, aut cujusvis contractus, obligationis, instrumenti etiam jurati, etiam sub Cameræ Apostolicæ, vel alia quavis forma, & conceptione verborum, extra tamen Loca Ditioni Nostræ Ecclesiasticæ in temporalibus subjecta initi, & celebrati, seu contracti; cum exteris tamen, non autem cum temporali Nostræ ditioni subditis; quamdiù ædificia, vel domus hujusmodi inhabitabunt, vigore mandati cujuscumque Judicis, vel Tribunalis, vel in persona, vel in rebus, seu mobilibus in iisdem domibus, seu ædificiis, quas incolunt, existentibus, molestari minimè possunt, nec debeant; utque eædem domus, seu ædificia de novo construenda in generali obligatione bonorum in quovis contractu, & instrumento quovis modo, & quavis obligatione munito, dummodo tamen contractus, & instrumentum prædictum sit favore exteri, non autem subditi Nostri, & simul sit extra Statum Nostrum Ecclesiasticum stipulatum, & peractum, adeo ut si una ex dictis duabus conditionibus deficiat, hujusmodi privilegium nullo modo locum habeat, hypothecæ, & cuicumque alii juri, & obligationi simili nunquam subjecta, & obnoxia habeantur.

Neque domus in dictis Suburbiis ædificatæ Fisco adjudicari queant.

Insuper ut præfatæ domus, & ædificia quæcumque, per quosvis in prænominatis Suburbiis ædificata, vel in futurum ædificanda, ex quocumque crimine, & delicto quantumvis gravi, criminibus tamen Divinæ, & humanæ Majestatis læsæ tantum exceptis, in Fiscum redigi, seu confiscari nequeant, sed eorum Dominis, vel in eis jus habentibus, ipsorumque Successoribus, perinde ac si delicta non commississent, firma & illæsa remaneant.

De jure appodii tam in Civitate, quàm extra.

Pro domibus autem, & ædificiis aut novis construendis, aut veteribus ampliandis, tam in prædictis Suburbiis, quàm in ipsa Civitate Centumcellarum, liceat cuicumque quovis muro sibi propinquo liberè uti, eique tigna, lapides, aliamque materiam ædificii sui, totumque ipsum ædificium injungere, atque annectere, etiamsi murus is ad vicinum suum totus pertineat, persoluto tamen ejusdem muri dimidio pretio, ad eam æstimationem, quam duo periti, quorum singulos singulæ partes elegerint, vel illis discordibus, tertius, quem ex officio dictus Gubernator destinaverit.

Intercapedines primò ædificantis sint.

Et si inter duas domos angusta aliqua semita, seu angiportus, vel intercapedo trium circiter non amplius palmorum interfit, liceat ei, qui primus in altera earumdem domorum ædificare cæperit, habita tamen ab ipso Gubernatore ex consilio Magistrorum Viarum licentia, totum sibi angustum illud spatium, sive intercapedinem, nullo persoluto pretio, dummodo luminibus vicini non officiat, occupare, ac domui suæ adjungere, domumque ad vicini murum ducere, muroque, ut supra dictum est, communiter uti.

Forma servanda in venditione favore Tertii, in exclusionem vicini, in casu spontaneæ venditionis.

Si autem aliqua domus, sive fundus, aut solum, in iisdem Civitate, & Suburbiis, volente suo sponte Domino, vendendum erit, teneatur venditor perquirere a vicinis, quotquot erunt, qui rem aliquam immobilem illi contiguam habuerint (etiamsi se empturos nullo modo antea professi sint) an aliquis eorum velit rem vendendam emere, eisque pretium, atque omnia pacta, & conditiones, quibus cum alio verè, omnique procul fictione contraxit, intimare: quo peracto, jurent tam venditor, quàm emptor apud acta publici Notarii, venditionem de hujusmodi re jam factam, & intimatam esse veram, & in ea, ejusque pretio non interfisse dolum, fraudem, aliquamve simulationem: si autem vicini prædicti se eisdem pretio, ac pactis, & conditionibus empturos non promiserint, præsentes scilicet intra quindecim dies, absentes verò inter triginta a die præstitorum hujusmodi juramentorum, vel si tam præsentes, quàm absentes intra alios quindecim dies ab hujusmodi declaratione, & promissione, si fiat, omnia juxta ea, quæ in venditione intimata continebuntur, non præstiterint, pretiumque, si quod in illa solutum fuerat, non persolverint, & de ædificando ibi ad certam summam, certumque tempus, ac sub certa pœna, prout ab eodem Gubernatore præscriptum fuerit, se non obligaverint, illis posthabitis, venditio cuicumque alii facta maneat, & rata sit; è contrario autem si superius statuta neglecta, ac prætermissa fuerint, venditio irrita, ac nulla habeatur, nullumque jus emptori tribuat, & quoad illum omninò pro infecta sit, si vicini intra annum a die, quo illam resciverint, se opposuerint.

De ædi Inquilini ficare vi tis.

Eadem omnia, & in Inquilino locum habeant, cum domus, volente Domino, venalis erit, videlicèt ut etiam ipsius domus Inquilino, si quis erit, perquisitio, & intimatio fiant modo prædicto, ipseque si emere voluerit, tum intra eosdem terminos, tum deinceps, eadem faciat, quæ vicini facere debent, excepta dumtaxat oblatione, & obligatione de ædificando. Etenim inter Inquilinum, & vicinos ea sit distinctio, ut volentibus ædificare vicinis, Inquilini nulla ratio habeatur, sed tantùm vicinorum. At illis non promittentibus ædificare, Inquilino, etiamsi ædificaturus non sit, idem jus in emptionem competat, quod vicinis, si ædificare vellent, secundum prædicta competeret.

Quid fa vandum i concurrãdo rum vicin rum emer volentium casu spon neæ venditio nis.

Veruntamen quando in casu prædicto spontaneæ venditionis duo vicini fuerint, quorum ædificiis vendenda res opportuna existat, & propterea illam sibi quisque ex hac Constitutione vendi postulet, is obtineat, qui magis illa indiguerit, aut si uterque æquè indigeat, inter utrumque dividatur, quatenus utrique commoda portio tribuatur. At si hujusmodi portiones utrique forent inutiles, tota illi detur, cujus ædificio a pluribus partibus, vel aliàs magis adhæserit; si verò alteri tantùm divisio inutilis futura sit, nihil illi, sed tota alteri detur. Quod si nulla fuerit ædificantium indigentia, is præferatur, qui magis fuerit vicinus; vel in vicinitate pari, is, qui majora ædificia, quæque magis ad commoditatem, & pulchritudinem Civitatis conferunt, judicio ejusdem Gubernatoris, ut superius de venditione sub hasta statutum est, construere promiserit.

Facultate tribuit Gubernato ri francandi Domum &c. solum.

Præter supradictos autem vicinitatis casus, si quis domum, aliumve fundum, aut solum, in emphytheusim, aliumve titulum, perpetuo, vel ad unius, aut plurium personarum vitam, pro annuo Canone, aliave responsione concessam habeat, ibique ædificare velit, & se ad ædificandum, ædificiumque perficiendum intra terminum, modo, & forma superius expressa ei præscribendum, obligaverit, liceat eidem Gubernatori, eo petente, domum, fundum, aut solum hujusmodi, ab ejus directi Domini, licet nolentis, proprietate, dominio, ac jure, nec non a Canonis, seu responsionis præstatione eximere, & liberare, alia re stabili prius constituta, pretii, commoditatis, redditus, ac bonitatis, saltem paris, quæ loco illius liberatæ sit, quoad omnia; & ad eumdem directum Dominum ratione proprietatis, dominii, devolutionis, & aliàs cujuscumque juris, & oneris, eisdem modo & forma, pertineat, quibus illa pertinebat, translato quoque ad istam hujusmodi Canone, sive responsione, cum augumento quinta illius partis, & insuper præstita idonea cautione, & etiam facta per illum, qui ædificaturus est,

obliga-

obligatione omnium suorum bonorum, tum quod res, in quam facta est hujusmodi translatio, libera est, tùm etiam de evictione, in ea forma, qua in hac Romana Urbe præstari solet.

Præmissa de quibuscumque bonis, etiam Ecclesiasticis, intelligantur.

Quæcumque autem superius statuta sunt de prædiis urbanis, seu domibus, ædificiisque dirutis, seu ruinosis, areis, locis, aut spontè, aut coactè vendendis, vel etiam a directis Dominis liberandis, ea locum omnino habeant, etiamsi ad Ecclesias, ad cujusvis ordinis Monasteria, & etiam Mendicantium domos, aliaque loca Religiosa, necnon Hospitalia, Sodalitatesque, aut Confraternitates, cæteraque Pia Loca pertineant, dummodo neque contigua Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Religiosisque, ac Piis Locis hujusmodi, neque intra illorum septa consistant; sive sint laicalia, & cuicumque fideicommisso, substitutioni, successioni, vel dispositioni obnoxia; & tam hæc laicalia, quàm illa Ecclesiastica eorum, qui illa reliquerunt, seu dederunt, ultima, vel alia voluntate alienari prohibita, ac quocumque onere gravata.

Gubernator Civitatis super hisce summariè cognoscere debet.

Ad supradicta autem omnia & singula facienda, & exequenda, & in illis, & pro illis summariè, & simpliciter, & de plano, solaque veritate inspecta procedendum, plenam liberamque auctoritatem, & potestatem dicto Gubernatori pro tempore, de consensu tamen Cardinalis Præfecti Congregationis prædictæ super consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici in Ecclesiasticas Personas, eidemque Gubernatori ex consilio præfatorum Magistrorum viarum in Laicas, de eadem Potestatis plenitudine, præsentis Constitutionis auctoritate, tribuimus & demandamus.

Et in casu controversiæ, illa in partem majoris Civitatis ornatus decidi debeat.

Decernentes eadem omnia, & singula, quæ supra statuta sunt, si quando in aliquo casu de eorum sensu controversia continget, in eam partem interpretanda esse, quæ ad Urbis ornatum magis facere videbitur; ac semper, & ubique sive in judicio, sive extra judicium, favorabilia censeri. Et ita ab omnibus Judicibus, etiam Palatii Apostolici Auditoribus, & Cardinalibus, sublata quavis aliter interpretandi, & judicandi potestate, interpretari, & judicari debere; Et si secus fiat, fore irritum, & inane.

Sublata aliter judicandi facultate.

Non obstantibus præmissis, ac felicis recordationis Symmachi, & Pauli II. de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus etiam Imperialibus, dictæque Urbis, atque Ecclesiarum, Monasteriorum, & Locorum Religiosorum, sive Piorum, Ordinumque, quorum bona hujusmodi fuerint, statutis, & consuetudinibus, nec non testantium voluntatibus, aliisque dispositionibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & Locis, eorumque Superioribus, Capitulis, & Conventibus, aliisque quibuscumque concessis, & quibusvis aliis Sedis Apostolicæ indulgentiis, per quæ præsentium executio, & per eas tributæ jurisdictionis explicatio posset quomodolibet impediri, vel retardari; quibus omnibus, eorum tenores pro plenè, & integrè expressis habentes, de potestatis plenitudine prædicta derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariis.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ ordinationis, concessionis, præcepti, indulti, statuti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, pridie Kalend. Octobris, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. Pontif. anno VIII. die 30. Septemb. 1747.

*Pro Domino Cardinali Passioneo*
Jo. Florius Substitutus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
N. Antonellus Pro-Abbreviator.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.
*Registrata in Secretaria Brevium.*

De Jurisdictione Episcopi Spirensis in Ecclesiam Collegiatam Beatæ Mariæ Virginis *in Bruchsal*, ejusque Capitulum. XL.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Pontifex, Prædecessorum morem sequutus, Auditorum Rotæ consilio utitur.

CAUSARUM Palatii Apostolici Auditorum Collegium, quod vulgò Rotam Romanam vocant, ex duodecim Viris, Juris Civilis, & Canonici scientia æque, ac probitate insignibus, & è diversis terrarum Orbis partibus in hanc Almam Urbem accitis compositum, Romani Pontifices Prædecessores Nostri summo semper in honore habuerunt, eosque in rebus arduis quandoque consulere, & eorum opera, atque industria in Causis coram se cognoscendis uti quoque consueverunt. Nos igitur in eadem Beati Petri Cathedra Divino consilio collocati, Nostrorum Prædecessorum exempla sequi, eorumque vestigiis insistere cupientes, quæ probè, rectèque ab iisdem Prædecessoribus constituta, diuque retenta sunt, servare, ac custodire, quantum in Nobis est, temporumque, ac rerum conditio finit, summopere studemus, atque satagimus. Itaque quatuor ab hinc annis veterem controversiam, quæ ab antiquissimo tempore intercedebat inter Episcopum Conversanum ex una, ac Magnum Magistrum, & Fratres Milites Militiæ Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani ex altera Partibus, ad Nostram cognitionem revocavimus, & juribus utriusque Partis maturè perpensis, adhibitis insuper in consilium dilectis Filiis prædictis Causarum Palatii Nostri Auditoribus coram Nobis ea de Causa congregatis, eorumque sententiis auditis, supremo judicio Nostro decidimus, ac definivimus, ut videre licet in Nostri Bullarii *Tomo* XVI. *Constitut.* LXXVI. *pag.* 142. *& seqq.*

Eorum sententias exquirit in Causa Spiren. prætensæ Exemptionis.

Id ipsum nuper agendum duximus in Causa, quæ vertebatur inter dilectos Filios Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Odenheimensis in Bruchsal ex una, & dilectum Filium Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Spirensis ex altera Partibus, quàm ad Nostram cognitionem a quocumque Tribunali avocatam, posteaquam Advocatos, utriusque Partis Jura tam voce, quàm scripto tuentes, audivimus, Apostolica, aliaque Privilegia, atque Diplomata, cæteraque omnia per Nos ipsos accuratè inspeximus, & interiora Causæ rimati sumus, rogatis eorundem dilectorum Filiorum Palatii Nostri Auditorum sententiis, ad parcendum litigantium expensis, & consulendum paci, & concordiæ Ecclesiarum, quæ hujusmodi litibus, & controversiis non paulum interturbatur, interposito supremo Judicio Nostro, & auctoritate Apostolica, modo, & forma inferius a Nobis exprimendis, terminare voluimus.

Collegiatæ Odenheimensis origo, & vices.

Monasterium in loco Odenheim Diœcesis Spirensis a Brunone Archiepiscopo Trevirensi fundatum esse sub invocatione Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & sub Regula Sancti Benedicti, narrat Trithemius in Annalibus Hirsaugiensibus *Tomo* 1. *ad Annum Christi*

*MCXXIII.*, eique Monasterio pro dote assignata fuisse bona de domestico ipsius Brunonis patrimonio, consentiente Popone ejus fratre; ad illud autem inhabitandum missos fuisse ab Abbate Volmaro nonnullos suæ Congregationis Monachos, atque inter eos Eberardum Monachum sanctitate vitæ, & regulari observantia eximium, qui primus ejusdem Monasterii Abbas fuit. Eadem referuntur etiam a Joanne Mabillonio *in suis Annalibus Ordinis S. Benedicti pag. 98. novissimæ Editionis Lucensis.* Aliquot Sæculis elapsis Anno MCCCCXCIV. ab Alexandro VI. Prædecessore Nostro, ad enixas Maximiliani I. Imperatoris preces, Monasterium è Regulari ad statum sæcularem redactum est, illudque in Collegiatam Ecclesiam sæcularem, pluribus Canonicatibus, & Dignitatibus constitutis, erectum; deinde verò ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ sæcularis Capitulum translatum fuit ad Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis Oppidi Bruchsalen., quod pariter intra ejusdem Diœcesis Spirensis fines continetur.

Capituli Bruchsalensis intentio.

Hujus Collegiatæ Ecclesiæ sæcularis Canonici, & Capitulum contendebant, se in omnibus prorsùs exemptos esse a jurisdictione Ordinaria Episcopi Spirensis: & tribus veluti firmissimis fundamentis eorum intentio innitebatur; nempe iis primo, quæ per id tempus peracta fuerunt, quo tempore Monasterium cum Monachorum Conventu in loco Odenheim permansit; deindè iis, quæ sequuta sunt cùm Monasterium ad statum sæcularem redactum fuit; & demùm iis, quæ acta sunt, posteaquam Monasterium è loco Odenheim ad Oppidum Bruchsalense translatum est. E diverso Promotor Curiæ Episcopalis Spirensis affirmabat, Capitulum Odenheimense, in omnibus illis statibus, ac temporibus, Episcopali jurisdictioni semper subjectum fuisse.

Partitio Causæ.

De Instrumentorum editorum fide, disquisitio omittitur.

In primis autem a Capitulo in medium prolatæ fuerunt plures Apostolicæ Literæ, seu Bullæ Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, & nonnulla Imperatorum Privilegia, seu Diplomata. At a Promotore Curiæ Episcopalis probationes ex illis desumptæ elidebantur exceptione falsi; qua exceptione in re haud dissimili usus est etiam Petrus Blesensis in Epistola ad Alexandrum III., quæ est sexagesima octava, & sub nomine Richardi Archiepiscopi Cantuariensis circumferri solet: *Falsariorum enim*, inquit, *præstigiosa malitia ita in Episcoporum contumeliam se armavit, ut falsitas in omnium fere Monasteriorum exemptione prævaleat, nisi in decisionibus, & examinationibus faciendis, Judex veritatis exactior districtissimus intercedat.* Exorta inter Partes hujusmodi disputatione, eaque exardescente, judicialem disceptationis ordinem sequendo, necessarium omninò fuisset, de veritate, seu falsitate dictarum Literarum, seu Diplomatum judicium proferre, juxta monitum Prædecessoris Nostri Bonifacii VIII. *in Cap. Cum Personæ, de Privil. in sexto: Statuimus, ut hi, qui se asserunt per privilegia, seu indulgentias Apostolicæ Sedis exemptos, a Locorum Ordinariis requisiti; hujusmodi privilegia, vel indulgentias, quibus se dicunt fore munitos &c. ad legendum integraliter exhibere teneantur.* Sed visum est, hujusmodi examen veritatis, seu falsitatis dictarum Bullarum, & Diplomatum, ad Causæ definitionem parum, aut nihil conferre, ut melius constabit ex iis, quæ inferiùs dicentur.

Regula Juris in hujus generis controversiis.

Etenim admissa etiam hujusmodi Apostolicarum Literarum, aliorumque Diplomatum veritate, nihilominus totius controversiæ summa expendenda remanebat ad regulas Juris Canonici. Cumque, juxta eas, assistentia Juris militet pro Jurisdictione Ordinaria; profecto, si quis ab ea exemptum se esse contendat, evincere id debet argumentis, & probationibus a Jure Canonico præscriptis, iisque minimè dubiis, sed omnino certis, ac manifestis.

Fundamenta Regulæ.

Nam usque ab Ecclesiæ Sæculo quinto, cùm quidam Monachi impii Barsumæ asseclæ asserent, se Episcopis Palestinæ, in quorum Diœcesibus sita erant Monasteria, minimè esse subditos, neque sub eorum Jurisdictione, ac potestate positos; Patres Concilii Generalis Calcedonensis *Can.* 4. decreverunt: *Monachos, qui sunt in unaquaque Regione, & Civitate, Episcopo subjectos esse.* Celebre est quoque in hac re dictum illud Pontificis Hadriani II. in Epistola ad Carolum Regem, *quam refert Sæculo nono Cardinalis Baronius Tomo X. suorum Annalium ad Annum 871. pag. 501. Romanæ Editionis: Nostis enim, quia omne Monasterium in potestate Episcopi consistere debet, juxta Canonicam Sanctionem.* Neque silentio prætereundum est, quod juxta Concilium Aurelianense relatum in *Canone omnes Basilicæ, XVI. quæst. 7.*, Ecclesiæ omnes, quæ in Diœcesi reperiuntur, Episcopo subjectæ sunt: *Omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, in Episcopi potestate consistunt, in cujus territorio positæ sunt.* Quamobrem onus est prætendentis exemptionem ab Episcopali jurisdictione, id certum, ac probatum facere, aut Privilegiis, aut Præscriptione legitima, quæ consequenter ad titulum, causam, & fundamentum præscribendi præbuerit; ut prosequitur idem Prædecessor Noster Bonifacius VIII. in *cit. Cap. Cum Personæ, de Privil. in sexto*, hujusmodi verbis: *Cum de jure communi Ordinariorum intentio sit fundata, sua jurisdictione* (loquitur de Episcopis) *uti possint liberè in eosdem, donec de præscriptione Canonica* (aut de privilegiis, de quibus antea loquutus fuerat) *ut præmissum est, fecerint plenam fidem.*

Quid probandum pro parte Capituli.

Id autem amplius in specie proposita accedit, quod quum agatur de plenaria exemptione, & libertate indefinita a potestate, & jurisdictione Ordinaria, ac proindè non solum ab illis juribus, quæ ad legem Diœcesanam referuntur, sed ab illis quoque, quæ respiciunt legem jurisdictionis, nimirum a correctione, & emendatione; opus est, ut privilegium ex plenitudine Apostolicæ Auctoritatis promanet; cum Episcopus ex limitata sua Auctoritate concedere nequeat plenam, & absolutam exemptionem, ut docent Juris Canonici Interpretes in *Cap. Constitutus, de religiosis Domibus*; quorum antiquissimus est doctus Prædecessor Noster Innocentius IV. in *dicto Cap. Constitutus num. 2. Non potest*, loquitur de Episcopo, *in totum jus Episcopale dimittere, & Ecclesiam a tota sua jurisdictione dimittere &c. Alii dicunt, quod non valuit hæc concessio suis juribus, sed confirmatione Papæ tantùm &c. sola confirmatio sufficit ex scientia Papæ concessa.*

1. De his, quæ pertinent ad primum Monasterii Bonorum.

Profectò ad Monasterium a Brunone Archiepiscopo Trevirensi, ut dictum est, fundatum in loco Odenheim, pertinent Testamentum ejusdem Brunonis, Constitutiones omnes Pontificiæ, quæ in hac causa exhibitæ fuerunt usque ad Alexandrum VI., tum etiam Imperialia omnia Diplomata.

1. De Testamento Brunonis Fundatoris.

Prolatum quidem non est Testamentum Archiepiscopi Brunonis; sed ejus tenor plenè relatus est in duobus Privilegiis, seu Diplomatibus Henrici IV. & Friderici I., quæ sicut superius indicatum est, nunc pro authenticis ponuntur, quia in eorum veritate examinanda supersedendum esse censuimus. In suo Testamento Archiepiscopus Bruno Monasterium cum suis pertinentiis Romanæ Ecclesiæ subjicit, solutionem annui Census exhibet, aliam quamcumque personam excludit, & uni Abbati illud subjici vult; præcipit Abbatis electionem a Monachis dumtaxat faciendam, eorumque in potestate esse jubet, illum regimine destituere, si malè

in gubernando Monasterio versetur, iisque etiam potestatem facit eligendi Advocatum, seu Monasterii Defensorem.

Omissis, quæ ad rem pertinent; tria in Testamento expenduntur.

De subjectione Monasterii Beato Petro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tum etiam de solutione annui Census, verba hoc loco facere omittimus, quia Nobis inferius ea de re loqui necesse erit: Superfluum quoque est de exclusione Sæculatis potestatis disserere, cui nihil commune est cum exemptione a jurisdictione Ordinaria, & Spirituali Episcopi. Itaque, quod ad Testamentum Brunonis attinet, totius investigationis summa ad tria redigitur, scilicet ad facultatem eligendi Abbatem, privandi eum regimine, si malè regat, & ad libertatem eligendi Advocatum, seu Defensorem. Harum autem omnium nulla res est, quæ ad plenariam exemptionem a jurisdictione Ordinaria Episcopi stabiliendam inserviat.

Abbatis electio Patronis alibi reservata.

Etenim ineunte sæculo XI. Theudaldus Marchio fundavit celebre Monasterium Sancti Benedicti in Polirone in Statu Mantuano, eique amplissima latifundia assignavit, reservata sibi, suisque Successoribus, & Hæredibus facultate nominandi Abbatem, ad quem regimen Monachorum, qui Regulam Sancti Benedicti profitebantur, pertineret: *Hoc Monasterium nulli Regi, nec alicui Potestati concedimus, ut habeant aliquam potestatem alicui pro quovis ingenio dandi, neque alicui Archiepiscopo, vel Episcopo constringendi, aut inquietandi, sed in perpetuum in meam, & in meorum Hæredum, & qui de eis legitimè nati fuerint, ut supra legitur, permaneant potestatem. Præterea volo, & statuo, ut Abbas ipsius Monasterii, qui a me, vel a meis Hæredibus, & qui de eis legitimè nati fuerint, ut supra legitur, missus fuerit, benedictionem, & consecrationem suæ Mantuanæ Ecclesiæ primo postuletur, & si evenerit, quod Episcopus Mantuanensis Ecclesiæ refutaverit &c. ad quemcumque Episcopum voluerit, vadat, & benedictionem sacrationis ab eo recipiat, absque alicujus contradictione*: sunt verba Instrumenti fundationis, rudi illius ætatis stilo conscripti, & quæ edita sunt in fine historiæ ejusdem Monasterii, quam bon. mem. Abbas Bacchinus literis tradidit.

In hoc Monasterio Monachis tribuitur, cum facultate deponendi Abbatem.

At verò diversam viam, ac rationem sequutus est Archiepiscopus Bruno, cùm Sæculo post Monasterium Odenheimense fundavit: Nam, consentaneè ad Regulam S. Benedicti, voluit, ut Monachi Abbatem sibi eligerent; id quidem solummodo addidit, quod in Regulis S. Benedicti non continetur, imò quod Juri Canonico contrarium est, nempè si Abbas in gubernatione Monasterii perperam versaretur, privari posse a Monachis, & alium in ejus locum eligi. Siquidem legitur in *Can. Monasteria, XVIII. quæst. 2. quod Monasteria, vel Monachorum Disciplina, ad eum pertinent Episcopum, in cujus sunt Territorio constituta.* Ad Episcopum igitur pertinebat, irreligiosum Abbatem in ordinem redigere, vel, si opus esset, Abbatiam ipsi adimere, ut etiam scriptum est in *Can. si quis Abbas*, loco laudato: *Ab Episcopo, in cujus Territorio consistit, & a vicinis Abbatibus, & cæteris Deum timentibus, a suo arceatur honore, etiamsi omnis Congregatio vitiis suis consentiens eum Abbatem habere voluerit.* Verumtamen ex præmissis affirmari nequaquam potest, Archiepiscopum Brunonem ab electione Abbatis Episcopum omninò excludere voluisse; quoniam cum in sua Testamento loquutus est de Monachorum facultate in Abbate sibi eligendo, eoque exauctorando, si, posteaquam bonus electus esset, improbus fieret; neutiquam de casu illo cogitavit, quo a malis Monachis deterior Rector, & Abbas eligeretur; quo casu Regula, quam Sanctus Benedictus omnes suos Monachos servare voluit, quamque Archiepiscopus Fundator in suo Monasterio profitendam esse præscripsit, potestatem facit Episcopo, se ingerendi in ipsius Abbatis, & Monasterii reformatione, usque ad depositionem Abbatis, & alterius deputationem; uti legitur *cap. 64.* ejusdem Regulæ: *In Abbatis electione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars, quamvis parva, Congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito, & sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in Ordine Congregationis. Quod si etiam omnis Congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi (ad cujus Diœcesim pertinet locus ipse), vel Abbatibus, aut Christianis vicinis claruerint, prohibeant pravorum prævalere consensum, & Domui Dei dignum constituant dispensatorem.*

Sed non excluditur jurisdictio Episcopi pro casu considerato in Regula S. Benedicti.

Facultas sanè data Episcopo, se eo casu ingerendi, prætensam exemptionem ab ejus auctoritate omninò excludit; quod bene animadvertit, qui declarationes scripsit ad Regulam Sancti Benedicti, pro eo; quod ad gubernium Monachorum Congregationis Cassinensis attinet; quod Opus confirmatum est in forma specifica a Venerabili Servo Dei Prædecessore Nostro Innocentio XI. Anno MDCLXXX. Siquidem Auctor ille, ad ea verba Regulæ *ad notitiam Episcopi*, quæ paulo ante a Nobis relata sunt, adnotat, quod cum hodie Congregatio Cassinensis amplissimis Privilegiis exemptionis ab auctoritate Episcopali, quæ omnibus nota sunt, fruatur, ex laudatis verbis minimè prætendi potest, eam Episcopali jurisdictioni subjectam esse: *Hodie ex Indulto Apostolico tota nostra Congregatio, & singula Monasteria exempta sunt ab Ordinariorum jurisdictione, & immediatè Apostolicæ Sedi subjecta.*

Qua stante, corruit omnimoda exemptio.

Nec majoris ponderis ad id, de quo agitur, reputanda sunt cætera omnia, quæ in Brunonis Testamento ab Imperatoribus confirmato continentur, quia universa pertinent, vel ad libertatem Abbatis regimen, vel ad Regularem observantiam, vel ad necessariam Monachorum quietem; quæ minimè excludunt auctoritatem Episcopi; ut benè deducitur ex *cap. 1. lib. 1. Formularum Marculphi Monachi*, quod Opus Sæculo VII. compositum, initio Sæculi XVII. a Bignonio publicatum est. Nam in eo Capite, posteaquam id omne expositum est, quod respicit electionem Abbatis, observantiam Regularem, Monachorum quietem, pacificam bonorum possessionem, quæ omnia ex relata Privilegii formula auctoritatem, & firmitatem habebant, hujusmodi verba sequuntur: *Et si aliquid ipsi Monachi de eorum Religione tepidi, aut secùs egerint, secundum eorum Regulam ab eorum Abbate, si prævalet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa Civitate exercere debet; quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quidquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur*: Itidem *Franciscus Florens* in suis Operibus legalibus *tom. 1. pag. 264.* affert diversa Privilegia a Galliarum Episcopis ejusdem Regni Monasteriis in Conciliis Nationalibus, aut Provincialibus concessa; addit postea pro majori solemnitate a Regibus confirmata fuisse; subindè appositè ad rem nostram ità scribit: *Hujusmodi verò Privilegiis hac forma impetratis, & confirmatis, Reges Nostri consensum accommodabant, & concessiones largiebantur, in quibus singillatim, & per partes singuli articuli recensebantur; qui tamen articuli omnes ad liberam Abbatis electionem pertinebant, quæ Congregationi permittebatur, & ad liberam rerum, & bonorum Monasterio Oblatorum administrationem, & dispositionem; Regulâ, quæ a Fundatoribus ipsius Monasterii constituta fuerat, in omnibus custoditâ;*

Quæ nec inducitur per ea; quæ disponuntur, quoad internum Monasterii regimen.

*salvâ Episcoporum in reliquis omnibus competenti, & canonica jurisdictione in Monachos.*

Facultas eligendi, & dimittendi Advocatum non officit jurisdictioni Ordinarii.

Et quoniam pluries in Brunonis Testamento facultas tribuitur Monachis eligendi sibi Advocatum, eumque in ordinem redigendi, si prave munere suo fungatur; tum etiam ipsi Advocato potestas fit, ut invitante Abbate, & venia a Rege impetrata, conventus juridicos habere possit in locis dominio Monasterii subjectis; haud alienum a re proposita erit, si hoc loco indicabimus, Advocatos, qui olim ad Ecclesiis pro juribus suis in Foro tuendis eligebantur, paulatim cœpisse jurisdicendi assumere potestatem, pingues redditus, & ampliora honoraria sibi exposcere, quin etiam armis, ac militibus adversus invadentes bona Ecclesiæ rem gerere; quæ omnia quisque per se videre potest apud *Thomassinum de vet. & nov. Eccles. disciplina par. 3. lib. 2. cap. 55.*, in *gloss. Ducange ad verb. Advocatus*, apud *Mabillonium in præfat. 1. sect. 3. ad Act. SS. Ordinis S. Benedicti*; ubi testatur, Advocatos, qui ad tuenda Monasteria constituti erant, cum eorum depopulatores plerumque facti essent, Sæculo XIV. tandem è medio sublatos fuisse. Mentionem faciunt de Advocatis etiam *Can. Salvator. 1. quæst. 3. & Can. ab Imperatoribus 23. quæst. 3.* Et quoniam illis districtè vetitum erat, ne se in Disciplina Ecclesiastica immiscerent, juxta præscriptum Romani Pontificis Lucii III. Prædecessoris Nostri in *cap. Præterea 23. de jurepatr.* ubi excommunicantur, si in eam manus inferre ausi fuerint: *Advocati Ecclesiarum in tantam noscuntur insolentiam prorupisse, ut Sacerdotes, & alios Ecclesiasticos Viros pro suæ voluntatis arbitrio in Ecclesiis ipsis constituant, atque destituant.* Ex his nemo certè est, qui non intelligat, nullius esse momenti ad prætensam omnimodam exemptionem a jurisdictione Episcopi probandam, jus illud, quod Monachis ex Brunonis Testamento datum fuit, ut Advocatum sibi eligerent, eumque, justis exigentibus causis, pro arbitrio deponerent.

De Constitutionibus Pontificum Romanorum.

Subsequuntur Bullæ, seu Constitutiones Pontificiæ, usque ad Alexandrum VI., ex quibus nihilo magis persuaderi poterat, plenam exemptionem ab auctoritate Ordinaria Episcopi concessam fuisse. Bruno Archiepiscopus Trevirensis Monasterium, de quo agitur, fundavit in Loco Odenheim, hoc est in Diœcesi Spirensi; quod utique fieri nequibat sine consensu Spirensis Episcopi, juxta canonicas sanctiones in *Canon. quidam Monachorum, & in Canon. de Monachis, in Canon. Cellulas 18. quæst. 2.*, nec juxta easdem canonicas sanctiones ab ejus jurisdictione eximi poterat, non requisito ejusdem consensu: Licèt enim Romanus Pontifex ex potestate absoluta, etiam sine consensu Episcopi, Monasterium plenariè ab ejus jure subtrahere possit, cùm tamen, exceptis quibusdam particularibus casibus, eâ absolutâ potestate uti non consueverit, Episcopique idcircò consensum ante plenariæ exemptionis concessionem requirere consueverit; hinc est, quod nullo in præsenti nostra hypothesi apparente vestigio requisiti consensus, nulla accedente circumstantia, ob quam requiri non debuisset, fas est asserere, privilegia utique fuisse concessa Monasterio, sed illud plenariæ exemptionis nullatenus indultum fuisse. In hisce terminis versatur species facti, quæ agitata, & discussa est in Concilio Romano, quod habitum est coram Prædecessore Nostro Romano Pontifice Silvestro II. Anno MII. Asserebat Abbas S. Petri de Perusio, se frui omnimoda exemptione a jurisdictione Episcopi ejusdem Civitatis, vi, ac ope privilegiorum, quæ sibi a Summis Pontificibus concessa fuerant. Mandavit Pontifex, ut ea ederentur, & deindè Synodus sententiam suam proferret: *Veniant Privilegia Nostrorum Antecessorum Paparum, & his perlectis, censeant Fratres Coëpiscopi, quæ sit æquitatis rectitudo.* Allatis, lectisque Privilegiis, Episcopus opposuit, Romanos Pontifices non consuevisse dare hujusmodi Privilegia plenariæ exemptionis sine consensus Episcopi, in cujus Territorio Monasteria sita sunt; ideò opus esse, ut exhiberetur consensus Episcopi Prædecessoris sui, cujus tempore Privilegium illud, de quo quæstio erat, concessum fuerat: *Ait Episcopus: Privilegia hæc non reprobo; sed sine consensu Prædecessoris mei, cujus temporibus illud prius Privilegium factum est, factum fuisse dico; si solum viderem consensum, haberem indè æternum silentium.* Episcopi autem oppositioni universus Clerus respondit, consensum interveniisse, & a se visum, ac lectum fuisse: *Vidimus omnes Epistolam Antecessoris tui, in qua, & consensus erat, & precibus, ut hoc fieret; Episcopus obnixè postulat, cujus rei testes sumus, & secundum canonicam sanctionem verum fuisse comprobamus.* Prolata est deinde sententia secundùm Abbatis petitionem, impositumque est silentium Episcopo, ejusque Successoribus. Hæc omnia recensentur ab Ughellio *tom. 9. Ital. Sacr. & in collectione Labbeana Concil. tom. 9. pag. 1247.* In casibus autem, in quibus aliquando contigit, ut a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris plenaria exemptio sine præcedenti Episcoporum consensu Monasteriis concederetur, id utique factum est culpa, & vitio ipsorum Episcoporum, qui potestate sibi data ad regenda Monasteria, in eorum subversionem, & perturbationem abutebantur. *An ignoras*, verba sunt san. mem. Gregorii VII. Prædecessoris Nostri ad Episcopum Taurinen. *quod Sancti Patres plerumque, & Religiosa Monasteria de subjectione Episcoporum, & Episcopatus de Parochia Metropolitanæ Sedis, propter infestationem præsidentium diviserunt, & perpetua libertate donantes, Apostolicæ Sedi velut principalia Capiti suo membra adhærere sanxerunt.* Nec dissimiliter respondit Alexander II. pariter Prædecessor Noster Gervasio Rhemensi, qui contraria esse ajebat Sacris Canonibus Privilegia, quæ Monasterio Corbejensi concessa fuerant: *Alias esse leges Ecclesiarum, quæ sunt generales, & alias esse eas, quæ specialiter in Privilegiis quibusdam prærogantur Ecclesiis ad Immunitatem, ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines.*

Exemptio Monasterio concedi non poterat ab Archiepiscopo Treviren. sine consensu Episcopi Spirensis.

Sedes Apostolica non consuevit sine causa exemptiones plenarias concedere, absque Superiorum consensu.

Accedit in casu, de quo agitur (id quod præcipuum ac summum videtur), quod in nullo privilegiorum, quæ huic Monasterio concessa fuerunt, legitur, exemptos Apostolica auctoritate fuisse Monachos a jurisdictione Episcopi, & solius Romanæ Ecclesiæ potestati submissos; idque unum satis esse videtur, ut benè concludatur, à Romanis Pontificibus Monasterio prædicto plenariam exemptionem a jurisdictione Episcopi minime datam, & concessam fuisse. Habentur etiam nunc formulæ exemptionis plenariæ, quæ a Sede Apostolica Monasteriis, atque Ecclesiis, ab octavo usque sæculo concedebantur; quæ conceptæ sunt his verbis: *sub jurisdictione Sedis Apostolicæ, & nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur.* Et his iisdem verbis conceptæ sunt plenariæ exemptiones, quas subsequentibus temporibus Religionibus Mendicantibus Romani Pontifices elargiti sunt, ut constat ex Constitut. III. & XIII. Nicolai IV. *tom. 2.* novi Bullarii Ordinis Fratrum Sancti Dominici, quod in lucem edidit Pater Bremondus: *Decernentes ex nunc eundem Ordinem, ac personas, Ecclesias, Oratoria, Domus, & Loca præfata, soli Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ tam in spiritualibus, quam temporalibus absque ullo medio subjacere &c. & Apostolicæ Sedi, cui Ordo ipse nullo medio est subjectus,*

Exemptio Ordinariorum jurisdictione, Apostolicæ Sedi immediatè subjici debuisse.

*& ab omni Ordinariorum jurisdictione prorsùs exemptus.* Cum quibus multæ aliæ Bullæ, seu Constitutiones concordant, quæ extant *tom.* 8. ejusdem Bullarii in *tract. de consensu Bullar. tit.* 1. *quæst.* 1.: Nec dissimilis est formula, quæ legitur in Constitutione I. Joannis XXII. pro exemptione Ordinis Carmelitarum *tom.* 1. Bullarii ejusdem Religionis collecti a Patre Monsignani *pag.* 57. *In jus, & proprietatem Beati Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus, illaque a cujuscumque Diœcesani, & cujuslibet alterius potestate, jurisdictione, & dominio, omnimodè in perpetuum prorsùs eximimus de gratia speciali. Decernentes ex nunc Ordinem vestrum &c. soli Romano Pontifici, ac dictæ Sedi, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, absque ullo medio, subjacere.*

Hujus disciplinæ ratio, & consuetudo etiam apud Orientales.

Nec alia profectò ratione Ecclesiastica disciplina sarta tecta servari potuisset: indultâ quippè plenariâ exemptione Monasterii ab Episcopi auctoritate, nec eodem submisso Sedi Apostolicæ, aut alteri Ecclesiastico Superiori, Monasterium illud acephalum remansisset, & obnoxium comminationibus Magni Gregorii Prædecessoris Nostri in ejus *Epistola XVIII. lib.* 7. *in fine*, ad Marianum Episcopum Ravennatem, relata in *Can. Abbatibus* 18. *quæst.* 2., cujus verba talia sunt: *Abbatibus, qui neque sub Episcopo, neque sub Metropolitano, neque sub Primate, neque sub Patriarcha sunt, nullus Episcoporum Episcopalia quælibet administret.* Nota autem hæc sunt etiam in Ecclesia Orientali; in qua viget adhuc Canon Concilii Chalcedonensis, & Monachi Episcoporum jurisdictioni subjecti sunt; Patriarcha autem habet jus *Stauropegii*, quod nihil aliud est, quàm jus figendi Crucem, cum novum Monasterium in Diœcesi alicujus sui Suffraganei extruitur; & jus illud ipsi uni Patriarchæ competit, neque ad Metropolitanos extenditur. Consequens autem hujus juris est, ut Monasterium illud noviter fundatum, ubi Patriarchalis Crux fixa est, exemptum remaneat a jurisdictione Episcopi, in cujus territorio reperitur; sed, ne sine capite existat, Patriarcha illud suæ immediatæ jurisdictioni suppositum declarat; ut legere est in nostra *Constit.* 98. *§.* 19. *Bullarii nostri tom.* 1.

Literæ Pontificum peculiariter examinantur.

Quia vero, licèt in Apostolicis Constitutionibus nec plenariæ exemptionis a jure Episcopali, nec immediatæ subjectionis Apostolicæ Sedi, expressa mentio facta sit, nihilominùs asserebatur, ea omnia æquipollentibus formis, ac verbis, fuisse in ipsis Apostolicis Constitutionibus significata; idcircò necesse fuit particulare earundem examen instituere, quod satis diligenter expletum est, ut ex sequentibus deprehendi potest.

Honorius, & Gregorius PP., solam Protectionem indulgent.

In duabus Constitutionibus Honorii una, & Gregorii altera, Prædecessorum Nostrorum, quibus Monasterii Privilegia confirmantur, illud accipitur *sub B. Petri, & nostra*, hoc est Romanorum Pontificum, *protectione.* At verò hinc argui certè nequit exemptio ab auctoritate Episcopali, ut disertè respondit Innocentius III. in *Cap. Ex parte* 18. *de Privil. Ex parte tua fuit quæsitum, utrum Clerici, & Laici, qui Literas protectionis ostendunt, in quibus personæ suæ expresso nomine cum omnibus rebus suis sub Apostolica protectione consistere declarantur, a jurisdictione Episcopi Diœcesani sint exempti. Nos autem Tibi respondemus, quod per Literas hujusmodi ab Episcoporum suorum potestate minimè subtrahuntur.*

Innocentius V. vetat Monachos aut Monasterium censuris irretiri.

In Bulla Innocentii V. similiter Prædecessoris nostri conceditur, *ut nullus Delegatus, vel subdelegatus Executor, seu etiam Conservator, auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius, in vos, aut Monasterium vestrum, excommunicationis, vel suspensionis, sive interdicti sententiam valeat, promulgare, absque speciali mandato nostro faciente plenam de hac indulgentia mentionem.* Sed jam, ante Innocentium V., Clemens Papa IV., in *cap. ne aliqui, de Privil.* statuerat, ut hujusmodi Privilegia, exceptis iis, quæ Regibus, Reginis, eorumque Filiis, & ali ui Regulari Ordini universo concessa sunt, non protraherentur ad sententias, & excommunicationes, ab Ordinariis prolatas: *De Fratrum nostrorum consilio, ad Ordinariorum sententias, & processus edicto perpetuo prohibemus extendi*; & post Innocentium V., Bonifacius VIII. in *Cap. Si Papa, de Privil. in sexto*, decrevit, a jurisdictione Episcoporum minimè exemptos eos esse, qui Privilegium obtinuerunt, quod ab alio, quàm à Papa, seu ejus Legato, excommunicari, suspendi, aut interdici non possint.

Lucius III. & Cœlestinus III. enunciant censum Sedi Apostolicæ debitum.

In Litteris Lucii III., & Cælestini III. mentia fit de censu, qui singulis annis solvi Sancto Petro debebat a Monasterio; qui Census jam oblatus fuit ab Archiepiscopo Brunone in fundatione ejusdem Monasterii, & adnotatus est in antiquissimo Libro Censuum Cencii Camerarii. At neque id alicujus momenti visum est ad quæstionem, de qua tractabatur; cum ab Alexandro III. definitum sit, ex solutione census, exemptionem a jurisdictione Ordinaria Episcopi minimè concludi posse; ut legitur in *Cap. Recepimus, de Privil.*: *Cæterum diligentiam tuam volumus non latere, quod sicut non omnes, qui specialiter B. Petri juris existunt, annuatim Apostolicæ Sedi Censum exsolvunt, ita non omnes censuales ab Episcoporum subjectione habentur immunes.* Consentit cum Pontifice Alexandro III. Bonifacius VIII. in *Cap. Si Papa, de Privil. in sexto*: *Si vero dicatur simpliciter, quod aliqua Ecclesia Romanæ Ecclesiæ annuum censum solvat, non propter hoc exempta Ecclesia dici debet.* Solvebatur census aut ratione *libertatis* donatæ, aut *protectionis* concessæ; ut benè expendit Innocentius III. in *Cap. Constitutus, de Relig. Domib.*: *Nos quoque cum vel libertatis privilegium, vel protectionis præsidium aliquibus Ecclesiis indulgemus gratis, accipimus censum gratis oblatum, & in Literis Nostris ad Successorum Nostrorum memoriam census exprimimus, & etiam quantitatem.*

Census non una de causa solvuntur.

Census autem solutus ratione, seu titulo protectionis, nunquam præjudicium aliquod juri Ordinarii intulit, ut scriptum est in laudato *Cap. recepimus, de Privil.*, cujus verba talia sunt: *Si verò ad indicium perceptæ protectionis census persolvitur, non ex hoc juri Diœcesani Episcopi aliquid videtur esse subtractum.* Jubet Alexander III. in *cit. Cap. recepimus*, ut diligenter attendatur tenor Privilegii concessi, cujus sequela quædam est solutio Census: *Ipsorum tenor est diligentius attendendus*: Bonifacius autem VIII. in *cit. Cap. Si Papa*, decernit, ut si Privilegium ad res aliquas limitatum sit, etiamsi in eo solutio census præcipiatur, id pro omnimoda exemptione probanda inservire nequeat, sed pro partiali dumtaxat, restricta, & limitata, & in Privilegio disertè expressa: *Idem dicimus*, loquitur de exclusione plenariæ exemptionis, *si circa aliqua per Privilegium concedatur libertas, & clausula de censu annuo persolvendo sequatur &c., his enim, & consimilibus casibus, sic in certis Privilegiati articulis, Ordinariorum jurisdictioni quantum ad alia sunt subjecti.*

Causæ aderant solvendi censum, extra exemptionem.

Quum igitur Archiepiscopus Bruno in suo Testamento, post conventam pro Abbate liberam Monasterii administrationem, & a quacumque sæculari Potestate exemptionem; & post cautam pro Monachis facultatem eligendi sibi Abbatem, & designandi Advocatum, seu Defensorem; in harum rerum compensationem obtulerit annuum Censum: *Super hæc omnia Præsul sæpedictus Apostolicum Privilegium acquisivit, & constituit, ut unus aureus, quem Bizan-*

*tium dicimus, singulis annis Romæ ad Altare S. Petri ab Abbate præacti Monasterii in Pascha persolvatur, eo pacto, ut libertatis istius, & inditionis statuta tanto perenniùs inconvulsa permaneant*: Cumque Romanus Pontifex Cælestinus III. in suis Literis, post pollicitam Apostolicam suam protectionem pro bonis, quibus tunc fruebatur Monasterium, & quæ tractu temporis adipisci potuisset; & post concessum Monachis Privilegium, ut si quidem Diœcesanus Episcopus vellet sine solutione pecuniæ Abbates benedicere, consecrare Altaria, & Basilicas, Sacrum Chrisma, & Oleum Sanctum præbere, & Monachos Sacris Ordinibus initiare, ipse adiretur, sin minus ad quemcumque alium Episcopum pergere ipsis licitum foret; subinde addiderit: *ad indicium autem perceptæ a Sede Apostolica libertatis, aureum unum annuum Nobis, nostrisque Successoribus persolvetis.* Ex his apertum satis, ac manifestum redditur, quod annuus Census, de quo conventum fuerat, non ad omnimodam exemptionem, sed ad partialem dumtaxat respiciebat, ac proinde ex illius solutione non rectè infertur, omnimodam exemptionem datam aut conventam fuisse.

Idem Pontifices enunciant pertinentiam Monasterii ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ.

Neque hujusmodi argumentationi Canonici Juris principiis suffultæ quidquam adversari visum est, quod Prædecessor Noster Lucius Papa III. declaraverit, Monasterium prædictum spectare ad jus Romanæ Ecclesiæ, & ideo Censum solvere: *quanto specialiùs Vos, & Monasterium vestrum ad jus Romanæ Ecclesiæ pertinere annui census redditus manifestat.* Et quod id ipsum declaratum sit a Cœlestino Papa III. referendo se ad Constitutionem Paschalis II. *Monasterium, quod ad jus & proprietatem B. Petri pertinere dignoscitur, ad exemplar fel. record. Paschalis Papæ Prædecessoris Nostri, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus.* Etenim, omissa responsione, exhibitum videlicet non fuisse Privilegium Paschalis II.; sepositа etiam quæstione, quæ ad Chronologiam pertinebat; Nam Promotor Curiæ Episcopalis Spirensis opponebat, Paschalem Pontificem ante Monasterii fundationem vita functum fuisse, atque ideo exemptionem Monasterio concedere nequivisse; cui tamen respondebant Canonici, Monasterio etiam non fundato, quod tamen certum erat propediem fundatum iri, exemptionem a Paschali ante fundationem concedi potuisse: admissâque insuper propositione illâ, quòd pertinere ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ, secum necessariò ferat omnimodam exemptionem a jurisdictione Ordinarii, ut legitur in sæpiùs laudato *Cap. Si Papa de Privil. in sexto. S. Papa &c. asserat ipsam Ecclesiam fore exemptam, aut eam juris B. Petri existere, sive ad jus & proprietatem Ramanæ Ecclesiæ, vel ad Romanam Ecclesiam specialiter, aut sine medio, vel etiam simpliciter pertinere, per hoc plenè debet exempta hujusmodi Ecclesia judicari.*

Exemptio controversa non probatur per enunciativas.

Quia tamen, procedendo ad præscriptum ejusdem Decretalis, ea propositio tunc locum habet, quando Romanus Pontifex dicit, Ecclesiam pertinere ad jus, & proprietatem B. Petri, aut Romanæ Ecclesiæ, *dispositivè*, ut forensi verbo utamur; *Si autem Ecclesiæ, vel Monasterio, exemptionis Privilegium concedendo, vel super ipsius exemptione sententiando, cum de ipsius exemptionis negotio ageretur, asserat ipsam Ecclesiam fore exemptam;* Non autem si Pontifex *enunciativè*, seu *relativè*, aut *suppositivè*, ut ajunt, affirmet Monasterium pertinere ad jus, & proprietatem Ecclesiæ Romanæ: *Si Papa in aliquo Privilegio, vel scriptura non facta principaliter super donatione, vel sententia exemptionis, seu etiam libertatis, aliquam Ecclesiam ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel consimilia verba narret, non propterea illius Ecclesiæ exemptio est probata, nisi de libertate aliter doceatur*: Idcirco præsens in eo sita est indago, ut videatur, an memoratæ Pontificum Constitutiones ad primum, vel ad secundum casum Decretalis sint referendæ.

Ad secundum autem, non ad primum visæ sunt referri debere. Nec enim aut Lucius III., aut Cœlestinus III. dixerunt, Monasterium ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, Privilegium exemptionis concedendo, aut super ipsius exemptione sententiando; sed id asseruerunt in Privilegio, aut scriptura, quæ facta non est principaliter super sententia exemptionis, aut libertatis. Pontifex quippè Lucius id asseruit, cum tribuit Monachis jus præsentandi Episcopo unum ex suis Religiosis, qui animarum Curam in Ecclesia a Monasterio dependente exerceret: ea tamen lege, ut præsentatus Episcopo subjectus esset in eo, quod ad animarum curam spectaret, Superiori autem Regulari in eo, quod ad Monasticam pertineret disciplinam: Quod sanè non evincit totalem exemptionem a jurisdictione Episcopi, cum sit commune etiam Monachis, qui subduntur Episcopo, & assumuntur ad curam animarum.

Cœlestinus autem nedum hoc ipsum asseruit relativè ad præcedens Paschalis Privilegium, sed ulterius id asseruit, cum indulsit Monachis, ut ab alio Episcopo petere possent Sanctum Oleum, Sacrumque Chrisma, eumque pro Sacris Ordinationibus adire, si Episcopus Diœcesanus pro sacris illis rebus pecuniam exigere attentasset, ut superius dictum est; quod omne in universum nihil continet, quod ad prætensam exemptionem attineat. Plura enim suppetunt exempla Monachorum, quibus a jurisdictione Ordinarii penitus exemptis, facta est libera potestas accipiendi a quocumque Catholico Episcopo Sacrum Chrisma, Sacrosque Ordines, non in pœnam simoniaci criminis Diœcesani Episcopi, sed in signum, atque indicium omnimodæ libertatis, ut hac de re fidem faciunt *Cap. Constitutus, de Relig. Domib., Cap. Cum nullus, de temporib. Ordinat. in sexto; & Constitut. 76. §. 9. Bullarii Nostri Tom. I.* Et plurima quoque extant Regularium privilegia, quibus ita a Sacro Tridentino Concilio derogatum est, ut quamvis antea possent in suæ plenariæ exemptionis signum a quocumque Catholico Episcopo Sacros Ordines suscipere, id tamen de cætero ipsis interdictum fuerit, ac demandatum, ut Sacræ Ordinationis munus a proprio Episcopo, in cujus Diœcesi situm est Monasterium, omnino accipere deberent; nisi post eandem Synodum novum Privilegium indultum eis fuerit, in quo expressis, atque apertis verbis concedatur, posse eos a quocumque Catholico Antistite Ordines recipere, juxtà præscriptum Constitutionum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, quæ a Nobis innovatæ & confirmatæ fuerunt in noviſſima nostra Constitutione, quæ incipit *Impositi Nobis*, data die XXVII. Februarii hujus vertentis anni.

Absoluto Constitutionum Apostolicarum examine, deventum est ad examinanda Imperialia Diplomata, in quibus tamen expendendis haud opus visum est diutiùs immorari. Siquidem in nonnullis eorum legitur, Monasterium esse sub Romanæ Ecclesiæ Mundiburdio, & Majestate; id autem nihil aliud significat, quàm protectionem, & defensionem, ut apertè colligitur ex formulis *Marculphi Monachi superiùs laudati lib. I. cap. 24.*, ubi agit de Mundeburde Regis, & Principis, & ut etiam apparet ex *Dictionario verborum Longobardorum*, quod positum est in fronte Bullarii Cassinensis, quod collectum est a P. Margareno, & fusiùs ex *Glossar. Du-Cange*, ad verbum *Mundiburdium.* In aliis autem

Prædicta Constitutiones nihil ponunt.

De Constitutione Lucii III.

De Constit. Cœlestini III.

Privilegia recipiendi Ordines a quocumque datur in dium simoniaci crimnis.

3. De Imperialibus Diplomatibus.

Ea vel confirmatoria sunt Privilegiorum Apostolicorum, vel ad exemptionem non spectant.

refer-

refertur, & confirmatur Teſtamentum Archiepiſcopi Brunonis; Aliqua reſpiciunt conſervationem bonorum temporalium, & provident tantummodo, ne Monachi Advocatorum angariis opprimantur; cætera demum confirmant, atque corroborant quæcumque vel a præfato Archiepiſcopo diſpoſita, vel a Romanis Pontificibus conceſſa fuerunt. Quamobrem opportuna maximèque conſentanea rei propoſitæ videntur verba Innocentii III. Prædeceſſoris Noſtri in *Cap. inter Dilectos, de fid. Inſtrument.*, ubi in ſimili controverſia reſpondit in hunc modum: *Cum ergo confirmatorium tantum extiterit, ſaltem quoad illa, quæ deducta ſunt in judicium, ſi principale non tenuit, nec acceſſorium, quod ex eo, vel ob id dignoſcitur eſſe ſecutum. Pari modo cætera Privilegia Romanorum Imperatorum, etiamſi vera fuiſſent, & ſine ſuſpicione, ad probationem tamen, cum nihil aliud, quàm puram confirmationem continerent, invalida probarentur.*

II. De ſæcularizatione Monaſterii, & erectione Collegiatæ.

Ut verò ad ſecundum ſtatum, ſeu conditionem Monaſterii Odenheimenſis, nempè ad ejus ſæcularizationem deſcendamus: Redactum eſt quidem Monaſterium Odenheimenſe è ſtatu Monachali in ſæcularem Eccleſiam Collegiatam a Prædeceſſore Noſtro Alexandro Papa VI., qui edidit Apoſtolicas ſuas Litteras, ſupplicante Maximiliano I. Imperatore, ut ſuperius dictum eſt, an. MCCCCXCIV., quo tempore in Spirenſi Diœceſi alia etiam Monaſteria ſæcularizata, & in Collegiatas ſæculares mutata fuerunt, ut teſtatur Trithemius *Tom.* 2. Annalium Hirſaugenſium, ad annum Chriſti MCCCCXCVII.: *Quid dicam de Ludovico Spirenſium Epiſcopo, ſub quo tranſlata fuerunt ab Ordine Noſtro in ſæculares Eccleſias Collegiatas Monaſterium Odenheim, & Monaſterium in Sunsheim.* In dicta ſæcularizationis Bulla Alexandri VI. præſervantur pro nova Eccleſia Collegiata: *Libertates, ac ſpiritualia, & temporalia Privilegia, dudum a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, ac Imperatoribus, Regibus, ac aliàs quomodolibet conceſſa, ut ſcilicet ad rectam Eccleſiam hujuſmodi perpetuò ſpectent:* Conceditur Præpoſito privilegium utendi Mitra, & Baculo Paſtorali, aliiſque particularibus inſignibus, tam in Eccleſia, quàm extra ipſam, & impertiendi Benedictionem ad Miſſam, ad Veſperas, & ad Matutinum, dummodò præſens non adſit Prælatus aliquis, aut Legatus Sedis Apoſtolicæ: Demandatur collatio Præpoſituræ, & Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum juxtà Germanica Concordata; Tribuitur Præpoſito, Decano, & Capitulo facultas condendi Statuta, & Ordinationes, conſentaneè ad Sacros Canones, pro bono regimine Eccleſiæ, & Perſonarum, quæ ipſi Eccleſiæ addictæ ſunt; Demum datur facultas erigendi, & fundandi nonnullas Cappellanias, & noviſſimo loco nominantur ejuſdem Conſtitutionis executores.

Antiqua Privilegia confirmantur ab Alexandro VI.

Et alia conceduntur novo ſtatui opportuna.

Si autem inter jura, privilegia, & libertates Monaſterio conceſſas, non aderat omnimoda exemptio ab Auctoritate Ordinaria, nemo eſt, qui non videat, eam exemptionem in novam Eccleſiam Collegiatam tranſire nequiviſſe. Quoad cætera verò jura, & privilegia, quibus Monaſterium non fruebatur, verè quidem affirmari poteſt, ea inſervire poſſe ad conſtituendam eandem Eccleſiam in gradu Eccleſiæ Collegiatæ illuſtris, & admodum inſignis, nunquam verò ad ei aſſerendam, vindicandamque plenam exemptionem a juriſdictione Epiſcopi; cùm plurimi reperiantur Abbates, & Prælati, qui uſum Pontificalium habent, nihilominus a juriſdictione Ordinaria minime ſunt exempti. Propterea Romanus Pontifex Clemens IV. *in Decretali, Ut Apoſtolicæ, de Privileg. in ſexto;* decrevit, ut Abbates, & alii exempti, quibus uſus Pontificalium eſt a Sede Apoſtolica conceſſus, in Provincialibus Conciliis, & Epiſcopalibus Synodis uti poſſint Mitris tantummodo aurifriſiatis, non tamen aureas, vel argenteas laminas habentibus: Prælati autem non exempti, ſed qui uſum Pontificalium habent, in iiſdem ſacris Conventibus, Mitris puris dumtaxat, & ſimplicibus, albis, & planis uterentur.

Privilegia honoris non inducunt exemptionem.

Quod verò attinet ad amplam facultatem condendi Statuta, & Ordinationes, etiam cum poteſtate coërcendi contumaces, & inobedientes, non deſunt graves Auctores, qui affirmant, hujuſmodi facultatem Capitulis competere, etiam independenter ab Epiſcopo, in iis, quæ reſpiciunt regimen propriæ Eccleſiæ, & obſervantiam Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Quamvis a pluribus aliis contradicatur, ut videre licet in *Tom.* 1. *Reſponſ. Canonic. pag.* 106. *bon. mem. Jacobi Lanfredini Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis*, cujus libenter meminimus, propter benevolentiam, & exiſtimationem, qua eum, donec hanc mortalem vitam egit, ſemper proſequuti ſumus. Itaque facultas Capitulo novæ Eccleſiæ Collegiatæ ab Alexandro VI. attributa, nihil aliud probat, quàm eundem Pontificem voluiſſe, ut certò, & ſine controverſia jus illud Canonici haberent, quod in dubium revocari poterat; nequaquam tamen, ut inferri poſſit prætenſa exemptio ab auctoritate Ordinarii.

Facultas condendi Statuta, & coercendi contumaces; non inducit exemptionem.

III. De tranſlatione Collegiatæ ad Oppidum Bruchſal.

Quod verò poſtea temporis actum eſt, anno ſcilicet MDVII., id pertinet ad tranſlationem Eccleſiæ Collegiatæ è loco Odenheim ad Oppidum Bruchſalenſe, qui eſt ultimus Monaſterii Odenheimenſis ſtatus ex tribus a Nobis ſuperius indicatis. Animadvertit nempè Capitulum, quod benè ac præclarè ſecum actum eſſet, ſi præfata Eccleſia è loco infrequenti, & inſalubri, ad Oppidum, & frequenti Populo, & ſalubri aëre præditum transferretur. Quarè rogatus eſt Epiſcopus, ut hujuſmodi tranſlationi conſentire vellet; qui aſſenſum præbuit non ſine variis pactionibus; inter quas una fuit, ut Epiſcopo reſervarentur cauſæ criminales, ſi quæ unquam exorirentur adverſus Præpoſitum, Decanum, Canonicos, & Vicarios, & Cappellanos prædictæ Eccleſiæ Collegiatæ, & in quibus eſſet locus pœnæ corporis afflictivæ; ita tamen, ut contra prædictos non Procurator Fiſcalis ageret, ſed Commiſſarii, qui ab Epiſcopo darentur; Et conſequenter ad capitulationes conventas, Epiſcopus progreſſus eſt ad tranſlationem Collegiatæ de loco Odenheim ad Oppidum Bruchſalenſe, utens ſua auctoritate Ordinaria, & habito prius conſenſu Capituli ſuæ Cathedralis; aſſignatâque pro Collegiata prædicta in eodem Bruchſalenſi Oppido Eccleſia ſub invocatione Beatæ Mariæ Virginis; & è diverſo imperata demolitione, ſuppreſſione, & profanatione veteris Monaſterii, & Eccleſiæ Odenheim, excepta ſolummodò unica Cappella, in qua voluit quotidie Sacrum fieri. Id autem omne actum eſt, ſalvis præcedentibus pactionibus, ſeu capitulationibus: *Salva ordinatione Noſtra inter Præpoſitum, Decanum, & Capitulum dictæ Eccleſiæ.* Et quoniam in eadem tranſlatione reſervata fuerat auctoritas Sedis Apoſtolicæ, quum hanc Epiſcopus, Præpoſitus, Decanus, & Capitulum ſupplices adiviſſent, ſan. mem. Prædeceſſor Noſter Julius Papa II. univerſa confirmavit: *Salva quadam ordinatione per dictum Epiſcopum ſuper ingreſſu, & habitatione dicti Oppidi, inter Præpoſitum, Decanum, & Capitulum.*

Ea fit auctoritate Ordinarii, ſub pactis conditionibus.

Tota verò hujus facti ſerie inſpecta, nulla res eſt, quæ prætenſam omnimodam exemptionem ab auctoritate Ordinarii non excludat. Quin immò ad eam penitùs eliminandam, id unum, quod ſupra innuimus, obſervare ſufficiat, nimirum reſervatam fuiſſe Epiſcopo cognitionem cauſarum criminalium contra Canonicos,

Exemptio magis, magiſque excluditur.

alioſque, qui Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ componebant: Quæ ſanè res eſt tanti momenti, ut quum Sacroſancta Tridentina Synodus vellet in integrum revocare juriſdictionem Ordinariorum non parùm labefactatam, id præcipuè decreverit, ut cauſæ criminales privativè pertinerent ad Epiſcopos, adempta earum cognitione Decano, Archidiacono, aliiſque inferioribus, ut *cap. 20. ſeſſ. 24. de Reformat.* quiſque per ſe videre poteſt.

IV. De Actibus hinc inde allegatis.

At præter rationum momenta, de quibus huc uſque diſſeruimus, complures inſuper actus hinc indè afferebantur, tam ſcilicet pro parte Capituli, ad prætenſam omnimodam exemptionem adſtruendam, quàm pro parte Curiæ Epiſcopalis, ad eam excludendam; mutuæque viciſſim exceptiones contra hos, & contra illos opponebantur. Verùm ambages omnes, & difficultates, quæ ex illis emergebant, videbantur unica conſideratione diſſolvi poſſe. Siquidem aut actus illi omnes, tum pro Capitulo, tum pro Curia Epiſcopali allati, pro authenticis haberi debebant, aut ſecus; Quodcumque aſſereretur, jus Curiæ Epiſcopalis ſalvum, atque integrum remanebat. Si enim omnes erant authentici, porrò & numero, & auctoritate, & pondere præſtabant illi, qui pro Epiſcopo allati ſunt; quibus inſuper favor, & aſſiſtentia juris accedebat; Sin autem de eorum veritate aliter cenſendum eſſet, omneſque tamquam nullius auctoritatis, & momenti rejiciendi forent, ſatis erat Curiæ Epiſcopali, ut adverſarium vinceret aſſiſtentia juris, cujus favorem pro juriſdictione Epiſcopi in tota ſua Diœceſi canonicæ ſanctiones ſtare voluerunt.

In dubio ſtandum pro juriſdictione Ordinarii.

Reſolutio Cauſæ pro Epiſcopo.

Quæ hactenùs a Nobis expoſita ſunt, fundamenta fuerunt rationum, quibus innixi Dilecti Filii Apoſtolici Palatii Noſtri Auditores, die xv. elapſi menſis Septembris, coram Nobis, ut dictum eſt, congregati, rogatique quid cenſerent de quæſtione in hunc modum propoſita: *An conſtet de exemptione Capituli ab Ordinaria juriſdictione Epiſcopi in caſu &c.*, unanimi conſenſu reſponderunt: *Negativè, ſalvis ordinationibus in actu translationis.* Eorum ſententiam, quam æquitati, & juſtitiæ conſonam, & Canonicis ſanctionibus conſentaneam cenſuimus, eadem die amplexi ſumus; nunc verò, ut ea, quæ a Nobis, de præmiſſorum conſilio, atque etiam omnium rationum momentis per Nos ipſos maturè perpenſis, conſideratiſque totius litis Inſtrumentis, & quæ hinc inde fuerunt propoſita, diligenter auditis, definita ſunt, in futurum ſemper valeant, & perennem obtineant firmitatem; hac Noſtra in perpetuum valitura ſanctione decernendo pronunciamus, & pronunciando decernimus: *Capitulum Sæcularis Eccleſiæ Collegiatæ Oppidi Bruchſalenſis exemptum non eſſe a juriſdictione Epiſcopi Spirenſis: ſalvis tamen ordinationibus, & conventionibus, quæ factæ fuerunt in actu translationis è Loco Odenheim ad Oppidum Bruchſalenſe anno MDVII., ſeù alio veriori tempore*; quam ſententiam per hæc Apoſtolica ſcripta edicimus, promulgamus, & Apoſtolicæ poteſtatis Noſtræ plenitudine communimus, & roboramus.

Edictio Sententiæ.

Præſentes igitur Decretales Literas, etiam ex eo, quod Capitulum, & Canonici prædictæ Collegiatæ Eccleſiæ, ac alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes (quibus omnibus, & ſingulis perpetuum deſuper ſilentium imponimus, atque os occludimus) eiſdem præmiſſis non conſenſerint, aliaque quavis de cauſa quantumvis juridica, & legitima, de ullo ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Noſtræ, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, aut in controverſiam vocari, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari nullatenùs unquam poſſe, ſed ſemper, & perpetuo validas, & efficaces eſſe, & fore, & ab iis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, firmiter & inviolabiliter obſervari, eiſque omninò acquieſci: Sicque, & non aliter in præmiſſis cenſeri, & ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, ac dignitate, & honore fulgentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici prædicti Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, ac quamcumque Congregationem, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter, quàm juxta ſententiam a Nobis proiatam hujuſmodi, judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quocumque Judicio, & in quacumque inſtantia, ubique judicari, & definiri debere; Et ſi ſecùs ſuper præmiſſis, aut circa ea, a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Clauſulæ, & Decreta ſalutaria.

Non obſtantibus Lite ſuper præmiſſis hactenùs pendente, cujus litis ſtatum, & merita, & alia quæcumque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus; nec non, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, dictæque Collegiatæ Eccleſiæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis Statutis, ac ſtilibus, uſibus, & conſuetudinibus, etiam inveteratis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis tam per dictum Alexandrum VI., quàm per quoſcumque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros prædictæ Collegiatæ Eccleſiæ, ac Ordini, cujus ipſa olim exiſtebat, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores itidem pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, & quatenùs ſententiæ hujuſmodi a Nobis prolatæ adverſari videantur, latiſſimè, & pleniſſimè, ac ſpecialiter & expreſsè harum ſerie derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Derogationes.

Exemplorum fides, & publicationis effectus.

Volumus autem, ut earundem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi originaliter forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Quodque eædem præſentes, ſeu earum exempla etiam impreſſa, per aliquem ex Curſoribus Noſtris in ſolitis Almæ Urbis locis, & per aliquem Curiæ Epiſcopalis Spirenſis Miniſtrum, ſeu Officialem ad id deputari ſolitum, ad valvas Palatii Epiſcopalis, ſeu in aliis conſuetis, aut opportunis locis, publicata, & affixa, omnes & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficiant, & arctent, ac ſi unicuique eorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

Sanctio.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Noſtræ Sententiæ, Definitionis, Decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, decimo

Dat. die 8. Novembris 1747.

sexto Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

D. Card. Passionеus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
I. C. Boschi.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 2. Decembris 1747.*

---

XLI. De Officio Scriptorum Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Motu Proprio &c.*

QUAMVIS jam usque ab anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto Idibus Aprilis Apostolicæ Literæ sub Plumbo a Nobis editæ fuerint, quarum initium est: *In Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio*, quæque in Bullario Nostro impressæ sunt *Tom. I. num. XCVI.*, in eisque a Nobis providæ Leges, & Ordinationes fusè statutæ fuerint, ab omnibus Officii Pœnitentiariæ Officialibus, & Ministris, ac nominatim ab ipsius Procuratoribus, seu Secretariis, & a Scriptoribus tam ordinariis, quàm extraordinariis, observandæ; quum tamen aliquid ad hujusmodi Ministrorum Officia pertinens, addendum adhuc esse judicaverimus, ad implendas Apostolici ministerii Nostri partes æquali studio intenti, ac Motu simili &c., omnia primum, & singula in præcitatis Nostris Literis, & in aliis etiam super facultatibus Majoris Pœnitentiarii, ipsiusque Pœnitentiariæ Officii, eâdem die datis, incipien. *Pastor bonus*, & in præfato Bullario Nostro impressis *num. XCV.*, disposita, atque contenta, iterum approbantes, & confirmantes; ulteriora hæc mandata edicere, & constituere, ac præsentis Schedulæ vigore communire decrevimus; quam quidem Schedulam in Tabulario ipsius Pœnitentiariæ ad perpetuam rei memoriam asservari præcipimus; Mandantes dilecto Filio Nostro Joachimo Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbytero hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali hodierno ex Nostra electione, ac deputatione Majori Pœnitentiario, ejusque Successoribus pro tempore futuris, ut juxta ipsius tenorem, & continentiam sese gerentes, Nostram in hisce rebus voluntatem in posterum exactè observent, & ab aliis, ad quos pertinet, inviolabiliter, & cum effectu observari faciant.

Sanè, quum inter alia munera, & officia Nobis olim in minoribus constitutis a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus commissa ac demandata, illud etiam Doctoris in Decretis in præfato Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio plures annos exercuerimus, ex ipso usu, & experientia satis compertum habemus, quanti momenti sit Officium Procuratoris, seu Secretarii ejusdem Pœnitentiariæ; & quàm impossibile sit aliquem in idoneum Procuratorem, seu Secretarium evadere, qui non antea in Scriptoris officio diù meruerit; quum ad habendam necessariam Procuratori hujusmodi peritiam, minimè sufficiat Canonici juris, aut etiam Theologiæ Moralis scientiam acquisivisse, sed præterea necesse omninò sit in ipsius Pœnitentiariæ Officii stilo, & praxi versatum esse; id quod nonnisi ex diuturno exercitio in Scriptoris vel ordinarii, vel extraordinarii munere fas est obtinere.

Quare, quum Nobis ex quorumdam fide dignis relationibus innotescat, nonnullos esse, qui, privatis aliorum servitiis addicti, ad hujusmodi Scriptorum sive ordinariorum, sive extraordinariorum officia adspirare, vel aliàs ad ea admissi, ipsa etiam deinceps retinere contendant; unde eveniat, aut evenire possit, ut hi, in diversis hujusmodi aliorum servitiis occupati, nequaquam valeant debitam Apostolicæ Pœnitentiariæ Procuratoribus, seu Secretariis assistentiam præbere; utque ipsi, quantumvis præstantibus forsan animi dotibus præditi, nunquam tamen apti, æque experti Scriptores evadant; adeoque, si unquam ad Procuratorum officia promoverentur, multo minùs ad ea exercenda habiles, & idonei inveniri possent; animadverso etiam publico incommodo, & gravi animarum detrimento recurrentibus ad ipsum Pœnitentiariæ Officium obveniente, dum ejusdem Officii expeditiones, hujusmodi Scriptoribus alieno servitio addictis demandatæ, indebitè protrahuntur, & in tempore majoris necessitatis sæpè deficiunt.

Hinc est, quod Nos, præmissis, aliisque justis causis animum Nostrum moventibus adducti, præfato Joachimo Presbytero Cardinali, ejusque in prædicto Officio Majoris Pœnitentiarii Successoribus in perpetuum districtè mandamus, ut neminem in posterum ad hujusmodi Scriptorum sive ordinariorum, sive extraordinariorum officia eligant, vel admittant, qui assiduis alicujus personæ cujuscumque gradus, ordinis, aut dignitatis, etiam expresè individuandæ, servitiis actu addictus, vel alterius Officii, aut muneris exercitio continenter occupatus esse dignoscatur; volentes, ut si quis de præsenti inter hujusmodi Pœnitentiariæ Ministros reperiatur alieni servitii, aut incompatibilis Officii vinculo districtus, is quidem è Ministrorum hujusmodi Catalogo minimè expungatur; Verumtamen ad superiorita ejusdem Pœnitentiariæ ministeria, durante hujusmodi vinculo, nequeat promoveri.

Porrò in præfatis Nostris Literis, quas super Apostolicæ Pœnitentiariæ Officialibus, eorumque muneribus, edidimus, antiquioribus Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus inhærentes, libenter statuimus, ut tam Procuratorum, quàm Scriptorum ordinariorum Officia, prævio semper concursu, conferri debeant; dedecernentes omnes hujusmodi Officiorum collationes, quas aliter forsan, etiam ab ipso Romano Pontifice, fieri contingeret, irritas fore, & inanes: Quod quidem non alia de causa a prædictis Prædecessoribus, & a Nobis statutum fuit, quam ut hujusmodi munera, & officia dignioribus aptioribusque personis; quantum fas est, conferantur. Quapropter omnibus, ad quos spectat, seu spectabit in futurum in concursibus hujusmodi judicium suum interponere, iterum iterumque districtè injungimus, ut, nullâ officiorum, aut commendationum ratione habitâ, juxta majorem dumtaxàt personarum idoneitatem suffragiorum suorum prærogativam concedant. Ipsique demum Cardinali Majori Pœnitentiario, ejusque Successoribus mandamus, ut extraordinarios Scriptores ea expressa lege obstringant, ut Procuratoribus, seu Secretariis frequenter adesse non prætermittant, quò valeant in Pœnitentiariæ praxi, & stilo, quàm peritissimi evadere; scientes se neque ad concursus in futuris Scriptorum ordinariorum, aut Procuratorum, seu Secretariorum vacationibus ullo pacto admittendos; nec ullo subsidio ordinario, aut extraordinario donandos fore; nisi qualibet vice super injuncta sibi assiduitate opportunas probationes, & legitima testimonia ipsi pro tempore existenti Majori Pœnitentiario exhibeant; seque etiam

ab ipsis Officiis esse dimittendos, si, postquam de frequentandis, ut supra dictum est, Procuratorum Officiis semel, & iterum admoniti fuerint, adhuc hujusmodi præceptum Nostrum implere contempserint. Ac denique, postquam etiam ad Ordinarii Scriptoris munus per concursum, ut præmittitur, adlecti fuerint, haud eximendos se fore ab onere eosdem Procuratores non rarò adeundi, pro acquisita peritia tum conservanda, tum promovenda.

Volumus autem tam memoratas Nostras Literas, quàm præsentem Motus nostri Schedulam, cum omnibus, & singulis in eis contentis, semper & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari, soluta cuilibet, etiam Majoribus Pœnitentiariis pro tempore existentibus, aliter statuendi, & interpretandi, seu dispensandi facultate; Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis Nostris Literis non obstare decrevimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

### Fiat Motu proprio P.

ET, quod præmissa mandata, præcepta, atque decreta, cum clausula perpetuò, & ad perpetuam rei memoriam, & cum opportunis derogationibus tam generalibus, quàm specialibus, etiam Regulæ de jure quæsito non tollendo, latissimè exprimi, & extendi possint in Literis etiam per viam de Curia, si, & quandocumque videbitur, expediendis; & quod sola præsentis Schedulæ Nostri Motus proprii signatura sufficiat, illique ac illius quoque exemplis, seu transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ Sigillo munitis, tanta ubique fides adhibeatur in judicio & extra, quanta, si sub plumbo Nostro expedirentur, & originaliter exhiberentur, adhibenda esset, & adhiberi deberet, Regulâ quacumque contrariâ non obstante.

Fiat P.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Idibus Decembris, Anno Octavo.

---

## XLII.

Unio Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ, cum diversis ordinationibus.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Summus Pontifex de Doctrinæ Christianæ traditione admodum sollicitus.

APOSTOLICI muneris Nobis, licèt immerentibus, cum Beati Petri Cathedra, Dei voluntate commissi, præcipuas partes esse, ad conservandam, augendamque in Fidelium animis Christianæ Doctrinæ scientiam, omnis studio, atque opera incumbere, non solum ipsi semper agnovimus, sed etiam, ut omnes intelligerent hanc Nobis curam, & cogitationem animo potissimam insidere, pluribus editis Nostræ hæc de re sollicitudinis argumentis, effecimus. Extant Apostolicæ adhortationes Nostræ ad Venerabiles Fratres omnium Ecclesiarum Episcopos non semel directæ, ut eorum zelum excitaremus ad Christianæ Doctrinæ pabulum Fidelibus populis majori, quâ fieri posset, ubertate exhibendum. Nec omisimus aptiorem ipsis methodum indicare, quâ possent singuli in subjectis sibi plebibus in Fide, & Disciplina Domini erudiendis amplius utiliusque proficere; ut videre est in Literis die VII. Februarii anno MDCCXLII. Pontificatus Nostri II. datis, & in Bullario Nostro impressis *Tom. XVI. pag. 64. & seqq. Constitut. XLII.*

Quod sanè gravissimum, ac necessarium Christianæ Doctrinæ opus, ut in hac Urbe Nostra prosperè, feliciterque procederet, duobus ab hinc annis ad augendum statum piæ Sodalitatis, quam Archiconfraternitatem vocant Doctrinæ Christianæ, animum libenter adjecimus; concessâque ipsi Ecclesiâ Beatæ Mariæ Virginis de Planctu nuncupata, ipsiusque rebus, ac juribus amplificatis, majorem ei tribuimus facultatem, pia instituti sui exercitia ad spiritualem Populi Romani utilitatem explendi, ut pater ex Apostolicis Nostris Literis incipien. *Salutaris Doctrinæ fontes*, VII. Idus Martii Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLV. datis.

Quum autem hujus Laicalis Confraternitatis originem, institutionem æqualem olim, atque eandem ferè fuisse acceperimus cum primitiva fundatione Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Christianæ in hac ipsa Urbe sub san. mem. Prædecessore Nostro Pio Papa V. erectæ, deindèque a fel. record. Prædecessore pariter Nostro Gregorio Papa XIII. in Domo, & Ecclesia Sanctæ Agathæ in Transtyberinâ regione constitutæ; quæ postea a prædicta Laicorum Confraternitate seorsim consistens, in aliis Pontificiæ Ditionis Nostræ Civitatibus propagata fuit; ex communi tam Congregationis, quàm Confraternitatis hujusmodi origine, & scopo, justam occasionem desumpsimus, ut ad prædictam quoque Clericorum Congregationem Providentiæ Nostræ oculos intenderemus; ejusque statui, ac regimini, si, & quatenus oportunum visum esset, Apostolicæ auctoritatis Nostræ interpositione consuleremus.

Verùm dum universum hujusmodi Congregationis statum, prout in præsenti se habet, accuratiùs introspicere cœpimus, non modò eam ad deplorandam decrementi conditionem redactam esse cognovimus, quum in tota hujusmodi Congregatione non ampliùs, quàm triginta & octo Presbyteri & Clerici, cum septendecim Laicis Fratribus, numerentur, ex quo sanè numero impossibile est idoneos, ac fructuosos Operarios statuere, ac deputare in octo ipsius Congregationis Domibus, seu Collegiis, quæ, præter supradictam Domum Sanctæ Agathæ de Urbe, in convicinis Civitatibus Veliterna, Prænestina, Reatina, Privernate, Urbevetana, Signina, & in Terris Arcis Maximæ, & Ariciæ consistunt; Verum etiam nullam spem de ipsâ ad ampliorem splendoris gradum revocanda prudenter concipi posse judicavimus; quum in tota hujusmodi Congregatione neque Domus Probationis, seu Novitiatûs, neque studiorum Collegium ullum reperiatur, sine quibus tantùm abest, ut Religiosorum Ordinum incrementa sperari queant, ut vix eorum conservatio subsistere posse videatur.

Quare abjecta cogitatione omni de hujus Congregationis ad hujusmodi statum redactæ reformatione, ad aliud consilium Nos convertimus, ut scilicet ipsam subjectivè uniremus Provinciæ Romanæ alterius Congregationis Clericorum pariter Sæcularium Doctrinæ Christianæ in Civitate Nostra Avenionensi in Galliâ erectæ, quæ in pluribus per Italiam Domibus, seu Collegiis, tam in Statu Nostro Ecclesiastico, quàm in Neapolitano Regno, & in Subalpinis Regionibus, ampliorem Presbyterorum, & Clericorum numerum alit, qui simillimum profitentes Institutum, erudiendis pueris, cathechizandis rudibus, Sacris Missionibus, aliisque laudabilibus Christianæ charitatis operibus, incessanti studio adlaborare dignoscuntur; ut scilicet utriusque Congregationis Professores in unum Corpus, & in unam Provinciam coalescentes, sub unius Vicarii Generalis regimine, & sub iisdem Regulis, & Constitutionibus pro Congregatione in præfata Avenionensi Civitate

institutâ ab Apostolica Sede approbatis, deinceps vivant, & mutua ex hujusmodi unione virtutum, ac virium incrementa suscipientes, uberiorem in Vinea Domini fructum deinceps valeant producere.

Absolutio a censuris &c.

Itaque prædictis, aliisque justis, & rationabilibus causis Nobis notis adducti, Dilectos Filios Vicarium Generalem, & Clericos Sæculares prædictæ Provinciæ Romanæ Congregationis Doctrinæ Christianæ Avenionen., eorumque, & aliorum, quorum respectivè favorem præsentes Nostræ Literæ concernunt, singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxàt consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; præsentemque statum, & essentiam dictæ Congregationis Clericorum Sæcularium Sanctæ Agathæ, Literasque Apostolicas recolen. mem. Prædecessorum Nostrorum Gregorii XIII., quarum initium est, *Ad Sacram Beati Petri Sedem*, datas die XI. mensis Augusti Anni Domini MDLXXV., quibus eidem Congregationi Sanctæ Agathæ Ecclesia, & Domus in Regione Transtyberina concessæ, illiusque statuta approbata, & confirmata fuerunt, cum facultate alia de novo condendi; Pauli V. in forma Brevis editas die XX. mensis Maji Anni MDCVI., super approbatione Constitutionum, quæ a bonæ memoriæ Alexandro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale Medices nuncupato ipsius Congregationis dum viveret protectore per Decretum editum die XIX. Novembris Anni MDCIII. jam confirmatæ fuerant; Item Gregorii XV. die XII. Novembris Anni MDCXXI., ac Clementis XI. die XXVIII. Septembris Anni MDCCXVI. in simili forma Brevis respectivè expeditas, per quas sibi, & Romano pro tempore Pontifici reservarunt potestatem absolvendi Professores dictæ Congregationis Sanctæ Agathæ a Voto Perseverantiæ in hujusmodi Congregatione; singularumque Literarum prædictarum, ac quorumcumque aliorum Indultorum, Privilegiorum, Gratiarum, & Concessionum Apostolicarum per prædictos, & quosvis alios Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & Sedem Apostolicam eidem Congregationi Sanctæ Agathæ forsan concessorum, totos & integros tenores, & quævis alia, quæ ad infrascriptorum effectum specialem, specificam, expressam, & individuam mentionem, & expressionem requirerent, ipsis præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes: Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; prævia dismembratione, & separatione a dicta Congregatione Clericorum Sæcularium Sanctæ Agathæ, tam Ecclesiæ & Domus Sancti Pauli in Civitate Reatina existentium, cum omnibus, & singulis bonis, rebus, proprietatibus, & redditibus ad Ecclesiam & Domum easdem quomodolibet spectantibus, & pertinentibus; quàm etiam centum Locorum Montium Cameralium non Vacabilium, quarum, & quorum dispositionem inferius constituemus; Universam Congregationem ipsorum Clericorum Sæcularium Doctrinæ Christianæ Sanctæ Agathæ, cum omnibus, & singulis aliis ejusdem Congregationis Ecclesiis, Cappellis, Collegiis, Domibus, Possessionibus, proprietatibus, fructibus, redditibus, & bonis, tam mobilibus, quàm immobilibus, juribus, & actionibus universis, quæcumque, quotcumque, qualiacumque, & ubicumque sint, omnique sacrâ, & profanâ supellectili, Provinciæ Romanæ alterius Congregationis itidem Clericorum Sæcularium Doctrinæ Christianæ Avenionen., Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò subjicimus, ac subjectivè unimus, & incorporamus; itaut ex nunc utrique Clerici Sæculares prædicti unum corpus, unamque Provinciam Romanam ipsius Congregationis Avenionen. constituant, & posthac uni eidemque Vicario Generali, Provinciali, & Definitorio subsint, ac Regulas, & Constitutiones Congregationis Avenionen., & Provinciæ hujusmodi a Sede Apostolica approbatas exactè observent, iisdemque privilegiis, exemptionibus, & gratiis ab eadem Apostolica Sede prædictæ Congregationi Avenionensi, ac Provinciæ Romanæ, & Clericis ipsam constituentibus concessis, in omnibus, & per omnia gaudeant, & fruantur. Per unionem autem, & incorporationem hujusmodi, volumus, & expressè declaramus, quod omnia, & quæcumque onera, obligationes, & Legata, quibus Ecclesiæ, Collegia, Domus, & bona per præsentes unita, quomodolibet obnoxia reperiuntur, ad eandem Provinciam Romanam Congregationis Avenionen. omnino transeant; decernentes, & eadem auctoritate statuentes, Provinciam prædictam ad illorum omnium, & singulorum plenam, integram, & omnimodam supportationem, satisfactionem, & implementum deinceps fore efficaciter obligatam.

Et in hanc transfert omnia onera, & obligationes &c.

Indicatio Literarum Apostolicarum Congregationi S. Agathæ concessarum.

Quia verò, propter unionem, & incorporationem prædictas, Clerici Sæculares Doctrinæ Christianæ Congregationis Sanctæ Agathæ, qui nunc sunt, Vota simplicia, & juramentum, quæ Clerici Sæculares Congregationis Avenionen. Provinciæ Romanæ profitentur, explicitè emittere ac profiteri; easdemque Constitutiones, & Regulas in præfata Congregatione, & Provincia laudabiliter vigentes, præsertim vitæ communis, in posterum æque, & pariformiter cum ipsis Congregationis Avenionensis Professoribus observare debebunt; Nos, licet Constitutiones, & Regulæ prædictæ ferè conformes esse dignoscantur cum illis, quas primòdicti Clerici in Congregatione Sanctæ Agathæ observare tenebantur, eos nihilominùs providæ indulgentiæ Nostræ favoribus prosequi volentes, motu, & potestatis plenitudine paribus, ipsos Clericos Sæculares, qui in prædicta Congregatione Sanctæ Agathæ juramentum perseverandi in ipsa Congregatione, ad formam ipsius Constitutionum, emiserunt, & ad assumendum novum statum in prædicta Congregatione Avenionen. Provinciæ Romanæ minimè se vocari sentiunt, a voto perseverantiæ hujusmodi, tenore præsentium, eatenùs eximimus, & absolvimus, quatenùs infrà terminum, quem eis præfigimus, trium dumtaxat mensium a die datæ ipsarum præsentium computandorum, absolutionis hujusmodi beneficio utentes, a Congregatione prædicta cum effectu discedant, sub Ordinariorum Locorum obedientia respectivè permansuri: statuentes, ut ii, qui, ut prædictum est, discesserint, nihil ab hujusmodi Congregatione, & Provincia, ex quacumque causa, vel quovis titulo, etiam Patrimonii, petere, vel prætendere ullo unquam tempore possint, aut valeant.

Absolvit Clericos S. Agathæ a juramento perseverantiæ.

Si intra Trimestre utantur beneficio absolutionis, & nil prætendant a dicta Provincia.

In eos autem, qui sese unioni prædictæ prompta devotione subjicientes, perseverantem exhibere Deo constituunt in ipsa Congregatione famulatum, ampliores benignitatis Nostræ significationes edituri, statuimus pariter, & mandamus, ut Dilectus Filius modernus Præpositus Generalis dictæ Congregationis Sanctæ Agathæ primum dignioremque gradum honorificum in ordine præcedentiæ immediatè post Vicarium Generalem dictæ Provinciæ, usque ad proximum futurum Capitulum Provinciale, & in ipso Capitulo Provinciali locum, vocemque, & suffragium habeat, & obtineat; Rectores verò actuales Collegiorum, & Domorum, quæ

Perseverantibus benignè consulit.

Dismembratio Ecclesiæ, & Domus S. Pauli Reatin., & centum locorum Montium a Congregatione S. Agathæ.

Pontifex subjicit ipsam Congregationem Provinciæ Romanæ Congregationis Avenionen.

Congre-

Congregationem Sanctæ Agathæ a Nobis per præsentes unitam, & incorporatam constituebant, dummodo statim ac requisiti fuerint, non expectato trium prædictorum mensium spatio, præfata Vota simplicia, & juramentum emiserint, in Rectoratus hujusmodi officio, & munere remanere, eoque, ut antea, fungi debeant in Collegiis, & Domibus, in quibus de præsenti deputati reperiuntur, aut in aliis, arbitrio Superioris Provincialis, & Definitorii, usque ad prædictum proximum futurum Capitulum Provinciale; in quo tamen ex eisdem Rectoribus tres dumtaxàt, iique Professione antiquiores interesse, vocemque activam, & passivam habere valeant: Cæteri verò ejusdem Congregationis unitæ, & incorporatæ Professores tam Clerici, quàm Laici, indiscriminatim cum aliis prædictæ Provinciæ Romanæ Congregationis Avenionensis Clericis, & Laicis, præcedentiæ loco, & juribus, juxta prioritatem, sivè antianitatem emissæ Professionis, potiantur, & gaudeant; & ad assequenda quæcumque munia, & officia Congregationis, & Provinciæ, cui per præsentes subjecti, & incorporati remanent, habiles, & capaces æquè ac pariformiter omnino sint, & esse debeant, perindè ac si in ipsa Congregatione Avenionen. Provinciæ Romanæ singuli Regularem Professionem emisissent.

Ecclesiam, & Domum S. Pauli Reatin. Piis Puellarum Magistris assignat.

De Ecclesia verò, & Domo Sancti Pauli Reatin., earumque bonis, & rebus, ac de centum Locis Montium a dicta Congregatione unita dismembratis, quas, & quæ ordinationi Nostræ superiùs reservavimus, in aliorum piorum operum utilitatem, & incrementum disponere volentes; atque in primis ad iteratas preces ex parte Venerabilis Fratris Antonii Seraphini Episcopi Reatini, & Dilectorum quoque Filiorum publicorum Repræsentantium ejusdem Civitatis, pro laudabili Instituto Piarum Magistrarum inibi existentium, Nobis humiliter porrectas, favorabiliter intendentes; Nos prædictam Ecclesiam Sancti Pauli cum Domo, & Horto ibi annexis, eisdem Piis Puellarum Magistris in dicta Civitate Reatina nunc & pro tempore existentibus, quò magis laudabilibus professionis suæ exercitiis, ab ipsius Doctrinæ Christianæ Instituto haud prorsùs alienis, in recta, atque Christiana Puellarum institutione, & educatione, commodè, atque utiliter vacare possint, in perpetuum donamus, concedimus, & assignamus: Facultatem insuper tribuentes eidem Antonio Seraphino Episcopo, ut ipse, pro suo prudenti arbitrio, ex bonis mobilibus, sacrisque supellectilibus in Ecclesia, & Domo prædictis existentibus, congruam portionem Piis Puellarum Magistris præfatis, prout eisdem opus esse noverit; reliquam verò quantitatem aliis Piis Locis, juxta illorum indigentiam, auctoritate Nostra dividat, & assignet.

Ac nonnulla ipsius Ecclesiæ & Domus bona applicat Parochiali Ecclesiæ S. Rufi.

Quia verò, sicut accepimus, præfati Clerici Sæculares Doctrinæ Christianæ Congregationis Sanctæ Agathæ, præter Ecclesiam, & Domum prædictas, alia quædam bona stabilia in dicta Civitate Reatina, sive illius Territorio, possidebant, annui redditus quinquaginta circitèr ducatorum auri de Camera, cum onere annuæ perpetuæ celebrationis plurium Missarum, nec non Sanctissimi Sacramenti omnibus Sabbathi diebus, atque insuper semel in anno pro Oratione quadraginta Horarum, publicæ Fidelium adorationi solemniter exponendi: Nos humilibus instantiis publicorum Repræsentantium prædictorum etiam in hac parte benignè annuentes, omniumque & singulorum bonorum hujusmodi qualitates, quantitates, situationes, confinia, & vocabula, verioremque annuum redditum eisdem præsentibus pro expressis, & individuatis habentes; illa omnia, & singula Parochiali Ecclesiæ Sancti Rufi Reatin. Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, eâdem Apostolica auctoritate itidem perpetuò applicamus, appropriamus, & incorporamus; ita quod liceat eisdem Clericis Regularibus Ministrantibus Infirmis apud dictam Parochialem Ecclesiam degentibus, seu eorum Congregationi prædictæ, per se, vel alium, seu alios, veram, realem, corporalem, & actualem bonorum stabilium prædictorum possessionem propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus percipere, exigere, levare, ac in suos dictæque Parochialis Ecclesiæ usus, manutentionem, sustentationem, & utilitatem convertere, Diœcesani Loci, vel cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ. Volumus autem, ut ipsi Clerici Regulares Ministrantes Infirmis apud dictam Parochialem Ecclesiam pro tempore degentes, omnia, & singula prædicta, & alia si quæ sint, onera præfatis bonis annexa, quorum omnium implementum ad ipsam Parochialem Ecclesiam transferimus, plenè, integrè, & omnimodè, juxta Benefactorum, & Testatorum ultimas voluntates, aliasque pias dispositiones, supportare, & adimplere omnino teneantur.

De centum Locis Montium dispo-nit.

Ad hæc dispositionem, quam Nobis itidem superiùs reservavimus, de centum Locis Montium, ut supra dismembratis, prosequentes, præcipimus, & mandamus Dilectis similiter Filiis Vicario Generali, aliisque Superioribus Provinciæ Romanæ sæpedictæ Congregationis Avenionensis, quatenùs infra duos menses a die datæ ipsarum præsentium computandos eadem Loca centum Montium Cameralium non vacabilium, unacum fructibus a Kalendis Januarii proximè venturi deinceps decurrendis, liberè & sine ullo vinculo resignent, omnique juri, si quod sibi, vigore præsentis unionis, in ipsis, vel ad ea acquisitum fuisse forsan prætendi posset, omnimodè renuncient, pro rata nimirùm Locorum octoginta ad favorem Collegii SS. Blasii, & Caroli de Urbe, *a' Catenari* nuncupati, Clericorum Regularium S. Pauli, pro reliqua verò rata viginti Locorum hujusmodi ad favorem Ecclesiæ S. Jacobi *a Scossa Cavalli* nuncupatæ. Quocirca Dilecto quoque Filio Administratori Generali Locorum Montium simili modo mandamus, ut præsentium Literarum vigore, non requisito alicujus Judicis mandato, octoginta Loca prædicta cum fructibus a prædictis Kalendis Januarii decurrendis, & quidem libera ab omnibus, & quibuscumque etiam piorum Legatorum obligationibus, & oneribus, quæ a præfata Congregationis Avenionensis Provincia in posterum supportanda, & implenda fore jam supra decrevimus, in faciem & creditum dicti Collegii transferat, & convertat; reliqua verò viginti Loca hujusmodi a quibuslibet oneribus, & obligationibus similiter libera, convertat & transferat in faciem Ecclesiæ prædictæ S. Jacobi in Civitate Leonina existentis, & Basilicæ Principis Apostolorum Filialis, cum reservatione tamen omnium fructuum eorundem viginti Locorum Dilecto Filio Primicerio Archiconfraternitatis Sanctissimi Sacramenti in eadem Ecclesia institutæ ex numero Canonicorum præfatæ Basilicæ electo, ejusque Successoribus in perpetuum ex eodem cœtu eligendorum, ad effectum videlicet, ut ipse pro tempore existens Primicerius eosdem fructus a dictis Kalendis deinceps decurrendos Vicario dictæ Parochialis Ecclesiæ S. Jacobi, pro exercitio Curæ Animarum illius Parochianorum per ipsius Basilicæ Capitulum, & Canonicos ad nominationem dictæ Archiconfraternitatis amovibiliter ad nutum nunc & pro tempore deputato, absque alicujus cura, integrè persolvat, vel persolvi faciat. Ideoque idem Generalis Administrator consuetas Literas Patentes, juxta ordinationem nostram hujusmodi, faciat expediri. Nos enim Collegii, & Vicarii

Videlicet octoginta assignat Collegio SS. Blasii, & Caroli ad Catenarios.

Reliquam verò viginti Ecclesiæ Sancti Jacobi a Scossa Cavalli.

præ-

prædictorum indigentiâ fide dignis relationibus intellectâ, volentes utrique de opportunæ subventionis auxilio providere, eidem Collegio prædicta Loca octoginta cum eorum fructibus, dicto verò pro tempore existenti Vicario fructus reliquorum viginti Locorum Montium in faciem præfatæ Ecclesiæ transferendorum, ut prædiximus, percipiendos, per easdem præsentes in perpetuum respectivè concedimus, assignamus, tribuimus, & appropriamus.

Eximit a solutione Quindenniorum eos, quorum favorem præmissa concernunt.

Postremò, quatenùs opus sit, dictam Provinciam Romanam Congregationis Avenionen., Clericosque Regulares Ministrantes Infirmis præfatos, nec non Collegium prædictorum Clericorum Regularium S. Pauli, ac Vicarium hujusmodi, & demum quoscumque alios, quorum favorem præmissa concernunt, a quacumque solutione annatarum, & quindenniorum, ad quas, & quæ ratione unionis, applicationum, appropriationum, & incorporationum prædictarum, aliorumque præmissorum, respetivè teneri, & obligatos esse dici posset, ac a quacumque obligatione desuper Cameræ Nostræ Apostolicæ, & illius Officialibus facienda, penitùs eximimus, & totaliter liberamus; atque ad annatas, & quindennia hujusmodi solvenda, & se desuper obligandum, nullatenùs teneri, neque ad id per Cameram, seu illius Officiales prædictos, aut alios quoscumque, ullo unquam tempore cogi vel compelli, & ob non solutionem, vel obligationem hujusmodi, a quoquam quovis prætextu, colore, vel ingenio molestari, aut inquietari ullatenùs posse, aut debere, volumus pariter, atque decernimus.

Clausulæ pro præmissorum firmitate.

Præsentes quoque Litteras, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore, ex quocumque capite, vel ex quacumque causa, etiam quantumvis juridica, & legitima, etiam ex eo, quod Clerici Sæculares Doctrinæ Christianæ Congregationis S. Agathæ, & quicumque alii in præmissis jus, vel interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, subjectioni, unioni, & incorporationi hujusmodi, aliisque præmissis non consenserint, nec ad id vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, aut sufficienter verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex quocumque alio prætextu, colore, & capite, etiam in corpore juris clauso, ac etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, formali, substantiali, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad viam & terminos juris, vel Privilegiorum, & Indultorum Congregationi a Nobis superiùs unitæ, & incorporatæ, illiusque Superioribus, & Personis quibuscumque quomodolibet forsan concessorum reduci, aut in jus, vel controversiam vocari, seu adversus easdem præsentes aperitionis oris, & restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu intentari posse; sed eas semper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces esse & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat & pertinet, ac spectabit & pertinebit in futurum, in omnibus & per omnia inviolabiliter observari: sicque, & non aliter, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Vice-Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, aliosque quoslibet quavis auctoritate, aut potestate fungentes, aut functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, & si secùs super præmissis, aut illorum aliquo, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane motu pari decernimus.

Commissio Card. Urbis Vicario tamquam Judici Executori.

Quocirca Dilecto Filio Nostro Joanni Antonio Tituli SS. Silvestri & Martini in Montibus S. R. E. Presbytero Cardinali Guadagni nuncupato, Nostro, & pro tempore existenti Romani Pontificis in Urbe, ejusque Districtu Vicario in Spiritualibus Generali, per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipse per se, vel per alium, seu alios, easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictæ Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Christianæ Avenionen. Provinciæ Romanæ, illiusque Superiorum Provincialium, fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat Auctoritate Nostra subjectionem, & unionem, & incorporationem hujusmodi, aliaque præmissa, plenarium, & integrum effectum omninò sortiri, eaque ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, ipsamque Congregationis Avenionensis Provinciam prædictam eorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere; non permittens eam desuper a quoquam quomodolibet impediri, molestari, inquietari, vel perturbari; contradictores quoslibet, ac præmissis non parentes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de unionibus committendis ad Partes, & de exprimendo in eis vero annuo valore, nec non de non tollendo jure quæsito, ac postremi Lateranensis Concilii uniones, & applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, nec non singulis superiùs memoratis Litteris Prædecessorum Nostrorum Gregorii XIII., Pauli V., Gregorii XV., & Clementis XI., aliisque ejusdem Pauli V. Litteris in eadem forma Brevis datis die VI. Octobris anni MDCVII.; item Pauli II., Pauli IV., Pii V., & Sixti etiam V., aliorumque Romanorum Pontificum, annatas, & quindennia Cameræ, & Cancellariæ nostris in unionibus, & applicationibus solvi præcipientium, nec non Pii IV. de gratiis interesse ejusdem Cameræ quomodolibet concernentibus in ipsa Camera infra certum tunc expressum tempus insinuandis, & registrandis, ac Bonifacii VIII. de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò non ultra tres aliquis auctoritate præsentium ad Judicium trahatur, aliisque quibusvis etiam in Provincialibus, & universalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictæque Congregationis S. Agathæ per præsentes unitæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis quibusvis Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, & innovatis, nec non quibuscumque piorum Oblatorum, aut Testatorum voluntatibus, & dispositionibus; quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas, & occasiones præsentibus

pro plenè & sufficienter, ac de verbo ad verbum insertis, expressis, & specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris; ad præmissorum effectum specialiter, & expresè, ac plenissimè, & latissimè, Motu, & potestatis plenitudine paribus, harum serie derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Fides præstanda transumptis.

Volumus autem, quod ipsarum præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in judicio, & extra, ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Absolutionis, Dismembrationis, Unionis, Incorporationis, Applicationis, Appropriationis, Concessionis, Assignationis, Statuti, Mandati, Decreti, Derogationis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Pontif. anno VIII. die 15. Decembris 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, decimo octavo Kalend. Januarii, Pontificatus Nostri Anno VIII.

D. Card. Passionеus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA
J. C. Boschi.
L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 16. Decembris 1747.*

---

## XLIII.

Beatificatio Ven. Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI Fundatoris Congregationis Somaschæ.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Procœmium.

IN Castris Militantis Ecclesiæ Illi tantum contra infensissimos hostes, elato Crucis Vexillo, triumphum agunt, & laurea donantur æterna, qui ad coërcendos lapsæ naturæ impetus, arduum Christianæ perfectionis iter, Christi sanguine undequaque consperfum, alacriter arripientes, violentiam, ne concidant, sibi jugiter inferunt, atque inexpiabili, & pertinaci bello vitiis indicto, in obtinendis virtutibus fortissime decertant. Cum autem eorum cordibus penitùs hæreant Apostoli monita, Christi oraculis comprobata, finem præcepti esse charitatem, adeo ut absque illa, corpore vel flammis tradito, haberentur dubio procul tanquam æs sonans, aut cymbalum tinniens, hoc maximum in lege mandatum, Spiritu Sancto Duce, quantum facere, enitique possunt, exequi, & exhaurire contendunt. In gravissimo utriusque disciplinæ Instituto plurimum laboravit, & mirificè excelluit Venerabilis Dei Servus HIERONYMUS ÆMILIANUS, qui lubricam juventutis viam ingressus, animum prava licentia infecit, moresque liberiores Familiæ nobilitate auctos, confirmavit militia, cui nomen dederat, ut

B. Hieronymi vita & virtutes summatim referuntur.

Venetæ Reipublicæ durissimo Cameracensis fœderis bello implicitæ, tamquam Matri in extrema fortuna laboranti, opem ferret, utque Civis Togatus ex gente Patricia ob rem benè gestam amplissimis honoribus cumularetur. Verùm Arce Castri Novi in Marchia Tarvisina ab hostibus per vim expugnata, HIERONYMUS, qui ei tunc præerat, ferreis manicis, & compedibus devinctus, in fœdissimum carcerem conjectus est. Eo loci, cum extrema quæque sibi impendere animadverteret, acriores de æterna animæ jactura, quam de intercepta libertate, injecto mortis terrore, stimulos sensit, atque ex peccatorum conscientia eos hostes potissimum pertimescere cœpit, qui se majori supplicio dignum, vinculis æternis constrictum præcipitem in inferos agere possent. Attamen Beatissimæ Virginis ope, cui se plurimum commendaverat, incolumis factus, cœlesti ejus patrocinio, quam tunc repente assecutus est, sempiterna beneficii memoria, retulit libertatem. Deinde Venetias repetens, deposita Toga, abdicatisque Dignitatibus, nuntium sæculo remisit, christianæ pœnitentiæ operibus, officiisque pietatis usquequaque addictus. Hinc miris, & suavissimis modis intus agente Divina Gratia, illico intellexit, dilectionem Proximi, quæ legis plenitudo est, non ignavo, & inerti amore compleri, sed in maximis rebus gerendis, & substinendis totam versari. Quamobrem pueros, qui ingenti numero, Parentibus ferro, fame, lueque sublatis, per compita, & fora misere vagabantur, Divino afflante numine, recto sua pecunia locato, idoneisque Magistris conductis, incolumes recepit, servavitque. Neque huic tam eximiæ sollicitudini finem fecit, sed cæteris exemplar factus, id primus aggressus est, ut mulieres malæ famæ a turpi quæstu ad pœnitentiam conversæ, intra septa Domus Fidelium eleemosynis comparatæ, ad eluendas profligatissimæ vitæ maculas continerentur. Præterea Venerabilis Dei Servus, ne tot annorum labor pro animarum salute susceptus, humanarum rerum vitio, quæ fluxæ semper, & caducæ esse solent, obsolesceret, & interiret, novæ, Religiosæque Familiæ, in exiguo Bergomensis Agri Oppido Somascha, unde nomen sortita est, fundamenta jecit, ut quæ in publicam utilitatem ab ipso fuerant instituta, firmis deinde radicibus defixa, & quod caput est, hujus Apostolicæ Sanctæ Sedis beneficio confirmata, constanter perseverarent, & usquequaque, quod, Domino incrementum largiente, evenit, propagarentur. Demum cum annos quinquaginta sex inter vivos egisset, duobus ab hinc & amplius sæculis, præclarissimam vitam, diuturnis semper, magnisque laboribus distentam, cum pretiosa morte in conspectu Domini commutavit. Tot itaque tantisque Viri meritis, longè, latèque fama pervulgatis, Processus tum Ordinaria, tum Apostolica auctoritate pluribus in locis de Virtutibus, & Miraculis, ut instruerentur, curatum est. Quæ quidem Virtutes, & Miracula apud tunc existentes Causarum Palatii Apostolici Auditores primùm, ut moris tunc temporis erat, excussa, ad tunc itidem existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationem Sacris Ritibus præpositorum deinde pernoscenda fuerunt tradita. At interim felic. recor. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri decretis intercedentibus, Causæ Postulatores ab instituto cessarunt, hujusce S. Sedis auctoritati usquequaque obsecuti. Triginta verò ab hinc circiter annis apud eamdem Cardinalium Congregationem (cum in minoribus constituti ejusdem Causæ patrocinium susceperimus) iterum de Virtutibus quæstio redintegrata est; quas in posterum pluries, diligenterque perpensas, recol. me. Clemens Papa XII. Prædecessor

Congregationis Somaschæ institutio.

Causæ series.

quoque

quoque Noſter octavo Kalendas Auguſti 1737. ſuo Decreto approbavit, & in gradu heroico collocatas aſſeruit. Poſtmodum coram Nobis in hoc Supremæ Dignitatis faſtigio quamquam immeritò collocatis, ad Miracula deventum eſt, quorum duo, communibus tum eorumdem Cardinalium, tum memoratæ Congregationis Conſultorum curis, atque ſuffragiis perſpecta, diſcuſſa, atque approbata, nono Kalend. Maji Decreto noſtro firmavimus. Illud tandem inveſtigandum maximè ſupererat: Num Virtutibus, ac duobus tantummodò Miraculis probatis, idem Servus Dei Beatorum faſtis poſſet adſcribi. Verùm rebus a Nobis accuratiſſimè pervolutis, ultro, lubenterque aſſenſi ſumus, nuperoque Decreto noſtro ampliſſimo nonis Auguſti Cauſam abſolvimus. Quæ cum ita ſe habeant, precibus tum dilectorum Filiorum Nobilium Virorum, Ducis, & Dominii Venetorum, tum dilectorum etiam Filiorum Clericorum Regularium Congregationis de Somaſcha, paterna benignitate annuentes, de ſupradictæ Cardinalium Congregationis conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut idem Dei Servus Hieronymus Æmilianus in poſterum BEATI nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferendæ) exponantur; Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur: ac de eo quotannis die octava Februarii, qua è vivis feliciter ceſſit, recitetur Officium, & Miſſa de communi Confeſſoris non Pontificis, cum Oratione a Nobis approbata, juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani. Porro recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus tum in univerſa Clericorum Regularium hujuſmodi Congregatione, tum in Urbe Venetiarum, ubi Vir ille magnus primam lucem aſpexit, tum in memorato Oppido Somaſchæ, ubi ſupremum diem clauſit, tum in toto Bergomenſi Territorio, ubi diu verſatus eſt, ab univerſis Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur: Et quantum ad Miſſas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ac Eccleſias, in quibus Feſtum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hiſce literis inchoando, in Eccleſiis Congregationis de Somaſcha, Civitatis, Oppidi, & Territorii antedicti, ſolemnia Beatificationis ipſius Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori, die ab Ordinariis reſpectivè conſtituta, poſtquam in Baſilica noſtra Sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem ſolemnia tertio Kalendas Octobris currentis anni, pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac decretis de non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & Sigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Beatificatio.

Cum autem ad cultum Sanctorum quam maximè intereſſit, in præclaris eorum geſtis cogitationes omnes, nedum oculos defigere, ut, excuſſo torpore, noſtram improperantes deſidiam, & ab eorum caritate & pœnitentia quàm longiſſimè abeſſe recogitantes, ad Evangelicæ doctrinæ normam mores noſtros componamus, plurima in Hieronymo Æmiliano, eademque ad imitandum luculentiſſima ſuppetunt virtutum exempla, ut ejuſdem veſtigiis inhærentes, aſſequamur & præmia. Hic enim Dei Servus, quamvis clariſſima Familia ortus, juvenili tamen licentia in vitia turpiter delapſus, ut Deo ſatisfaceret, arctamque ſalutis viam ingrederetur, non generis nobilitatem, non mollem, & delicatam juventutem, non commoda vitæ, non Magiſtratus jacturam, non affinium querelas, non hominum ludibria prætexuit, ſed illecebrarum corruptelis animum irretitum, & diris vulneribus confoſſum, congruis curavit remediis, idque potiſſimum præcavit, ne imbecillior medicina foret, quàm morbus. Præcæteris autem ejus virtutibus, caritatem præſtat æmulari, quæ per dilectionem operata eſt, & qua ille totus in proximos deflagravit; ut in hoc primo, & maximo Evangelicæ legis mandato excolendo egregiam ſemper navemus operam, probè memores iis tantùm, qui multum dilexerunt, multa quoque peccata fore remittenda. Lapſi porrò, quibus incumbit improbam vitæ conſuetudinem, corruptoſque mores emendare, non qualemcumque pœnitentiam in hoc indulgentiſſimo Sæculo tot verborum lenociniis deliniram, ſibi ſatis eſſe confidant, ſed hujus Servi Dei moneantur exemplo, ad gravia expianda delicta, ad flectendam Omnipotentis iram, & ad inſtaurandam ſpiritus novitatem, quam Beatus Hieronymus Æmilianus aſſecutus eſt, & quæ ipſi tantam peperit gloriam, ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſe.

Adhortatio ad virtutum imitationem, præſertim Charitatis, & Pœnitentiæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxii. Septembris MDCCXLVII. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

*D. Card. Paſſioneus.*

---

Reformatio Tribunalium Urbis in Judiciis Criminalibus, & quoad expeditiones Commiſſionum, cum opportunis ordinationibus. XLIV.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Procœmium.

Rerum *humanarum conditio fert, ut etiam quæ rectè, ac ſapienter olim ſunt conſtituta, novam ſemper, & aſſiduam Rectorum curam, & vigilantiam expoſcant; ut dum ipſa vel temporum viciſſitudine, vel hominum vitio ſenſim labefactantur, ad debitum integritatis ſtatum ſupremi moderatoris diligentia, & auctoritate revocentur. Hinc eſt, quod licèt Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum providentia, non ſolum Eccleſiam Chriſti Paſtorali eorum regimini commendatam, verùm etiam temporale Patrimonium eorumdem poteſtati concreditum, optimis juſtiſſimiſque legibus inſtruxerit, ſæpè tamen cogimur exorientes abuſus, & inordinationes, a parvis initiis in magnas corruptelas, cum juſtitiæ injuria, & populorum damno, quotidie ſuccreſcentes, novis promulgatis legibus emendare, & ne in poſterum ſimilia accidant, quantum Nobis ex alto conceditur, providere. Quam ob rem quum plures tam Venerabilium Fratrum Noſtrorum hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, quàm Dilectorum Filiorum Curiæ Noſtræ Officialium, & Miniſtrorum Conſultationes partim conſtitutas invenerimus, partim, pro Apoſtolici miniſterii Noſtri Officio, publicæque utilitati ſtudio, Nos ipſi ſtatuerimus; quarum ope, & conſilio occurrentes vel Eccleſiarum, vel temporalium Ditionum Noſtrorum neceſſitates intelligere, iiſque opportunè conſulere valeremus; magnum in dies fructum percipere Nos agnoſcimus ex inſtituta Congregatione Particulari ſuper Œconomica Apoſtolicæ Cameræ, &*

Leges ad debitam obſervantiam revocari debent.

Pontifices pro Temporali eorum dominio varios abuſus emendarunt.

Et Pontifex id ipſum ſedula cura egit.

Præcipuè inſtituendo ſuper Oeconomia Ærarii Cameræ

Congregationem particularem.

*Ærarii Noſtri adminiſtratione, pro cujus erectione Apoſtolicas Literas edidimus xiv. Kalen. Maji anni MDCCXLVI.; qua nempè Congregatione ſuggerente, quum cognoverimus non paucos abuſus in Criminalibus Judiciis Tribunalium Almæ Urbis invectos, atque diuturna, ſed non minus prava conſuetudine firmatos, ex quibus tum Apoſtolicæ Cameræ Noſtræ Ærarium, tum publicæ juſtitiæ adminiſtratio, tum Reorum, & dumnatorum ſalus, atque ſubſtantiæ, magna & indebita accipiebant detrimenta; non omiſimus opportuna ſtatim mandata, atque præcepta ad eorum correctionem ſingulis, ad quos pertinebat, dirigere; quæ deindè complexi ſumus in Schedula noſtri Motus proprii die xxx. elapſi menſis Septembris Noſtra manu ſignata, die verò ij. menſis Octobris in plena Camera exhibita, & præſentata, deindèque in ſequenti Camera die xvij. menſis Novembris, in executionem Decreti dictæ plenæ Cameræ, ac Conſtitutionis ſel. record. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris Noſtri* de regiſtrandis, *admiſsâ, & in Libro Signaturarum Noſtrarum in actis dilecti Filii Gregorii Caſtellani unius ex prædictæ Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Secretariis, & Cancellariis exiſtentis* fol. 58. & ſeq. *regiſtrata, quæ eſt tenoris ſequentis, videlicet.*

Quæ non paucos abuſus in judiciis Criminalibus advertit.

Quibus Pontifex occurrit per ſpecialem Chirographun.

Tenor Chirographi.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Motu proprio &c.*

Procemium.

DOpo aver Noi largamente provveduto con diverſe Noſtre Coſtituzioni al buon ordine, ed Amminiſtrazione della Giuſtizia nelle Cauſe Civili: Era ben giuſto, e convenevole, che rivolgeſſimo gli occhi della noſtra Paterna providenza ſopra le Cauſe, e Proceſſure Criminali, quali intereſſano non le ſole ſoſtanze, ma la eſtimazione, la libertà, e non rade volte anche la vita degli Uomini. Sapendo pertanto li molti aggravj, che ſoffrivano, non meno gl'Inquiſiti di qualche delitto, che la noſtra Camera Apoſtolica, e le Comunità del Diſtretto di queſta noſtra Città di Roma, dalle frequenti ſpedizioni de' Commiſſarj, che ſi facevano dal Governo, e da altri Tribunali di eſſa Città, e ſpecialmente col prolungarſi più aſſai del neceſſario le medeſime Commiſſioni, come pure dall'eſſere per più meſi trattenuti a marcire in queſte Carceri, prima di eſſere traſmeſſi a Civita Vecchia, quei miſerabili, che ſono condannati alla pena della Galera: Ordinammo alla Congregazione dei Cardinali, e Prelati da Noi ſpecialmente deputata nella noſtra Coſtituzione, che incomincia, *Apoſtolici Ærarii*, ſopra le materie Economiche della Camera, e dello Stato, che cercaſſe, & ſuggeriſſe il modo più adequato, con cui reſtaſſe proveduto ſull'uno, e l'altro capo, non meno alla buona amminiſtrazione della Giuſtizia, che alla indennità del noſtro Erario: Lo che avendo la medecima Congregazione puntualmente, ed eſattamente adempiuto *fin dalli* 8. Novembre, e 6. Decembre dell'anno proſſimo paſſato 1746., con aver anche inteſi, è conſultati li Miniſtri principali de' ſuddetti Tribunali, ci contentammo per allora di notificare per mezzo della noſtra Segretaria di Stato al Reverendiſſimo Cardinale Vicario, a Monſignor Governatore di Roma, ed Monſignor Uditore generale della Camera, le riſoluzioni providamente preſe da eſſa Congregazione, con ordine di dare alle medeſime fin dal principio dell'anno, pronta, e puntuale eſecuzione. Oggi poi, che mediante la prova, ed eſperimento fattone in tutto queſto tempo di mezzo, abbiamo veduto, e riconoſciuto eſſere le medeſime Riſoluzioni del tutto corriſpondenti alla intenzione, e deſiderio Noſtro; Vogliamo, che le medeſime ſieno, e reſtino ſtabilite, e fiſſate in perpetuo.

Gravamina ob expeditionem Commiſſariorum.

Pontif. mandavit dictæ Congregationi, ut modum ſuppediteret, quo illa evitarentur.

Congregatio reſolutionem cœpit, illamque Pontifex obſervandam tradidit.

Et ob fructum compertum, illam in perpetuum decernere ſtatuit.

Che però di Noſtro Moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della Noſtra Suprema Podeſtà, inerendo alle ſuddette Riſoluzioni, come ſopra, preſe dalla detta noſtra Congregazione, e confermando, ed approvando gli ordini già dati per mezzo della noſtra Segretaria di Stato, ordiniamo in primo luogo, e commandiamo, che in avvenire per ſervizio del Tribunale del Governo di Roma vi ſia ſempre un numero certo, fiſſo, e determinato di Giudici, e Notarj, e non più con ſtipendj, ed emolumenti incerti, ma ciaſcuno col ſuo meſtruo ſalario, e proviſione fiſſa, e determinata, come in appreſſo, cioè; Nella Claſſe, e numero *de' Giudici*, due Luogotenenti: Il primo con il ſolito ſalario *di ſcudi cinquanta il meſe*, e colla mancia parimenti ſolita di altri *ſcudi cinquanta* l'anno per le Feſte del Santiſſimo Natale: E parimente il ſecondo con il ſolito ſalario di *ſcudi quaranta* il meſe, e colla ſolita mancia di altri ſcudi *cinquanta* ogni anno nella ſolennità ſuddetta. *Due Soſtituti Luogotenenti*, il primo con ſalario di *ſcudi trenta*, ed il ſecondo di *ſcudi venticinque* ogni meſe. *Quattro Soſtituti Fiſcali numerarj*, col ſalario di *ſcudi quindeci* il meſe per ciaſcheduno: *E ſei Soſtituti Fiſcali ſopranumerarj col ſalario* di meſtrui *ſcudi dieci* per ciaſcheduno, ſenz'altra mancia dentro l'anno. E perchè oggi ſi trovano al ſervizio del Governo altri due Soſtituti Sopranumerarj, vogliamo, che queſti, cioè che li due, che ſono gli ultimi in ordine di ammiſſione, poſſano, ſe vogliono, continuare il ſervizio di eſſo Governo per loro comodo, ed inſegnamento, ma però ſanza ſalario alcuno, e colla ſola mancia di *ſcudi dieci* l'anno nelle Feſte ſuddette di Natale, come hanno goduto finora. Subito poi che queſti due, o alcuno di loro, ſaranno proveduti di altro Impiego, o pure paſſeranno nel numero deli detti ſei ſopranumerarj ſalariati, non dovranno più ammetterſi altri in luogo loro; Volendo Noi, che il numero de' Giudici del Governo reſti ſempre fiſſato, e ſtabilito, colli Salarj, e Proviſioni ſuddette, in due Luogotenenti, due Soſtituti Luogotenenti, quattro Soſtituti Fiſcali numerarj, e ſei Soſtituti Fiſcali Sopranumerarj, e che oltre queſti non poſſa, ne debba ammetterſi verun'altro, ſotto qualunque nome, titolo, e preteſto, ancorchè proteſti, e dichiari da principio di voler ſervire ſenza mancia, ſalario, ed emolumento alcuno, per aver dimoſtrato l'eſperienza del paſſato, che queſti Sopranumerarj non ſalariati, per lo più giovani, ed ineſperti, altro non producono, che diſordine, e confuſione, e non potendo pretender Salario, ſi procacciano tuttavia con altre maniere poco giuſte il neceſſario loro mantenimento. Che ſe mai in avvenire contro queſto Noſtro divieto, e proibizione, ardiranno li detti Luogotenenti, o altri chiunque ſia, eziandio lo ſteſſo Governator di Roma pro tempore, ammettere alcuno ſopra il detto numero di dieci, vogliamo, che ſia tenuto a pagarli del proprio il Salario di ſcudi dieci il meſe, ſenza che poſſa mai ripeterlo dalla noſtra Camera.

Così pure *nella Claſſe de' Notari* del medemo Tribunale del Governo, vogliamo, & ordiniamo, che oltre il *Capo Notaro*, e ſuo *Soſtituto* primario, quale fà ancora le funzioni di *Segretario*, non ſi tenga in avvenire maggior numero di *dieci Notarj Soſtituti*, con il Salario meſtruo di *ſcudi dieci* per ciaſcheduno, oltre gli emolumenti, che provengono dalle licenze di portar Armi, quali dovranno fra di eſſi ripartirſi, come finora ſono ſtati ripartiti, a tenore del Chirografo ſegnato da Urbano VIII. Noſtro Predeceſſore li 29. Novembre 1640., a cui nelle parti non contrarie alla preſente Noſtra Cedola di Moto Proprio, vogliamo che ſi abbia

piena

piena relazione. E se il Capo Notaro, o altri chi che sia, ardirà ammettere alcuno sopra il suddetto numero di dieci, sia parimente tenuto a pagarli del proprio scudi quattordeci il mese senza eccezione alcuna, e senza poterli mai ripetere, nè direttamente, nè indirettamente dalla nostra Camera.

II. Illis injungit onus adimplendi Commissiones extra Urbem cum solo cibariorum lucro.

Correspettivamente a questi accrescimenti, e nuovi assegnamenti, quali facciamo ben volentieri alli Giudici, e Notarj del suddetto Tribunale del Governo di Roma, affinchè ciascuno di essi abbia un salario corrispondente all'Impiego, e fatica sua, e più non sia, come prima, costretto a procacciarsi il vitto e mantenimento dalle Commissioni Criminali: Vogliamo, ordiniamo, e commandiamo, che tanto li Giudici, che li Notarj suddetti, e ciascuno di essi, abbiano, ed abbia l'obbligo, e peso di andare in tutte le Commissioni, che saranno loro ordinate da Monsignor Governatore di Roma pro tempore, eziandio fuori del Distretto, tanto per cause proprie del Tribunale, quanto per cause, e per ordine della Congregazione della Nostra Consulta, senza che alcuno di essi Giudici, e Notarj possa per alcuna benchè laboriosa, e laboriosissima Commissione, domandare, e pretendere Viatici, Cavalcature, o altra veruna ricognizione, e pagamento, eccettuate le sole, e semplici Cibarie, per le quali assegniamo, e vogliamo, che si paghino dalla Nostra Camera alla Massa di tutti li suddetti Giudici, e Notarj del Governo uniti assieme, e per modo di corpo, e Collegio, la somma di scudi ottocento ottanta annui. Quali scudi 880. dovranno in primo luogo erogarsi, per la rata, che sarà necessaria, *nelle spese* dei Chirurghi, o altri Periti in occasione di riconoscere li corpi di delitto, e per ogni altra spesa eventuale, ed incerta, quale per qualunque causa, e ragione, e sotto qualunque nome, o titulo, occorrerà farsi in congiuntura di dette Commissioni. In secundo luogo dovranno erogarsi *per le Cibarie* di quelli Giudici, e Notarj, che anderanno effettivamente in Commissione fuori di Roma, da tassarsi un tanto il giorno dal suddeto Governatore pro tempore, ma però nella somma la più ristretta, che sia possibile, affinchè li detti Giadici, e Notarj per godere il vantaggio di dette Cibarie, o pure per stare assenti da Roma, ed in conseguenza dal peso delle loro ordinarie incombenze, non prolunghino più del bisogno, come finora più volte è accaduto, con grave danno della Camera, delle Comunità, e degl'Inquisiti, le medesime Commissioni. Ed in terzo luogo, se dopo le spese, e Cibarie suddette avanzarà qualche patte di detti scudi ottocento ottanta, dovrà l'avanzo ripartirsi ugualmente in fine di ogni anno tra li suddetti Giudici, dodici Sostituti, e dieci Notari salariati come sopra. E nondimeno, ad effetto, che li medesimi vengano sempre più animati a fare il loro dovere, vogliamo di più, & ordiniamo, che oltre li suddetti scudi ottocento ottanta da erogarsi, come sopra, si paghino ogni anno dalla Nostra Camera nelle mani detto Monsignor Governatore pro tempore altri scudi cento, ad effetto di rimunerare con essi ad arbitrio suo quelli, che averanno usato nel decorso dell'anno celerità, diligenza, ed attenzione maggiore nelle loro Commissioni.

Cibaria, & aliæ expensæ deduci debent ex certa summa a Camera persolvenda.

Quod superest inter ipsos dividatur.

Gubernator Urbis recipiat aliam summam pro remuneratione digniorũ.

De onere Inquisitorum solvendi expensas Commissionum.

Non intendiamo però con questo nostro nuovo provedimento di liberare, o esimere gl'Inquisiti dall'obbligo, che hanno, di pagare li viatici, secondo la dipositione di ragione, e delle Costituzioni, & ordinazioni de' nostri Predecessori; Ma dove prima dovevano pagarli alli Giudici, e Notarj, perchè non erano salariati, o non avevano salarj corrispondenti alle loro fatiche, vogliamo che in avvenire sieno tenuti pagarli alla nostra Camera Apostolica, in rimborso delli salarj, e somme suddette; E che a tal'effetto quei Giudici, e Notarj del suddetto nostro Tribunale del Governo, che andaranno in commissione, subito che gl'Indizj siano sufficienti per trasmettere l'Inquisizione, o pure la tortura, debbano, sotto pena della rimozione dall'Uffizio, e di essere tenuti del proprio, fare esatta, e diligente descrizione di tutti li Beni, tanto Mobili, che Stabili, dell'Inquisito, o Inquisiti, e quella alligare in Processo, e denunciare con intimazione giudiziale al Commissario generale della nostra Camera, o suo Sostituto Commissario, ad effetto che possa esiggere, e far esiggere i Viatici dagl'Inquisiti, dopo seguita la condanna. Con che li nostri Sudditi restaranno grandemente sollevati, perchè in questo modo non saranno più soggetti alla dispersione, e perdita de' loro Beni, prima che sieno trovati veramente colpevoli.

III. Emolumenta primi Notarii compensat.

E perchè il Capo Notaro del Governo con questo nuovo metodo viene a perdere la quarta parte degli utili, che ritraevano li Notarj suoi Sostituti, nell' andare in commissione: Perciò in compenso di detta quarta parte, assegniamo, e vogliamo, che si paghi dalla nostra Camera al medesimo Capo Notaro la somma fissa, e stabile di scudi *cinquecento* ogni anno, con che però il medesimo, per la mancanza di detti utili provenienti dalle Commissioni, non possa chiedere, o pretendere dall'Archiconfraternità della Carità alcuno sbasso, o defalco dell'annuo affitto convenuto colla medesima per detto Uffizio, e Notariato, ma anzi debba puntualmente osservare in tutto, & per tutto, ciò che hà promesso nell'Istromento di detto Affitto.

IV. In Tribunalibus Cameræ Apostolicæ, & Vicarii, Salaria Ministrorum non immutat.

Da questi provedimenti, che riguardano il Tribunale del Governo per le Commissioni Criminali, tanto proprie, quanto della Congregazione della Nostra Consulta, passando agli altri due, di Monsignor Uditore Generale della Nostra Camera, e del Reverendissimo Cardinale Vicario di Roma, e parimente inerendo alle Risoluzioni prese dalla detta Congregazione Economica, e confermando gli Ordini già dati in principio del corrente anno per mezzo della Nostra Segretaria di Stato, vogliamo, ordiniamo, e comandiamo, che restando fermi si per l'uno, che per l'altro Tribunale, li Giudici, Notarj, e Ministri, che al presente vi sono, colli Salarj, e provisioni, che attualmente gode ciascuno di essi, nelle Cause Criminali, nelle quali vi è l'Accusatore, o Aderente al Fisco, se questi chiederà in alcuno di detti due Tribunali, quando per altro sia competente, che si spedisca un Giudice Commissario fuori di Roma, potranno in tal caso da essi Tribunali spedirsi Giudici, Notarj, e Birri, purchè però l'Accusatore, o Aderente al Fisco, abbia preventivamente fatto il deposito delle spese, Cibarie, o Viatici, in somma congrua e conveniente, e per il di più, che quelle possino importare, dia, & abbia dato sicurtà idonea di pagare, e supplire l'intiero in fine della Commissione, con dichiarazione espressa da inferirsi, e registrarsi nel Processo della Causa, che non debba, ne possa l'Accusatore, o Aderente al Fisco ripetere dagli Accusati, o Inquisiti, li Viatici, che averà depositati, o pagati, se non dopo seguita la condanna.

Commissiones verò fiant expensis Partis Fisco adhærentis.

Quando poi non vi sia Accusatore, o Aderente al Fisco, o pure che questi non vogliano, o non possano depositare, ed obbligarsi in figurtà come sopra: Vogliamo, ed ordiniamo, che in questo caso, e casi, nè l'uno, nè l'altro di detti due Tribunali spediscano più da Roma nè Giudici, nè Notarj, nè Birri; Ma ciascuno di essi appoggi, ed incarichi delle Commissioni, che occorreranno, gli Ordinarj Ecclesiastici,

Si desit Pars Fisco adhærens, quid agendum.

o Vicarj generali, oppur anche altre Perſone a ſuo piacimento, coſtituite però in Dignità Eccleſiaſtica, di quelle iſteſſe Dioceſi, ove dovrà farſi il Proceſſo, con traſmetter loro, unitamente alla Commiſſione, quelle Iſtruzioni, che ſtimerà opportune, affinchè il Proceſſo ſi faccia nelle forme di ragione. E ſe mai avveniſſe qualche caſo particolare, in cui ſi ſtimaſſe neceſſario per la buona amminiſtrazione della Giuſtizia, o commettere il Proceſſo ad alcuno de' Veſcovi, o Ordinarj più vicini, o pur anche ſpedir da Roma Giudici, o Notarj; Vogliamo che in tal caſo ſe prenda da Noi, e da' noſtri Succeſſori Commiſſione ſpeciale ſegnata di noſtra propria mano, con il *Viſa* di Monſignor Uditore pro tempore Noſtro, e de noſtri Succeſſori, come Segretario di detta Congregazione Economica: Di modo che ſenza tal Commiſſione ſpeciale (in luogo della quale vogliamo, che non poſſa ſupplirſi, nè per via di ſemplice reſcritto, nè in altra qualunque forma) li Giudici, e Notarj, e Birri non poſſano pretendere nè Viatici, nè Cibarie, nè Cavalcature di ſorta alcuna, ed ogni ſpeſa o grande, o piccola, vada a danno, e carico di chi averà data la Commiſſione contro la diſpoſizione di queſto Noſtro Moto proprio: Monſignore Uditore poi, e Segretario pro tempore di detta Congregazione, prima di porre il *Viſa*, dovrà ſeriamente eſaminare, ſe ſia veramente neceſſario concedere la detta Commiſſione ſpeciale, e quando così creda, dovrà avvertire, che nella Commiſſione s'ingiunga eſpreſſamente al Commiſſario, e ſuo Notaro, il peſo di fare, e d'inſerire nel Proceſſo la deſcrizione de' Beni, tanto mobili, che ſtabili degl'Indiziati, o indiziandi; ſotto pena, che in mancanza di tal deſcrizione, nulla poſſano pretendere dalla noſtra Camera a titolo di Cibarie, o Cavalcature, o per altra qualunque cauſa, o preteſto.

V. De celeri Damnatorum ad Triremes expeditione.

Provveduto in tal guiſa alle Commiſſioni Criminali, reſta ora de provedere all' altro capo di pregiudizio, e danno, quale hanno finora ſofferto tanto li Condannati in pena della Galera, quanto anche la noſtra Camera, ed Erario, dall'eſſere li medeſimi Condannati, ſenz' alcun giuſto, e legitimo motivo, ma per ſola mancanza di pronto traſporto, trattenuti lungo tempo a marcire nelle Carceri di Roma: Onde anche in queſta parte inerendo alla riſoluzione preſa dalla prelodata Congregazione Economica, e confermando, ed approvando gli ordini già dati a Monſignor Governatore per la noſtra Segretaria di Stato: Vogliamo, ordiniamo, e comandiamo, che in avvenire il Bargello pro tempore di Roma ſia tenuto, ed obbligato condurre per terra a tutte ſue ſpeſe, tanto di Uomini, e loro Cavalcature, che di Carri, Cavalli, Cibarie, Stallatici, e finalmente ogni altra ſpeſa certa, o pure incerta, da Civita Caſtellana a Roma, e poi da Roma a Civita Vecchia (come in virtù degli Ordini ſuddetti ſi è già principiato pratticare con felice ſucceſſo) tutti coloro, che ſono, e ſaranno condannati alle Galere da qualſivoglia Giudice, e Tribunale, sì di Roma ſteſſa, che dello Stato Eccleſiaſtico mediato, & immediato, con dare a detti Condannati il ſolo ripoſo *di tre giorni* dopo giunti a Civita Caſtellana, *e di tre altri giorni* dopo giunti in Roma, purchè quivi non ſieno arreſtati con ordine in iſcritto di legitimo Superiore, quale abbia facoltà di arreſtarli; E che per tal' effetto l'Uffiziale chiamato Commiſſario dei Galeotti, ſotto pena irremiſſibile della perdita della Carica, ed altre eziandio corporali ad arbitrio, ſubito giunti in Roma li ſuddetti Condannati nelle Provincie, e reſpettivamente ſubito dopo publicata la ſentenza contro quelli, che ſono condannati in Roma, debba ſollecitarne la ſpedizione, e dentro li ſuddetti tre giorni di ripoſo, prendere, ed aver preſa la ſolita lettera da Monſignor Commiſſario prò tempore del Mare.

In compenſo poi, e correſpettività dell'obbligo, e peſo ſuddetto di condurre, e traſportare a tutte ſue ſpeſe, come ſopra: Vogliamo che ſi aſſegni, e ſi abbia per aſſegnata al medemo Bargello di Roma pro tempore, come Noi in virtù del preſente Noſtro Moto proprio aſſegniamo, ed abbiamo per aſſegnata l'annua, e ferma ſomma di ſcudi *Mille*, da pagarſeli la rata parte ogni meſe dalla Noſtra Camera, con mandati del Reverendiſſimo Cardinale Camerlengo; di maniera che il ſuddetto Bargello, atteſo queſto aſſegnamento, non poſſa pretendere, nè domandare a titolo di detto traſporto, e ſpeſe, che in qualunque modo biſognano, e biſogneranno per il medeſimo, altra ſomma, o ricognizione veruna. Intendiamo però, che la ſuddetta Condotta ſempre ſi faccia ſotto la direzione, ed ordine di Monſignor Governatore di Roma prò tempore, quale ſtrettamente, e caldamente incarichiamo di attendere, e vegliare con tutta diligenza, che li ſuddetti Condannati non ſieno ſtrapazzati nel viaggio, mà anzi trattati dal Bargello, ed Uomini ſuoi con tutta la maggior carità. Per la qual ragione vogliamo ancora, e dichiariamo, che il ſuddetto traſporto debba farſi, e continuarſi, ſenza rilaſſo, o ritardo, in tutto il decorſo dell' anno, eccettuati però *li tre meſi d'eſtate*, affinchè li ſuddetti miſerabili già condannati, e chi li conduce, o traſporta, non incorrano in pericolo della vita; o di grave malattia per la mutazione dell'aria.

Certum a num ſtipe dium ad hunc effec tum Bar cello conſ tuitur.

In ſequela, ed eſecuzione di queſto Noſtro Moto proprio, ordiniamo al Reverendiſſimo Cardinal Camerlengo, Monſignor Teſoriere generale, e loro Succeſſori, che faccino puntualmente pagare dalla Noſtra Camera per mezzo della Depoſitaria generale li Salarj, ed aſſegnamenti ſuddetti, e che all'incontro non permettano, che detta Noſtra Camera, nè per cauſa di detti traſporti da Civita Caſtellana a Roma, o da Roma a Civita Vecchia, nè per cauſa di dette Commiſſioni Criminali, che ſpediranno li più volte nominati Tribunali di Roma, ſia gravata di verun'altra benchè minima ſpeſa, eccettuate le ſole Commiſſioni ſpeciali, che ſaranno ſegnate di Noſtra propria mano, e de' Noſtri Succeſſori, per li due Tribunali del Reverendiſſimo Cardinal Vicario, e di Monſignor Uditore della Camera, nella forma, che ſi è detto di ſopra: Per il qual' effetto ordiniamo, ed ingiungiamo al Computiſta generale di eſſa Camera, che ſotto pena di eſſer tenuto del proprio, non paſſi in avvenire, e non ammetta alcun'Ordine, o Mandato de' Tribunali ſuddetti, o di altro chiunque ſia, ancorchè degno di ſpeciale, e ſpecialiſſima menzione, per conto di detti traſporti, e Commiſſioni, ſe non che nell'unico, e ſolo caſo di qualche Commiſſione ſpeciale ſegnata come ſopra; nel qual caſo vogliamo, che neppure debba ſpedire alcun Mandato di pagamento, ſe la nota, e liſta delle giornate impiegate dai Commiſſarj non ſarà ſtata prima approvata, e ſottoſcritta dal Luogotenente Criminale di quel Tribunale, che averà ottenuto la Commiſſione, non ſolo colla eſpreſſione di averla attentamente verificata col proceſſo originale, ma in oltre coll'altra, che in eſſo Proceſſo è ſtata fatta, ed inſerita la deſcrizione de' Beni degl'Inquiſiti, ſecondo la forma di queſto Noſtro Moto proprio, e non altrimenti.

Ærarium Cameræ à tra dictas penſas non gravetur.

Oltre li referiti provedimenti, quali fin quì abbiamo preſo, a conſiglio, e ſuggerimento di detta Congregazione particolare, eſſendo giunti

VI. Alios abuſus circa capturas, & pe-

quisitiones tollit.

a nostra notizia altri abusi, e disordini in passato occorsi, con strapazzo ed aggravio de' Nostri Sudditi, e tal volta ancora innocenti, o per essersi fatto lecito li Notarj, o altri Ufficiali, e Ministri inferiori de' suddetti, e forse anche di altri Tribunali di Roma; ad istigazione, o querela di una parte, ordinare la Cattura dell'altra, e similmente a loro arbitrio fare delle perquisizioni in Case civili, ed oneste, senza ordine, e saputa delli Capi di essi Tribunali, o dei loro Luogotenenti: Oppure per essersi lasciati lungo tempo marcire gl'Inquisiti nelle Carceri Segrete senza mai costituirli, ed esaminarli; E volendo Noi onninamente rimediare a somiglianti abusi, e che per calunnia de' Malvaggi non restino danneggiati gl'Innocenti; Perciò di simile Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Suprema Podestà ordiniamo in primo luogo, e commandiamo, che nelle Cause, nelle quali si procede criminalmente per denuncia, istigazione, o querela di una Parte, in qualunque sia Tribunale di Roma (niuno affatto eccettuato, ancorchè per li suoi particolari privilegj fosse degno di speciale, ed individua menzione) veruno de' Ministri, ed Uffiziali subalterni, e veruno de' Notari di esso Tribunale ardisca in avvenire ordinare la Cattura dell'altra Parte denunciata, o querelata, e molto meno alcuna perquisizione in Casa, o anche Magazzeno, o Bottega, senza ordine precedente, ed in scritto, da inserirsi nel Processo, firmato, e sottoscritto di propria mano, o dal Capo del Tribunale, o dal suo Luogotenente Criminale, sotto pena, in caso di contravenzione, della perdita dell'Uffizio, e di anni cinque di Galera, da potersi estendere anche alla Galera in vita, se vi saranno circostanze, che aggravino la detta contravenzione.

Strettamente poi incarichiamo l'onore, e la coscienza di detti Capi di Tribunali, e dei loro Luogotenenti Criminali, che non sottoscrivano, e non rilascino nelle Cause predette, a denuncia, istigazione, o querela di una Parte, verun'ordine di Cattura, o perquisizione contro l'altra, se non dopo essersi probabilmente assicurati, che la denuncia, ed istigazione non proceda da spirito di odio, malignità, e calunnia, come pur troppo spesse volte avviene, e che la querela sia a sufficienza verificata; Nè gli rincresca di adoprare in ciò da loro stessi le dovute diligenze, e di non stare alle semplici verbali relazioni de' Notari, o di detti Ministri: dovendo piuttosto considerare, che per obbligo di loro Uffizio, essi debbono del pari invigilare, che non restino impuniti li Rei, e che non sieno aggravati gl'Innocenti.

VII. De Examine inquisitorum infra triduum.

Per la medesima ragione vogliamo ancora, che rispetto agl'Inquisiti ristretti nelle Carceri segrete, si osservi onninamente la Riforma di Paolo V. Nostro Predecessore, nella quale si dispone, che debbano questi costituirsi, ed esaminarsi dentro il termine di trè giorni, dopo che sono stati ristretti in dette Carceri; E perchè in detta Riforma si eccettua il caso, nel quale concorra qualche causa speciale, per cui non convenga costituire l'Inquisito dentro il termine suddetto; E quindi è nato l'abuso di fargli tutti per lungo tempo marcire indistintamente nelle dette Segrette senza mai costituirli, ed esaminarli: Perciò vogliamo, e comandiamo, che al Giudice della Causa non sia lecito a piacere ed arbitrio suo differire l'esame e Costituto oltre i predetti tre giorni, sotto colore, e pretesto, che si tratti di caso, in cui convenga fare diversamente: Ma debba sopra di ciò ottenerne licenza, e permissione speciale, firmata e sottoscritta dal Capo del Tribunale, a cui privativamente ad ogni altro, ancorchè Luogotenente, Uditore, o altro Ministro principale, riserviamo la facoltà di dare detta licenza, quale però neppur vogliamo, che si dia per tempo indeterminato, ma solamente si dia per tempo determinato, ed il più ristretto, che sia possibile, ad effetto che non resti perciò ritardato il corso della Giustizia.

E siccome in questa parte abbiamo già Noi medesimi incaricato in voce Monsignor Governatore di Roma, e suoi Luogotenenti, l'Avvocato, e Procuratore de' Poveri, e li Deputati della Carità: Così colla presente Cedola di Nostro Moto proprio torniamo ad incaricare tanto il suddetto Monsignor Governatore di Roma, e suoi Luogotenenti, quanto li Capi, e Ministri di ciascun' altro Tribunale di Roma, e generalmente tutta la piena Visita, che veglino attentamente sopra la puntuale esecuzione di questa Nostra disposizione e volontà, nè si contentino del solo *formatur*, ò *continuatur Processus*; Ma costringano il Giudice della Causa a dire precisamente, se l'Inquisito è stato mai costituito, e quante volte; e quando non sia stato costituito dentro li primi tre giorni, ad esibire la suddetta licenza in iscritto. Specialmente poi ordiniamo all'Avvocato, e Procuratore de' Poveri, sotto pena della Nostra indignazione, ed alli suddetti Deputati della Carità per obbligo del loro pio, e lodevole Istituto, che quante volte nella Visita delle Segrete trovino alcun Carcerato, che senza la proroga, o licenza predetta data in iscritto dal Capo del Tribunale, non sia stato costituito, ed esaminato dentro i trè giorni, o, essendovi la proroga, dentro il termine prorogato; debbano tutti, e ciascun di loro rappresentarlo senza ritardo a Noi, e Nostri Successori, o almeno alli Nostri Uditori prò tempore, ad effetto di restarne prontamente intesi, e di prendere contro quelli, che averanno mancato, ulteriori provedimenti.

VIII. De confectione Processuum contra Contumaces, & hujus Motus proprii observantia.

Finalmente vogliamo, e comandiamo, che le Cause, e Processi contro i Contumaci sieno ancor'essi per quanto è possibile, sollecitati, e disbrigati; E perciò ordiniamo al Fiscale Generale di Roma, che almeno due volte il mese si faccia render conto dalli suoi Sostituti delle Cause, e Processi suddetti: E di più invigilare, che questo Nostro Moto proprio, subito che sarà dato alle stampe, resti per sempre affisso in luogo a tutti commodo, e visibile nella Cancellaria delle Carceri Nuove, e di Campidoglio, ed in ciascheduno degl'Uffizj Criminali di Roma; lasciando al Computista generale della Camera la cura, & peso di tenerlo similmente affisso nella sua Computistaria; per essere così mente, e volontà Nostra precisa; Volendo, e decretando, che la presente Nostra Cedola di Moto proprio, da ammetterfi, e registrarsi in piena Camera, e ne' suoi Libri, a tenore della Bolla di Pio IV. Predecessore Nostro *de registrandis*, e tutto ciò, che in essa abbiamo, come sopra, voluto, disposto, ed ordinato, vaglia, e debba aver sempre, ed in ogni futuro tempo il suo plenario effetto, esecuzione, e vigore colla nostra semplice sottoscrizzione, ancorchè non vi siano stati chiamati, citati, ne sentiti li Capi de' suddetti Tribunali, loro respettivi Luogotenenti, Giudici, Notarj, & Ministri, il Fiscale Generale, Monsignor Commissario Generale della Nostra Camera, e quali si siano altri, benchè degni di special menzione, che vi avessero, o pretendessero d'avervi interesse: Non ostanti le Costituzioni di Paolo II., Paolo IV, e del detto Pio IV. *de rebus Ecclesiæ, & Cameræ non alienandis*; la Regola della Nostra Cancellaria *de Jure quæsito non tollendo*, e quali si siano altre Costituzioni, ed Ordinazioni Apostoliche Nostre, e de' Nostri Predecessori, Leggi, Statuti, Stabilimenti, Riforme eziandio

delli ſteſſi Tribunali, uſi, ſtili, conſuetudini, ed ogni altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario; alle quali tutte, e ſingole, avendone il tenore qui per eſpreſſo, e di parola in parola inſerto, e ſupplendo Noi colla pienezza della Noſtra Suprema Podeſtà a qualunque vizio, e difetto quantunque ſoſtanziale, e formale, che nelle coſe premeſſe poteſſe intervenire, queſta volta ſola, ed all'effetto predetto, ſpecialmente, ed eſpreſſamente deroghiamo.

Dato dal Noſtro Palazzo Apoſtolico Quirinale queſto dì 30. Settembre 1747.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Pontifex confirmatitenrum ſchedulam inſertam, & exequi mandat.

*Ut igitur provida hujuſmodi mandata, atque præcepta in publicam omnium, ad quos pertinet, ſeu pertinebit in futurum, notitiam deducantur, & propenſiori hac voluntatis Noſtræ ſignificatione perennem, atque inviolabilem obſervantiam, & firmitatem obtineant; eadem Apoſtolicis hiſce Noſtris Literis inſerta, atque earundem tenore, ac ſimili Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine iterum confirmata, ac roborata, perpetuæ univerſorum memoriæ commendare voluimus: Mandantes præfatis Dilectis Filiis Noſtris S. R. E. Cardinalibus Vicario noſtro in Urbe, nec non ejuſdem S. R. E. Camerario, ac Dilectis pariter Filiis Gubernatori Urbis ipſius S. R. E. Vice Camerario, item Cauſarum Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Auditori Generali, ejuſdemque Cameræ Commiſſario, & Ratiocinatori generali, nec non Auditori Noſtro præfatis, eorumque in Officiis hujuſmodi ſucceſſoribus pro tempore futuris, ut omnia & ſingula a Nobis in præcitata ſchedula noſtri Motus proprii diſpoſita, atque ſtatuta, tam ipſi, in quantum eorum reſpectivè Officia concernunt, exactè obſervent, quàm etiam ab aliis ſibi ſubjectis, ad quos pertinet, ac pertinebit in poſterum, exactiſſimè impleri, & obſervari faciant, ſub pœnis ibi contentis.*

Decretum irritans.

*Ac decernentes, præinſertam Schedulam, nec non præſentes Noſtras Literas perpetuò validas, firmas, & efficaces eſſe, & fore, quibuſcumque juris, ſeu facti defectibus, qui adverſus illas, etiam quorumvis privilegiorum a Sede Apoſtolica conceſſorum prætextu, ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum exequutionem, quovis modo, ſeu quavis ex cauſa, opponi, ſeu objici poſſent, minimè refragantibus, ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, eaſque propterea, omnibus & ſingulis quomodolibet afferendis impedimentis penitùs & omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari debere; Ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogatio contrarii.

*Non obſtantibus omnibus his, quæ in ipſa præinſerta Schedula non obſtare voluimus, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Sanctio penalis.

*Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Noſtræ Confirmationis, mandati, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.*

Dat. Romæ Anno VII. die 16. Dicembris 1747.

*Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVII., decimo ſeptimo Kalendas Januarii, Pontificatus Noſtri Anno Octavo.*

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

I. C. Boſchi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 29. Decembris 1747.*

---

XLV.

Ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Ditionis temporalis Pontificiæ ſuper Bacchanalibus.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Duo graviores abuſus, qui in Bacchanalibus reprehenduntur.

Inter cætera bene multa, quæ Nos vehementer commovent, cum in hoc Noſtro Pontificiæ ditionis Statu Bacchanalia toleramus, duo præcipua ſunt, de quibus religioſiores quidam ejuſdem Ditionis Epiſcopi Nobiſcum aut verbis præſentes, aut abſentes epiſtolis conqueſti ſunt. Primum illud eſt, quòd vigiliæ, choreæ, ludi ultima Bacchanaliorum nocte celebrari ſoliti non ſemel uſque ad primum Quadrageſimæ diluculum producantur, ita ut multi ſint, qui ab hujuſmodi choreis, ludis, vigiliis diſcedentes, depoſita quidem larva, iiſdem verò induti veſtibus, quibus perſonati quaqua verſus proceſſerant, Eccleſiam ſubeant, Divinis Myſteriis interſint, Sacros Cineres de more accipiant; domum deinde redeuntes dormiant, plerunque totum mane primi Quadrageſimalis diei, nec dubitent Epiſcopum nimiæ ſeveritatis arguere, ſi palam queratur, ac tum maximè, ſi pœna velit aliqua in id criminis animadvertere. Nos illud deinde commovet, quod in aliquas Status Eccleſiaſtici Civitates aut irrepere videatur, aut paucis abhinc annis irrepſerit perverſa hæc conſuetudo, quæ mordicus conſervatur, ut Feſtis quoque diebus perſonari homines pervagentur;

I. Quod Choreæ &c. per noctem ad diem Cinerum protrahantur.

II. Quod in aliquibus Civitatibus diebus Feſtis homines perſonati incedant.

Agli Arciveſcovi e Veſcovi dello Stato temporale Pontificio ſopra il Carnevale.

XLV.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Due più gravi abuſi, che ſi commettono nel Carnevale.

Tra le molte coſe, che ci conturbano, quando ci conviene di tollerare nel noſtro Stato temporale il divertimento del Carnevale, due ſe ne ritrovano, ſopra le quali alcuni zelanti Veſcovi del predetto Stato ſi ſono lamentati con Noi, eſprimendo le loro giuſte querele o in voce, o in carta. Una è ſtata, ſuccedere per lo più, che tanto s'inoltrano le veglie, i balli, i giuochi nell'ultima notte di Carnevale, che s'intacca anche il principio del primo giorno di Quareſima; in tal maniera che accade alle volte il vedere, che dal ballo, dal giuoco, dalla veglia partendo le perſone, vanno, benchè ſenza maſchera, cogli abiti però, coi quali ſi ſono maſcherati, alla Chieſa a ſentire la Meſſa, e prender le Ceneri, portandoſi poſcia alle loro Caſe, dormendo ne' loro letti per lo meno tutta la mattina del primo dì di Quareſima; nè ſi laſcia di caricare il Veſcovo colla nota d'indiſcreto, ſe ſi lamenta, e molto più, ſe vuol punire l'eccesſo. La ſeconda, che in alcune Città dello Stato Eccleſiaſtico o ſi va introducendo, o ſi pretende di mantenere un abuſo pochi anni prima introdotto, che le perſone vadano maſcherate anche ne' giorni di Feſta, e che molto più nelle Feſte, che

I. Ch'i Balli &c. ſi prolunghino nella notte dopo entrato il dì delle Ceneri.

II. Ch'in alcune Città nei giorni feſtivi ſi mascherino.

Circulatores autem, & id generis blaterones majori spectatorum frequentia diebus Festis, quàm ferialibus populum ludifaciant; iisdem demum diebus saltationes, & choreæ publicè, ac per summam licentiam celebrentur.

Patet hujus abusus deformitas.

Primi ut abusus perversitas ostendatur, nulla prorsus argumentatione opus est, cum sola illius commemoratio tanti momenti sit, ut ab eo cujusquam debeat animus abhorrere. Et quoniam illorum, qui criminis partes, ac vitii sustinent, hoc solet propugnaculum esse maximum, complures nempe Episcopos extitisse sanctitate clarissimos, qui hæc cum cernerent, tacuerunt. Nos facti ejusmodi, quod perperam plerumque asseritur, nec evincitur, non inquirimus veritatem, & argumenti loco esse ducimus responsionem celeberrimæ cujusdam Catholicæ Universitatis, quæ rogata sententiam de quodam Festo scandali pleno, quod vulgò *fatuorum* appellabatur, quodque aliquibus in Diœcesibus sustinebatur, utpote multis ab Episcopis toleratum, non solùm illud censuris damnandum censuit, sed objectum etiam argumentum refellens, hæc prudenter addidit: *Nolite subdolas hominum voces audire sic dicentium: Prædecessores Nostri, qui erant notabiles viri reputati, istud permiserunt; sufficit nobis vivere ut ipsi: Procul dubio istud argumentum diabolicum est, infernalis hæc persuasio, vos illorum exitum ignoratis, an bonus, vel malus fuerit.*

Responsio ad patientiam usque nunc habitam.

Hujus Universitatis censuram refert *per extensum*, ut dicitur, Joannes Savaronius in appendice operum Petri Blesensis *pag.* 782., & in tractatu Gallico idiomate contra larvas conscripto *pag.* 32. *& seq.* Quamobrem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, omni cura mandamus, ut in Diœcesibus, ubi hujusmodi scandalum aut jampridem invaluit, aut eidem aditus aperitur, nullam operam, nullumque studium prætermittatis, ut hæc morum perversitas ubi deest, perpetuò desit, ubi autem invaluit, penitùs extirpetur, ac funditùs evellatur, illiusque auctores, defensoresque nulla rerum humanarum ratione habita acerrimè puniantur. Neque enim omninò decet hoc modo Quadragesimam inchoare, uti exclamat Sanctus Basilius *Homil.* 2. *de jejunio* Paris. edit. *an.* 1722. *tom.* 2. *pag.* 13. *Quorum autem primitiæ rejiciuntur, haud dubium, quin in his totum quoque sit rejiciendum. Et pag.* 15. *Hodiernus dies vestibulum est jejunii; neque verò, qui in vestibulis prophanatur, dignus est, qui ad Sancta introeat.* Nimis enim honori Ecclesiæ debito, Sacroque Ritui suscipiendorum Cinerum nimis adversantur ii, qui tametsi absque larva, vestibus tamen Personatorum propriis domum Dei ingrediuntur, ad Altare accedunt, ut Sacris Cineribus a Sacerdote adspersi de seria mortis cogitatione admoneantur.

Injungitur Episcopis, ut vitium evellatur.

Nec toleretur Choreas &c. mediam noctem ante diem Cinerum excedere.

Ad illud interea, quod est secundo loco propositum, accedentes; fatemur, minime Nobis statutum animo esse, aut in Bacchanalia invehi, aut de eorumdem impudentia dissertationem historicam instituere. Quod facere si velimus, profectò haud incommodè possemus, exscribentes nimirum ea, quæ in hanc rem S. Carolus Borromæus egregie composuit in suo Libro Memoriali edito in septima parte Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, ea scilicet tempestate, cum illa Civitas a peste importunissima liberata fuit, & Pastor optimus populum studiosè sapienterque hortatus est, ut in publicum grati animi monumentum, Bacchanaliorum consuetudinem abrogaret. Huic quoque epistolæ adjungi possent, quæ Monachus de l'Isle in suo recenti tractatu *de jejunio lib. VI. cap.* 6. satis eruditè scripsit, ubi de Ethnicorum Bacchanalibus disserens, ostendit, quantum nostrorum hæc

Ad II. licèt Pontif. usum Baccanalium absolute prohibere non intendat.

ne' giorni feriali, i Saltimbanchi, i Ciarlatani, ed altra simile razza di persone facciano nelle piazze le loro faccende con gran concorso di popolo, e che finalmente negli stessi giorni di Festa siano più frequenti i balli per le strade, che ne' giorni feriali.

E cutente la deformità di quest'abuso.

Quanto alla prima cosa, non vi è assolutamente bisogno di farvi sopra gran raziocinio; bastando averla riferita, acciò ognuno ne concepisca orrore. E perchè l'ordinaria difesa di chi sostiene le parti del vizio e dell'eccesso, suole consistere nel dire, che tanti altri Vescovi predecessori, che erano uomini dabbene, l'hanno saputo, e non ne hanno parlato; lasciando da parte la verità del fatto, che per lo più si asserisce, e non si prova; dovrà bastare a ciascheduno la risposta d'una delle celebri Cattoliche Università, che interrogata a dare il suo parere sopra una certa Festa scandalosa, che dicevasi la Festa de' Pazzi, introdotta in alcune Diocesi, e sostenuta coll'esempio, ch'era stata tollerata da tanti Vescovi predecessori, non solo profferì censura condennatoria d'essa, ma rispondendo alla esposta opposizione, così soggiunse: *Nolite subdolas hominum voces audire sic dicentium, Prædecessores Nostri, qui erant notabiles viri reputati, istud permiserunt: sufficit nobis vivere ut ipsi; procul dubio istud argumentum diabolicum est, infernalis hæc persuasio, vos illorum exitum ignoratis, an bonus, vel malus fuerit.*

Risposta alla toleranza avuta.

La censura di questa Università è portata *per extensum*, come suol dirsi, nell'Appendice delle Opere di Pietro Blesense *alla pag.* 782. e nel Trattato scritto in lingua Francese da Giovanni Savaron contro le Maschere *alla pag.* 32. *e segg.* E però inculchiamo con tutto lo spirito a ciascheduno di Voi, o Venerabili Fratelli, nelle Diocesi de' quali o si tenta d'introdurre, o è vigente l'eccesso, il non isparagnare veruna parte del vostro zelo, acciò non s'introduca, ove non è introdotto, ed introdotto, si sradichi, castigando severamente, e senza rispetto umano, gl'inventori, o mantenitori dello stesso: non essendo questo il modo d'incominciare la Quaresima, come esclama S. Basilio *nell'Omel.* 2. *de Jejunio* della stampa di Parigi *del* 1722. *tom.* 2. *pag.* 13. *Quorum autem primitiæ rejiciuntur, haud dubium, quin in his totum quoque sit rejiciendum*: ed alla *pag.* 15. *Hodiernus dies vestibulum est jejunii. Neque verò, qui in vestibulis prophanatur, dignus est, qui ad Sancta introeat*: ed essendo troppo contrario al rispetto che si deve alle Chiese, ed alla Sagra Funzione di prender le Ceneri, l'entrare nelle Case di Dio cogli abiti da maschera, benchè senza maschera, ed accostarsi al Sagro Altare nello stesso modo, per ricevere dalle mani del Sacerdote la sagra polvere, coll'intimazione di dover pensare a morire.

Si inculca ai Vescovi di estirpare il vizio.

Nè si tolerì, che li Balli &c. passino la mezza notte del dì delle Ceneri.

Passando poscia alla seconda delle predette cose di sopra esposte, Noi qui non intendiamo d'esclamare o di predicare contra il Carnevale, o di fare contra di esso qualche istorica Dissertazione. Se lo volessimo, lo potressimo fare facilmente, trascrivendo quanto in questo proposito fu santamente composto da S. Carlo Borromeo nel suo Libro Memoriale stampato nella Parte settima degli Atti della Chiesa di Milano, allora che in ringraziamento d'essere stata liberata la detta Città dalla peste, con zelo e con dottrina esortò il popolo a non far più Carnevale; ed inserendo in questa nostra Lettera, quanto fu eruditamente radunato dal Monaco de l'Isle nel suo nuovo Trattato del Digiuno *al lib.* 6. *cap.* 6. ove trattando de' Baccanali de' Pagani, dimostra, quanto i disordini del nostro Carnevale sono contrarj alle massime del Cristianesimo. Ci contenteremo di dire, per-

Al II. bench' il Pontefice non intenda assolutamente proibire tal uso.

Rileva però ch'è ciò di

Declarat tamen id ab Ecclesia ægrè tolerari.

Bacchanaliorum importunitas Sanctissimis Christianorum moribus adversetur. Verumtamen satis Nobis erit exponere, ea, quamvis ægrè, ab Ecclesia tolerari, ut omnis aditus malis longè gravioribus intercludatur, quemadmodum post solidam, doctamque argumentationem, concludit celebris piusque Theologus Thomas Stapletonus in sua Oratione octava contra Bacchanalia *tom. 2. suorum Operum pag. 556.*; Maximum verò discrimen intercedere inter ea, quæ præcipiuntur, & ea, quæ permittuntur: *Aliud est, quod docemus, aliud quod sustinemus, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.* Verba sunt Sancti Augustini *lib. XX. contra Faustum cap. 21.* Unde constat, in rebus utcumque ab Ecclesia toleratis, nullum amplificationi, nullum arbitrio esse locum.

Mandat itaque ne diebus Festis, & Feria sexta homines personati incedant.

Sapientissimè in hac Urbe a Nostris Prædecessoribus sancitum esse comperimus, ut quamvis perpauci dies Bacchanaliorum licentiæ concedantur, tamen diebus Festis, ac sexta feria nemini omnino liceat larvam sumere, ac publicè debacchari. Idem prorsus in reliquo Nostro Statu observari jubemus, & voluntatis Nostræ Cardinales Provinciarum Legatos, Præsules, Locorumque Gubernatores certiores facere non prætermittemus; id etiam enixe cupimus, nullum Ecclesiæ diem Festum Circulatorum levitate, ac licentia perturbari; illa enim Isaiæ verba semper Nobis ante oculos obversantur *Cap. 1. Kalendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens*: Et illa Malachiæ *cap. 2, Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Sed quoniam ab hominibus, quæ expetuntur, illicò impetrari haud facilè possunt, etiamsi justa sint, ideo significamus mentem hanc esse Nostram, idque pro regula habendum, ut in Urbium, Oppidorumque plateis, vel quibuscumque in locis, nec mane, nec vespere diei Festi Circulatores adsint. Quod si hujusmodi abusus alicubi tolerari consuevit, nunquam matutino tempore permittatur; horis quoque pomeridianis, quantum fieri potest, removeatur; At si id sine gravi aliquo incommodo integre fieri nequeat, nunquam supradicta, aut id generis solatia tolerentur, nisi post expleta Vespertina Officia, & Doctrinam Christianam: de qua quidem re nostrum erit, Cardinales Legatos, & Urbium Gubernatores etiam, atque etiam pmonere.

Quid agendum circa tolerantiam Circulatorum diebus Festis.

In tali rerum statu hanc plane rationem ineundam sibi judicavit Sanctus Carolus Borromæus in suo primo Concilio Provinciali *par. 1. Tit. De Festorum dierum cultu*, cujus Decretis addenda sunt ea, quæ ab eodem Pastore in Concilio III. Provinciali sub eodem Titulo statuta sunt. Hoc item Clemens XI. fel. record. inculcavit duabus Literis ad plurimos eodem exemplo datis, altera scilicet die 11. Januarii 1719., altera 4. Januarii 1721., Ac dum S. Caroli Borromæi vestigiis, quibus institit clarissimus Prædecessor Noster, Nos libenter inhærere fatemur, illud monitos omnes volumus, quod cum res desuper enarratas vetamus, interdicto non liberamus cætera omnia, quæ Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Conciliis aut Provincialibus, aut Diœcesanis, quoad Bacchanaliorum solatia, prohibentur, & præcipuè quoad Ecclesiasticos viros, nunquam enim oculos a Concilio Tridentino deflectimus, quod *sess. 22. cap. 1.* postquam Sacrorum Canonum mentionem fecit, qui Ecclesiasticis luxum, convivia, choreas, aleas severè prohibent, sic Episcopos alloquitur: *Si qua verò ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque; ne subditorum neglectæ*

Pontificis mens de reliquis ad hanc materiam spectantibus.

Abbiamo ritrovato in questa nostra Città di Roma piantato da' nostri degni Predecessori un sistema, che, non ostante il breve tempo prefisso al Carnevale, non si facciano in verun modo le maschere ne' giorni di Festa, e nel giorno di Venerdì. Lo stesso vogliamo, che si pratichi nel rimanente del nostro Stato: nè lascieremo di far palese questa nostra determinazione ai Cardinali Legati delle Provincie, ed ai Prelati e Governatori locali. Sarebbe pure nostro desiderio, che ne' giorni di Festa non vi fossero nelle Piazze Ciarlatani e Saltimbanchi; avendo sempre avanti gli occhi le parole del Profeta Isaia *al cap. 1. Kalendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: Facta sunt mihi molesta: laboravi sustinens:* e le altre del Profeta Malacchia *al cap. 2. Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Ma perchè non si può sempre ottenere in un subito dagli uomini quello che si vorrebbe, e che sarebbe giusto che si ottenesse, notifichiamo, non volersi da Noi ne' giorni di Festa Ciarlatani o Saltimbanchi nelle piazze, nè in altri luoghi delle Città e Castella, nè nella mattina, nè nel dopo pranzo: Che se in qualche Città, o luogo ritrovasi qualche cattivo abuso di tollerarsi anche nelle Feste, ciò mai si permetta la mattina; si procuri ancora, che non vi siano nel dopo pranzo; e non potendosi ciò ottenere senza grave disturbo, non si permetta però mai, che i predetti, o simili divertimenti si facciano, se non dopo l'ore del Vespro, e della Dottrina Cristiana, sopra di che non lascieremo di dare gli ordini opportuni ai Cardinali Legati, ed ai Governatori.

Questo è nel predetto stato delle cose il sistema di S. Carlo Borromeo nel suo primo Concilio Provinciale *alla par. 1. tit. de Festorum dierum cultu*, unendolo con quanto da esso fu disposto nel terzo Concilio Provinciale nello stesso titolo: e questo pure è quello, che la santa memoria di Clemente XI. inculcò in due sue Lettere Circolari, l'una *degli 11. di Gennajo 1719.* l'altra *dei 4. di Gennajo 1721.* E nello stesso tempo in cui ci protestiamo di ben volentieri battere le pedate impresse da S. Carlo, e contrassegnate dal predetto nostro degno Predecessore, ci protestiamo altresì, che dall'avere Noi fin ora parlato della proibizione d'alcune cose, non abbiamo inteso, nè intendiamo di levare la proibizione di tante altre, che sono ne' Canoni, nelle Apostoliche Costituzioni, e ne' Concilj o Provinciali, o Diocesani, in ordine ai divertimenti carnevaleschi, e particolarmente rispetto alle persone Ecclesiastiche; avendo avanti gli occhi la disposizione del Concilio di Trento, che *nella Sess. 22. al cap. 1.* dopo avere parlato delle Canoniche disposizioni, che proibiscono agli Ecclesiastici il lusso, i conviti, le danze, i giuochi di carte, così parla coi Vescovi: *Si qua verò ex his in desuetudinem abiisse comperierint, ea quamprimum in usum revocari, & ab*

emen- omnibus

*emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant.*

Alias evulsa fuit mala consuetudo Christianorum die primo Januarii.

Cuilibet in Ecclesiastica disciplina paulum versato facilè compertum erit, quasdam Ethnicorum veteres fuisse superstitiones, quæ Kal. Januarii in honorem Jani, & Deæ Streniæ instituebantur, quibus aliquando Christiani intererant, crapulæ, ludisque dediti, ac mulieres virorum, viri mulierum personas induebant: Nec Sanctos Patres in suis sermonibus, nec in suis Conciliis Ecclesia in tam pravum morem invehi prætermisit, quin etiam pœnas reis gravissimas indixit. De qua quidem re jam disseruimus in nostro opere de Festis Domini, cum de Circumcisione Christi Domini ageremus.

Già fù estirpato il mal uso dei Cristiani nel primo dì di Gennajo.

Ciascheduno mediocremente versato nell'Ecclesiastica disciplina, sarà facilmente informato, che v'erano alcune antiche infami superstizioni de' Gentili, che nel primo giorno di Gennajo si facevano in onore di Giano, e della Dea Strena, nelle quali tal volta si andavano meschiando i Cristiani, frequentando la crapula, e il giuoco, e mascherandosi gli uomini da donne, e le donne da uomini: nè lasciarono i Santi Padri ne' loro Sermoni, ed anche i Concilj della Chiesa, d'inveire contra quest'intolerabile abuso, e di stabilire rispettivamente gravi pene contra i trasgressori, del che da Noi si è diffusamente ragionato nella nostra Opera delle Feste del Signore, quando trattammo di quella della Circoncisione di Gesù Cristo nostro Redentore.

Huic successit alter relaxatè vivendi tribus hebdomadis ante Quadragesimam.

Praviss imâ hac consuetudine funditùs extirpatâ, altera enata est, spectans videlicet ad quasdam publicas relaxationes, quæ plerumque hebdomadis septuagesimæ, sexagesimæ, & quinquagesimæ celebrantur, in quibus Ecclesia præcipua Redemptionis nostræ mysteria meditanda nobis proponit, nos ut efficiat ad quadragesimalis temporis severitatem alacriores, quod & a Nobis fuit demonstratum in *Notificatione XIV. Tom. I.* inter eas, quas edidimus, cum Bononiæ moraremur illius Ecclesiæ moderatores. Ea verò consuetudo est Bacchanalium fœditas, & corruptela, quam sic describit claræ memoriæ Episcopus Gratianus in sua Synodo Ameriæ habita 1595. *pag.* 50. *Hinc factum (adeo Nos prava pervertit consuetudo) ut septuagesimam inter & quadragesimam interjecti dies, quos S. Mater Ecclesia magno mysterio veluti lugubres, funebresque habet, prævalens lasciviæ risus, hilaritatis amor, non in lætitiam solùm inconditumque gaudium verterit, sed penè communi cuidam insaniæ dedicarit, eoque provecta licentia sit, ut ipsas quoque leges, ipsos Magistratus traxerit, & quod ne privato quidem cuiquam ulla bene morata Civitas concederet, id penitùs jam publica auctoritate nitatur, & populi veluti obliti nominis, quo feruntur, in ipsos profanarum gentium ritus moresque degenerarunt.* Quamobrem illustris Gisslenius Busbequius, qui medio sæculo XVI. Ferdinandi I. Imperatoris ad Solimanum II. Orator fuit, scriptum reliquit, Turcarum Legatum postquàm Bacchanaliorum tempore in quadam Christianorum regione moratus esset, Constantinopolim reversum retulisse, certo anni tempore Christianos sui impotes insanire; tum cujusdam pulveris arcana vi, quo eorum capita conspergebantur, redire ad bonam mentem, ac resipiscere consuevisse: *Ut non frustra creditum sit hominem Turcam, qui eo tempore ad nos publici negotii causa Legatus venisset, domum reversum, retulisse, Christianos certis diebus bacchari, & furere, donec genere quodam cineris in Templo respersi redirent ad se, & convalescerent.*

Al quale è succeduto l'altro di usare delle rilassatezze nelle tre settimane avanti la Quaresima.

Schiantata questa prava usanza, se n'è pur troppo introdotta un'altra, che è quella di certe pubbliche rilassazioni nelle settimane per lo più di Settuagesima, Sessagesima, e Quinquagesima, nelle quali la Santa Chiesa ci rappresenta i principali Misterj della nostra Redenzione, per disporci alla penitenza nel tempo di Quaresima; come pure da Noi fu dimostrato nella nostra Notificazione decima quarta *al tom.* 1. fra quelle che publicammo, quando eravamo in Bologna governando quella Chiesa: e questo per appunto è il Carnevale, che così viene descritto da un rinomato Vescovo Monsignor Graziani nel suo Sinodo di Amelia, tenuto *l'anno* 1595. *alla pag.* 150. *Hinc factum (adeò nos prava pervertit consuetudo) ut Septuagesimam inter & Quadragesimam interjecti dies, quos Sancta Mater Ecclesia magno mysterio veluti lugubres funebresque habet, prævalens lasciviæ risus, hilaritatis amor, non in latitiam solùm, inconditumque gaudium verterit, sed penè communi cuidam insaniæ dedicarit, eòque provecta licentia sit, ut ipsas quoque leges, ipsos Magistratus traxerit, & quod ne privato quidem cuiquam ulla benè morata Civitas concederet, id penitùs jam publicâ auctoritate nitatur, & populi veluti obliti nominis, quo feruntur, in ipsos profanarum gentium ritus moresque degenerarunt:* per lo che il celebre Ghislen Busebec, che fu Ambasciadore verso la metà del secolo decimo sesto dell'Imperadore Ferdinando I. a Solimano II. lasciò scritto, che essendo stato un'Ambasciadore Turco in un Paese Cristiano in tempo del Carnevale, ritornato in Turchia riferì, che in certo tempo dell'anno, che è quello del Carnevale, i Cristiani impazzivano, ed in virtù d'una certa polvere, che si metteva sopra la loro testa, ritornavano in se: *Ut non frustra creditum sit, hominem Turcam, qui eo tempore ad nos publici negotii causâ Legatus venisset, reversum domum, retulisse, Christianos certis diebus bacchari & furere, donec genere quodam cineris in Templo respersi, redirent ad se, & convalescerent.*

Ecclesia huic abusui semper se opposuit.

Nec huic morum perversitati Ecclesia ut potuit non opportunè consuluit, & semper precibus operibusque piis exixè Dei præsidium imploravit, ut pœnas impiis debitas differret, & omnipotenti auxilio suo huic malo remedia præberet: atque inter cætera pietatis opera ad hunc finem directa, illud fuit, ut quædam Religiosorum familiæ a carnibus abstinere, & lacticiniis solummodo vesci consueverint a die Dominica aut Septuagesimæ, aut Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, usque ad diem Cinerum, ideoque Bacchanalia *Carnis privium*, nuncupantur, & in Missa Mozaraba Dominica Sexagesimæ *Domina ad tollendas carnes* appellatur.

La Chiesa a questo abuso sempre si è opposta.

Non è stata neghittosa la Chiesa nell'opporsi, per quanto ha potuto, a questo pubblico disordine; ed è sempre ricorsa alle orazioni, ed alle opere di pietà, pregando Dio a sospendere i flagelli contra i peccatori, ed a somministrare col suo potente ajuto il modo di riparare ad un sì gran male; e fra le altre divozioni indirizzate a questo fine, vi fu quella intrapresa da alcune Religiose Famiglie, d'astenersi dal mangiar carne, e cibarsi di soli latticinj o dalla Domenica di Settuagesima, o da quella di Sessagesima, o da quella di Quinquagesima, sino al giorno delle Ceneri; per lo che il Carnevale vien chiamato *Carnis privium*, e nella Messa Mozaraba la Domenica di Sessagesima si dice *Dominica ad tollendas carnes.*

Contrariam agendi rationem suadendo.

Alia quoque Religionis opera, furente bacchanalium insania, a Sanctis viris egregiè sunt instituta, inter quæ publica, & solemnis illa est con-

Insinuando prattiche contrarie.

Altre divozioni sono state introdotte nel tempo del Carnevale per lo stesso effetto da uomini dabbene, ed oltre tante altre, fra le quali solenne

Devotas occupationes instituendo.

È con istituire divoti trattenimenti.

suetudo, cujus auctor S. Philippus Nerius extitit, septem scilicet hujus Urbis Ecclesias invisendi, cujus instituti meminit Baccius in ejus vita. Nostri autem Prædecessores, ut in his diebus fidelium animos ad Sacramenta suscipienda inflammarent, plurimas Indulgentias impertiverunt: *Nupero, sed saluberrimo invento, Pontifices summi, depromptis de Thesauro Ecclesiæ largitionibus, fideles ad incensam pietatem per Sacramentorum participationem in diebus illis* (de baccanalibus loquitur) *frequentandam excitarunt, & ut se dant initia, spes est Diabolum inde extrusum adigendum fore ad captandas alias sordes*: Verba sunt hæc Theophili Raynaudi *tom. XVI. Oper. suor. pag. 412. num. 41.*

Et Indulgentias concedendo.

Vestrum est igitur, Venerabiles Fratres, hanc viam tenere, & ad hanc suscipiendam vestro exemplo cæteris incitamento esse. Præsertim verò Divinis Officiis Baccanaliorum tempore quotidiè vos interesse cupimus, Sacrosanctum Missæ Sacrificium coram Populo celebrare, Ecclesias, & Xenodochia invisere, & Ecclesiasticos homines, laicosque vobiscum ad id muneris invitare: hujusmodi enim comitatus, & sanctus erit, maximeque laudabilis.

Exhortatio Pontificis ad Episcopos ad exercenda publica pia opera.

Curandum præterea a Vobis est, ut in una, aut in pluribus Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum per triduum publico cultui exponatur, & quotidiè populo ad Vesperam benedicatur, in Septuagesimæ, aut Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ hebdomadis, aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus, hac nostra epistola circulari, plenariam Indulgentiam concedimus, quæ a vobis solitis formulis promulgabitur, quæque cum *ad opus pium* directa sit, non impeditur alia plenaria Indulgentia, quam Ecclesia, ubi Eucharistia exponitur, aliis de causis habere possit; plenam, inquam, culparum veniam impertimus quibuslibet Christifidelibus, qui pœnitentia, & Sacra Synaxi ritè muniti, singulis diebus Augustissimum Christi Corpus visitarint, Deum orantes juxta Ecclesiæ mentem, quam desuper exposuimus.

Quodque per triduum Sanctissimum Sacramentum in Ecclesiis exponatur.

Et concedit Indulgentiam plenariam.

Apostolicum hoc Nostrum munus exigebat, ut vobis hanc Epistolam conscriberemus. Vestrum exemplum, qui Nobis propinquiores estis, longinquiores impellet, ut ad Nos recurrant; qui sanè eos omni, qua possumus, ope jurabimus, easdemque Indulgentias ipsis, eorumque Diœcesibus, concedere non gravabimur. Et demum Vos ex animo amplectentes, & Vobis singulis, Venerabiles Fratres, & Gregi Vobis commisso, Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Kal. Jan. MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. Pontif. anno VIII. die 1. Januarii 1748.

e pubblica è quella introdotta da S. Filippo Neri in questa Città di Roma della visita delle sette Chiese, della qual cosa parla il Bacci nella di lui vita, i Nostri Predecessori, per accendere in questi giorni i Fedeli alla frequenza de' Sagramenti, hanno fatta distribuzione del Tesoro delle sante Indulgenze: *Nupero, sed saluberrimo invento Pontifices summi, depromptis de Thesauro Ecclesiæ largitionibus, Fideles ad incensam pietatem per Sacramentorum participationem in diebus illis*, parlasi di quelli del Carnevale, *frequentandam excitarunt, &, ut se dant initia, spes est, diabolum inde extrusum adigendum fore ad captandas alias sordes*: sono parole di Teofilo Raynaudo *al tom. 16. delle sue Opere pag. 412. num. 41.*

E col concedere Indulgenze.

Battasi dunque, o Venerabili Fratelli, da Voi questa strada, e col vostro esempio s'invitino gli altri a fare lo stesso. Non si tralascino, particolarmente in questi giorni di Carnevale, da Voi l'interessenza ai Divini Offizj, la celebrazione in pubblico della Messa, la visita delle Chiese, e quella degli Spedali, e fato invito degli Ecclesiastici, ed anche di Laici timorati di Dio; che questo è corteggio buono, ed approvato. Si procuri, che in una, o più Chiese si esponga per un triduo il Venerabile, dando ogni sera la Benedizione, o dentro la Settimana di Settuagesima, o in quella di Sessagesima, o in quella di Quinquagesima, o in tutte e tre; concedendo Noi con questa Nostra presente Lettera Circolare una Plenaria Indulgenza, che dovrà pubblicarsi da Voi nelle solite forme, e che essendo diretta *ad opus pium*, non resta impedita da altra Indulgenza Plenaria, che per altri titoli avesse la Chiese, in cui si espone il Venerabile, a chiunque confessato, e communicato visiterà in ciascheduno giorno dei detti tridui il Santissimo Sagramento, come sopra, esposto, pregando di vivo cuore Sua Divina Maestà secondo l'intenzione di Santa Chiesa, che è quella di sopra esposta.

Ortatorio del Pontefice ai Vescovi perche eccitino publicamente a pere pie.

E che si pongano per giorni nel Chiesa tissimo.

Per il quale motivo concede l'Indulgenza plenaria.

Il nostro Apostolico ministero esiggeva, che vi scrivessimo questa Lettera. L'esempio vostro, che siete tanto vicini a Noi, moverà i più lontani a far ricorso a Noi medesimi; e Noi non mancheremo di porgere a ciascheduno Ricorrente ogni nostro ajuto, estendendo anche a prò d'esso, e della sua Diocesi, le Indulgenze a Voi concedute. Ed in fine con pienezza di cuore abbracciandovi, diamo a ciascheduno di Voi, o Venerabili Fratelli, ed al Gregge a ciascheduno di Voi commesso, l'Apostolica Benedizione.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 1. Jan. MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. nell' An. VIII. di Pont. il dì Gennajo 1748.

---

XLVI.

Super Operibus Venerabili Sorori MARIÆ A JESU DE AGREDA attributis sub titulo: *Mystica Civitas Dei, & Miraculum Divinæ Omnipotentiæ.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecto Filio Fr. Raphaeli a Lugagnano Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum.*

*Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Pontifici nomine Regum Catholici, & Neapolis postulatur, ut ad examen Operum Servæ Dei procederetur.

POSTULATUM studiosissimè apud Nos fuit a bonæ memoriæ Trojano Presbytero S. R. E. Cardinali de Aquaviva nuncupato, tum nomine Carissimorum in Christo Filiorum Nostrorum Hispaniarum Catholici, & utriusque Siciliæ Regum Illustrium, quorum negotiis apud Nos, & Apostolicam Sedem agendis præerat, tum etiam pro munere Protectoris Vestri Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, quod ipse gerebat, ut suprema manus imponeretur examini Operis, cujus titulus est: *Mystica Civitas Dei, & Miraculum Divinæ Omnipotentiæ*; quod scriptum asseritur a Venerabili Ancilla Dei Sorore MARIA A JESU DE AGREDA: cujus nimirum examinis prolatio impedimentum afferebat Judicio super ipsius Ancillæ Dei Beatificatione, & Canonizatione jamdudum feliciter instituto; Quum & juridicæ Inquisitiones de illius Vita, Virtutibus, & Miraculis in genere, auctoritate Ordinariâ jam fuissent peractæ, & Commissio Causæ compluribus ab hinc annis a Romano Pontifice signata, Sententia super non Cultu jam approbata, & novus etiam Apostolicâ auctoritate Processus confectus fuisset, in quo examinati fuerant Testes, senio aut valetudine affecti, de quibus timeri poterat, ne ex hac vita migrarent, antequam integer Processus super ipsius Ancillæ Dei Virtutibus, & Miraculis in specie, eadem auctoritate Apostolicâ compleretur.

Status illius Causæ pro Beatificatione referitur.

Accep-

Et decreta super operibus ei attributis edita enarrantur.

Acceptis hujusmodi precibus, statim, pro hujus generis negociorum cognitione a Nobis acquisitâ, dum in ipsis assiduè tractandis totos quadraginta septem annos versati sumus, memoriæ Nobis occurrit Decretum de præfato Libro a Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis die XXVI. Junii Anni MDCLXXXI. editum; novumque ejusdem Libri examen a venerabilis memoriæ Prædecessore Nostro Innocentio Papa XI., cujus temporibus Decretum illud prodiit, demandatum Congregationi Particulari Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ad hunc effectum ab Ipso deputatorum; quibus a felicis recordationis Prædecessoribus pariter Nostris Innocentio Papa XII., & Clemente item XII. alii subrogati fuerunt, qui ejusmodi examen explerent; tum etiam novissimum ipsius Clementis Decessoris Decretum, quo prædicti Operis censuram iterum remisit eidem Sanctæ Inquisitionis Generali Congregationi; absque eo quod, vel ab ulla ex Congregationibus particularibus, ut supra, deputatis, vel a præfata Generali Congregatione, post Decretum anno MDCLXXXI. editum, examen hujusmodi nedum absolutum, sed nec inceptum unquam extiterit; nec enim formalis examinis, multoque minus captæ resolutionis nomen meretur quidquid gestum est in Particulari Congregatione habita die 11. Januarii MDCCXXXIV. Qua de re statim cogitavimus hujusmodi judicium a Congregatione Sancti Officii avocare, & peculiari Congregationi Sacrorum Rituum, ex aliquibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac nonnullis Sacræ Theologiæ Professoribus a Nobis deputandis conflatæ, & coram Nobismetipsis habendæ, novo consilio committere. Hujus autem avocationis novæque Commissionis decernendæ Causa in eo a Nobis statuta fuit, quod animadvertimus, præfati Operis examen, tam illud nempe, quod anno MDCLXXXI. peractum fuerat, quàm illud, quod aut in Congregationibus particularibus a prælaudatis Prædecessoribus deputatis, aut in ipsa Generali Congregatione Sancti Officii, juxta novissimum Clementis Decessoris Decretum, fieri debebat; ad hoc dumtaxat institutum fuisse, ut videretur, an ipsum Opus licitè, & utilitèr a Fidelibus legi, retineri, ac Typis impressum præ manibus haberi posset; At verò instantiæ a præfato Cardinali de Aquaviva, nominibus, quibus diximus, Nobis exhibitæ, eo potissimum tendebant, ut examen Operis fieret ejusmodi, quale ad progressum Causæ Beatificationis, & Canonizationis Aneillæ Dei necessarium esse dignoscitur; quo in casu examen ipsum privativè spectat ad Congregationem Sacrorum Rituum, ut colligitur ex Decretis sanctæ memoriæ Urbani Papæ VIII., quæ habent: *Non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales Libri diligenter in Sacra Congregatione* (loquitur de Congregatione Sacrorum Rituum) *examinentur.* Hinc est, quod licet Venerabilis Servus Dei Robertus Cardinalis Bellarminus præclaros suos Controversiarum libros, non sine præviis approbationibus & permissionibus, vivens in lucem emiserit; iidemque libri, post Typographicas editiones, in Congregatione Indicis novo examini subjecti fuerint; Cum tamen actum fuerit de promovenda Causa Beatificationis, & Canonizationis ejusdem Servi Dei, necesse omninò fuit Postulatoribus eosdem Libros, una cum aliis illius Scriptis, iterùm exhibere in præfata Congregatione Sacrorum Rituum examinandos; ut ipsi adnotavimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 26. num. 2.*, ad quod Opus ideò Nos referimus, propterea quod in eo concinnando, præcipuam diuturni gravisque laboris operam impendimus in exponenda praxi, quæ ab ipsa Sacrorum Rituum Congregatione in Causis Beatificationis Servorum Dei, & Beatorum Canonizationis providè constituta, inconcussè observatur.

Pontif. avocat dictorum Operum, & Scriptorum judicium illudque remittit particulari Sacr. Rituum Congregationi.

Ratio hujus avocationis, & remissionis adducitur.

Congregationis Sac. Rituum distinctio.

Hæc sanè Congregatio (quod te latere non arbitramur), prætermissis aliis divisionibus, quæ ad rem præsentem non pertinent, distinguitur in Generalem, & Ordinariam. Et Generali quidem intervenit Summus Pontifex, una cum Cardinalibus, quotquot eidem Congregationi adscripti sunt, omnibusque ipsius Congregationis Consultoribus; atque in ea agitur de Servorum Dei Virtutibus, Martyrio, aut Miraculis recognoscendis, & approbandis. Ordinariam verò constituunt soli Cardinales cum ipsius Congregationis Secretario, cum Protonotario Apostolico, & Promotore Fidei; atque in hac, præter cætera, agitur etiam de revisione Operum conscriptorum a Servis Dei, quorum Beatificatio promovetur; quæ revisio sequenti methodo peragitur. Cardinalis Causæ Relator, seu Ponens, ut vocant, unum aut plures, pro suo arbitrio, Theologos deputat hujusmodi Operum Revisores, qui censuram suam scripto exaratam ad ipsum deferunt; ipse verò illam præfatæ Congregationi Ordinariæ repræsentat. At ubi gravioris momenti difficultates vertantur, ac potissimum ubi Revisorum judicia inter se non conveniant, mos est, ut hujusmodi Revisorum censuræ singulis Cardinalibus expendendæ transmittantur, aliquando etiam in Breviarium accuratè redactæ, Postulatoribus Causæ communicentur, ut ipsi difficultates excitatas cognoscant, iisque per opportunas responsiones satisfacere curent. Ac demum omnibus in Congregatione perpensis, quæcumque capta fuerit resolutio, per ipsius Congregationis Secretarium refertur Summo Pontifici, ad quem pertinet, eam judicio suo comprobare; ut latiùs videri potest in præcitato Nostro Opere *lib. 2. cap. 27. num. 9. & 10.*

Et stylus in examinandis scriptis Servorum Dei.

Pont. ad cōsulendum celeritati, ex eadem Congregatione selegit quatuor Cardinales.

Ad tramites hujus methodi & consuetudinis, revisio Operis de Mystica Civitate Dei præfatæ Congregationi Sacrorum Rituum Ordinariæ committi debuisset. Nos autem, ut majori Judicii celeritati consuleremus, ex eâdem Rituum Congregatione, quatuor dumtaxat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales selegimus, duos nimirum in Canonica facultate apprimè versatos, scilicet Venerabilem Fratrem Nostrum Antonium Xaverium Episcopum Prænestinum, *Gentili*, ac Dilectum Filium Nostrum Albertum Tituli Sanctæ Mariæ de Pace Presbyterum, *Cavalchini*, duosque alios Sacræ Theologiæ Magistros, Dilectos pariter Filios Nostros Presbyteros, Fortunatum Tituli Sancti Matthæi in Merulana, *Tamburrini*, & Joachimum Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, *Besozzi*, respectivè nuncupatos; quibus, ut ea impleremus, quæ fieri potuissent a Cardinali Ponente hujus Causæ, si ea in ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione proponeretur, adjunximus Dilectos Filios Antonium Galli Abbatem Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris, Joannem Franciscum Baldini Clericum Regularem Congregationis Somaschæ, Thomam Sergium Presbyterum Congregationis Piorum Operariorum, & Cœlestinum Orlandi Abbatem Monachorum Congregationis Cœlestinæ, qui ipsius Operis discussioni, & examini incumberent; hujus autem Congregationis Particularis Secretarium deputavimus Dilectum Filium Magistrum Ludovicum de Valentibus Promotorem Fidei; cui mandavimus etiam, ut difficultates omnes in præfato Opere animadversas Postulatoribus in scriptis ederet, ut hi suas responsiones ad singula comparare, atque exhibere possent: Quæ omnia a prædictis respectivè

Et quatuor Theologos revisores deputavit.

Et ipse omnia legit, ac ponderavit.

peracta,

peracta, & juxtà mentem noſtram expleta fuerunt. Ipſi præterea Noſtram univerſo judicio diligentiam, atque Operam præſtare, quantumvis innumeris aliis graviſſimiſque negotiis oppreſſi, non detrectavimus, jubentes, omnia Nobis legenda, ac perpendenda afferri, nec niſi coram Nobiſmetipſis Congregationem deputatam cogi debere; quod factum fuit. Nomina verò Theologorum ad præfatum examen deputatorum palàm edicere non recuſavimus, licèt non ignoraremus, apud Congregationem Ordinariam Sacrorum Rituum in more eſſe, ut ſimilibus in caſibus eorum nomina ſilentio tegat; quo eos ab omni moleſtia, aut offenſionum reſpectu præſtet immunes: ut etiam videre eſt in citato Operis Noſtri *lib. 2. cap. 27. num. 10.* Eidem autem Congregationi mandavimus, ut ipſum Opus juxtà normam ab Urbano VIII. in Decretis traditam, diligenter accuratèque perpenderet; ut habet Decretum a Nobis editum die 3. Auguſti anni MDCCXLV.

Diligentia adhibita in peragendo examine.

Ex eo die ad diem quintum menſis Decembris proximè elapſi, quo præfata Congregatio Particularis coram Nobis habita fuit, licet biennium & ultrà effluxerit, non tamen dici poteſt inutiliter ductum eſſe tempus; dum, hoc menſium decurſu, prædictus Fidei Promotor varias objectiones adverſus Librum Myſticæ Civitatis Dei multimodè excitatas, & hùc illùc diſperſas, diligentèr collegit; Poſtulatores autem non omiſerunt ſuas Reſponſiones ad ſingula Capita fusè, doctèque opponere; Qui verò conſilium ſuum Nobis præbere debebant, omnia perlegere & ponderare non prætermiſerunt; ac demùm Nos ipſi præteritas autumnales ferias in eo impendimus, ut momenta Cauſæ coram Nobis diſcutiendæ pleniſſimè cognita, animo comprehenderemus.

In Congregatione quid primo examinatum fuerit.

Ut autem ad ea jam veniamus, quæ in Congregatione animadverſa, & ponderata fuerunt, quæque tibi, Dilecte Fili, libenter aperire volumus, ut Ancillæ Dei Cauſa ad ſuum debitum finem rectâ viâ dirigatur; illud ante oculos habere opus eſt, quod ſuperius etiam innuimus, nimirum examen Operis, quod nunc inſtituitur, diverſum omninò eſſe ab eo, quod in Congregatione Sancti Officii factum fuiſſet. In iſta enim, Opus ipſum, prout eſt in ſe, præcipuam Judicum curam occupaſſet, qui nequaquam ad ſe pertinere arbitrarentur, inveſtigare, an verè conſcriptum fuiſſet ab eo Auctore, cujus nomen in Titulo præfert: quod adeo verum eſt, ut in eo Tribunali frequenter examini ſubjiciantur Libri, & Opera, quorum Auctores penitùs ignorantur. In Judicio autem, quod fit ex more Congregationis Sacrorum Rituum, primum examinis ſubjectum eſt, ut conſtituatur, quiſnam propoſiti Operis Scriptor extiterit. Quod ſi evidenter non conſtet ad eum pertinere, cujus Beatificationis, & Canonizationis Cauſa agitur; reviſio Operis prætermittitur, atque in ipſa Cauſa, prout res ferunt, ad ulteriora proceditur; nec ullum examen libri inſtituitur, niſi manifeſtè conſtiterit, illius Auctorem eſſe ipſum Dei Servum, cujus nomine inſcriptum perhibetur. En verba Decretorum Urbani VIII. *Præterea illud etiam diligentiſſime indagandum eſt, an ille, vel illa, pro cujus Canonizatione inſtatur, ſcripſerit aliquos Libros, Tractatus, Opuſcula, Meditationes, vel quid ſimile. Nam ſi ſcripſiſſe conſtiterit, non prius eſt ad aliquem actum inquiſitionis deveniendum, quam tales libri diligenter in Sacra Congregatione examinentur, utrùm contineant errores contrà Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque a communi ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine alienam.* Ubi Prædeceſſor Noſter non dixit: *ſi ſcripſiſſe, probabile, vel ſimile ſit*; ſed ait: *ſi ſcripſiſſe conſtiterit*; Quibus verbis non probabilitas, ſed certitudo requiritur; quemadmodum, attentâ etiam inconcuſsâ praxi præfatæ Congregationis, alibi a Nobis aſſertum fuit; *de Canonizat. Sanctor. lib. 2. cap. 34. num. 4.*

Videlicet an evidenter conſtet Opus a Dei Ancilla ſcriptum fuiſſe.

Neque ad evitandum hujuſmodi probationis rigorem ſatis eſt dicere, quod Opus illud, de quo agitur, iteratò impreſſum fuit, conſtanterque vulgatum ſub nomine Sororis MARIÆ A JESU; hoc enim aliquam vim haberet, ubi Opus ipſum, Ancillâ Dei vivente, in lucem prodiiſſet, atque ubi conſtaret, ipſam non ignoraſſe hujuſmodi librum ſuo nomine circumferri, neque eam contra reclamaſſe, aut partum abnegaſſe, nec alium quempiam extitiſſe, qui eam crimine plagii accuſaret; ex his enim omnibus ſimul junctis validum exurgeret argumentum pro eodem Opere Ancillæ Dei certiùs tribuendo. At Opus, de quo agitur, poſt ipſius Ven. Sororis mortem Typis excuſum fuit: quemadmodum verò, ſi in aliquo Tabulario inventum fuiſſet in Codice manu exaratum, ipſi Ancillæ Dei tutò adjudicari non poſſet, niſi per legitimas probationes doceretur, illius eſſe ſtylum atque ſcriptionem: ità, dum poſt ejus mortem, a Typographis deſcriptum, in manibus Hominum invenitur; ut ei tutò adjudicetur, cujus nomen in fronte gerit, ſimiles omninò probationes requiruntur, eaſque perfici oportet ſuper ipſius Operis Autographo; quod proindè exhiberi neceſſe eſt, ut, inhærendo ſemper receptæ praxi, obſervavimus, *citato noſtro lib. 2. cap. 26. num. 6.*

Minuſque ſufficit ad requiſitum probationis rigorem declinandum, ſubjungere, quod omitti poſſit adeo exquiſita diſcuſſio, dum Poſtulatores ipſi admittunt, & aſſerunt, Opus illud a Venerabili MARIA DE AGREDA conſcriptum fuiſſe. Relata enim verba, *Si ſcripſiſſe conſtiterit*, non in gratiam Poſtulatorum, ſed in favorem veritatis, in Decreto Urbani VIII. poſita ſunt. Quapropter, ſi licet Poſtulatoribus (id quod non ſemel evenit) ſuſtinere, librum alicui Servo Dei forſan tributum, certis deficientibus argumentis, ad Ipſum revera non pertinere; nullo pacto negari poteſt, jus eſſe Judici exquirere, an per legitimas probationes, ut par eſt, manifeſtè conſtet, Librum alicujus Servi Dei nomine inſcriptum, ab eo reipſa compoſitum fuiſſe.

Exemplum in cauſa S. Jacobi de Marchia.

Hujus rei exemplum clariſſimum datum eſt in Cauſa Sancti Jacobi de Marchia Ordinis Veſtri. Poſtquam enim difficultas promota adverſus illius doctrinam de Sanguine Chriſti, prolatis duobus Brevibus Prædeceſſoris Noſtri Pii Papæ II., ſublata fuerat; altera excitata fuit adverſus doctrinam pariter ab ipſo traditam in quodam Dialogo *adverſus Fraticellos*, qui aſſervabatur in Archivo Fratrum Minorum de Obſervantia apud Sanctum Iſidorum de Urbe, quemque Wadingus a Beato Jacobo conſcriptum, ac proprio ipſius chirographo exaratum aſſerebat. Poſtulatores verò, de Dialogi Auctore, deque Scriptore Codicis minimè dubitantes, omnem operam ponebant in propugnanda Doctrina in eodem aſſertâ. Verùm, quum Sanctæ memoriæ Prædeceſſor Noſter Clemens Papa XI. Codicem ipſum ex Archivo extrahi juſſiſſet, duoſque claros Viros antiquorum characterum Peritos, Alexandrum Zacagnum, & Juſtum Fontaninum, deputaſſet, qui dijudicarent, an verè Beati Jacobi Scripturam contineret; quumque horum judicia minimè inter ſe convenientia fuiſſent: idem Prædeceſſor Nobis tunc in minoribus conſtitutis, & Promotoris Fidei munus gerentibus, mandavit, ut Sententiam Noſtram de tota re in ſcriptis exponeremus. Noſtra autem Sententia fuit, in ejuſmodi judiciorum

varietate,

varietate, ac probationum incertitudine, responderi posse, de Auctore Dialogi *non constare*, atque ità ad ulteriora in Causa procedi : cui quidem consilio quum Pontifex benignè annuisset, liberum cursum ipsa Causa deindè habuit, ac postea sub recolendæ memoriæ Benedicto Papa XIII. Benefactore Nostro, felicem exitum sortita est; quemadmodum in sæpècitato Opere nostro *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 7. , relatum habetur.

Examinantur rationes adductæ ad probandam identitatem Operis.

Regulis hisce constitutis, ut ad rem nostram propiùs accedamus, ex actis apparet, quod usque ab anno MDCLXVIII. Tiraſonensis Episcopus tunc existens, Vir doctus, & Venerabilis MARIÆ nomini ac memoriæ devotus, suâ Ordinariâ utens auctoritate, non modo Processum confecit super fama ipsius Virtutum, atque Miraculorum, sed etiam quum ei relatum esset, in Cœnobio Monialium de Agreda existere Authographum Operis de Mystica Civitate Dei, mandavit ipsum sibi exhiberi. Quod quum factum esset, is quidem, inspecto Codice, dixit; illius Scripturam, excepris Capitulorum Titulis, esse a Venerabili Sorore MARIA A JESU; addiditque, se ideò hoc asserere, propterèa quod illius characteris forma sibi cognita esset, ex inspectione plurium Epistolarum ab illa scriptarum, ejusque nomine obsignatarum. Procurator autem Causæ, ut Episcopi dicto ampliorem fidem adstrueret, tres alios Testes produxit, inter quos erat ipsius Causæ Notarius, qui tamen non singillatim examinati fuerunt, sed, præstito Juramento de veritate dicenda, uno ore dixerunt, ipsum Codicem, exceptis Titulis, ut supra, Ancillæ Dei charactere jam pridem sibi cognito, conscriptum esse. Qua de re idem Episcopus jussit hujusmodi Operis exemplum in formâ authenticâ describi, eoque in Processu inserto, prædictum assertum Authographum Monialibus reddi; quæ omnia, ut ipse jusserat, impleta fuerunt.

Et signanter scriptura illius proprio charactere.

Recognita per testes habentes notam manum.

Porrò, si Sanctus Athanasius in humanis ageret, hujusmodi probationis genere forsitan contentus non esset. Quum enim ipse seditiosas quasdam Epistolas scripsisse diceretur, eoque nomine apud Imperatores per calumniam accusaretur, nil minus requirebat, quàm ut Epistolæ ipsæ in medium proferrentur, tum aliæ invenirentur ipsius manu conscriptæ, quæ cum illis conferri possent : *Primùm quidem litteras saltem nostras similes proferant*; Et tamen id satis adhuc non fore asserebat : *At nequaquam tutum illud fuerit &c.* , *Vestras quippe Imperatorum manus sæpè sunt imitati* , *unde similitudo illa scriptis auctoritatem minimè dederit* , ut legitur *tom. primo Ipsius Operum Parisiis impress. anno* MDCLXXXVIII. *pag.* 298. Quæ Athanasii verba ideò attulimus, ut ostenderemus huic Sancto Doctori minimè persuasum fuisse, ex characteris similitudine tutò evinci posse, librum aliquem revera conscriptum esse ab eo, cui tribuitur a Testibus, asserentibus, ideò sibi cognitam esse illius characteris formam, quod alias viderint chartas ab eodem scriptas, suoque nomine obsignatas. Ac de insufficientia probationis Scripturæ *per Testes habentes notam manum*, innumeras Jurisperitorum auctoritates hìc colligere in promptu esset. Receptum est enim, ubi de fide Chirographi disputatur, ut requiratur depositio Testium, qui adfuerint, & viderint, dum ab eo scriberetur, cujus manu scriptum asseritur. Attamen cum id, quod ad comprobandam brevioris Scripturæ veritatem omnino requiritur, non æquè exigi possit, ubi, ut in casu nostro, de Opere agitur satis prolixo & amplo, hoc saltem requirendum visum est, quod nimiæ severitatis a nemine incusandum putamus, ut nempè allata probatio legitimis adminiculis fulciatur. Si qui enim ex Jurisperitis admittunt probationem characteris, quæ fit per Testes habentes notam manum; hi omnes docent hujusmodi Testibus non aliter deferendum esse, quam si sufficienter adminiculati dignoscantur; quod Ipsi jam observavimus *de Canoniz. Sanctor. lib.* 2. *cap.* 52. *num.* 6. Si verò hujusmodi adminicula requiruntur, ut fides habeatur Testibus *singillatim* examinatis, quique cum omnibus debitis solemnitatibus, alter seorsim ab altero Testimonium dixerunt; nonne majori Jure requirenda erunt in præsenti casu, in quo adducuntur dumtaxat Testes *turmatim* recepti (quorum modica in Jure habetur auctoritas, ut videre est in præfato *nostro lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 2.), quique post auditam sui Superioris assertionem, coram ipso testificantes, eidem adstipulari quodammodo debebant. Nec audiendi sunt, qui excipiendo ajunt, Processum, de quo agitur, non Apostolicâ, sed Ordinariâ auctoritate confectum fuisse. Etenim Processus Ordinarii, si non ad normam litterarum Remissorialium, a Congregatione Sacrorum Rituum expeditarum, at saltem ad Juris communis tramites sunt conficiendi; non autem aliunde, quam a Jure communi desumpta sunt, quæ huc usque adnotavimus.

Ex hoc quænam probatio desumi possit, expenditur.

Quod si a Nobis ulterius quæratur, quænam putemus esse adminicula ad imperfectam hujusmodi probationem roborandam necessaria; facilè respondebimus alia procul dubio existere Scripta, præter Mysticam Civitatem Dei, Sororis Mariæ charactere exarata. Id enim asserit Frater Joseph Ximenius in Vita ipsius Ancillæ Dei §. 32. *num.* 129. Præterea fieri non posse, quin alia complura ipsius Chirographa, seu Schedulæ inveniantur, quum eadem Agredani Monasterii regimen diù obtinuerit. Verâ autem illius characteris forma semel percognitâ, advocandi sunt Periti, qui comparantes codicem, de quo agitur, cum aliis ipsius scriptis, de identitate characteris juxta eorum artis regulas, judicium faciant. Tum verò indubia illa characteris exemplaria, ipsumque controversum Opus, unà cum Peritorum judiciis, Romam transmitti debent, ubi alii deputabuntur Periti, qui omnibus rectè perpensis, de hujusmodi characteris identitate, deque transmissis Peritorum judiciis, sententias suas aperiant. Quamvis verò hujusmodi probatio, quæ *per comparationem* appellatur, inter subsidiarias, sive semiplenas probationes numeretur (id quod a Nobis demonstratum est *cit. lib.* 2. *cap.* 52. *num.* 5. *&* 6.) Si tamen hæc cum altera conjungatur, quæ antea facta fuit *per Testes*, *habentes notam manum*; haud parum ponderis apud sapientes Judices habere poterit. Neque putes novam hanc esse methodum, quam tibi indicamus; hæc enim constanter fuit consuetudo Congregationis Sacrorum Rituum, quam etiam nuper sequuta est in Causa Beati Joannis Cantii; ut in præfato *nostro lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 8. *& seqq.* adnotavimus. Neque tibi in mentem veniat dubitare de ipsius asserti Authographi, aliorumve scriptorum amissione. Hæc enim, postquam, ut opportuit, inspecta fuerint, iisdem redduntur, a quibus exhibita fuerunt; ut Nos etiam testati sumus *eodem lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 8., eaque a te ipso restitui poterunt eidem Monasterio de Agreda, in quo fertur, Ancillam Dei ea asservari voluisse, ut legitur in ejus Vita *part.* 3. *Mysticæ Civitatis*, *Augustæ Vindelicorum impress. pag.* 244. *ad num.* 18.

Modus adminiculandi Testes.

Resolvitur id non sufficere, nisi Testes sint adminiculati.

At non hìc sistunt inquisitiones, quas perfici opus est, ut, ad normam Decretorum Urbani VIII. pronunciari valeat, *constare*, quod Mystica Civitas Dei a Venerabili Maria a Jesu conscripta fuerit. Novum profecto non est, neque difficile intellectu, quod quis propria manu describat Opus, quod vel ab alio integrè compositum fuerit, vel cujus magna pars alienâ

Altera inquisitio facienda.

constet inventione ac doctrina. Quod cum advertissent Causarum Palatii Apostolici Auditores in Causa Canonizationis Beatæ Theresiæ a Jesu, de ipsius Operibus id potissimum sibi comprobandum sumpserunt; quod nempè *ipsa Beata Theresia sua propria manu, & non aliena industria, seu alicujus alterius humano studio, istos libros composuerit*, ut videre est in relatione ab ipsis confectâ, sub titulo *de Virtutibus artic. 2. §. primo pag. 269. impressa Viennæ anno Sal. 1628.* Porrò de Mystica Civitate Dei non id affirmatur, neque pro certo contenditur, quòd a Ven. Maria a Jesu composita non fuerit. At negari nequit, quin usque ab initio aliqua de hoc excitata fuerit dubitatio. Etenim ipse Tirasonensis Episcopus, qui, ut supra dictum est, de ejusdem Ancillæ Dei Virtutibus & Miraculis Anno MDCLXVIII. Processum Ordinarium construxit; quum præcedenti anno MDCLXVII. præfatum Opus ampliſſima sua approbatione commendare voluisset; hoc etiam sibi præstandum censuit, ut eos confutaret, qui hujusmodi scriptionis gloriam Ancillæ Dei abrogabant; ut videri potest *in Summario præliminari hujus Causæ pag. 39. litt. D.*, quod sanè supervacaneum fuisset, nisi jam tunc aliqui extitissent, qui ea de re dubitassent; quemadmodum ab aliis etiam ad hæc usque tempora dubitatum fuisse non ignoras.

Quod Opus ab ipsâjc ompositum fuerit.

Signanter ob dubium aliàs excitatum.

Hoc igitur dubium è medio tolli oportet, ut tutò pronunciari valeat, Ancillæ Dei Opus esse hoc, de quo agitur: Equidem non negabimus, quin *in Responsionibus Præliminaribus pag. 25. num. 46.* magna argumentorum vis collecta fuerit ad ostendendum, non alteri, quàm ipsi Ancillæ Dei, nulloque modo potissimum illius Confessario, hoc Opus tribuendum esse. At cum, præter Mysticam Civitatem Dei, tot alia extent Opera, quæ ab eadem procul dubio confecta perhibentuur; quumque ex artis criticæ regulis, validissimum argumentum pro dignoscendis librorum Authoribus in comparatione styli, ejusque similitudine, aut difformitate constituatur; cur adhibitæ non fuerunt opportunæ diligentiæ ad comprobandam uniformitatem styli Mysticæ Civitatis Dei cum aliis Operibus ab eadem Ancilla Dei indubitanter conscriptis? Quòd enim citatus Ximenius in suo Prologo Galeato § 12. *num. 95.* de hujusmodi styli uniformitate testatur, minimè sufficiens reputatur, quousque necessaria Operum comparatio, de qua diximus, instituta non fuerit.

Varia argumenta licet ad hoc adducta fuerint.

Deest tamen probatio per comparationem styli.

Præterea legitur in Historia Vitæ ejusdem Sororis Mariæ a Jesu, quod quum ipsa scripsisset Opus Mysticæ Civitatis Dei, Confessarius quidam illius spiritum non planè noscens, ei præcepit, ut Opus illud flammis combureret. Quod quum ab ipsa statim perfectum fuisset, alter deinde Confessarius in rebus Divinis magis expertus, eidem mandavit, ut hujusmodi Opus de novo recuderet; licèt prioris exemplum apud Catholicum Regem Philippum IV. extaret, ipsius piissimi Regis jussu descriptum, antequam illius authographum combureretur; Evenisse autem, non sine Miraculo, ut idem Opus brevi tempore ab Ancilla Dei iterum conscriberetur, absque ulla discrepantia ab eo, quòd antea combustum fuerat; nisi quod parva quædam additamenta, ac nonnullarum rerum elucidationes accesserunt novo Codici; quem asserunt eumdem esse, qui in Agredano Monasterio pro Authographo asservatur, & ex quo Episcopus Tirasonensis describi jussit exemplum in suo Processu, ut supra diximus, insertum. Ita narrat prædictus Joseph Ximenius *in Vita Ven. Sororis Mariæ a Jesu §. 32. num. 125. & seqq.*, qui etiam *in Prologo Galeato §. 12. num. 94.* de uniformitate Operis jam cremati cum eo, quod nunc visitur, ita testatur: *Dubium tamen non est, idem prorsus fuisse opus, quod postea iteratò scribere aggressa est, hodieque in lucem prodit ad literam, absque differentia alia, præter additiones quasdam, & majorem explicationem punctorum aliquorum, prout comprobatur ex Transumpto primi illius Authographi, quod Philippus IV. secum habebat, ideoque ab incendio superfuit.* Extabat igitur, quo tempore Ximenius scribebat, exemplum Operis Philippo Regi traditum ante Authographi combustionem; nec enim aliter comparari potuisset cum Opere iterum exarato. Quumque ipse Rex, ejusque Successores, Ancillam Dei tanta veneratione prosequuti fuerint, credibile non est, hujusmodi exemplum, sive in Regia Bibliotheca S. Laurentii (in qua condita fuerunt Opera Sanctæ Theresiæ, ut refertur in citata Relatione illius Causæ ab Auditoribus Rotæ confecta *pag. 270.*), sive alibi, asservatum non esse. Hoc itaque exemplum si exquiratur, id quod omnino necesse est, haud difficile, ut putamus, invenietur. Eo autem reperto, si hujusmodi comparatio instituetur, qualem Ximenius se perfecisse asserit, judicium fieri poterit de asserta uniformitate. Ac denique, si additamenta, & explicationes, quas idem Ximenius innuit, examinabuntur, complures obscuritates ex his omnibus tolli poterunt, quæ hanc Causam plus satis involvunt.

Deest comparatio quoque Operis secundo loco scripti cum copia primi combusti est facienda.

At dices, ex ejusmodi operationum serie majorem afferri moram progressui Causæ Beatificationis Ancillæ Dei, cujus expeditio tibi, tuisque Religiosis omnibus in Votis est, & pro qua Protector olim vester bonæ memoriæ Cardinalis de Aquaviva, nominibus etiam Hispaniarum Catholici, & utriusque Siciliæ Regum, demissas Nobis preces obtulerat. Verùm animadvertendum hic est, in hujusmodi Causa nihil aliud huc usque per actum fuisse, nisi quòd, post Processum ab Ordinario constructum, admissa est introductio ipsius Causæ; approbata sententia super non cultu; & peculiaris auctoritate Apostolicâ Processus confectus, ad excipiendas depositiones Testium, quorum vitæ obitus imminere timebatur, ut supra narravimus. Antequàm verò deveniatur ad præcipuum proponendum Dubium super Virtutibus, deindeque ad aliud super Miraculis, ex quibus nempè potissimum pendet optata Beatificationis conclusio; opus est, non quidem ex nova lege, quæ pro hac Causa peculiariter statuta fuerit, sed ex veteribus, & generalibus legibus Congregationis Sacrorum Rituum, ut omnia, quæ extant, Opera ab Ancilla Dei conscripta, examini subjiciantur; Processus Apostolicus super fama Virtutum, & Miraculorum in genere conficiatur; tum super ejus relevantia pronuncietur; alter deinde Processus Apostolicus in specie super Virtutibus, & Miraculis construatur, ac tam de Processu Ordinarii, quam de aliorum Apostolicorum validitate judicetur.

Non ideirmia causæ perficitur mora.

Pendente autem Judicio super libro Mysticæ Civitatis Dei, nihil ex præmissis omnibus fieri posset, resistentibus Decretis Urbani VIII., quorum verba superius etiam allata, sic habent: *Nam si scripsisse constiterit, non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quàm tales libri diligenter in Sacra Congregatione examinentur.* Nos tamen, his minimè obstantibus, de Apostolicæ auctoritatis, & liberalitatis plenitudine, atque etiam aliquibus Prædecessorum Nostrorum exemplis, quæ in citato Opere nostro *lib. 2. cap. 27.* retulimus, quamvis non adeò amplis, inmxi; ex speciali gratia libenter indulgemus, ut, licèt nec de vero hujus libri Auctore, neque de ejus approbatione, quidquam adhùc statutum fuerit, nihilominus & ad examen aliorum Operum ejusdem Ancillæ Dei procedi valeat; &, consequutivè ad novum Processum Apostolicum, judicium super fama

Pont. indulget, ut interim ad examen aliorum Operum.

Et ad Proceſſum ſuper fama Virtutum &c. procedi poſſit.

ipſius Virtutum, & Miraculorum in genere fieri poſſit; & alter etiam Proceſſus Apoſtolicus ſuper ipſius Virtutibus, & Miraculis in ſpecie conficiatur; & tam Proceſſus Ordinarii, quàm aliorum Apoſtolicorum validitas expendatur: animadverſiones quoque ſuper Virtutibus in ſpecie a Promotore Fidei exponantur, eiſque opportunæ Reſponſiones, ſi placet, a Poſtulatoribus comparentur; dummodò tamen ipſum Dubium *ſuper Virtutibus in ſpecie* in Congregatione Sacrorum Rituum non abſolvatur, antequàm Judicium de omnibus Ancillæ Dei Operibus prolatum fuerit. Perſuaſum autem tibi eſſe volumus, Nos, hac conceſſionis amplitudine, ultra ſervatos a Prædeceſſoribus Noſtris fines longè progreſſos eſſe, propter piam affectionem, quam erga Ancillam Dei meritò fovemus; teque etiam intelligere, dum præfatum Dubium de illius Virtutibus in ſpecie, non niſi poſt ejuſdem Operum approbationem abſolvi volumus, magnam a Nobis utilitatem afferri illius Cauſæ, quæ ſcilicet ex ipſis Operibus, ſi approbata fuerint, majorem procul dubio ſplendorem accipiet.

Quæ verò interim fieri permiſimus, dum præfati Operis Reviſio abſolvitur, ea Nos quidem paucis verbis complexi ſumus. Verùm, ut eadem ad exitum perducantur, non parum temporis neceſſarium erit. Cujus temporis decurſu ſi ea ſimul perficientur, quæ ſuperius facienda indicavimus, ad approbationem Operis de Myſtica Civitate Dei attinentia; profectò evidenter agnoſces, non modicum compendium ipſi Beatificationis Cauſæ obveniſſe ex eo, quod a Nobis, ut ſupra, ſtatutum fuit.

Poſt probationes circa identitatem primodicti Operis, inquiſitio ſuper illius doctrina erit facienda.

Hoc eodem temporis decurſu, Nos ipſi omnem diligentiam adhibere non omittemus, ad hoc ut, ſi aliquandò probatum fuerit, Myſticam Civitatem Dei a Venerabili Maria a Jeſu verè compoſitam fuiſſe, tunc demùm, vitâ comite, Judicium Noſtrum proferre valeamus, an liber ipſe *contineat errores contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque a communi ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine alienam*, juxtà relatum ſuperiùs Urbani Prædeceſſoris Decretum. Quamobrem mandavimus etiam ſingulis Cardinalibus, atque Theologis peculiarem Congregationem a Nobis, ut ſuprà, deputatam conſtituentibus, ut unuſquiſque ſuam hac de re ſententiam ſcripto conceptam, ſuoque ſigillo obſignatam in manus Noſtras remittant; volentes omnia hujuſmodi Judicii capita in anteceſſum per Noſmetipſos debita maturitate, una cum Judiciis Academiarum Salmanticenſis, Complutenſis, Lovanienſis, ac Tholoſanæ, penſare.

Cenſura Facultatis Pariſienſis adverſus verſionem Gallicam Myſticæ Civitatis Dei.

Utque nihil Te lateat eorum, quæ ad ſternendam hujuſmodi Judicio viam interim examinare decrevimus; hoc primum tibi notum eſſe volumus, magnam Nobis ſemper opinionem fuiſſe, atque adeò eſſe de bonæ memoriæ Cardinali de Aguirre, cujus familiari conſuetudine, in juvenili ætate conſtituti, olim uſi ſumus; quemque non minori apud te exiſtimatione eſſe arbitramur; neque putamus ab Alumnis veſtri Ordinis recuſatum iri Judicem in Cauſa Myſticæ Civitatis Dei, pro qua is pium ſuum ſtudium tantopere declaravit. Eo vivente, Anno Domini MDCXCVI., prodiit Cenſura Facultatis Sorbonicæ in primam Partem hujus Operis, quæ refertur *in Diario Sapientum Tom. 24. pag. 51. & pag. 516.*, & inſerta eſt per extenſum *in Tom. III. Collectionis Judiciorum, Pariſiis editæ anno 1736. pag. 150. & ſeqq.* Quæ ſanè cenſura quum præfato Cardinali magnopere diſplicuiſſet, ab eodem impugnata eſt peculiari Scripto, quod exhibitum non fuit. Idemque præterea ſcripſit Epiſtolam unam ad Galliarum Regem, & alteram ad Archiepiſcopum Pariſienſem; in hac verò, quæ data ſunt die IV. Auguſti Anni MDCXCIX., faſſus eſt, propoſitiones in præfato libro a Sorbonica Facultate notatas, prout jacent in verſione Gallica, qua uſi ſunt Pariſienſes Theologi, jurè, meritoque damnatas fuiſſe; veruntamen hujuſmodi verſionem parum fidelem eſſe contendit. En verba Epiſtolæ relatæ in veſtro Summario Præliminari §. *IV. num. 8. pag. 214.*: *Nel di cui idioma*, de Gallica lingua loquitur, *così tradotte, ancor Io concorro in aſſerire, che ſiano ſtate giuſtamente cenſurate da codeſta Univerſità.* Itaque Cardinalis de Aguirre cenſuram Sorbonæ approbat, verſionem libri non approbat; Cenſuræ ſubſcribit, relatè ad verſionem Gallicam, eamdemque cenſuram ideò rejicit, quòd verſionem illam minùs fidelem exiſtimat. Hæc autem verſio non alia eſſe poteſt, quàm quæ ex Hiſpanico idiomate in Gallicum facta eſt a Patre Croiſet Ordinis Veſtri Presbytero, quæque impreſſa fuit Maſſiliæ eodem Anno, quo prodiit in lucem Cenſura Sorbonicæ Facultatis. Atque hæc eſt illa verſio, quæ in Summario Cauſæ tam magnis elogiis in Cœlum tollitur. Cardinalis de Aguirre Hiſpanus Croiſetum Gallum reprehendit, tanquam in Hiſpanico idiomate parum verſatum. Si quis verò Traductoris Galli partes ſuſcipiens, Cardinalem Hiſpanum, tamquam Gallicæ linguæ minus peritum reprehenderet, totum Judicium in anceps hærere neceſſe eſſet. Quare, ut hujuſmodi difficultatum involucra tollantur, Noſtræ curæ erit aliquem invenire in utroque idiomate probè, pariterque verſatum, cujus diligentiâ rei veritatem in claro poſitam tutò dijudicare poſſimus.

Card. de Aguirre cenſuram approbat, verſionem rejicit.

Verſionis fides examinanda.

Novimus præterea, non Tibi ignotum eſſe Opus *de Revelationibus, & Viſionibus*, ab Euſebio Amort Canonico Regulari Lateranenſi editum Anno MDCCXXXIV., in quo præfata quidem Cenſura Pariſienſis Facultatis reprobatur, ſed aliæ, ac diverſæ objectiones fiunt adverſus Myſticam Civitatem Dei. Cui novo Cenſori fuſè reſpondit doctus quidam Ordinis Veſtri Profeſſor Frater Didacus Gonzalez Mattheo Hiſpanus, qui ſuas Reſponſiones Nobis dicatas ſuperiori Anno MDCCXLVII. Matriti edidit, Nobiſque tranſmiſit. Harum quoque objectionum, & Reſponſionum examen fieri debet, & a Nobis, Deo adjuvante, fiet, antequam de Myſtica Civitate Dei ſententiam proferamus, quum nullam in hoc graviſſimo Judicio diligentiam ſupervacaneam fore judicemus.

Et objectiones Euſebii Amort.

Hæc erant, quæ tibi innoteſcere volebamus. Nunc ea, quæ in præfata Congregatione Particulari coram Nobis deliberata fuerunt, in ſummam colligendo, ſequens Decretum, de ejuſdem Congregationis conſilio atque unanimi ſenſu, edicimus; nempè: *Ex hactenus deductis non conſtare, prout oportet, in caſu, & ad effectum, de quo agitur, quod Opus inſcriptum* Miſtica Città di Dio, *ſit Opus Venerabilis Servæ Dei Sororis Mariæ a Jeſu de Agreda; ex gratia tamen ſpeciali, Poſtulatoribus indulgeri, ut in Cauſa Beatificationis, & Canonizationis ejuſdem, ad ulteriora procedatur, ità tamen, ut dubium ſuper Virtutibus non abſolvatur, niſi prævio iterato novo definitivo Decreto, aut a Nobis, aut a Noſtris Succeſſoribus, præmiſſis, uti ſupra, reſpectivè præmittendis, edendo; in quo, vel ſtatuatur Opus prædictum non eſſe Servæ Dei, vel, conſtito eſſe Opus ejuſdem, definiatur, nihil, vel in eo, vel in aliis Operibus ejuſdem Servæ Dei, reperiri, quòd ſit contra Fidem, bonos mores, vel quod ſapiat doctrinam aliquam novam, & peregrinam, atque a communi ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine alienam, juxtà præſcripta in Decretis Urbani VIII.* Tibi, Dilecte Fili, univerſoque

Conclusio cum prolatione Decreti.

Ordini tibi commisso, Benevolentiæ Nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die decima sexta Januarii Millesimo septingentesimo quadragesimo octavo, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. Pont. Anno VIII. die 16. Januarii 1748.

---

## XLVII.

De ordine servando in Causis super nullitate Professionis Regularis.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

Si datam hominibus fidem frangere, conventionesque eas, quæ ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet; multò magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari, Nosque præsertim, utpotè sacrarum Legum custodes a Deo constitutos, oportet earum pactionum, quæ Divino & Ecclesiastico jure indissolubiles sunt, perpetuam firmitatem, & observantiam asserere. Eam ob rem jam usque ab Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLI. Pontificatus Nostri II., Apostolicas Literas dedimus, incipientes: *Dei miseratione*, in Bullario Nostro deindè editas *Tom. I. nu.* 33., quibus certum præscripsimus ordinem, in Tribunalibus Ecclesiasticis servandum, quum in ipsis discuti & definiri deberent Causæ, in quibus de nullitate alicujus matrimonii contracti ageretur; non eo quidem consilio, ut si quod fortè matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuisset, de illius nullitate judicium postulari, aut fieri prohiberemus; sed, ut in hoc gravissimo judicii genere, in quo de sacro Connubiorum fœdere agitur, plenioris veritatis elucidationi consuleremus; utque Judices, non sine certissima cognitione omnium, quæ ad rem maximè conducunt, hujusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile, sententiis suis, tamquam irritum ab initio, dissolverent. Cujus quidem Constitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem apertè comprobatur; quum ex eo tempore, neque tot Causæ super prætensâ Matrimoniorum nullitate in Tribunalibus pendeant; nec tam frequenter, ut antea, Nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super Matrimonio rato, & non consummato: dum scilicet ante omnium oculos propositæ sunt difficultates paulò quidem majores, sed omninò justæ, quæ, ex novo ordine a Nobis statuto, cuilibet superandæ se offerent, antequam optatum finem assequatur.

Methodus a Sanctitate Suâ præscripta in causis matrimonialibus.

Ex eisdem rationibus statuit novum ordinem præscribere pro judiciis super nullitate Professionum Regular.

Quemadmodum itaque pro Matrimoniis carnalibus a Nobis provisum fuit, ita nunc de spiritualibus animarum nexibus, de Religiosis videlicet utriusque sexus Regularium Professionibus, pari ratione statuere decrevimus: nimirum certam normam ac methodum tradere, quam observare debeant Judices Ecclesiastici, quoties judicia super nullitate Professionum in aliquo Ordine Regulari a Sede Apostolica approbato factarum, coram ipsis agitari contingat; neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui justis de causis hujusmodi actiones intentare velint, ac postulent, Professionem a se factam ex capite nullitatis, irritam declarari; sed, ut ipsi Judices rerum veritatem in specie dignoscere, suasque sententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne unquam, ex ignorantia factorum, aliquem decernant solutum vinculo, dum is fortè, validâ solemnium votorum professione emissâ, Religioso Ordini, cui nomen dedit, re ipsa maneat adstrictus. Qua ex methodo a Nobis tradendâ hunc fructum similiter obventurum speramus, ut & rariores in posterum in Tribunalibus futuræ sint Causæ super prætensa Professionum nullitate; & qui deinceps hujusmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, & consequenter a Religione discesserint, non ampliùs anxiâ, aut male tutâ conscientiâ vivant, ac propterea ad Nos, aut ad Officium Pœnitentiariæ Nostræ Apostolicæ, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato (ut moris est) in precibus nomine, fatentes sententiam super Professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto judice, vel per mendacia in facti expositione adhibita, vel per corruptos Testes; ideoque flagitantes, ut ex gratia, & dispensatione Apostolica, facultas manendi in sæculo ipsis indulgeatur.

Ut autem ordinate procedamus, distinguendum initio est inter Regulares illos, qui intra quinquennium a die factæ Professionis, de illius nullitate actionem promovent; & eos, qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis decretum Sacræ Tridentinæ Synodi *sess.* 25. *de Regular. cap.* 19. in hæc verba: *Quicumque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm a die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.* In quo sanè decreto licèt in littera Virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominùs etiam fœminæ Religionem professæ comprehenduntur; quum, ex regulis juris masculinum genus etiam fœmininum includat, ubi una eademque causa pro fœminis æquè, ac pro masculis militat. Quamvis autem Decreti verba satis clara sint, variæ tamen quæstiones circa eorum sensum, ac vim excitatæ fuerunt.

Quum etenim ibi sermo dumtaxat sit de Regulari Professo, qui suam Professionem nullam fuisse contendat: *Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem &c.*, nihil verò expresè statuatur de ipsa Religione, cujus aliquando interest alicujus Alumni sui Professionem irritam declarari; ut si quis, exempli causa, comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelasse, de quo interrogatus fuerat, adjecta declaratione, quod, eo forsan existente, & non patefacto, ipsius admissio a Religione minimè rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in hujusmodi casu solus Superior Regularis sine Ordinario procedere posset, an verò etiam in hac facti specie discutienda esset Causa coram Regulari Superiore simul, & Ordinario Loci. Super quo Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ad ipsius Concilii Tridentini Interpretationem ab Apostolica Sede deputatorum constanter decrevit, Causas hujusmodi super nullitate Professionis, tam a Regulari Professo, quàm a Religione, intra quinquennium in judicium deductas, & a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci simul cognoscendas esse.

Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus Professionem, Sancta Synodus computandum voluerit *a die professionis*; cumque potior, atque communior causa, quæ pro nullitate Professionis adduci solet, in metu consistat; metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perseveret; quæsitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit

Reclamatio adversus Professionem intra quinquennium quatenus admittatur a Decreto Concilii Tridentini.

Quod de Decreto eius Moniales comprehendit.

Et prout idem æque in casu actionis intentatæ a parte Religionis.

Quinquennium computatur a die Professionis, etiam in casu metus permanentis, & impedimenti ad reclamandum.

ab ipso die Professionis emissæ, an verò a die, quo Professus liberam reclamandi facultatem habere cœpit. Eadem verò Congregatio declaravit, in utroque pariter casu, concessum quinquennii tempus a die emissæ Professionis esse computandum.

Actio intentata intra quinquennium, licet deserta, tamen judicatur ab Ordinario, & a Superiore Regulari.

Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quæstio, an scilicet prædicti Ordinarius, & Superior Regularis cognoscere possint Causas nullitatis Professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempè Professus intra illius decursum reclamaverit, sed judicium prosequi deindè neglexerit, aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congregatione, coram præfatis Judicibus a Concilio memoratis agendam esse Causam, etiam post elapsum quinquennium, dummodò satis constet, eam intra præscriptum tempus a reclamante seriò intentatam fuisse.

Regularis Superior ad effectum &c. intelligitur Superior localis de tempore motæ litis.

De ipsis autem Judicibus pro hujusmodi Causarum cognitione a Sancta Synodo designatis, per ea verba, *coram Superiore suo, & Ordinario*; complures similiter motæ sunt quæstiones, quæ majori eorumdem verborum elucidationi causam dederunt. Et primò quæsitum fuit, quisnam censendus esset Superior Regularis in casu, & ad effectum, de quo agitur; utrùm scilicet Provinciæ Rector, an Generalis Ordinis Moderator; Congregatio autem ejusdem Concilii Interpres definivit esse Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, sive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum Præpositum, seu Rectorem illius Monasterii, aut Cœnobii, in quo reclamans Professionem emisit; eum nempè, qui hujusmodi Monasterii, aut Cœnobii regimen exercet, quo tempore Causa super nullitate Professionis in judicium deducitur. Quæsitum item fuit, quisnam Monialium proprius Superior dicendus sit, ad effectum judicandi una cum Ordinario de earum Professionis nullitate. Responsum fuit, quod, si agatur de Monialibus Ordinario Loci immediatè subjectis, tunc, quum nullus sit earum Superior Regularis, solus Ordinarius judicat de Professione reclamantium intra quinquennium: Si verò Moniales Regularium regimini subsint, tunc hujusmodi Causæ judicandæ sunt ab Ordinario loci simul, & a Superiore Regulari; ab eo nimirum, cui concreditum est universum Monasterii regimen, non autem a Confessario Regulari Monialium.

Item pro Monialibus, nisi immediatè subsint Ordinario.

Dubitatum est etiam, utrum Superior Regularis jus suum cedere possit Ordinario Loci, eique permittere, ut in hujusmodi Causis solus procedat, & judicet; Id autem prædicta Congregatio fieri posse negavit; permisit tamen Superiori Regulari, ut si judicium assumere nolit, aut non possit, alium subrogare valeat vel Regularem, vel etiam Ecclesiasticum Sæcularem juris Canonici peritum, qui una cum Ordinario Judicis partes exerceat. Denique quæsitum fuit, si fortè Ordinarii, & Superioris Regularis judicia inter se discrepantia extiterint, quodnam ex ipsis alteri prævalere debeat. At in hoc casu responsum fuit, Causam ipsam ad Apostolicæ Sedis judicium devolutam censeri.

Superior Regularis abstinere nequit a Judicio.

Potest tamen alteri suas vices delegare.

Quum verò inter capita nullitatis Professionem Regularem irritantia, unum etiam adnumeretur, si nempè aliquis Professionem emiserit in Cœnobio ad Novitiorum institutionem minimè destinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. Prædecessor Noster Clemens Papa VIII. Decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit; si quis ex hoc capite Professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si Religio intra idem quinquennium postulaverit alicujus Professionem ex hujusmodi capite irritam declarari; decretum extat a fel. record. Urbano Papa VIII. altero Prædecessore Nostro, justis gravibusque de causis, ac de consilio præfatæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, editum die v. Januarii Anni MDCXXXVI., incipien. *Ad occurrendum*, quo statutum fuit, hujusmodi Causas ad eandem Congregationem privativè pertinere. Hæc sunt potiora in hoc genere Decreta ex Regestis prælaudatæ Congregationis excerpta, quæ licèt aliàs a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Apostolica Auctoritate non semel approbata fuerint, & confirmata; Nos tamen eadem, præsentium Literarum tenore, atque Auctoritate simili, novo approbationis, & confirmationis Nostræ robore communibus, atque ab omnibus, ad quos spectat, seu respectivè spectabit, in posterum pro regula haberi, ac plenariæ executioni demandari præcipimus.

Quibus ità constitutis, firmatâque pertinentiâ Causarum, quæ intra quinquennium a die Professionis emissæ adversus illius validitatem introducuntur; consequens est, ut & ea indicemus, quæ de ordine, ac methodo in hujusmodi judiciis servanda, a Majoribus sapienter constituta sunt; tum ea proferamus, quæ Nos ipsi opportunè addenda censuimus, quæque pari auctoritate, ac præsentium literarum vigore, perpetuis futuris temporibus servari volumus, & mandamus. Jam de ipsa hujusmodi Causarum introductione notum est decretum ejusdem Concilii Tridentini *cit. Sess. 25. cap. 19. de Regular., ut si quis antea habitum sponte dimiserit, nullatenùs ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur.* Ex quo sequitur, Regularem postulantem judicium fieri de suæ Professionis nullitate, ab ipso judicii limine repelli, nisi constet eum in Religionis suæ Claustris morari, & Habitum Regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

Apostatæ repelluntur a limine judicii, nisi ad Religionem redierint &c.

De probationibus verò, licet non ignoremus, apud Superiores Regulares, Ordinariosque Locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti, judicia sua fundare in extrajudicialibus attestationibus, quantumvis juramento firmatis, quæ *ad perpetuam* dicuntur; hoc tamen de cætero usurpari prohibemus; volentes, atque districtè mandantes, ut ad adstruendas probationes in hujusmodi Causis necessarias, verus & judicialis Processus omninò conficiatur; in quo & Articuli exhibeantur ex parte illius, qui adversus Professionem agit; & Interrogatoria dentur ab ea parte, quæ stat pro ipsius Professionis validitate; & Testes tam super Articulis, quàm juxta hujusmodi Interrogatoria examinentur; utque, hac formâ non servatâ, Processus ipse, & Sententia dependenter ab eo prolata, insanabili nullitatis vitio corruere censeantur; salva etiam dispositione juris communis, quoad alia nullitatis capita, si quæ fortè in ipsa Processus compilatione intervenerint.

Indicium inniti debet rigorosis probationibus, & Proceffibus judicialibus.

Sub eadem pœna nullitatis, decernimus, atque statuimus, ut in hoc judicio citari, & audiri debeant tum Defensores Monasterii, seu Cœnobii, in quo Professus Vota Religiosa suscepit, tum ipsius Professi Consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus bona sua donavit, aut cessit; uno verbo omnes, quorum interest illius Professionem sustineri; in primis autem ii citentur (si superstites fuerint) qui indicati erunt tamquam Auctores, aut complices metûs eidem incussi, ut Votis invitus se obstringeret. Quemadmodum verò in citata Constitutione Nostra, quæ incipit *Dei miseratione*, decrevimus, ut in singulis Diœcesibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate, ac doctrina commendatus, cujus officium esset in

Citari debent Defensores Monasterii, & omnes interesse habentes.

Causis Matrimonialibus in judicio stare pro validitate Matrimonii; ita nunc omnibus, & singulis Locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus præditam in suis respectivè Diœcesibus eligant, cui *Defensoris Professionum* munus imponant; utque huic omnia demandata, injuncta, & respectivè applicata esse censeantur, quæcumque Nos in præcitatis Literis de Matrimonii Defensore statuimus; Nos enim eadem omnia, præsentium tenore, ad hujusmodi Professionum Defensores expresè extendimus, & respectivè applicamus, & quoad istos pari modo locum habere decernimus. Id solum peculiariter pro Defensore Professionis in præsentibus statuentes, ut scilicet quidquid pro ipsius honorario, aut mercede, sive pro expensis in defensione Causæ occurrentibus, eidem præstandum esse Judex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a Professo renunciata fuerunt bona in Religionis ingressu dimissa; Si verò hi non existant, aut si Professus nihil renunciandum habuerit, ipsa Religio, quatenus ex illis sit, quæ temporalia bona possident, ad hujusmodi solutiones teneatur: Si autem nec adsint bona renunciata, nec Ordo Regularis de quo agitur, quidquam possideat, tunc Defensori Professionis satisfiat ex pecuniis Mulctarum illius Tribunalis, in quo Causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis prædictis Literis Nostris de Matrimonii Defensore statuimus.

Defensor Professionis ex officio deputandus.

Cujus expensis operam præstare debeat.

Lata demum Sententia a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci, si ea pro validitate Professionis pronunciata fuerit, neque Professus appellationem interponat, Causam finitam esse non dubitatur. Si verò Professus ad Judicem secundæ instantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem Causa retractanda fuerit; in omnibus hisce judiciis volumus similiter Defensorem Professionis ex Officio deputatum intervenire, eodem prorsùs modo, quo in citata Constitutione decrevimus, Defensorem Matrimonii, in secunda & ulteriori instantia, judicio semper adesse. Ac sicuti præterea statuimus, hujusmodi Defensoris partes esse, a Sententia Judicis primæ instantiæ pro Matrimonii nullitate latâ ad ulterioris instantiæ Judicem provocare; & formam prosequendi judicium in ulterioribus hujusmodi instantiis præscripsimus; ita porrò volumus, ut Defensor Professionis a Sententia in prima instantia pro nullitate Professionis edita appellare omninò debeat; atque in secunda, seu ulteriori hujusmodi Causarum revisione, eadem omnia volumus observari, quæ pro Causis Matrimonialibus in eadem Constitutione mandavimus.

Defensoris partes eædem in ulterioribus instantiis.

A prima sententia pro nullitate lata semper appellari debet.

Quemadmodum denique legitimas pœnas ibidem constituimus adversus eos, qui post unicam obtentam Sententiam pro prioris Matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive eâ per incuriam, aut fraudem Defensoris non interpositâ, ausi fuissent novas Nuptias contrahere; atque decrevimus neminî licere ad altera Vota transire, nisi duæ saltem Sententiæ conformes pro nullitate prioris Matrimonii emanaverint; ita, si quis in Ordine Regulari Professus, post unicam Sententiam favore Nullitatis Professionis pronunciatam, sivè pendente, sivè omissâ culpabiliter appellatione, è Claustris exire, a Religione discedere, quodque magis est, Habitum Regularem abjicere præsumpserit; volumus, atque statuimus, omnibus eum pœnis, atque censuris a Sacris Canonibus, & a Constitutionibus Apostolicis contra Apostatas latis, atque sancitis, subjacere, & obnoxium esse; decernentes pariter, in hujusmodi Causis de Professionis nullitate, liberum Professo non esse a Religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit Sententias conformes, quibus ab eo emissa Professio nulla, & irrita declarata fuerit.

Unicæ Sententiæ pro nullitate Professionis prolatæ executio suspenditur.

Et primæ quidem Instantiæ Judices super validitate Professionum, quæ intra quinquennium judicialiter impugnantur, ut supra dictum est, Superior Regularis, simulque Ordinarius Loci esse debent. Si verò eædem Causæ in secunda, aut ulteriori instantia sint discutiendæ, statuimus, inhærentes antiquis quibusdam fæpedictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Decretis, (quæ pariter tenore præsentium approbamus, & confirmamus) ut Causæ hujusmodi ad eos Judices devolvantur, ad quos de jure aliæ omnes Causæ Ecclesiasticæ, post Sententiam Ordinarii, in gradu appellationis respectivè devolvuntur; ità tamen, ut hi quoque Judices, sicuti Ordinarius in prima instantia unà cum Superiore Regulari processit, sic & ipsi procedere, & judicare debeant unà cum Superiore Regulari, non quidem illius Monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius Monasterii ejusdem Ordinis in eorum Civitate, aut Diœcesi existentis, vel, eo non extante, cum Superiore vicinioris Monasterii ejusdem pariter Ordinis, seu cum alia persona Ecclesiastica, cui, juxta præmissa, Superior ille ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem hujusmodi Causæ in secunda, aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam devolvantur, & a prædicta Congregatione Concilii, sive ab altera super Consultationibus Episcoporum, & Regularium, aut denique ab Auditorio Rotæ, ut respectivè assolet, discutiendæ fuerint; nullus erit locus ad judicandum Superiori Regulari; qui neque tunc ad ferendam Sententiam admittitur, quum ab eadem Congregatione Concilii, juxta relatum superiùs Urbani Prædecessoris Decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas Professionis ex eo capite impugnatæ, quòd facta fuisse asseratur in Monasterio, aut Cœnobio Religiosis Tyronibus instituendis minimè addicto.

Hactenùs de judiciis super nullitate Professionis, quæ intra quinquennium a die ipsius Professionis emissæ introducuntur; de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quæcumque in superioribus statuta sunt, ea omnia locum habere, & observari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardinalis, Nostri, & Romani Pontificis pro tempore in Urbe, ejusque Districtu Vicarii in Spiritualibus Generalis; quotiès hujusmodi Causas intra idem quinquennium in ipsius Tribunali Ordinario judicandas esse contingat. Jam verò videndum est de ejusdem generis Causis, quæ, post elapsum quinquennium hujusmodi, in judicium adducuntur.

Porrò quum Sancta Tridentina Synodus, post quinque annos ab emissâ Professione transactos, omnem aditum ad reclamandum Professis intercluſum esse sanxisset, per ea aperta verba superiùs relata: *Non audiatur, nisi intra quinquennium a die Professionis*; adeo inhærendum hujusmodi sanctionis literæ duxerunt Majores Nostri, ut sub piæ mem. Prædecessore Nostro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit, ac veluti pro regula statutum, nullius Causæ introductionem super nullitate Professionis, elapso quinquennio, admittendam esse; etiamsi Professio per vim, & metum facta diceretur, atque probari vellet, hujusmodi vim, & metum toto quinquennii tempore permansisse. Verba Decreti die v. Martii Anni MDXCVIII. editi, quæ habentur *Decretorum Congregationis Concilii Tom. 9. fol. 55.* hæc sunt: *Gregorius XIII. ex Sententia Congregationis Concilii declaravit, eos, qui per vim, & metum se Religionem professos prætenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi*

Præmissi locum habent etiam in Tribunali Rmi Cardinalis Vicarii Urbis.

Post quinquennium omnis industria adversus Professionem olim rejecta.

*alle-*

Inductum postea remedium restitutionis in integrum.

A sola Apostolica Sede concedendum.

*allegarent, vim & metum semper duravisse.*

At verò procedentibus temporibus, non sine justis gravibusque Causis, ut planè persuasum habemus, inductum fuit, ut admitterentur instantiæ pro *restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii.*

De quibus tamen judicium facere ad Apostolicam Sedem semper privativè pertinuit, sive ex parte Professi, sive ex parte Religionis instantiæ hujusmodi proponerentur, ac licet ipsa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis in integrum, extraordinarium in jure vocatur, cujus concedendi facultas Judicibus inferioribus competere nequit, non obstante quacumque contraria consuetudine; etiam immemorabili, aut quolibet asserto privilegio; ut patet ex compluribus in eandem sententiam decretis ejusdem Congregationis Tridentini Concilii Interpretis, quæ recensita fuerunt in Decreto edito die XXIV. Septembris Anni MDCCXL. in Causa *Sicula Restitutionis in Integrum*, quod a Nobismetipsis die XXVIII. ejusdem mensis, & anni approbatum, & confirmatum fuit, quodque iterùm præsentium tenore approbamus, & confirmamus; reservato Nobis, & successoribus Nostris Romanis Pontificibus jure concedendi Ordinariis, & Superioribus Localibus, in quibusdam peculiaribus casibus, facultatem examinandi etiam Causas restitutionis in integrum, ac super ipsis pronunciandi, antequam ad sententiam ferendam super Professionis validitate, aut nullitate deveniant; ut non semel ex Apostolicæ Sedis dispensatione factum fuisse non ignoramus.

Ejus concessio tamen Judicibus inferioribus aliquando delegata.

Antiqua praxis concedendi restitutiones in integrum.

Hujus autem judicii methodus diversa quondam fuit ab ea, quæ in præsenti observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione, seu fumo, ut ajunt, causarum restitutionis in integrum, ea ab Apostolica Sede concedebatur; nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus Professionem, ut, licèt elapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram Judicibus competentibus actionem promovere possent; pro cujus judicii instructione deinceps a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci legitimus conficiebatur Processus, atque sententia super validitate, aut nullitate ferebatur. Quæ sanè methodus si hoc etiam tempore in usu esset, oporteret Nos eorum præcipuè, quæ ad hujusmodi judicium consequentia sunt, rationem habere; ac providere, ne unius tantùm sententiæ vigore Professiones Regulares dissolverentur. Sed alius hodierno tempore est ordo, qui in præfatis Congregationibus, seu Tribunalibus Urbis, pro concedenda restitutione in integrum adversùs lapsum quinquennii, observatur; Nam priusquam super eo quidquam decernatur, committitur Ordinario Loci, & Superiori Regulari, ut Processum conficiant; eoque demum transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum, idque non minùs accuratè, ac severè examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate, aut nullitate Professionis. Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc Ordinario, & Superiori Locali committitur, ut sententiam proferant super controversa Professionis validitate. Sed quamvis in hujusmodi Commissionibus plena ipsis relinquatur facultas judicandi sive pro validitate, sive pro nullitate Professionis, prout ipsis justum visum fuerit; usu tamen compertum est, quòd, quum iidem satis noverint, quam diligenti, & gravi judicio apud Sedem Apostolicam discussæ fuerint Causæ, propter quas restitutio in integrum concessa fuit; viso dumtaxat hujusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate Professionis sententiam ut plurimum sine dubitatione procedunt.

Ea nunc non conceditur, nisi prævio Processu, & examine causarum.

Accuratum hujusmodi examen causarum restitutionis in integrum apud Romanæ Curiæ Judices in more positum, non modò non immutare intendimus, verùm etiam approbatione Nostra singulis, ad quos pertinet, magnoperè commendatum, ab ipsis in posterum observari volumus, ac jubemus; hoc tamen addito, ut in Commissionibus, quæ diriguntur Superioribus Regularibus, & Ordinariis Locorum pro conficiendis Processibus, iisdem, sub pœna nullitatis actuum, injungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu Defensoris Professionis; ad quem nimirum pertinebit Interrogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt Testes, aliaque ad Officium sibi impositum pertinentia diligentissimè præstare. Item volumus, ut in ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum, tam in præfatis Cardinalium Congregationibus, Concilii Tridentini interpretationi, & Episcoporum ac Regularium consultationibus præposius, quàm in Auditorio Rotæ, aut in quacumque Congregatione peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis pœna, Defensor Professionis, ab eo, qui Tribunalis caput est, deputatus, expensis eorum, de quibus supra, semper & in omnibus actibus in judicio stare debeat; neque solùm in prima hujusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus; quatenùs reclamans in prima rejectus, ad novam audientiam admittatur. Denique, ut pro fruendo beneficio restitutionis in integrum, unica favorabilis resolutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato Causæ examine, auditoque semper Defensore Professionis, confirmata fuerit; quemadmodum in altera Constitutione Nostra, præsentis initio allegatâ, de Causis super nullitate Matrimonii constituimus; Nos enim præsentium tenore decernimus, ac sub pœnis adversus Apostatas sancitis districtè prohibemus, ne quis sub clypeo unicæ resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentæ, è Religiosis Claustris migrare, multòque minus Habitum Regularem deponere audeat, seu præsumat: quum ad prædictas pœnas declinandas, & altera resolutio super restitutione in integrum priori consentanea, & sententia super nullitate Professionis a Superiore Regulari, & ab Ordinario ferenda, expectari omnino debeant; nec nisi per hujusmodi sententiam, a prædictis Judicibus, præviis duabus resolutionibus pro concessione restitutionis in integrum, legitimè latam, Judicium absolutum censeri queat.

Defensor Professionis assistere debet tam confectioni Processuum de causis restitutionis in integrum;

Quàm examini Causarum apud Sanctam Sedem.

Examen hujusmodi duplex requiritur, antequam Ordinarius, & Superior procedere valeant.

Quamdiu reclamans in Religione manere debeat.

Quæ omnia si ita observabuntur, ut a Nobis constituta sunt, utque omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum, sedulò observanda & implenda a Nobis præscribuntur, & enixè in culcantur; profectò non dubitamus, quin multò rariores in posterum futuræ sint instantiæ, & contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die Professionis emissæ, vel etiam eo elapso, susceptum Religiosæ vitæ Institutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnoperè contulerit, si a Superioribus quoque Regularium Ordinum in Novitiorum admissionibus ea observabuntur, quæ & in eorum Constitutionibus, & in Decretis felicis recordationis Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri statuta sunt, quæque omnia ab ipsis plenissimè observari, & impleri, Nos pariter ipsis præcipimus, ac jubemus; tum etiam si ipsi minus facile consensum suum præbebunt, ut admittantur ad Professionem Tyrones, sive qui ætatem quidem a Concilio præscriptam compleverint, at non ad eam pertigerint,

Præmissorum observantia injungitur omnibus ad quos pertinet.

Ac Superioribus Regularibus observantia Canonum, Constitutionum, & Regularum.

Sententiæ Judicum Ordinariorum plerumque conformes sunt judicio super restitutione in integrum.

quæ a Constitutionibus Ordinis statuta est; sive illi, qui licèt annum Novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ulteriùs in eo manere deberent, juxta præscriptum suarum peculiarium Constitutionum; multòque magis ii, qui nec per integrum annum, sed per octo, aut sex menses dumtaxat Tyrocinium posuerunt; ac demum si ipsi Superiores haud se interponent, neque curabunt, ut Professi ante legitimam ætatem ad Ordines Sacros promoveantur. Quæcumque enim sive in Sacris Canonibus, aut Pontificiis Constitutionibus, sive in peculiaribus Ordinum statutis, circa præmissa providè constituta sunt, non parum habent momenti ad religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam, & ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem, quæ ut plurimum aut sola, aut potissima causa est, qua Professi adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque verò Apostolica Sedes ullas unquam dispensationes in præmissis concedere consuevit, nisi prævio assensu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum Regularium; quibus nempè æquum, & necessarium est fidem adhiberi in expositione causarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quæ petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari potest, quod tamen apud plerosque invaluisse constat, ut scilicèt reclamantibus adversùs Professionem sive intra quinquennium, sive post ejus decursum, Superiores ipsi contradictores se se non exhibeant, aut etiam apertè suffragentur; ex falsa nimirum opinione, quod Religiosorum Virorum societate indignus censendus sit, quicumque ab ea discedere exoptat; quodque ex inutili Monacho, utilis fortasse Clericus Sæcularis existere possit. Nunquam enim licitum est justitiam deserere, aut prodere, quæ jubet omni ratione sustineri actum adeò solemnem, & natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo, una cum Professo, ipsa quoque Religio intervenit.

Utque Religionis, & Professionis defensionem non deserant.

Ad prædictum finem præterea quammaximè proderit, si & Ecclesiastici Præsules, & Judices, debitas officii sui partes explere non prætermittent. Ecclesiarum quidem Præsules, si anathemati subjectos declarabunt omnes & singulos, cujuscumque qualitatis, conditionis, & dignitatis fuerint, qui Virgines, aut Viduas, seu alias quascumque Mulieres invitas, præterquam in casibus in jure expressis, coëgerint ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum Habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam Professionem; juxta sanctionem Sacræ Tridentinæ Synodi *Sess. xxv. Cap.* 18. *de Regular.*, ubi etiam pares censuræ statuuntur adversus eos, qui in hujusmodi factis consilium, auxilium, vel favorem dederint; ac si omnes similiter, quotquot ausi fuerint compellere viros ad ingrediendam Religionem, & ad Vota profitenda, justis gravibusque pœnis afficient. Judices verò, si, falso ante omnia depositio præjudicio, quo nonnulli arbitrantur latissimam viam, quoad fieri potest, aperiendam esse iis, qui indè migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur; ad exactam justitiæ lancem expendent & numerum, & qualitatem Testium, qui ad comprobandam nullitatem Professionis inducuntur; & vim majorem a minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, intercluſam a permissa reclamandi facultate discernent; aliasque omnes circumstantias sedulò animadvertent, quæ in hoc toto rerum genere ab Auctoribus considerari solent.

Episcopi procedant contra inferentes vim & metum.

Judices omnia expendant ad normam Juris.

Itaque prædictis omnibus & singulis gravissimè denunciamus, districteque præcipimus, ut in cunctis quæ ad eorum officia pertinent, a justitiæ tramite, & a præscriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant; ac meminerint, omnium, quæcumque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud Divinum Judicem, tum apud homines reddendam fore. Nos verò, si Deo placuerit valetudinem Nobis cum vita servare, non parum operæ conferre intendimus, quò planiùs, atque faciliùs de Causis hujus generis ab ipsis in posterum judicari valeat. Siquidem Nobis propositum est cum consilio selectorum Virorum in Theologia, & Canonica facultate præstantium, nonnullas quæstiones accuratè examinare ac dirimere, quæ variis Scriptorum opinionibus jactatæ, & varias species induentes, juxta diversas occurrentium casuum circumstantias, ancipites atque sollicitos detinere solent Judicantium animos; ut Nobismetipsis in minoribus olim constitutis non semel evenisse meminimus, quum pro munere Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, hujusmodi Causas ad regulam Juris exigendas præ manibus haberemus. Ejusmodi sunt, exempli causa, quæstiones: Utrùm Professio quamvis initio nulla fuerit, per subsequentes tamen actus convalidetur; quinam sint actus, ex quibus hujusmodi convalidatio, seu ratificatio inducatur; & quid momenti habeat ad hunc effectum susceptio Sacrorum Ordinum *ad titulum Religiosæ paupertatis*. Præterea, si quis forte ante legitimam ætatem ignorans Professionem emiserit, & in ea ignorantia per plures annos in Religione permanserit, seque validè Professum existimans, ea omnia, quæ Professorum sunt, una cum Sociis præstiterit, an hic deinde intelligens, qua ætate Vota emiserit, non obstantibus actibus veri Professi a se gestis, adhuc, præfatæ ignorantiæ præsidio, actionem habeat ad reclamandum adversus Professionem a se factam; an verò talis ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus Professionem initio nullam per subsequentes actus ratam habuisse censeatur. Item, an Professus, qui in Professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum, occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Constitutionum, quòd scilicet Religio ipsum cum hujusmodi defectu, aut impedimento forsan occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis Professus, qui Religioni dolum struxit, ejusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suæ Professionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad suadendam Judici nullitatem Professionis, quod reclamantes Professi asserere sæpè non dubitant, se in proferendis Religiosis Votis, mentem servasse alienam a proposito se obligandi. Hæc omnia, aliaque similia in hujusmodi judiciis frequenter occurrentia, & in utramque partem hactenus disputata, tum Nostro, tum aliorum, quos, ut supra diximus, in consilium, advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adjuvante, explanare deliberavimus.

De variis quæstionibus in hac materia occurrentibus examen instituetur.

Interim præsentes Literas, cum omnibus & singulis in ipsis decretis, atque statutis, firmas, validas, & efficaces existere, ac perpetuo fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè, & inviolabiliter observari volumus, & decernimus. Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, prædictasque S. R. E. Cardinalium Congregationes Generales & Particulares, aliosque ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sanctæ Sedis Nuncios,

Clausula pro perenni præsentium firmitate.

aliosve quoslibet quacumque præeminentia, auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri debere; ac nullum, irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Non obstantibus, tam Causarum forsan ad hunc diem introductarum pendentiâ, quas quidem causas, in quibuscumque statibus, & terminis de præsenti reperiantur, juxta superiùs præscripta omninò tractari, judicari, & definiri debere expresse decernimus; quàm Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Decretis quoque, & Resolutionibus a præfatis Cardinalium Congregationibus, sive ab Auditorio Rotæ prædicto, aut aliis quibuscumque Judicibus, & Tribunalibus, aliàs forsan, & aliter factis, conditis, & emanatis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clausis, & Literis Apostolicis quibuscumque Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, & Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam clausulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & exactissimè servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & ad præmissorum effectum, plenissimè, & ampliss. imè motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi præsentis Constitutionis in Urbe tribuitur vis personalis intimationis omnibus factæ.

Volumus insuper, & eadem Auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, & affigi, sicque publicatas & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Transumptis fidem præstari sancitur.

Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac Sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Voluntatis, Mandatorum, Statutorum, Decretorum, & Derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, quarto Nonas Martii, Pontificatus Nostri Anno VIII.

Dat. Pontif. anno VIII. die 4. Martii 1748.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die* 16. *Martii* 1748.

---

Præscribitur Ritus impertiendi Pontificiam Benedictionem super Populum, servandus a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas hujusmodi statis diebus a Sancta Sede indulta fuit. XLVIII.

*Deest inscriptio, quæ cuilibet Superiori Generali dictorum Ordinum aptata fuit.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Summa Pontificiæ concessionis.

EXemplis Prædecessorum nostrorum adducti, nonnullis Familiis Regularium permisimus, ut Fideles, qui statis anni diebus ipsarum Ecclesias inviserent, & indictis pietatis operibus satisfacerent, Indulgentiam Plenariam consequerentur, utque Monasterii Præses, vel alius Sacerdos a Patre Provinciali designandus, populo tunc temporis congregato, Summi Pontificis nomine, Benedictionem impertiret.

Nullus ritus pro hac Benedictione est præscriptus.

Nullius unquam ritus ad hanc rem peragendam præscriptus fuit; quæ quidem extra Urbem solùm contingit, cùm Pontifex ipse Romæ Benedictionem populo elargiatur: etenim is ritus, qui Urbani VIII. Prædecessoris nostri auctoritate probatus asseritur, & qui post editos nonnullos Romanos Rituales typis impressus fuit, ad eam Benedictionem, de qua verba facimus, minimè pertinet; sed illam complectitur, quæ, non pluries, non semel quolibet anno, sed aliquâ urgente legitimâ causâ, populis & agris tribui consuevit, & pro qua certus Delegatus Apostolicus semper constituitur, qui Brevi Apostolico munitus, potestatem obtinet non solùm benedicendi populo, sed illum quoque dissolvendi ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, & a cæteris Ecclesiasticis Censuris ac pœnis, si quas fortè populus imprudens atque ignarus contraxerit, etiamsi illæ in Bulla *in Cœna Domini* contineantur.

Quamquam pro alia Benedictione sit designatus.

Forma, quâ aliqui usi sunt, refertur.

Cùm hæc ita sint, tamen deprehendimus, quemdam ritum temerè, & inconsultò excogitatum esse pro supradicta prima Benedictione Pontificia invocativa, quæ aut pluries, aut semel datur quolibet anno. Quippe simplex Sacerdos in medio Altaris collocatus, Ministris circumadstantibus, & sacris indumentis ornatis, trinam Benedictionem populo impertit, & alia plura gerit, quæ enumerare hoc loco supervacaneum existimamus.

Trinam Benedictionem impertiendo.

Equidem *Benedictio super populum* solemnis

De Jure Benedicendi,

est:

& quibus competat.

est : eamque in quacumque Orbis terræ parte Romanus Pontifex elargiri potest : Episcopus autem in sua Diœcesi, & locis ipsius etiam exemptis, Archiepiscopus in sua Provincia, & locis ejus exemptis, eamdem exercere valet potestatem. Id constat Decreto Clementis V. in Viennensi Concilio, quod *in Clementina Archiepiscopo, de privilegiis*, recensetur. Porrò Abbatibus ejusdem Benedictionis super populum tribuendæ facultas conceditur in Ecclesiis, quæ ipsis plenè subjiciuntur, modò tamen Apostolicum privilegium ad id necessarium obtinuerint : quo sanè uti nequeunt, nisi postquam Sacrum solemne, aut Vesperas in Ecclesia peregerint ; nam populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet, nisi id clarè in eodem privilegio declaretur, uti respondit Alexander IV. *in Cap. Abbates, de privilegiis, in sexto.*

Simplex Sacerdos nequit Populo benedicere.

Simplex ergo Sacerdos nequit Benedictionem super populum elargiri, juxtà *Can. Ministrare 26. quæst. 6. Benedictionem quoque super populum in Ecclesia fundere, Presbytero penitùs non licebit* : quod tamen eidem Sacerdoti modò permittitur, postquam Divinum Missæ Sacrificium absolvit. Dictum est, modò permitti : si etenim sacram antiquitatem inquiramus, neque id Presbytero licitum olim fuisse cognoscemus, uti Nos ipsi certis documentis ostendimus *in nostro Tractatu de Sacrificio Missæ sect. 1. num.* 382., qui primò Bononiæ *anno* 1740. typis editus fuit, ac *sect. 1. num.* 391. in eodem Tractatu, qui deinde Latinè redditus publicam lucem iterum adspexit Patavii *anno* 1745. Etsi siquidem in usu semper fuerit, ut, re Divinâ peractâ, populus ab Ecclesia Benedictione dimitteretur, quemadmodum *in Can. Missas, de Consecratione dist. 4.* continetur ; id tamen, non a Sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo, si præsens aderat, vel, si aberat, ab Archipresbytero ejus jussu præstabatur : quo sensu explicatur Decretalis *in Cap. Officium, de Officio Archipresbyteri*, ubi inter Archipresbyteralia munera recensetur *Benedictiones Presbyterales in Ecclesia dare* ; prout animadvertit Gonzalez *in idem Cap. Officium, num.* 2. idemque antea planè comprobaverat Saussay *in Panoplia Sacerdotali pag.* 558.

Et solum potest in fine Missæ.

Licet olim contraria disciplina obtineret.

Quibus omnibus subsequens plurium sæculorum contraria prævaluit disciplina, quæ Sacerdoti celebranti potestatem fecit Benedictionem super populum in fine Missæ effundendi, ob eam potissimùm causam, quam Bellotus recenset *in Ritib. Laudunensis Ecclesiæ par. 3. pag.* 136. *num.* 9. *At, cùm Benedictio ad Missæ perfectionem pertineat hodie, sine qua fas non est ab incepto Sacro recedere, nec jure queat populus ante Benedictionem ipsam egredi, ex præcitata Agathensi Synodo, quatenus integræ Missæ non interesset quisquis præmaturè recederet* ; *sequitur, facultatem cuilibet celebranti concessam esse, privatam illam Benedictionem ad finem Missæ populo ubique locorum impertire.* Idem inter Morales Scriptores commemorat Quartus *ad Rubricas Missalis pag.* 386. *in Dubiis conscientiæ.*

Conc. Laudunen. hanc tribuit Sacerdoti facultatem.

Idem statuit Textus qui allegatur.

In *Can. Ecce ego, dist.* 95. hæc leguntur : *Nemo hinc Episcoporum, invidiâ diabolicæ tentationis inflatus, irascatur in Templo, si Presbyteri interdum exhortentur plebem, si in Ecclesiis prædicent, si plebibus, ut scriptum est, benedicant.* Si Glossæ fidem præstemus, illud *benedicere* declarat Benedictionem, quæ populo traditur a Sacerdote, qui rem Divinam perficit, nempe post ea verba : *Ite Missa est* : quam sanè interpretationem Nos minimè respuimus, cùm certum habeamus, eumdem textum Sancto Hieronymo non esse tribuendum ; quod nonnulli falsò putaverunt, quos meritò redarguit Teophilus Raynaudus *Operum tom.* 16. *pag.* 211. ; sed incerto Auctori, qui inter vivos fortasse tunc agebat, cùm Benedictio in fine Missæ inter Benedictiones Presbyterales jam haberetur, usuque invaluisset, ut Sacerdos, peracto Missæ Sacrificio, populum Benedictione *jure suo* dimittat, sive absit, sive interfit Episcopus : eâ tamen statutâ lege, ut, si interfit, & in sua sit Diœcesi, ad eum priùs se convertat, eique caput inclinet, veluti facultatem populo benedicendi postulans ; quod ab eodem Sacerdote prætermittitur, si Episcopus Missæ interfit, sed extra suam Diœcesim versetur, prout desumitur ex Rubricis Missalis *tit. de Benedictione in fine Missæ*, & *Evangelio Sancti Joannis.*

Cùm jam perspectum sit, quo tempore, & loco simplex Sacerdos populo possit *jure suo* benedicere, necessariò consequitur, nullam aliam Benedictionem super populum ab ipso impertiri licitè, nisi *jure delegato.* Hujus naturæ est Benedictio, de qua nunc agimus, quæ per delegationem Apostolicam cùm unicè concedatur, Nostrum est omnino ritum præscribere, quem inferiùs pro norma in posterum servandâ subjiciemus, quo sanè uti volumus, ac decernimus eos Ordines Regulares, sive Mendicantes, sive non Mendicantes, Monasticos, vel Clericorum Regularium, quibus Nos ipsi, vel Prædecessores nostri, vel futuri Romani Pontifices, facultatem tribuendæ populis Benedictionis permiserint.

Admoneatur itaque populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de præceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est Ecclesia, de hora denique qua datur Pontificia Benedictio ; & admonitio hæc fieri possit, quatenus opus sit, etiam schedis impressis, & consuetis locis palàm affixis : licèt etenim id a Prædecessore Nostro Clemente Papa VIII. fuerit vetitum Fratribus Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & Fratribus Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis pariter Captivorum, in communicatione Indulgentiarum, & Orationum ; uti habetur in ejus Constitutione, quæ incipit *Cùm ad uberes* §. 5., & in alia Constitutione *Decet Romanum Pontificem* §. 6. ; visum tamen Nobis est, id esse hypotesi inapplicabile ; cùm, cæteris prætermissis, prædicta communicatio certum genus personarum, quosdam videlicet, ut plurimum, Confratres, non autem populum universum, ut Indulgentia, & Benedictio, de quibus agitur, complectatur.

Postquam statutis die & horâ populus ad Ecclesiam convenerit, altâ voce legantur Apostolicæ Literæ, seu Decreta, quibus Indulgentia conceditur, unà cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet ; & concessio ex Latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa pronuncietur : populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur : post quæ Sacerdos, nullis circumadstantibus Ministris, Stolâ & Superpelliceo indutus (ut in Rituali Romano præscribitur, cùm agitur de Benedictionibus, quæ extra Missam Presbyteris permittuntur) ante Altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum, & terram.*
℣. *Salvum fac populum tuum Domine.*
℟. *Et benedic hæreditati tuæ.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Deinde stans, sequentem recitat Orationem :

OREMUS.

*Omnipotens, & misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, & vota populi hujus in*

humi-

*humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem præstolantis, & gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinæ benedictionis effunde: qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem & vitam consequamur æternam. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Post quam ad cornu Epistolæ accedat, ut in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part.* 4. *Benedicet in Ecclesia ad Altare, stans in cornu Epistolæ:* & stans in cornu Epistolæ, non trinâ, hoc est triplici Signo Crucis, sed unâ Benedictione, unico videlicet Signo Crucis, benedicat, proferens altâ voce hæc verba:

*Benedicat Vos Omnipotens Deus † Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* ℟. *Amen.*

Trina benedictio non est danda.

Trina siquidem Benedictio Episcopo competit, non Sacerdoti: cùmque nonnulli in fine Missæ trinam usurpare cœpissent, consuetudo Clementis VIII. auctoritate sublata est, quemadmodum ostendit Meratus hac mortali vitâ nuper defunctus *tom.* 1. *pag.* 243. Id Nos etiam advertimus *in nostro Tractatu de Sacrificio Missæ sect.* 1. *locis supra indicatis.* In Rubrica quoque Missalis hæc habentur: *In Missa solemni Celebrans eâdem voce & modo, qua in Missis privatis, semel tantùm benedicit populo.* Insuper Cœremoniale Episcoporum trinam Benedictionem ipsis solùm tribuendam decernit: quod eâdem Missalis Rubricâ confirmatur: *Episcopus autem ter benedicit populo etiam in Missis privatis, ut in Cœremoniali habetur.* Postremò Alexander VII., Decreto, quod *die* 27. *Septemb.* 1659. edidit, tempora indicit ac recenset, quibus Abbates usu Pontificalium præditi, ritu solemni celebrantes, trinam Benedictionem impertire possunt: quod iisdem penitus interdicitur, cùm rem Divinam privatim conficiunt; quod Nos ipsi indicavimus *nostrâ Institutione* 14. §. 4. *num.* 19. *tom.* 2. si Bononiensis editionis ratio habeatur, quæ peracta fuit *anno* 1735. sin autem easdem Institutiones in Latinam linguam conversas, & Romæ impressas *anno* 1747. quis inspiciat, idem prorsus deprehendet *Institutione* 34. §. 4. *in fine pag.* 174. Quocirca non sine animi nostri voluptate Epistolam legimus encyclicam Patris Generalis Cœnobitarum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quibus in nostris Apostolicis Literis potestas facta est dandi in certis anni Festivitatibus Pontificiam Benedictionem, in qua eosdem admonet, ut populo benedicant unico Signo Crucis, more Sacerdotali: quod ipsum si ab aliis etiam factum esset, querelæ ad Nos delatæ non fuissent de usurpatis honoribus Episcopalibus.

Præcipitur ne præmissa forma violetur.

Hac itaque Epistolâ Encyclicâ ritum statuimus ac declaramus, quo Benedictio Papalis in posterum tribuetur, eumque notum facimus Ordinum Regularium Præsidibus, ut ipsum Regularibus sibi subjectis observandum indicant. Equidem Alexander VII. Prædecessor Noster usum Pontificalium Abbatibus, quibus id privilegio convenit, accuratè præscribens, Ordinariis locorum facultatem concedit, ut, si quid contrarium Abbates commisissent, ipsi tamquam Sedis Apostolicæ Delegati rem cognoscerent, & censuris etiam, si opus esset, omnem insolentiam compescerent. At Nos aliam viam suscipiendam ducimus, præcipientes, ut de illis Regularibus, qui perscriptum a Nobis antea Benedictionis ritum violaverint, Nos statim certiores efficiant: tunc enim neque infensos invicem Episcopos & Regulares reddemus, nec populis beneficium Papalis Benedictionis denegabimus; sed facultatem ejusdem Benedictionis tribuendæ parere recusantibus auferemus, eamdem largiemur aliis, qui jussa nostra facere non detrectabunt: qua in re futuros etiam Romanos Pontifices magnopere hortamur, ut idem exemplum sequantur. Postremo Tibi, & universo tuo Ordini Benedictionem Apostolicam impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XIX. Martii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. Pont. A. VIII. die 19. Martii 1748.

---

Societati JESU tribuitur unus locus inter Consultores Congregationis Sacr. Rituum. XLIX.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Procemium.

CONstantem omnium sensum, Pontificio etiam confirmatum oraculo, Omnipotentem nimirum Deum, sicut alios aliis temporibus sanctos Viros, ita Luthero, ejusdemque temporis Hæreticis Sanctum Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecisse, adeo Religiosi ipsius Societatis Alumni luculentissimis tanti Parentis vestigiis insistentes, per assidua religiosarum virtutum exempla, & præclara omnium doctrinarum, ac præsertim sacrarum documenta comprobare pergunt, ut quemadmodum non mediocre ad gravissimas Catholicæ Ecclesiæ rationes saluberrimè accurandas, componendosque mores, atque in bonis artibus instituendos Adolescentes, subsidium conferre satagunt, ita nova Apostolicæ benignitatis argumenta promereri videantur. Satis enim superque compertum est universis, atque exploratum, quibus per omne tempus religiosis viris, & Christiana pietate, & omnium disciplinarum splendore, & multiplici literarum cognitione, æternæque Christifidelium salutis zelo commendatissimis, addictissima huic Sanctæ Sedi ipsa Jesu Societas locuples adhuc veluti generosa mater non immerito gloriatur.

Laudes Soc. Jesu.

Nos sanè, qui eapropter semper plurimi fecimus, atque in suprema hac Sacrosancti Apostolatus Cathedra plane immerentes per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam sedentes, majori in honore laudatam Societatem habemus, decet, ut perenni etiam nostræ charitatis auctoritatisque Apostolicæ testimonio eandem donemus; ne quod aliis Religiosis Ordinibus, & Instituti in hac Alma Urbe nostra conspicuis, sive per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, sive per Nos ipsos, decus, & ornamentum, sive honorificentiæ munus impertitum esse dignoscitur, eidem Societati Jesu de Orthodoxa Religione benemerentissimæ deesse patiamur.

Sensus Pontif. erga dictam Societatem.

Qui magna nostrorum Operum volumina de Beatificatione, & Canonizatione Servorum Dei pervolverit, is intelliget omni procul dubio, quòd si in cæteris expediendis negotiis insignium hominum opera, & industria requiritur, in rebus certè per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositam expendendis, decidendisque, major Virorum in omni disciplina versatorum, quibus ipsa inter alios Ordines, & Instituta Societas memorata abundat, delectus haberi debeat.

In negotiis Congregationis Sacr. Rituum consulendis præstantium hominum opera impendenda.

Hinc est, quod Nos Motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine volumus, ac decernimus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus unus ex ejusdem Societatis Jesu Presbyteris laudatæ Congregationis Cardinalium Sacris Ritibus præpositæ Consultor sit, & habeatur, ut hujus vacatione succedente, alter dictæ Societatis Presbyter in ipsius locum semper substituatur.

Ideo Pontif. unum locum inter Consultores dictæ Congregationis assignat Societ. Jesu.

Etsi

Et quamvis ex ipsa Soc. jam alius adsit Consultor.

Etsi autem in præsentia Dilectus Filius Hieronymus Ridolfi sæpedictæ Societatis Presbyter locum unius Consultoris in memorata Congregatione Cardinalium teneat, tamen, ut Pontificiæ hujusmodi indulgentiæ possessionem ipsa Societas Jesu capiat, atque etiam ut paterna grati animi significatione prosequamur Dilectum Filium Emmanuelem de Azevedo ejusdem Societatis Presbyterum, qui non solum in quamplurimis sive colligendis, sive adornandis, atque in lucem edendis aliorum insignium Virorum operibus de rebus Liturgicis pleniſſimè tractantibus, sed in antedictis etiam nostris Voluminibus, aliisque a Nobis compositis in unum veluti corpus è duodecim, & amplius Tomis constans cogendis, & quàm castigatissimè, splendidiſſimèque hic Romæ recudendis maximè intentus, atque in ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis negotiis accurate expediendis versatus, & instructus, primum hujusmodi locum quodam veluti merito sibi debitum vindicat.

P. Emman. de Azevedo, præsentis concessionis fructu gaudere statuit.

Eapropter ipsum Emmanuelem de Azevedo a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, præter memoratum Hieronymum Ridolfi Consultorem, auctoritate, & tenore paribus, eumdem Emmanuelem unum sæpedictæ Sacrorum Rituum Congregationis Consultorem itidem quoad vixerit facimus, constituimus, & deputamus; itaut uterque insimul, quoad ambo etiam in humanis fuerint, ejusdem Congregationis Consultoris munere perfungatur, nec alterius vacationi in posterum substituatur, sed per utriusque dumtaxat cessum, sive decessum, novus ejusdem Societatis Presbyter Consultoris hujusmodi locum a Nobis, ut præmittitur, dictæ Societati assignatum tenere debeat.

Clausulæ.

Decernentes, easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, pleniſſimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictæque Societatis Jesu etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Pont. A. VIII. die 24. Aprilis 1748.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Aprilis MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

*Cajetanus Amatus.*

De Renovationibus Investiturarum, & aliarum concessionum Bonorum directi Dominii Cameræ Apostolicæ.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Procemium.

COncreditum Nobis Apostolicæ Sedis patrimonium non solùm pro viribus utiliter administrare, sed etiam nulla sive amplitudinis, sive juris sui parte imminutum servare volentes; vix fieri posse intelligimus, ut Nobismetipsis constent administrationis Nostræ rationes, nisi certò provisum exiterit, ut facultas disponendi de Bonis, Dominiis, Proprietatibus, & Juribus ipsius Sedis, & Cameræ Apostolicæ, quæ ad Nos dumtaxat, & ad Romanum pro tempore Pontificem, Supremi Principis jure, pertinet, ab aliis quibuscumque, præter Nostram, & Successorum Nostrorum scientiam, mentem, & voluntatem, exerceri minimè valeat. Idcircò perpendentes, quàm amplis facultatibus, vel expresse, vel implicitè ab Apostolica Sede instrui, vel etiam ex usu & consuetudine uti consueverint Venerabiles Fratres Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui, per temporalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ditionem, ad Bononiæ, Ferrariæ, Æmiliæ, & Urbini Legationes regendas & gubernandas, Legati de Pontificis Latere mitti, eorumque exemplo etiam Prælati Præsidentes, qui ad aliquas ex præfatis Provinciis cum facultatibus Legatorum a Latere regendas pariter, & gubernandas aliquando deputari solent; ne fortè ex laxiori facultatum hujusmodi interpretatione, aut ex assertis consuetudinibus absque Nostra, & Pontificum Prædecessorum Nostrorum scientia inductis, in concedendis, aut renovandis Investituris Bonorum Feudalium, Emphyteuticorum, Livellariorum, seu alio quocumque nomine, & titulo ad directum Dominium, & Proprietatem Cameræ Nostræ Apostolicæ pertinentium, aliquid per eos fieri contingat, quod potestatis eisdem attributæ fines excedat, atque in ejusdem Cameræ, illiusque Proprietatum, & Jurium detrimentum vergere possit; post discussam priùs rem in Congregatione Particulari super Oeconomica Status Ecclesiastici administratione deputata, certos in hoc rerum genere eisdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Legatis, & Prælatis Præsidentibus, Provinciis Legationum præfatarum respectivè præpositis, limites, quos ipsi nullis futuris temporibus prætergredi valeant, etiam declarando & indulgendo ponere, & designare volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præsentium Literarum tenore decernimus & statuimus, ut in concessionibus, dationibus, & investituris Terrarum, Arcium, Villarum, Agrorum, Possessionum cultarum, & incultarum, Casalium, Lacuum, Sylvarum, Proprietatum, Bonorum, & Jurium quorumcumque, & cujuscumque generis, ad præfatæ Sedis, & Cameræ Nostræ Apostolicæ directum, & proprietarium Dominium quomodocumque pertinentium, in Feudum proprium, sive improprium, nobile, sive ignobile, aut in emphyteusim, aliave ratione sub Census, Canonis, Livelli, pensionis, regalium, & aliarum quarumcumque responsionum, & recognitionum præstatione, & solutione, hactenùs factis, & deinceps quan-

Diffusa de Bonis merare Apostolicis variveat mamus ut tisicetur tat.

Ejus tam de Latere Legati aliquibus facultatibus in parte suæ structi.

Nè autem in usu facultatis fines excedantur.

Permittit decernit ac declarat ut infra.

I. Quod Legati concedere possint renovationes, expleto tempore in Investituris convento.

docum-

documque faciendis, si, & quatenùs initio concessionum, & investiturarum hujusmodi ea lex expressè adjecta sit, vel fuerit, ut Feudatarii, Censuarii, aut alii quocumque nomine, aut titulo ea obtinentes, singulo quoque viginti novem annorum, seu alio definito temporis curriculo, suarum Investiturarum, aliarumve concessionum hujusmodi renovationes ab eadem Camera petere, & accipere debeant; præfati Cardinales Legati, seu Prælati cum facultatibus Legatorum Præsidentes respectivè deputati, in suæ quisque Legationis Provincia, præfiniti temporis adveniente termino, earumdem Investiturarum, & Concessionum renovationes Feudatariis, Censuariis, Emphyteutis, aliisque præfatis, illas tempore habili expetentibus, servatis tamen servandis, & cum eisdem pactis, legibus, & conditionibus in prioribus Investituris appositis & conventis, concedere, & per idoneum Ministrum ipsius Cameræ Apostolicæ Procuratorem, seu Commissarium, aut alium, ad quem pertinet, tempore habili similiter fieri mandare, liberè & licitè possint, & valeant, Nostra & Romani pro tempore Pontificis licentiâ, seu commissione speciali desuper minimè requisita.

II. Possunt etiam consensum præstare in alienationibus Bonorum in Partibus, ubi facultas concessa est.

Quoniam vero in Ducatu, & Provincia Legationis Ferrariensis, in vim antiquorum Ducalium Decretorum ab Apostolica Sede expressè confirmatorum, plerisque Censuariis, Emphyteutis, aliisque Investituras habentibus, tributa dignoscitur facultas alienandi Bona, seu Jura emphyteutica, & aliàs ad directum, & proprietarium præfatæ Cameræ Dominium spectantia, per contractus inter vivos nuncupatos, præhabito consensu Domini directi; & alibi etiam ejusmodi facultas forsàn concessa reperitur: Volumus itidem, & statuimus, ut ipsi Cardinales Legati, & respectivè Prælati Præsidentes prædicti; quatenùs tamen Feudatariis, Censuariis, Emphyteutis, aliisque Bonorum, & Jurium Cameralium, in Provinciis Legationum præfatarum consistentium, utilibus Possessoribus, sive ex concessionis lege, sive aliàs ex Supremi Principis auctoritate, generaliter vel specialiter hujusmodi facultas alienandi, distrahendi, & in alios transferendi Bona, & Jura Cameralia præfata, præhabito Domini directi, idest ipsius Cameræ Apostolicæ consensu, legitimè competat; & dummodò alienationes hujusmodi non fiant in fraudem ipsius Cameræ, & ad prævertendam, atque frustrandam eorundem Bonorum, seu Jurium devolutionem, quæ ob deficientiam Successorum in Investituris comprehensorum, & ad eas vocatorum, imminere dignoscatur; quoties de consensu ipsius Cameræ nomine præstando requisiti fuerint, possint similiter & valeant, absque speciali Nostra, & Romani pro tempore Pontificis licentia, & commissione, consensus hujusmodi, Nostro, & Successorum Nostrorum, ipsiusque Cameræ nomine præstare, seu beneplacitum interponere, & novas consequenter investituras favore acquirentium, sub iisdem tamen pactis, & conditionibus dare, & concedere, ac necessaria quæcumque Instrumenta desuper celebrari facere.

Sub certis conditionibus.

Porrò renovationes Concessionum, & Investiturarum, necnon alienationes, distractiones, & translationes Bonorum, & Jurium Cameralium præfatorum, per Cardinales Legatos, ac respectivè per Prælatos Præsidentes prædictos, ac prævio consensu præfato in prædictis casibus, juxta seriem præsentium, aliàs tamen canonicè factæ, perinde valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & illis, in quorum favorem factæ fuerint, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragentur, ac si de speciali, expressa, & individua Nostra, & Romani pro tempore Pontificis licentia, & commissione factæ fuissent; nec ad id alterius beneplaciti, seu confirmationis Apostolicæ adminiculum requiratur.

Idque pro illis Partibus valeat, ac si a Sancta Sede immediatè gestum fuisset.

Cæterùm quoties Bona, Res, & Jura prædicta, sive ob lineam finitam, sive ob non petitam præscriptio tempore renovationem, aut ob non solutionem Canonum, aliarumve responsionum, seu Caposoldi, aut Laudemii, vel ob non adimpleta promissa, & in Investituris, & Concessionibus respectivè contenta, aliâve quâlibet ex causâ, juxta præscriptum in Literis piæ memoriæ Prædecessoris Nostri Gregorii Papæ XIII., sub datum Romæ apud S. Petrum Kalendis Junii Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXX., incipien. *Ad Romani Pontificis* (quarum Literarum tenorem, ac dispositionem præsentibus pro insertis habentes, in omnibus, & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus), ad ipsam Cameram Apostolicam devoluta fuerint; Motu, scientia, & potestate prædictis, statuimus, & decernimus, non licere præfatis Cardinalibus Legatis, aut Prælatis Præsidentibus, eorumdem Bonorum, Rerum, aut Jurium, cujuscumque generis, & qualitatis existant, & quantumvis parvus, atque etiam minimus tam Proprietatis, quam responsionis valor sit, & esse dignoscatur, novas Investituras, aliasque Concessiones quascumque dare, & elargiri; neque eorumdem Detentoribus, & Possessoribus incursas, ut præfertur, quacumque ex causâ, caducitates, devolutiones, & privationes, etiamsi nondum ipsius Cameræ nomine declaratæ, & acceptatæ fuerint, aliasque pœnas remittere, & condonare, aut restitutiones in integrum concedere, sive super Canonibus, Livellis, & Laudemiis, aliisque præstationibus non solutis concordare; Volentes, ut quicumque novas hujusmodi Investituras, & Concessiones impetrare voluerint, sive se in prioribus Investituris comprehensos, aut vocatos, in casibus dubiis declarari postulent, aut etiam earumdem Investiturarum, & Concessionum renovationes sibi, tamquam proximioribus, aut hæredibus ultimi Possessoris, competere, etiam ex pacto, aut ex titulo etiam oneroso, asserant, & contendant; quive caducitates, & pœnas incursas sibi remitti, & condonari, aut se ad compositiones, sive ad purgationis moræ, aliudve gratiosum beneficium admitti cupiant; ad Nos, & ad Romanum pro tempore Pontificem immediatè recurrere teneantur; nec ab aliis quibuscumque novarum Concessionum hujusmodi, aut condonationum, remissionum, sive restitutionum in integrum, aliaque beneficia prædicta, seu gratiosas declarationes utiliter obtinere possint, & valeant; Nos enim præmissarum omnium, & singularum gratiarum, declarationum, & beneficiorum concessiones Nobismetipsis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus privativè, & expressè, motu, scientia, & potestate similibus harum tenore reservamus.

III. Verum in casu devolutionum, & caducitatum, ipsis non licet novas investituras &c. concedere.

Et recursus etiam in casibus dubiis ad Romanum Pontificem habeatur.

Decernentes pariter ipsas præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aut alio quocumque, quantumlibet substantiali, & individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, restringi, invalidari, ad viam & terminos juris, aut veteris consuetudinis reduci, seu aliàs in jus, vel controversiam revocari posse, sed easdem præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere. Sicque, & non aliter Cardinalium Legatorum, aut Prælatorum Præsidentium prædictorum facultates, & privilegia, sive expressa, sive per generalitatem verborum concepta, intelligi, & interpretari debere; atque ita in præ-

Clausulæ pro Præmissorum firmitate.

missis omnibus, & singulis censeri, & per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales, necnon ipsius Cameræ Apostolicæ Thesaurarium generalem, Præsidentes Clericos, aliosve Officiales, & Ministros, ac cæteros, quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his a quòquam, quavisauctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Gregorius Prædecessor in superius relata Constitutione voluit non obstare; necnon Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum in Provinciis Legationum præfatarum consistentium quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stilis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis etiam favore Cardinalium Legatorum, aut Prælatorum Præsidentium prædictorum, communiter, seu peculiariter, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt, Motu, & potestatis plenitudine paribus specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Pontifex mandat præsentium publicationem.

Utque eædem præsentes ad omnium Censuariorum, Feudatariorum, Emphyteutarum, aliorumque Bonorum & Jurium Cameralium in Provinciis Legationum præfatarum consistentium, utilium Possessorum, & aliorum, quos ipsæ præsentes concernunt, notitiam faciliùs deducantur; Volumus, & decernimus ipsas præsentes in plena Camera legi, & registrari, ac ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, aliisque consuetis locis, per aliquem ex Cursoribus Nostris in Urbe; In singulis verò Legationibus prædictis in Loco residentiæ Cardinalis Legati, aut Prælati Præsidentis, publicari, & affigi, ac earum exempla ibidem affixa relinqui; quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes & singulos præfatos perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent. Quodque earundem præsentium Transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in Judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Et Fidem transumptis haberi.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc paginam Nostri Decreti, statuti, reservationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVIII. pridie Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

J. Datarius.

*Pro Domino Cardinali Passioneo.*

Jo. Florius Substitutus.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 3. Julii* 1748.

1748. Datum Pontificatus Anno VIII. die 12. Junii 1748.

---

## LI.

Ad Poloniæ Regni Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos: De concessione, & executione Dispensationum Apostolicarum super impedimentis Matrimonii.

### BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Causa conscribendi hanc Epistolam.

MAGNÆ Nobis admirationis, nec minoris doloris causa fuit, quod ex fide dignorum relatione, certisque gravium Virorum Literis accepimus, falsam quamdam in isto Poloniæ Regno opinionem, & famam invaluisse; quòd scilicet ab hac Apostolica Sede, cui Nos, licèt immeriti, Divina ordinatione præsidemus, aliquæ dispensationes Matrimoniales concessæ & missæ fuerint, & hactenus concedi, & mitti soleant, quibus sublata sint impedimenta Canonica Matrimonio legitimè, aut validè ineundo obsistentia, licèt contrahentium alter, vel etiam uterque, Hæreticam sectam apertè profiteatur. Quod quum nonnisi per injuriam, & intolerabilem calumniam excogitatum sit, atque disseminatum; Apostolici ministerii Nostri officio deesse Nos arbitraremur, nisi Vobis, Venerabiles Fratres, atque omnibus, ad quos hæ Literæ Nostræ perventuræ sunt, testatum ac manifestum redderemus, quæ sit in hoc rerum genere perpetua Apostolicæ hujus Sedis agendi regula, & constans consuetudo; simulque Vos omnes, & singulos per istud Poloniæ Regnum, suâ semper fide, & religione commendatum, Ordinarios Præsules constitutos, enixè admoneremus, & per misericordiam Dei obsecraremus, ut Literas Dispensationum Matrimonialium, quæ pro ipsius Regni Incolis ab hac Sede, & Curia mittuntur, & ipsi attentè legatis, atque expendatis, & a vestris quique Vicariis, & Officialibus accuratissimè considerari jubeatis. Nos enim pro certo habemus, idque mox planum facturi sumus, si quid usquam in hac parte peccatum est, non id factum esse Apostolicæ Sedis, ejusque Officialium culpâ; verùm aut Ordinariis Locorum, aut eorum Ministris, qui transmissas Dispensationum Literas nec legere, nec satis pensare curarunt, omnino tribuendam esse.

Quia videbatur falsò asseritum fuerat S. Sedem cum Hæreticis dispensare ad contrahendum Matrimonium.

Neque verò necesse habemus ea omnia in medium proferre, quibus luculenter demonstrari posset antiquitas ejus disciplinæ, qua semper Apostolica Sedes Catholicorum cum Hæreticis conjugia reprobavit. Sed aliqua dumtaxat afferre sat erit, quibus ostendamus, eandem disciplinam ac regulam ad Nostra usque tempora constanter servatam, apud Nos & Apostolicam Sedem non minus integram vigere, & religiosè custodiri. Hoc est, quod de se ipso, suisque temporibus testatus est felicis recordationis Prædecessor Noster Urbanus Papa VIII. in suis Literis Apostolicis datis die xxx. mensis Decembris Anni MDCXXIV., quæ leguntur apud

Idque ipsum comprobat.

Disciplina Ecclesiæ Romanæ circa Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis.

Cardi-

Cardinalem Albitium in Libro, cui Titulus *De Inconſtantia in Fide cap.* 37. *num.* 217. ubi ita ſcribit : *Licèt probè teneamus Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia omninò fugienda eſſe, & quantum in Nobis eſt, a Catholica Eccleſia procul arcere intendamus.* Nec minus apertè ſententiam ſuam declaravit piæ memoriæ Prædeceſſor pariter Noſter Clemens Papa XI. in Literis die XXV. Junii Anni MDCCVI. datis, & editis in Collectione ipſius Brevium, & Epiſtolarum Romæ vulgata Anno MDCCXXIV., ubi *pag.* 321. ſic legitur : *Majoris momenti eſſe exiſtimamus, Eccleſiæ Dei, Apoſtolicæ Sedis, Prædeceſſorum Noſtrorum, & Sacrorum Canonum, a Catholicorum cum Hæreticis conjugio abhorrentium, regulas, niſi id totius Chriſtianæ reipublicæ bonum expoſcat, non tranſgredi*, & in aliis Literis datis die XXIII. Julii Anni MDCCVII. in eadem Collectione relatis *pag.* 391. *Eccleſia ſiquidem ab hujuſmodi conjugiis, quæ plurimum deformitatis, nec parum ſpiritualis periculi præſeferunt, abhorret.*

Pont. quoque hæc Matrimonia evitanda injunxit.

Sed & Noſtrum hac de re judicium ſatis patere arbitramur ex Decretali Reſcripto auctoritate Noſtra edito die IV. Novembris Anni MDCCXLI., & impreſſo *Tomo I. Bullarii Noſtri n. XXXIV.* §. 3., cujus verba ſunt, quæ ſequuntur : *Dolens in primis quammaximè Sanctitas Sua, eos eſſe inter Catholicos, qui inſano amore turpiter dementati, ab hiſce deteſtabilibus Connubiis, quæ Sancta Mater Eccleſia perpetuò damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorsùs ſibi abſtinendum non ducunt ; laudanſque magnoperè zelum illorum Antiſtitum, qui ſeverioribus propoſitis ſpiritualibus pœnis, Catholicos coercere ſtudent, ne ſacrilego hoc vinculo ſe ſe Hæreticis conjungant, Epiſcopos omnes, & Vicarios Apoſtolicos, Parochos, Miſſionarios, & alios quoſcumque Dei & Eccleſiæ fideles Miniſtros in iis partibus, Hollandiæ videlicet, & Belgii, degentes, ſerio graviterque hortatur & monet, ut Catholicos utriuſque ſexus ab hujuſmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem adeundis, quantum poſſint, abſterreant, eaſdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire ſatagant* ; & quæ paulò poſt ſubjecta ſunt, ubi de jam contracto Catholicæ partis cum altera Hæretica connubio, hæc habentur : *Id verò debere ſibi potiſſimè in animum inducere Conjugem Catholicum, ſive virum, ſive fœminam, ut pro graviſſimo ſcelere, quod admiſit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, conetur-que pro viribus alterum Conjugem a vera Fide aberrantem, ad gremium Catholicæ Eccleſiæ pertrahere, ejuſque animam lucrari ; quod porrò ad veniam de patrato crimine impetrandam opportuniſſimum foret, ſciens de cætero, ut mox dictum eſt, ſe iſtius Matrimonii vinculo perpetuò ligatum iri.*

Nec concedantur diſpenſationes niſi cum clauſula, ABJURATA PRIUS HÆRESI.

His autem veluti fundamentalibus Apoſtolicæ Sedis regulis, ejuſdem agendi ratio conſtanti uſu recepta apprimè reſpondet. Nam quoties ipſam adiri contingit, ſive pro obtinenda ſimplici facultate contrahendi Matrimonium inter perſonas, quarum altera hæreſim profitetur ; ſive præterea pro obtinenda ſimul diſpenſatione ſuper aliquo gradu, aliove canonico impedimento, quod inter Contrahentes intercedat ; neque licentia, neque diſpenſatio conceditur, niſi hac expreſſa lege, ſeu conditione adjecta, nimirùm *abjurata priùs Hæreſi.* Quin etiam recolendæ memoriæ Prædeceſſor Noſter Innocentius Papa X. ulteriùs progrediens, juſſit, & cavit, ne Diſpenſationes hujuſmodi omninò concederentur, niſi per authentica documenta priùs doctum eſſet, Hæreticam labem contrahente Heterodoxo ejuratam fuiſſe ; quod teſtatum reliquit laudatus Cardinalis Albitius Congregationis Univerſalis Inquiſitionis tunc temporis Aſſeſſor, in ſupracitato Tractatu *de Inconſtantia in Fide cap.* 18. *num.* 44. Præfatus verò Prædeceſſor Clemens XI. in Congregatione Sancti Officii coram ſe habita die XVI. Junii Anni MDCCX. mandavit inhiberi per Litteras Archiepiſcopo Mechlinienſi, ne ullas omninò licentias, aut diſpenſationes impertiretur pro Matrimoniis inter contrahentem Catholicum, & alterum Hæreticum celebrandis, niſi abjuratio Hæreſis reipſa præceſſiſſet ; Theologos autem, qui contra hujuſmodi praxim opinati fuerant, acriter admonendos decrevit, quemadmodum memoriæ prodidit bonæ memoriæ Vincentius hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Petra nuncupatus in ſuo Commentario ad Conſtitutionem XII. Joannis XXII. ipſius Operis *Tomo 4. pag.* 76. *num.* 14.

Contraria exempla rariſſima, & cum gravi cauſa.

Quod ſi nonnulla inveniantur exempla Romanorum Pontificum, qui aut licentiam contrahendi Matrimonium, aut etiam diſpenſationem ſuper impedimento aliquo conceſſerunt, non adjecta conditione de abjuranda priùs Hæreſi ; rariſſimas primùm omnium dicimus hujuſmodi conceſſiones fuiſſe, & quidem pleraſque earum pro Matrimoniis inter Supremos Principes contrahendis, nec niſi graviſſimâ urgente cauſâ, eâque ad publicum bonum pertinente, factas fuiſſe ; inſuper adjectas ſemper fuiſſe opportunas cautelas, tum ne Conjux Catholicus ab Hæretico perverti poſſet, quin potiùs ille teneri ſe ſciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum ; tum etiam, ut proles utriuſque ſexus ex eo Matrimonio procreanda, in Catholicæ Religionis ſanctitate omninò educaretur. Deindè verò facile eſt agnoſcere, in iſtiuſmodi conceſſionum genere nullum errandi locum Executoribus ſuppetere, niſi ipſi aliqua in re ſcienter, & data opera officio deeſſe velint. Denique ex hactenus dictis apertè conſtat, in omnibus caſibus, quibus facultates, aut diſpenſationes ab Apoſtolica Sede petantur pro Matrimoniis a Catholico Viro, aut Muliere, cum Hæretica Fœmina, aut Viro contrahendis ; eandem Apoſtolicam Sedem, ut ſupra diximus, hujuſmodi Matrimonia, niſi Hæreſis abjuratio præcedat, & ſemper improbaſſe, ac damnaſſe, & nunc quoque abominari, ac deteſtari.

Cautelæ in hiſce caſibus adhibitæ.

In caſibus dubiis, non ſolùm certus executor deſignatur;

Quoties verò Diſpenſationes ex aliqua probabili cauſa petuntur pro Matrimoniis, quæ quidem inter Hæreticos, ſeu cum altera parte Hæretica ſunt contrahenda, ſed id nequaquam in precibus palam exponitur ; quum nequeant Apoſtolicæ Sedis Miniſtri, atque Officiales hoc divinando reſcire ; ad obſtruenda obloquentium, & calumniantium ora, hoc innuiſſe ſufficeret, quod nulla conceditur diſpenſatio, quæ alicui certo Executori directa non ſit, cui nimirùm in mandatis datur, ut de omnium expoſitorum veritate cognoſcat, & diſpenſationem ipſam ſervatis ſervandis effectum ſortiri faciat ; Cumque huic ignorare non liceat, Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis ab Apoſtolica Sede improbari, & damnari, facilè verò cognoſcere valeat, Hæreſis vitium, quo contrahentium alter inficitur, & de quo nulla habetur mentio in Literis Diſpenſationis, eidem Apoſtolicæ Sedi occultatum fuiſſe ; ad ejus officium pertinet hujuſmodi Literarum exequutionem ſuſpendere, ejuſque ſuſpenſionis cauſam Romano Pontifici, ejuſve Officialibus, eâ, qua decet, reverentiâ per Literas aperire ; quemadmodum Prædeceſſor quondam Noſter Alexander Papa III. Ravennæ Archiepiſcopo faciendum præſcripſit in ſuis Literis, quæ ad perpetuum vigorem in Decretalium Codicem relatæ ſunt *Cap. Si quando, de Reſcriptis* ; ubi ſic legitur : *Qualitatem negotii, pro quo Tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum Noſtrum reverenter adimpleas, aut per Literas tuas,*

Qui concedentis mentem ignorare nequit :

*quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava Nobis fuerit insinuatione suggestum.*

Sed ulterius apponitur conditio, dummodo Orthodoxæ Fidei cultores sint &c.

Verùm non hic sistit Apostolicæ Sedis, ejusque Officialium circumspectio. Si enim dispensatio, quæ pro removendo alicujus Matrimonii canonico impedimento ex aliqua rationabili causa petitur, ad ejusmodi Regiones pertinere dignoscatur, in quibus Catholici cum Hæreticis mixti habitant; nec aliunde certò constet, utrumque postulantem, seu eorum alterum Catholicæ Religionis professorem existere; præfati Officiales Pontificis mentem probè callentes, postulantem utrumque Catholicum esse semper præsumunt, ideoque eorum præces in Libello (*Supplicationem* appellant) Pontificis manu obsignando his verbis exponunt: *Cupiunt Oratores præfati, qui Orthodoxæ Fidei cultores verè existunt, & sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivunt, vivereque & mori intendunt &c.* quibus consonant alia verba, quæ in parte conditionali ad majorem cautelam apponuntur, nimirùm: *Et dummodò Oratores præfati Orthodoxæ Fidei cultores verè existant, & sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivant, vivereque, & mori intendant.*

Eius conditionis lex non sine executoris culpa violatur.

Quibus prænotatis, jam id jure optimo quærimus: quum Literæ Dispensationum Matrimonialium ejusmodi verbis conceptæ, eoque tenore expeditæ fuerint; si postmodum innotescat contrahentes Hæreticos esse, vel unum eorum Catholicum, alium verò Hæreticum; & nihilominus dispensatio executioni mandetur: cujus erit culpa, & quisnam dispensationis in indignos profusæ jure accusari poterit? An is, qui bona fide, & opportunis cautelis adhibitis, adjectisque legitimis conditionibus, illam concessit; an verò is, qui nulla conditionum hujusmodi ratione habita, aut nulla de contrahentibus disquisitione præmissa, dispensationem ipsam, contrà Concedentis voluntatem, indebitum effectum habere permisit?

Objectum de declaratoria pro impubere refellitur.

At dicet aliquis, non omnes Dispensationum Literas istiusmodi clausulis munitas semper expediri; quum & in ipsum Poloniæ Regnum, paucis ab hinc annis, quædam Dispensatio ab Urbe missa fuerit, quæ nullam hujus generis appositam conditionem præseferebat. Hujus facti speciem, quam Nos animo præsentem retinemus, non abs re erit hic explanare. Dispensatio erat super ætate, favore cujusdam Puellæ, quæ sex mensibus minor erat duodennio, quod est in Fœminis legitimum ætatis tempus ad Matrimonium ineundum. In ejus autem concessione expositum fuit, quod *malitia ita supplebat ætatem, ut de jure Matrimonium contrahere posset.* Quapropter Declaratoria hæc potiùs dicenda erat, quàm Dispensatio; quum facultas contrahendi Matrimonium ante præscriptum ætatis tempus, quoties malitia suppleat ætatem, ab ipsa Legum & Canonum dispositione proveniat. Quin immò Episcopi ipsi, & Ordinarii Locorum jure suo pronunciare possunt super ea quæstione, quæ facti est; an scilicet malitia, ut asseritur, ætatem suppleat; & consequenter Matrimonii contrahendi licentiam impertiri valent; neque necesse est Apostolicam Sedem adire, nisi pro majori actus solemnitate; & *ne de contractus Matrimonii hujusmodi validitate propter minorem ætatem hæsitari contingat*; ut habet formula, quæ in concipiendis Literis Declaratoriis super minori ætate adhiberi consuevit. Siquidem Canonistæ docent, cumulativum jus esse inter Apostolicam Sedem, & Judices Ordinarios, cognoscendi & pronunciandi de hac re, an scilicet malitia suppleat ætatem; privativum verò Apostolicæ Sedis jus esse concedendi Dispensationem ad contrahendum Matrimonium impuberi, qui per ætatem nondum conjugali copulæ maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut Matrimonii contrahendi vim, & naturam intelligat. Etenim ad validitatem Matrimonii, quemadmodum rationis usus requiritur de jure naturali, & Divino, ita actualis ad conjugalem copulam potentia requiritur de jure positivo Canonico. Romanus autem Pontifex est supra jus Canonicum; at quilibet Episcopus eojure inferior est, proindeque illius legibus derogare nequit.

Clausulæ appositæ in dicta declaratoria.

Verùm, omissâ etiam quæstione hac, an licentia contrahendi Matrimonium ante legitimum ætatis tempus, quando malitia supplet ætatem, Dispensationis propriè dictæ, an potiùs Declaratoriæ vim habeat; adeoque utrùm Gratiæ, an Justitiæ actibus accenseri debeat; videndum præterea est, an in Apostolicis Literis super hac re concessis, quamvis ea verba, cæque conditiones minimè legantur, quæ in aliis Dispensationibus apponi solent, alia tamen adsint æquipollentia verba, quorum vigore hujusmodi Literarum Executor deputatus (ubi Contrahentium alterum, seu ambos, Hæresis labe infectos esse, neque id concedenti narratum in precibus, nec alia via eidem compertum fuisse, cognoverit) ab earum exequutione abstinere se debeat: De hoc autem dubitari non poterit, si advertatur, quod postquam in hujusmodi Litteris Executori demandatum fuit, ut *se de præmissis diligenter informet*, ac videat, *an verè, & legitimè constet, in hujusmodi impubere malitiam supplere defectum ætatis*; eidem deinde committitur, ut postulanti permittat, *dummodò nullum aliud ei obstet canonicum impedimentum, Matrimonium cum aliquo Viro nullo sibi jure prohibito, vel ex dispensatione Apostolica permisso, servata forma Concilii Tridentini, contrahere*; quibus sanè verbis Executori ea lex indicitur, ut minimè sinat hujusmodi impuberem, Dispensationis, seu Declaratoriæ effectu gaudere; si exploratum habuerit, ipsi in animo esse detestabiles cum Hæretico nuptias contrahere.

Valde interest Sanctæ Sedi, ut falsi rumores dissipentur.

Jam verò longiùs processit oratio Nostra, quàm Nobis hujus Epistolæ initio propositum fuerat; Cujus rei tamen Nos minimè pœnitet; Nobis enim summopere cordi est, maximeque interest Catholicæ Religionis, & Sedis Apostolicæ, ut factorum rerumque veritas non ignoretur; neque falsi rumores adversus Sacram Petri Cathedram disseminati fidem inveniant; si quæ autem contra Sacros Canones ullibi inordinatè geruntur, eorum culpa in immeritos nequaquam transferatur.

Hortatoria ad Ordinarios pro cautè inspiciendis, & exquendis Literis dispensationum.

Ut autem eò redeat Epistolæ Nostræ finis, unde eadem initium desumpsit; Tibi, Venerabilis Frater, cæterisque istius Regni Ordinariis Præsulibus, iterum enixè commendamus, ut Apostolicas Dispensationum Literas, quæ Vobis pro exequutione diriguntur, & diligenter ipsi expendatis, & a vestris respectivè Officialibus attentè considerari jubeatis; neque etiam superfluum existimetis, si quid in ipsis abnorme, ac novi exempli adesse videatur, de earum veritate, aut falsitate disquirere; Multa enim malitia hominum est super terram, nec Nobis rescire datum est, usque quò pertingere valeat falsariorum audacia. Porrò ad aures Nostras pervenit, quemdam fuisse, qui, sublato gradus impedimento, Hæreticum Virum cum Muliere Catholica Matrimonio conjunxerit; cumque deinceps factum suum reprehendi comperisset, non dubitarit asserere, se hac in re Apostolicæ Dispensationis, quam ab Urbe accepisset, auctoritate munitum fuisse; quum verò ad producendas hujusmodi Dispensationis Literas provocaretur, eas nunquam edere potuerit, quia eas reipsa nunquam acceperat. Verùm Nos, de inclyta Polonorum Natione, quam Paternæ charitatis affectu complectimur, deque sacris istius Regni Præsulibus, quos omnes & singulos magno in honore habemus, favorabiliùs judicantes, improbum hujusmodi scelus nequaquam isthic admissum fuisse credimus. Tibi autem, Venerabilis Frater, Gregique Tibi commisso, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXIX. mensis Junii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

S. Ste-

LII.

S. Stephani, Papæ & Martyris Militibus conceditur, ut Enſe ad latus inſtructi coram Romano Pontifice comparere poſſint.

*Dilecti Filiis Militibus Sancti Stephani.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecti Filii, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

Militia S. Stephani variis Privilegiis a Rom. Pont. cumulata fuit.

PRæclara Militiæ veſtræ ſub invocatione S. Stephani Papæ & Martyris Apoſtolica facultate per bonæ memoriæ Coſmum Medices Florentiæ, & Senarum Ducem ſub Regula Sancti Benedicti inſtitutæ, Apoſtolica auctoritate confirmatæ, & Apoſtolicæ liberalitatis Privilegiis, facultatibus, & Indultis per ſel. rec. Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros auctæ, decora ac merita, & eximias virtutes, atque illuſtria exempla Majorum Veſtrorum Militum, quæ ſub felicibus Cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Franciſci Lotharingiæ, & Barri Ducis, nec non Etruriæ ſibi ſubjectæ Magni Ducis in Imperatorem electi, atque ejuſdem Militiæ Magni Magiſtri auſpiciis aſſidua ſtudioſaque æmulatione provehere contenditis, jure exigere videntur, ut Nos etiam, qui Vos de Nobis ipſis, & de Apoſtolica hac Sancta Sede amplius benemerentes paterna complectimur benevolentia, luculentis Pontificiæ Noſtræ caritatis, & honorificentiæ teſtimoniis adaugeamus, Perſuaſum enim Nobis eſt, atque in Domino confidimus, collata Vobis, poſteriſque Veſtris Militibus Apoſtolicæ benignitatis documenta ad firmiſſimum Sacroſanctæ Eccleſiæ præſidium, & ad perenne virtutis incitamentum fore ceſſura. Itaque Vos, Dilecti Filii, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, Voſque ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſingulis Militiæ Veſtræ Militibus præſentibus, ac futuris ad Nos, & Romanum Pontificem pro tempore ſucceſſorem Noſtrum accedentibus, ut, præter cætera Privilegia, Indulta, & honorum inſignia ab eadem Apoſtolica Sede ipſis Militibus impertita, hac quoque prærogativa, Enſe nimirum ad latus inſtructi coram apparendi, venerandi, atque alloquendi in futurum tempus, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus, uti, frui, & gaudere poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, earumdem præſentium literarum tenore benignè indulgemus, & elargimur. Interim Apoſtolicæ huic Noſtræ indulgentiæ, ac benignitati adjicimus Apoſtolicam Benedictionem, quam tamquam ſtudioſæ Noſtræ ad Vobis opportunè gratificandum voluntatis pignus, Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Et ob ejuſdem militiæ merita.

Pontificeidē Militiæ nova privilegia addere non dedignatur.

Ideo eis concedit, ut Enſ ad latus inſtructi coram Romano Pontifice adeſſe poſſint.

Datum in Arce Gandulphi Albanenſis Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die 8. Junii 1748. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

Dat. Pont. A. VIII. die 8. Junii 1748.

LIII.

De libero, & mutuo Commercio inter Provincias, Civitates, & Loca Ditionis temporalis Sanctæ Sedis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Procœmium.

*QUO die ſupremum Reipublicæ clavum, unà cum Apoſtolicæ ſervitutis officio, Nobis immerentibus, & planè inopinantibus commiſſum ſuſcepimus, inter non obſcuras gratulationes, quibus provectionem Noſtram a dilectiſſimo Populo exceptam fuiſſe cognovimus, hanc intelleximus non improbabilem lætitiæ cauſam circumferri, quod nempe ad eum delata eſſet gubernandi regendique poteſtas, qui temporalis Romanæ Eccleſiæ Domini, totiuſque Ditionis Eccleſiaſticæ res i, atque rationes, tum ipſo natalium veluti jure, tum maxime uſu, ac diuturna conſuetudine, perſpectas penitùs, atque exploratas habere cenſeretur. Cum qua ſanè opinione non immerito forſan de Nobis præconcepta, alteram quoque in Subditorum animis junctam ſtatuere, jam uſque a primis Pontificatus Noſtri exordiis curavimus, ſemperque augere & confirmare curabimus; ut ſcilicet rerum cognitioni dudum per Nos acquiſitæ, & poteſtati Nobis Divino conſilio collatæ parem omninò voluntatem, & curam ad eorum commoda inveſtigandæ, & ad ea pro viribus promovenda, paterno pectori Noſtro infixam eſſe, & agnoſcant, & ſentiant. Hujus verò voluntatis, ſtudiique Noſtri cùm multa ad hunc diem argumenta per Nos edita, multique ſalutares effectus in Populorum levamen, utilitatemque derivati fuerunt; tum verò nullum magis jucundum, utilemque fructum iiſdem accidere poſſe putamus, quam quod penſatum diù maturèque conſilium, ſuperioribus tandem diebus ad optatum finem, Deo adjuvante, perduximus; ut ſcilicet generalem, atque perpetuam Commercii libertatem inter pleraſque Eccleſiaſticæ Ditionis Provincias, plenamque rerum vendendarum, atque emendarum, & convehendarum facultatem, ſuprema auctoritate Noſtra, atque manſurâ in ævum conceſſione ſtatueremus; ſub certis legibus, & conditionibus, quas ad propoſitum Nobis, & unicè ſpectatum, utilitatis publicæ ſcopum magis pertinere judicavimus. Sicut enim nolumus, per ſpeciem largioris rerum abundantiæ in ſingulis Locis, atque Provinciis conſervandæ; fertilium Terrarum, Fundorumque Dominis, atque Cultoribus, in media perceptorum fructuum affluentia, aliarum rerum omnium egeſtate laborantibus; aliiſque viciſſim conterminis ejuſdem Apoſtolicæ Sedis Subditis, in ipſo vicinæ ubertatis conſpectu, fame, ac penuria afflictis; paucorum privatorum aviditati de Provinciarum vexatione quæſtum, & lucrum comparari: Ita ſummoperè Nobis cordi eſt, ut quæ de rore Cæli, & de pinguedine Terræ felicibus Eccleſiæ Romanæ Ditionibus conceſſa eſt rerum copia, nec in alienorum commodum, cum Subditorum detrimento, derivetur; nec iis potiſſimum Locis, quibus præcipua Dei largitate tributa eſt, aut deteſtabilibus negociatorum artibus, aut intempeſtivâ & improvidâ exportatione, depereat. His omnibus pleniſſimè conſultum eſſe voluimus per ea, quæ ſuſè ſtatuimus, & decrevimus in Schedula Noſtri Motus proprii, quam nuper Chirographo Noſtro obſignamus, cujus tenor talis eſt.*

Expectatio Subditorum Sanctæ Sedis in Pontificis exaltatione.

Amor Pontificis in Subditos.

Ejuſque argumenta

Signanter modo in ſtatuendo libero Commercio inter Provincias Ditionis Eccleſiaſticæ.

Juxta prudentem methodum in ejus Chirographo contentam.

# BENEDICTUS
## PAPA XIV.
### *Motu Proprio &c.*

Tenor Chirographi.

Illius Proœmium.

PEnsando Noi continuamente al commodo, e vantaggio de' Nostri amatissimi Sudditi, e sopra tutto a liberarli, per quanto ci è possibile nelle angustie de' tempi correnti da quegl' impedimenti, & aggravj, che recano loro danno considerabile: Degna sopra ogni altra cosa della Nostra paterna providenza ci pare la proibizione del libero Commercio, sotto la quale da gran tempo gemono le Provincie del Nostro Stato, e specialmente le più floride, & abbondanti, di Ferrara, e di Romagna: Essendoci stato più volte rappresentato, ed avendo Noi stessi in tempo della Nostra residenza nella Chiesa Metropolitana di Bologna per isperienza riconosciuto, che la sudetta probizione, benchè si rivesta e colori coll'apparente, e specioso timore, che le dette due Provincie per supplire al bisogno altrui, non rimangano spogliate del Grano, & altri Generi, che in esse si producono; E stata però sempre riconosciuta per dannosa, e nociva non solo alle altre Provincie meno abbondanti, quali in tal guisa restano costrette a provedersi del necessario supplemento, o fuori di Stato condanno pubblico e privato, o se anche dentro lo Stato, sempre però fuori di tempo; ed anche tal volta valendosi dell' opera, ed ajuto di alcuni Uomini proscritti, volgarmente chiamati Contrabandieri, con evidente offesa della Maestà del Principe; ma di più ugualmente dannosa alle medesime Provincie di Ferrara, e di Romagna, mentre a queste si toglie il modo di esitare onestamente li Generi, che ricavano dalle proprie industrie, e da i proprj Terreni, e in conseguenza di provedersi del denaro, del quale abbisognano per pagare i Pesi pubblici, e supplire all'altre cose, che sono necessarie per il proprio mantenimento.

Perpenduntur damna, quæ a prohibitione liberi Commercii inferuntur.

E sebbene i Nostri Predecessori, e tal volta anche in tempo di Sede vacante il Sagro Collegio de' Cardinali, atteso i clamori, e ricorsi delle Comunità dello Stato, hanno procurato rimediare al disordine, facendo rinovare quasi ogni anno dalli Cardinali Camerlenghi pro tempore di Santa Chiesa gli Editti di libero, e reciproco commercio: Questi però rade volte hanno avuto l'effetto desiderato, atteso che li Cardinali Legati, Presidi, e Governatori di Provincie, sedotti & ingannati, come si vuol credere, dalli Uffiziali, e Ministri subalterni, in profitto de' quali per la spedizione delle Tratte, e Licenze, certamente ridonda la sudetta proibizione, o non mai, o troppo tardi, e fuor di tempo, gli hanno fatti pubblicare nelle loro respettive Legazioni, e Provincie, cosicche è rimasta per lo più in piedi la suddetta probizione, e quello ch'è molto più odioso, no solo tra Provincia e Provincia, Legazione e Legazione, ma eziandio tra Luogo e Luogo della medesima Provincia, e Legazione: anzi la sudetta probizione è stata eseguita con tale asprezza, che buona parte de' Possidenti, Coloni, e Contadini sono stati anche per via d'Inquisizione sottoposti alle processure, e pene gravissime, con totale rovina delle povere loro Famiglie.

Pontifex remisit hujus rei cognitionem Congregationi Status Oeconomici Cameræ.

Volendo pertanto Noi in affare di tanta importanza prendere uno stabile, perpetuo, & efficace provedimento, ordinammo, che il medesimo affare fosse con tutta serietà, e maturità esaminato nella Congregazione poco prima da Noi specialmente deputata sopra le materie economiche della Camera Apostolica, e Stato Ecclesiastico, nella Nostra Costituzione, che incomincia, *Apostolicæ Sedis Ærarium*, data sotto il giorno 18. Aprile 1746.; anzi per maggior cautela e sicurezza, non isdegnammo di scrivere Noi stessi, e consultare, e fare, che dal Segretario di essa Congregazione s'interrogassero, e consultassero a nome Nostro li Reverendissimi Cardinali Legati di Bologna, Ferrara, e Romagna, Monsignor Presidente d'Urbino, e Monsignor Governatore Generale della Marca, & in oltre alcuni de' più savj, & accreditati Gentiluomini di ciascuna di dette Provincie. Raccolti poi li sentimenti, e voti di ciascheduno, avendo Noi veduto, che, eccettuato un solo, o al più due, gli altri tutti sono convenuti nel sentimento, che il libero, scambievole, e reciproco Commercio tra tutti li Sudditi, e Luoghi del Nostro Stato, sia cosa non solo connaturale, e coerente all'obbligo di quella civile Società, che tutti unisce in una sola Repubblica, & in un sol Principato; ma anche necessaria, e utilissima non meno a i Luoghi, e Provincie più abbondanti, che all'altre meno abbondanti:

Perciò inerendo a detto comune sentimento, e seguendo, & approvando le risoluzioni prese in detta Congregazione sotto li 3. Gennaro, 7. Febraro, e 4. Luglio dello scaduto anno 1747., in virtù della presente Nostra Cedola, nella quale vogliamo, che si abbia per espresso, e di parola in parola inserto l'intiero tenore di tutti i Chirografi, Brevì, Costituzioni, Bandi, & Editti, e di ogni altra cosa, che facesse in contrario, e che fosse in qualunque modo necessaria ad esprimersi; Di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Apostolica autorità, diamo, e concediamo in perpetuo a tutti, e singoli Abitanti, e Commoranti nel Nostro Stato Ecclesiastico, o sieno, o non sieno Sudditi per origine, di qualunque stato, grado, e condizione, ampla, & amplissima libertà di poter ciascuno a suo arbitrio, e piacimento contrattare, & estrarre non solo da Luogo a Luogo, ma ancora da Provincia a Provincia, e da Legazione a Legazione di detto Nostro Stato Ecclesiastico (purchè però non si estragga, o trasporti fuori di esso Stato) Grano, Biade, Formentone, Marzatelli, Animali, Legna da lavoro, e da fuoco, & ogni altro genere di cosa mobile, semovente, e vendibile, in qualunque modo chiamata, e denominata, ancorche serva all'Annona, o Grascia, o ad altro qualsivoglia uso umano, con le seguenti dichiarazioni, & provisioni.

Et eam solutionem inhærens, Motu proprio decernit, & concedit liberum intra Statum Commercium.

Cum sequentibus provisionibus.

*Primo.* Che in questa Concessione di libero, e scambievole Commercio sieno, e s'intendano comprese le Provincie, e Legazioni di Bologna, Ferrara, Romagna, & Urbino, Governo della Marca, e dell'Umbria, & ogni altro Governo, Città, Terra, e Luogo, ancorchè Baronale dello Stato Ecclesiastico; eccettuati solamente lo Stato, e Legazione d'Avignone, il Governo, e Ducato di Benevento, come pure il Distretto di Roma, la Provincia di Sabina, il Governo di Viterbo, e l'altro di Civitavecchia, con le Città, e Luoghi ad essi sottoposti, anche a titolo di sopraintendenza, e generalmente tutte quelle Città, Terre, e Luoghi, che servono all'Annona, o alla Grascia di Roma, e che sono soggetti alla Giurisdizione del Prefetto dell'Annona, e del Presidente della Grascia; riservando a Noi di dare in appresso per il comodo, e vantaggio di questi Luoghi, e Provincie così eccettuati altro conveniente provedimento.

I. Quæ Civitates, & Loca comprehendantur, & quæ excipiantur.

2. Che il sudetto libero, e reciproco commercio tra Provincia e Provincia, e tra Luogo e Luogo di una medesima Provincia, s'intenda, e debba intendersi, come Noi lo diamo, e concediamo, tanto per Terra, quanto per Acqua, & eziandio per Mare: Con questa differenza

II. Quid servandum, quum merces transferri debent.

però, che volendosi estrarre, e trasportare da Luogo a Luogo, oppur anco da Provincia a Provincia, e da una Legazione all'altra qualunque genere (come sopra) di cosa vendibile per via di Terra; sia lecito a ciascheduno di farlo senza domandare licenza alcuna, nè darne assegna, denunzia, o notizia nè in voce, nè in iscrito ai Cardinali pro tempore Legati, o Vicelegati, Governatori, Presidenti, Magistrati, loro Cancellieri, o altri Uffiziali, e Ministri: Ma volendosi estrarre, e trasportare da Luogo a Luogo, oppure da Provincia a Provincia, gl'infrascritti Generi, o Grano, o Biade, o Formentone, o Marzatelli, o Farina, o Oglio, per via d'acqua, cioè Fiumi, Canali, o Mare; non possa ciò farsi senza averne presa l'espressa licenza in scriptis, quale vogliamo che non possa negarsi, ma si dia gratis, e senza verun pagamento, con esprimere però in essa la precisa quantità di Grano, Biade, Formentone, o Marzatelli, Farina, & Oglio, che si vorranno trasportare, e purchè l'Estraente si obblighi, e dia sigurtà idonea, sotto pena del duplo, di esibire, e rilasciare dentro il termine di un mese nella Cancellaria del Luogo, da cui si farà l'Estrazione, Documento autentico di averlo con effetto trasportato, e escaricato in quel'altro tal Luogo del Nostro Stato, ove avrà assegnato di volerlo trasportare. Qual termine di un mese non possa esserli prorogato, se non che ad un'altro sol mese, e non più, quando giustifichi, e provi esser stato forzosamente impedito, o dai geli, rispetto ai Fiumi, Valli, e Canali, o da fortuna, e borasca, rispetto al Mare.

III. Revocatio privativarum vendendi, & emendi.

3. Che per tal effetto, e perche il sudetto reciproco, e scambievole Commercio resti veramente libero da qualunque impedimento, siano, e s'intendano rivocate, cassate, & annullate tutte, e singole Privative di vendere, o comprare, concedute in qualunque tempo da' Cardinali Legati, Presidi, e Governatori di Provincie, come in fatti Noi le cassiamo, annulliamo, abolimo, e rivochiamo; preservando solamente, e lasciando nel suo vigore le Privative del Sale, Macinato, e qualunque altra Privativa conceduta in favore degli Appaltatori Camerali, o anche delle Comunità, o di altri Particolari, con Chirografi, o Brevi speciali o Nostri, o de' Nostri Predecessori: Non essendovi alcuno, che abbia facoltà di concederle, fuori del Principe Supremo.

IV. Derogatio cuicumque Legi super prohibitione reciproci Commercii.

4. Così pure vogliamo, e comandiamo, che s'intenda espressamente derogato, come in virtù della presente amplamente, & espressamente deroghiamo a tutti, e singoli Statuti, e Consuetudini, Bandi, e Tariffe, & a qualunque altra disposizione, & ordinazione, per la quale si vieti, e proibisca, che non possa vendersi, e comprarsi, darsi, e riceversi in solutum, o trasportarsi da Provincia a Provincia, ovvero da Luogo a Luogo di una stessa Provincia, senza licenza de' Cardinali Legati, Vicelegati, Presidi, Governatori, o Magistrati locali, Grano, Biade, Formentone, Marzatelli, Animali, & ogni altra qualunque cosa mobile, o semovente; e specialmente vogliamo, che sia, e s'intenda derogato, & abolito, come Noi abolimo, annulliamo, e rivochiamo, per lo Stato, e Legazione di Ferrara il Bando, e Tariffa del Cardinale di S. Susanna impressa li 15. Decembre 1656., o altro più vero tempo, non ostante qualunque conferma o de' Crdinali Legati Successori, o anche della Sede Apostolica: Volendo, e decretando, che li sudetti Statuti, e Consuetudini, Bandi, e Tariffe nelle parti contrarie a questa Nostra Cedola, e che possino essere direttamente, o indirettamente, di qualsivoglia, ancorche minimo impedimento al libero e scambievole Commercio trà una Provincia, o sia Legazione, e l'altra, e molto più tra un Luogo, e l'altro d'una medesima Provincia, e Legatione, si abbiano, e Legazione, si abbiano, e debbano avere per nulli, & irriti, e come se mai fossero stati fatti, pubblicati, e Confermati.

V. Annullatio Processuum, & inquisitionum pendentium contra Extractores de Loco ad Locum.

5. Di più vogliamo, e comandiamo, che sieno, e s'abbiano per nulle, & irrite tutte le Inquisizioni, e Processure Criminali. e tutte le condanne o ancora pendenti, o in altro qualsisia modo sin' ora non eseguite contro qualunque de' Nostri Sudditi, e specialmente, contro i poveri Contadini, per avere estratto, o tentato di estrarre alcun Genere di cosa vendibile da Luogo a Luogo, oppur anche da una Provincia all'altra di quelle, come sopra, compresse nella presente Nostra Cedola. Dichiarandoli sin d'adesso tutti, e singoli con generale assoluzione pienamente, e totalmente assoluti da ogni Processura, Inquisizione, e pena, che possano avere, o pretendersi incorsa per causa di dette Estrazioni, ancorchè più volte replicate, purche però non si tratti di Estrazione fuori di Stato, nè di cose soggette alle Privative degli Appaltatori Camerali, Città, Communità, & altri, poc'anzi eccettuate, e preservate.

VI. Monopolia, aliique injusti quæstus, & abusus non tolerantur.

6. Ad effetto poi, che non si faccia abuso di questa Nostra così ampia concessione di libero, e scambievole Commercio di ogni cosa vendibile, e che la medesima per malizia degli Uomini non torni in danno, e pregiudizio nè di tutto, nè di alcuna parte di detto Nostro Stato Ecclesiastico, rinoviamo in primo luogo tutte le Bolle, e Costituzioni de' Nostri Predecessori, e tutti i Bandi generali, e particolari contro quelli, che in avvenire faranno incette, e monopoli di Grano, Formentone, Orzo, Fave, Legumi, & altre Biade di qualsivoglia sorta, Oglio, Olive, e simili: Volendo, che contro questi si proceda rigorosamente alle pene comminate in essi Bandi, e Costituzioni, e in tutto, e per tutto, secondo la forma delle medesime. Non intendiamo però con la presente di proibire sotto nome d'Incetta la mercatura lecita, & onesta delli Generi sudetti, dovendo anzi esser libero ad ognuno in sequela di questa Nostra Concessione, comprarli in un Luogo, e Provincia, e trasportali, e venderli in altro Luogo, & in altra Provincia del Nostro Stato: ma solo vogliamo, che non sia lecito ai Mercanti, o ad altri chiunque sia, comprare li Generi sudetti, prima che siano separati dal suolo, e quando ne vogliano comprare in maggior quantità del proprio consumo, che non sia loro lecito comprare detti Generi, se non che ne' Mercati, o Piazze pubbliche, e quelli così comprati, senz'altro indugio di tempo, che quanto sia commodamente necessario per il trasporto, esporre similmente venali nelli Mercati, o Piazze pubbliche di qualunque altro Luogo, ove gli piacerà trasportarli.

VII. Firma remaneant legitima Vetigalia.

7. Di più vogliano, e dichiariamo, che per la presente Concessione, di libero, e reciproco Commercio, non sia, e non s'intenda in alcuna, benchè minima parte, derogato, o pregiudicato al pagamento di qualsisia Gabella, e specialmente di Transito, introduzione, o estrazione legitimamente imposta in favore della nostra Camera, o anche delle Communità, o Persone particolari del nostro Stato: Volendo, che queste debbano esiggersi, e pagarsi da chiunque è tenuto alle medesime, senz'alcuna innovazione, e nell'istesso modo, forma, e quantità, come sono state pagate, ed esatte fin' ora, e prima della presente Concessione; purchè però siano state legitimamente imposte, e non altrimente: Poichè Noi non intendiamo approvare con la presente alcuna di esse Gabelle, quando non sia lecita, e non sia stata imposta con legitima autorità.

VIII. Nec derogatum censeatur obligationi introducendi partem fructuum in aliquem Locū, seu asservandi &c.

8. Inoltre vogliamo, e dichiariamo, che per questa nostra generale concessione di libero, e reciproco Commercio non s'intenda punto derogato, o pregiudicato all'obbligo d'introdurre o la porzione Domenicale, o altra qualunque parte del raccolto in quelle Città, Terre, e Luoghi, ove l'obbligo sudetto o per legge statutaria, ovvero per lunga, & inveterata Consuetudine trovasi in attuale osservanza; anzi vogliamo, & ordiniamo, che in quelle Città, Terre, e Luoghi del nostro Stato, ove non vi è questa provida legge, li Reverendissimi Cardinali Legati, e li Prelati Presidi, e Governatori di Provincie, oppur anche locali, facciano quanto prima adunare i pubblici Consegli, e quivi stabilire la detta Legge, & obbligo d'introdurre ogn'anno, o almeno di tenere a disposizione di chi presiede all'Annona, una porzione del raccolto, più, o meno, a proporzione della maggiore, o minore Popolazione. In quelle Città poi, Terre, e Luoghi, ove già si trova la legge, & obbligo sudetto, vogliamo, che si adempia, & osservi puntualmente; togliendo ai Cardinali pro tempore Legati, Vicelegati, Presidi, & Governatori tanto di Provincie, come Locali, Magistrati, Cancellieri, Uffiziali, e Ministri, la facoltà di dispensare da detta Introduzione, o quella differire oltre il termine prescritto dalla Legge, e Consuetudine, qualora quello, o quelli, che chiederanno somigliante dispensa, o dilazione, non abbiano precedentemente nella Cancellaria della Communità, data sigurtà idonea di ritenere, e conservare in campagna la lora tangente ad ogni richiesta, e disposizione di chi presiede all'Annona, o del Pubblico Consegliо. E se mai accadesse in più anni consecutivi tale abbondanza, che la porzione soggetta all'obbligo della introduzione non potesse consumarsi in un'anno, & altri sei mesi dell'altro anno susseguente: In tal caso solamente permettiamo ai Cardinali Legati pro tempore, & alli Governatori sudetti, di dispensare dall'obbligo d'introdurre tuttociò, che sarà soprabbondante, senza alcuna sigurtà: Purchè però la supposta soprabbondanza resti prima verificata, & approvata con risoluzione del Pubblico Consiglio delle respettive Communità, e non altrimenti; e purchè la dispensa sudetta si conceda senza verun pagamento, e in tutto gratis.

Immo ubi hæc obligatio non adsit, præscribatur.

Rerum introductarū, aut servatarum usui, & venditioni consulatur.

E perchè non sarebbe cosa giusta, che il Grano, o altro genere soggetto in virtù di tal legge all'obbligo, e vincolo della introduzione, restasse poi senza esito, e smaltimento, o in altra maniera pospoſto al Grano, o altro Genere non soggetto a detto vincolo: Perciò vogliamo, & ordiniamo, che li medesimi Legati, Vicelegati, Presidi, Governatori, & ogni altro, a cui appartiene la cura dell'Annona, ed Abbondanza, vegli, ed insista, che il Grano, o altro Genere, come sopra vincolato, abbia onninamente dentro l'anno l'esito, e smaltimento conveniente per il prezzo del Calmiero, e sia per lo stesso prezzo preferito ad ogni altro Grano, e respettivamente Genere, non soggetto all'obbligo della introduzione.

IX. Tempus præscribitur, quo extractio fieri potest.

9. Oltre a ciò, ad effetto, che in ciascuna delle sudette Provincie, alle quali si concede la Grazia di detto libero, e scambievole Commercio, le pubbliche abbondanze, li Monti frumentarj, li Forni venali, e ciascun particolare, e privato Cittadino delle medesime, abbiano un congruo, e discreto tempo per provedersi del bisognevole rispetto al Grano, Formentone, & ogni altro Genere di Biade, e Marzatelli, prima che in virtù di esso libero Commercio escano dalla propria Provincia, o Legazione; Vogliamo, ordiniamo, e dichiariamo, che il sudetto libero Commercio, quanto al Grano, & altre Biade, che sogliono raccogliersi nel fine di Giugno, o nel Mese seguente di Luglio, s'intenda, e resti ogni anno sospeso per li tre mesi di Giugno, Luglio, e Agosto; E quanto al Formentone, & altri minuti, che sogliono raccogliersi più tardi del Grano, s'intenda, e resti similmente sospeso ogni anno per li tre mesi di Luglio, Agosto, e Settembre: Intendendo però trà Provincia, e Provincia, Legazione, e Legazione; e non mai trà una Città, e l'altra, trà una Terra, e l'altra, trà un Luogo, e l'altro di una medesima Legazione, e Provincia. Qual sospensione durante, non solo vogliamo, & ordiniamo, che non sia lecito a veruna Persona, o Comunità, di qualunque stato, grado, e condizione, che sia, ancorchè Cardinali, Arcivescovi, Vescovi, Baroni, Università, Collegj, anche della Compagnia di Gesù, undici Congregazioni, Cavalieri di Malta, e di qualunque altr'Ordine Militare, Santa Casa di Loreto, Sant'Uffizio, e loro Ministri, o Patentati, Chierici della nostra Camera, Camerali, Palatini, e Famigliari nostri, o de' Romani Pontefici pro tempore nostri Successori, & altri qualsivoglia, ancorche privilegiati, e privilegiatissimi, per comprendere i quali vi fosse bisogno di specifica, & individua menzione, estrarre per Terra, o per Acqua, Grano, Biade, Formentone, o Marzatelli da una Provincia all'altra, o da una Legazione all'altra; Ma di più vogliamo, ed ordiniamo, che neppur sia lecito alli Cardinali pro tempore Legati, Vicelegati, Presidi, e Governatori di esse Provincie, e molto meno a qualunque altro Magistrato locale, a cui appartenga la cura dell'Annona, e Grascia, concedere, o dare a chicchessia la facoltà, o licenza di estrarre dalla Provincia, a cui presiede, o nella quale esercita Magistrato, e Governo, Grano, o Formentone, o altro de' Generi sudetti. Volendo Noi, che questi, in tempo di detta respettiva sospensione, non possano, e non debbano in conto alcuno uscire da quella Provincia, o Legazione, ove nascono, e che il Grano, & altro, come sopra, dal primo giorno di Settembre solamente fino all'ultimo giorno di Maggio inclusivè; e respettivamente il Formentone, e Marzatelli dal primo giorno di Ottobre solamente fino all'ultimo giorno di Giugno, in ciascun anno, possano liberamente, e senza licenza, assegna, e denunzia alcuna, estraersi da una all'altra delle Legazioni, e Provincie compresе in questa nostra Concessione, nel modo e forma, che si è stabilito di sopra.

X. Libertas commercii intra fines ditionis Eccl. tantùm conceditur.

10. Finalmente affinchè questa Nostra Grazia del libero, e scambievole Commercio, quale Noi facciamo a' Nostri Sudditi per benefizio loro, e del Nostro Stato, non faciliti l'Estrazioni, già per lo passato tante volte proibite sotto pene rigorosissime, fuori di Stato: Vogliamo bensì, che non possano molestarsi quelli, che trasporteranno Grani, Formentone, e qualunque altro genere di cosa vendibile da un luogo all'altro di una medesima Legazione, o Provincia, in tutto l'anno, e similmente non possano molestarsi quelli, che trasporteranno da Legazione a Legazione, o da Provincia a Provincia il Grano, Biade, Formentone, e Marzatelli nelli nove Mesi, per li quali concediamo per questi Generi libero, e scambievole Commercio, ancorchè si trovino dentro cinque miglia vicino al Mare, o vicino alli confini del nostro Stato Ecclesiastico.

Confirmatio prohibitionum extrahendi è Statu.

Ma però nello stesso tempo confermiamo, e rinoviamo tutte le proibizioni di estrarre fuori di Stato sotto qualunque pretesto o colore, più volte fatte, e rinovate, e confermate da Nostri Predecessori, e specialmente Pio IV. nella sua Costituzione 98., Pio V. Costituzione 198.,

Gregorio XIII. Costituzione 50., Bollar. nov. Tom. 2., Clemente VIII. Costituzione 49., Paolo V. Costituzione 12., Gregorio XIV. Costituzione 30. Bollar. nov. Tom. 3. Urbano VIII. Costituzione 30. §. 16. & Innocenzo X. Costituzione 13. §. 20. Bollar. nov. Tom. 5., come pure tutte, e singole pene dalli medesimi comminate, e stabilite contro i Trasgressori; Restringendo, e limitando per ora le suddette proibizioni, e pene alla sola Estrazione fuori di Stato, di Grano, Biade, Formentone, Legumi, & altri Marzatelli, Farina di ogni sorta, & Oglio; e lasciando all'arbitrio de' Cardinali pro tempore Legati, Presidi, e Governatori di Provincie il dare licenza di estrarre fuori di Stato gli altri Generi di cose mobili, o semoventi, secondo la prudenza loro, fino a tanto, che anche rispetto a questi si prendano da Noi quelli provedimenti, che stimeremo più utili per il vantaggio de' Nostri Sudditi. Vogliamo pertanto, e strettamente ordiniamo, che a niuna delle Persone espresse, e nominate in dette Costituzioni de' Nostri Predecessori, e specialmente ai Cardinali pro tempore Legati di Bologna, Ferrara, Romagna, & Urbino, e molto meno ai Vicelegati, Presidi, o Governatori, sieno di Provincie, oppur Locali, sia lecito di estrarre, o dare a chicchesia licenza, e facoltà di estrarre fuori di Stato senza nostro special Chirografo firmato di Nostra propria mano, o de' Nostri Successori pro tempore, anche a titolo di Passo commodo, o sotto qualunque altro titolo, colore, e pretesto, Grano, Biade, Formentone, e Marzatelli, Farina d'ogni sorta, & Oglio, sotto le pene contenute in dette Costituzioni. Volendo Noi, che l'Estrazioni, che mai per l'avvenire si concedessero per Mare, o per Acqua a titolo di Passo commodo, s'intendano, e siano giudicate per vere Estrazioni fuori di Stato, qualora l'Estrazione non si faccia con la cautela di sopra espressa, cioè, che l'Estraente notifichi al Governatore, Commissario, Podestà, o altro simile Uffiziale residente nel luogo di essa Estrazione, la quantità del Grano, Formentone, Farina, ed altro Genere, come sopra, proibito, quale intende trasportate per Acqua, o per Mare, come Passo più commodo, da un luogo all'altro dello Stato Ecclesiastico; come pure il luogo, ove intende così trasportarlo; e si obblighi con sicurtà idonea, non solo di non portarlo altrove, ma ancora di esibire dentro un Mese, e rilasciare nella Cancellaria Documento autentico di averlo realmente trasportato, e scaricato nel Luogo indicato, come si è detto più diffusamente di sopra.

Absque speciali Pontificis Chirographo.

11. Da questa proibizione di estrarre fuori di Stato, come pure dall'altra di estrarre da Provincia a Provincia del Nostro Stato nei Mesi, nei quali deve, come sopra, restar sospeso il libero Commercio del Grano, Formentone, & altri Generi di sopra espressi, seguendo le vestigia di Gregorio XV. altro Nostro Predecessore nella sua Costituzione 30. Bollar. nov. Tom. 3., vogliamo, che sieno eccettuati primieramente li Poveri, che raccolgono la Spiga caduta ai Mietitori, per quella poca quantità, che possono adunare con detta loro opera, e fatica: In secondo luogo i Contadini, e poveri Operarj, quali per loro mercede diurna, o in conto, e parte della medesima, ricevono Pane, o qualche piccola quantità di Grano, Formentone, o di altri Generi suddetti: In terzo luogo li Religiosi Mendicanti, quali similmente cercano, e raccolgono per elemosina, e per il vitto comune de' loro Conventi, o Grano, o altro de' sudetti Generi, purchè sieno nella solita, e moderata quantità: E finalmente quelli, che portano ai Mercati dentro lo Stato Polli, Ova, Frutta, & altre somiglianti cose in poca quantità, e queste cambiano con Grano, Formentone, Marzatelli, Pane, Farina, e simili, per uso proprio, e necessità delle Famiglie loro: Dichiarando, che a questi casi non si estende alcuna delle sudette proibizioni.

XI. Exceptuatio Personarum, quæ semper & undecumque res extrahere possunt.

Così pure inerendo alla Costituzione di Pio IV. la 99. Bollar. nov. Tom. 2., e di Paolo V. la 12. Bollar. nov. Tom. 3. vogliamo, e dichiaramo, che sieno, e restino eccettuati dalla suddetta proibizione di estrarre fuori di Stato quelli, che godono o per titolo veramente oneroso di effettivo pagamento, o di Appalto, e Contratto Camerale, oppure per Privilegio confermato in actu devolutionis, la facoltà di estrarre fuori di esso Stato Grano, o Formentone, o altro Genere compreso in detta proibizione; Purchè però prima di Giugno del sequente Anno 1749. abbiano esibiti, e verificati nella nostra Congregazione Camerale, citato, e contradicente il Commissario Generale della Nostra Camera, & in oltre anche gli Agenti, e Procuratori delle respettive Città, e Provincie, le pretese loro Facoltà, Indulti, e Privilegj: Volendo, e decretando, che il possesso, nel quale si trovano di estrarre liberamente fuori di Stato, suffraghi loro, e a ciascheduno di loro per la corrente Stagione solamente, e fino al suddetto Mese di Giugno dell'Anno seguente, di modo che, passato questo tempo, e non fatta la suddetta esibizione, e verificazione, tutti, e singoli Privilegj, Indulti, e Facoltà suddette, ancorchè munite di Clausole efficaci, & efficacissime, e derogatorie di qualunque futura derogatoria (eccettuati li soli Appaltatori Camerali per la quantità convenuta ne' loro Appalti) s'intendano, e sieno ipso facto, & ipso jure, senz'altra dichiarazione e sentenza, e senza speranza d'ulteriore dilazione, o purgazione di mora, nulli, cassi, revocati, & irriti, come se non fossero stati mai conceduti, non ostante qualunque possesso, benchè centenario, & immemorabile in contrario, quale vogliamo, che neppure suffraghi per iscusarli dalle pene, come sopra, ordinate contro quelli, che trasgrediranno la sudetta proibizione di estrarre fuori di Stato: Anzi ad effetto di evitare le Fraudi, che pur troppo si commettono in queste Estrazioni fuori di Stato, con grave pregiudizio de' Nostri Sudditi, e delli Dritti della Nostra Camera, vogliamo in oltre, che ancora gli Appaltatori Camerali, & ogni altro, che sia veramente privilegiato, debbano denunciare volta per volta la giusta quantità del Grano, o altro de' suddetti Generi proibiti, che vorranno estrarre, e a tenore di essa denuncia debbano riportare dai Cardinali pro tempore Legati, Vicelegati, Presidi, e Governatori delle Provincie la Bolletta, e documento di essa denuncia, quale vogliamo, che si conceda del tutto *gratis*, e prima si registri nella pubblica Cancellaria: cosicchè facendosi l'Estrazione, e trasporto senza tal Bolletta, anche gli Appaltatori, e Privilegiati suddetti incorrano nelle pene di dette Costituzioni.

Speciali dispositio quoad allegantes Privilegium super licentia extrahendi è statu.

12. Confidati nel zelo, diligenza, & attenzione a Noi ben cognita di quelli, che in oggi presiedono al Governo delle Città, e Provincie del Nostro Stato, e specialmente de' Reverendissimi Cardinali Legati delle più volte nominate Legazioni di Bologna, Ferrara, e Romagna, speriamo, che eseguiranno, e faranno respettivamente eseguire con tutta puntualità quanto abbiamo fin'ora disposto in questa Cedola di Nostro Moto proprio; Mà se mai per avventura, o alcuno di essi, che non vogliamo credere, o de' loro Successori in qualunque tempo, ardirà contravenire a questa Nostra Concessione di perpetuo, libero, e scambievole Commercio, ampliata, dichiarata, e limitata,

XII. Adhortatio ad Legatos, & Præsides, & pœnæ in Transgressores.

come

come sopra, sotto qualsivoglia titolo, colore, o pretesto, e specialmente sotto il pretesto delle facoltà dategli da Noi, o da altro Romano Pontefice pro tempore, eziandio per Bolla, o Breve sopra le cose, che appartengono all'Annona, e alla Grascia: Vogliamo, & ordiniamo, che in tal caso tanto essi Cardinali Legati, Vicelegati, Presidi, e Governatori, quanto i loro Uditori, Luogotenenti, Cancellieri, Segretarj, Ministri, & Uffiziali, che avranno alcuna benchè minima parte in detta contravenzione, o trasgressione, e molto più se fossero Baroni, e Feudatarj, o Magistrati di alcuna Città, o Communità, cadano, e s'intendano incorsi nelle pene stabilite da Pio IV., Pio V., Gregorio XIII., Clemente VIII., Gregorio XIV., Urbano VIII., & Innocenzo X. Nostri Predecessori nelle poco anzi riferite loro Costituzioni publicate contro quelli, che estraggono Grano, o altro Genere in esse proibito fuori di Stato: Volendo Noi, che tutte, e singole Persone, o anche Communità nominate, e comprese in dette Costituzioni, si abbiano ancora per nominate, e comprese in questa Nostra Cedola di Moto proprio, e che tutte, e singole pene ivi imposte contro quelli, che estraggono fuori di Stato o Grano, o altro Genere vietato, sieno, e s'intendano similmente imposte contro quelli, che in qualunque modo trasgrediranno, o contraverranno a quanto abbiamo fin'ora disposto in favore del libero, reciproco, e generale Commercio dentro il Nostro Stato: Et in oltre (senz pregiudizio però delle riferite pene) vogliamo, e comandiamo, che quante volte transgrediranno, o contraverranno, o in qualunque modo impediranno direttamente, o indirettamente il libero Commercio nel tempo, e nel modo di sopra da Noi conceduto; tante volte cadano, e ciascuno di essi cada nella pena di scudi 500. d'oro, quale vogliano, che in ogni, e qualunque tempo, & anche dopo dieci, venti, o trenta anni, & eziandio dopo la morte del Trasgressore, possa, e debba esiggersi contro gli Eredi, e così esatta applicarsi per una quarta parte in favore dell'Accusatore, e per le altre tre parti alla Nostra Camera; dichiarando, che dal giorno della contravenzione, o trasgressione, sieno, e s'intendano specialmente affetti, & ipotecati per tal'effetto tutti i Beni liberi del Trasgressore.

Deputatio Judicum Executorum.

Esecutori della presente Cedola di Moto proprio deputiamo, e vogliamo, che sieno il Cardinale pro tempore Camerlengo di Santa Chiesa, e li quattro Arcivescovi pro tempore delle quattro Legazioni, cioè di Bologna, Ferrara, Ravenna, ed Urbino, tanto congiuntamente, che divisamente, con tutte le più ampie facoltà necessarie, & opportune. Al qual'effetto ordiniamo, e comandiamo, che in ciascheduna delle Cancellarie Priorali delle Città, e Terre comprese in questa Nostra Concessione, debba, dentro il termine di due mesi dal giorno della pubblicazione, registrarsi il presente Moto proprio, sotto pena di scudi 25. d'oro contro il Cancelliere, che mancherà di registrarlo, essendo così mente, e volontà Nostra espressa.

Clausulæ pro chirographi firmitate.

Volendo, e decretando, che alla presente Nostra Cedola di Moto proprio, benchè non esibita, nè registrata in Camera, e ne'suoi Libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè d'alcun'altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti, quantunque validi, validissimi, e giuridichi, anche di Jus quesito, e pregiudizio del Terzo, possa essere impugnata, moderata, e rivocata, ridotta ad viam juris, o concedersi contro di essa l'aperizione Oris, o altro qualunque rimedio; e che così, e non altrimenti, debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, Congregazioni, anche de' Reverendissimi Cardinali, Legati a Latere, Vicelegati, Camerlengo di Santa Chiesa, Tesoriere, Rota, Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare in contrario: Dichiarando Noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma, e disposizione della presente Nostra Cedola di Moto proprio; quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, benchè non vi sieno state chiamate, sentite, o citate qualsisieno Persone, ancorchè privilegiate, privilegiatissime, Ecclesiastiche, e Luoghi Pii, che avessero, o pretendessero avere interesse nella presente Nostra Concessione, e che per comprenderle fosse bisogno di special menzione; Non ostante la Bolla di Pio IV. Nostro Predecessore *de registrandis*, la Regola della Nostra Cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, e non ostanti ancora tutti, e qualsisieno Chirografi, Brevi, Ordinazioni, e Costituzioni Apostoliche, Nostre, e de'Nostri Predecessori, Bandi, & Editti, in virtù di essi, & in qualunque altro modo emanati, affissi, e publicati, Leggi, Statuti, Riforme, Stili, Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; alle quali tutte, e singole, avendone il tenore quì per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra Potestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena, e total' esecuzione di quanto si contiene nella presente Nostra Cedola di Moto proprio, ampiamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo.

Derogatio contrarii.

Dato dal Nostro Palazzo di Monte Cavallo questo dì 29. Giugno 1748.

Dat. die 29. Junii 1748.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Pontifex Motu proprio omnia supradicta concedit denuo, & confirmat.

*Ne autem ea, quæ a Nobis per Schedulam præinsertam, ad Nostrorum, & Sedis Apostolicæ Subditorum utilitatem, maturo consilio, ac optima ratione sunt statuta, labentis temporis cursu valeant ullatenus labefactari, sed eo validius subsistant, quo pleniori firmitatis vinculo fuerint stabilita; Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, hac Nostra in perpetuum valitura Constitutione, prædictum liberum Commercium in omnibus, & singulis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis Status Nostri Ecclesiastici, superiùs tamen non exceptis, juxta seriem, continentiam, tenorem, & præscriptum præinsertæ Schedulæ, & non aliàs, aliter, nec alio modo, Apostolica auctoritate constituimus, concedimus, & impertimur; ita quod liceat omnibus, & quibuscumque Personis in Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis prædictis commorantibus, tam indigenis, quàm alienigenis, ac etiam Nobis, & dictæ Sedi Apostolicæ ratione originis non subditis, Frumentum, Segetes, Animalia, Ligna, & quodcumque aliud genus rerum mobilium, semoventium, & vendibilium, quomodolibet nuncupatarum, etiam ad rem frumentariam, & Annonam, ac alios quoscumque humanæ vitæ usus pertinentium, in commercium hujusmodi conferre, eaque de Loco ad Locum, ac de Provincia in Provinciam, non tamen extra prædictæ Sedis Apostolicæ Ditionem, extrahere, transferre, & exportare; ideoque eamdem*

*præinsertam Schedulam, & in ea tributas liberi commercii hujusmodi licentias, & facultates, cum omnibus, & singulis declarationibus, provisionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, legibus, prohibitionibus, cautelis, clausulis, & decretis, in ipsa præinserta Schedula contentis, statutis, atque præscriptis, dicta Apostolica Auctoritate perpetuò confirmamus, & approbamus, ac ipsarum præsentium firmitate, & robore communimus, omnesque, & singulos tam juris, quàm factis, & quoscumque alios, quantumvis substantiales defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.*

Clausulæ pro præmissorum firmitate.

*Decernentes omnia, & singula in ipsa præinserta Schedula concessa, declarata, disposita, ordinata, statuta, sancita, contenta, & expressa, præsentesque literas, sive ex eo, quod quicumque in eis, aut eorum aliquo interesse habentes, vel habere prætendentes, seu putantes, ad id vocati non fuerint, nec præmissis consenserint, sivè aliàs ex quibuscumque causis, nunquam de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci posse; sed ea semper valida, & efficacia esse, & fore, perpetuaque roboris firmitate subsistere, & nullo unquam tempore sub quibusvis generalibus similium, vel dissimilium facultatum, vel licentiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, prohibitionibus, moderationibus, aliisque contrariis dispositionibus comprehendi debere, sed semper ab illis excepta esse, & censeri, & quoties contraria hujusmodi emanare contigerit, toties præinsertam Schedulam, ipsasque præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi, in eorum pristinum, & validissimum statum restituta, reposita, & plenarie reintegrata esse & fore.*

Aliter judicari prohibetur cum decreto irritanti.

*Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate, & potestate fungentes, ac honore & dignitate fulgentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, aliosque Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, Præsides, Gubernatores, nec non Cameræ Apostolicæ Thesaurarium, & Præsidentes Clericos, in quocumque Tribunali, etiam Collegiali, & in quacumque Congregatione, etiam eorumdem S. R. E. Cardinalium, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi faculitate, potestate, aut auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Deputatio Judicum assistentium.

*Et nihilominus Dilecto Filio Nostro Sylvio Tituli Sancti Calixti S. R. E. Presbytero Cardinali Valenti nuncupato, moderno, & pro tempore existenti S. R. E. Camerario, & Venerabilibus Fratribus Bononien., Ferrarien., Ravennaten., & Urbinaten. Archiepiscopis, Motu simili, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel unus, aut plures eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis, præinsertaque Schedula contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostra, easdem præsentes Literas, & in eis, ac in præinserta Schedula contenta quæcumque, ab omnibus, semper, & ubique, firmiter, & inviolabiliter observari, suosque plenarios, & integros effectus in omnibus, & per omnia sortiri, ac debitæ executioni demandari, nec non omnes, & singulos, quorum favorem eædem præsentes, & præinserta Schedula concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes quemquam ipsorum, per quoscumque super præmissis quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari; Contradictores, Molestatores, & Perturbatores quoslibet, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, quacumque appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis, servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis.*

Derogatio contrariis.

*Non obstantibus de non tollendo jure quæsito, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri de una, & in Concilio generali edita, de duabus dietis, nec non, quatenus opus sit, felicis recordat. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris Nostri de gratiis, interesse Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentibus, in dicta Camera, infra certum inibi præfixum tempus registrandis, & insinuandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; Nec non Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum prædictorum usibus, stilis, reformationibus, legibus, tam Pontificiis, quàm Ducalibus, & Municipalibus, statutis, consuetudimbus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque alia firmitate muniris, & roboratis, & quandocumque, etiam immemorabili tempore observatis; privilegiis quoque, Indultis, facultatibus, exemptionibus, & literis Apostolicis quibusvis personis, etiam S. R. E. Cardinalibus Provinciarum prædictarum Legatis, ac Præsidentibus, & Gubernatoribus, nec non Locorum Dominis in temporalibus, ac aliis quibuscumque in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam vim contractus inibi stipulati, & jurati, ac etiam statuti perpetui, & perpetuæ legis inducentibus, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet, etiam pluriès, & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis, ac etiam in posterum concedendis, confirmandis, & innovandis; quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter & expresè, motu simili derogamus, aliisque omnibus, quæ in præinserta Schedula voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.*

De publicatione præsentis, & fid Transumptis præstanda.

*Cæterum, ut præsentes Nostræ literæ ad omnium notitiam deducantur, volumus, & dicta auctoritate decernimus, ut eædem præsentes in Basilicæ Sancti Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in Acie Campi Floræ, aliisque consuetis locis per aliquem ex Cursoribus Nostris in Urbe, extra verò Urbem in singulis Majoribus Ecclesiis Civitatum, & Locorum, ubi de ipsis præsentibus fides erit facienda, publicentur, earum exemplo in singulis Valvis, Acie, Locis, & Ecclesiis prædictis affixo, & dimisso; quodque præterea earumdem præsentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem*

*prorſus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi originaliter forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Sanctio pœnalis.

*Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Noſtræ conceſſionis, confirmationis, approbationis, mandati, decreti, ſtatuti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.*

Dat. Pontif. Anno VIII. die 8. Julii 1748.

*Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo, octavo Idus Julii, Pontificatus Noſtri Anno Octavo.*

D. Card. Paſſionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boſchi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 17. Julii 1748.*

---

LIV.

## De Nova Martyrologii Romani Editione.

*Clariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Joanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Novæ Editionis Martyrologii Romani cauſa & occaſio,

POSTQUAM intelleximus, Majeſtatem Veſtram mandata dediſſe dilecto Filio Emmanueli Pereyra de Sampajo Commendatori Militiæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & negotiis Majeſtatis Veſtræ apud Nos, & Sedem Apoſtolicam præpoſito, ut Romanum Martyrologium, quo & Regnorum Veſtrorum, & totius Orbis Catholici commodo atque utilitati conſuleretur, ſplendore ac diligentia quadam præcipua, in hac alma Urbe imprimendum curaret; ab eo autem, provido conſilio, ſelectum fuiſſe navum atque induſtrium Typographum, qui pridem nitidiſſimos Evangeliorum, atque Epiſtolarum Codices ſeorſim editos, eadem Majeſtate Veſtra id mandante, ſumptuſque miniſtrante, prælo ſubjecerat; Virum item Eccleſiaſticum, probitate, atque ejuſmodi rerum peritia inſtructum, fuiſſe deſignatum, ut nova Martyrologii Editio, ceteris, quæ præceſſerunt, nobilior atque accuratior in lucem prodiret: Poſtquàm hæc intelleximus, vehementer in Domino gaviſi ſumus; atque Majeſtatem Veſtram, de cujus in Rem Divinam, & Sacros Eccleſiæ Ritus inſigni pietate ac munificentia, præclara ſuppetunt argumenta, meritis efferre laudibus non ceſſavimus. Hac verò opportunitate nobis oblata, quamvis aſſiduis Apoſtolici Miniſterii curis ita diſtineamur, ut nonniſi ſubſecivæ quædam, quibus privatis ſtudiis vacare liceat, aliquando ſuperſint horæ, è re Noſtra futurum putavimus, ſi & Nos ad egregium Opus perficiendum, aliquid Apoſtolico muneri non incongruum conferremus.

Ejus finis, ratio, atque utilitas.

II. Minimè Nos fugiunt multæ graveſque controverſiæ, quæ circa Romanum Martyrologium agitantur; ab aliis quidem, quos ſcientia inflat, inexplebili quadam dubitandi prurgine; ab aliis verò, qui ad ſobrietatem ſapiunt, en conſilio, ut quæ ſubobſcura ſunt vel incerta, nova quadam veritatis luce donentur. Ab hiſce tamen quæſtionibus duximus omninò abſtinendum; quandoquidem hac in re illud Nobis propoſuimus, ut ab accuratis Martyrologii correctionibus, quarum prima Gregorio XIII. Prædeceſſore Noſtro Eccleſiam gubernante; altera verò Urbano VIII. Noſtro item Prædeceſſore, peracta eſt, de quibus verba fecimus in Noſtro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 17. Editionis Patavinæ* (qua una in locorum allegationibus hic utimur) nullo pacto recedamus. Quocirca, ſi quæ infra dicturi ſumus, ritè expendantur, Majeſtati Veſtræ perſpectum erit, Noſtras haſce in Martyrologium curas eò tandem contendere, ut quæ poſt evulgatas correctiones, ſupervacanea occurrunt, reſecentur; quæ vero deficiunt, ſuperaddantur. Hoc autem ſemel poſito, & anteactis emendationibus nihil detrimenti, & novæ huic Editioni utilitatis multum accedet.

Prolixitas quædam Sanctorum Elogiis detrahitur.

III. Nedum Sanctorum nomina, ſed & illorum Elogia, hoc eſt brevior quædam, & compendiaria de eorum virtutibus, vel morte, quam pro Chriſti Fide fortiter obiverunt, oratio, Romano Martyrologio apponitur. Porrò ejuſmodi Elogia non jam cujuſque arbitrio concinnanda ſunt; ſed, poſt editum Decretum de Sancti alicujus nomine Romano Martyrologio inſcribendo, ejus Elogium, ex uſu recepto, a Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum Congregatione examinandum eſt, atque probandum; tandemque Romani Pontificis confirmatio accedat neceſſe eſt, ut in memorato Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 18. num. 4.* multis diſſeruimus. Hac in re, nonnulla in Martyrologio offendimus, quæ nimia laborant prolixitate. Enimverò aliquot occurrunt Elogia Sanctorum, eorum præſertim, qui recenti ævo in Canonem relati ſunt, in quibus multa inutiliter abundant verba; ideoque facili ratione in breviorem ſermonem contrahi poſſunt. Hiſce in caſibus verboſam orationem duximus amputandam; ea lege tamen, ut integra ſervetur ſententia; atque in hac parte brevitati conſulatur, quam in veterum Sanctorum Elogiis in Martyrologium illatis deprehendimus.

Cur veteres Editiones a multis deſciant.

IV. Etſi verò abſoluta jam fuerit gemina illa Martyrologii correctio, cujus ſupra meminimus; non ideò tamen vetitum, nova Sanctorum nomina in Martyrologium inferre, modò id ritè, atque ex ordine fiat, hoc eſt eæ omnes, quas Apoſtolica Sedes præſcripſit, ſerventur Regulæ, de quibus multa a Nobis ſuſo calamo prolata ſunt in citato *cap. 18. præfatî Operis de Canonizatione Sanctorum.* Hinc annis inſequentibus, plura Sanctorum nomina Elogiis decorata, in Martyrologium, prævio prædictæ Congregationis Decreto, ac Summi Pontificis approbatione, translata ſunt. Dolendum verò, quod è Sanctorum nominibus benè multa, in variis, quæ procuſæ ſunt Martyrologii Editionibus, fuerint prætermiſſa, ex oſcitantia, atque incuria eorum, quorum intererat Acta Congregationis adire, Decreta colligere, iiſque ad novam nominum acceſſionem prudenter uti. Quidnam circa nomina Sanctorum Martyrum *Stephani Abbatis, & ducentorum Monachorum Sancti Petri de Cardegna* olim contigerit, ſatis notum; neque injucundum erit paucis repetere. Decreverat Clemens VIII. Romanus Pontifex, inſtante Cardinali Baronio, ut horum Martyrum nomina unà cum Elogiis, Romani Martyrologii tabulis inſcriberentur. In iis tamen, quæ ſubſequutæ ſunt Martyrologii Editionibus, res ſecùs accidit; quandoquidem ob Typographorum

indiligentiam, Martyrum illorum memoriâ Romanum Martyrologium diù caruit. Hinc Nos adhuc in minoribus positi, quo tempore Promotoris Fidei munere fungebamur, illud curavimus, tandemque obtinuimus, ut Sacræ Congregationis jussu communis error castigaretur, & Martyrum illorum nomina sequuturis Editionibus omninò assererentur. Qua de re in citato *cap.* 18. *num.* 6. Operis Nostri pridem egimus.

Pari laborant vitio nupera Martyrologia.

V. Ne autem in id, quod in aliis olim reprehendimus, improvidi dilaberemur, mandavimus, ut ex Actis Sacrorum Rituum Congregationis Decreta omnia de Sanctorum nominibus Martyrologio inscribendis huc usque edita colligerentur; atque ut Romani Martyrologii Editiones quamplurimæ, eæ potissimùm, quæ omnium novissimæ Typis excusæ sunt, consulerentur, ut si qui occurrunt defectus, faciliùs innotescerent. Has inter una Nobis oblata est Editio omnium postrema, quæ Venetiis anno 1745. prælo subjecta est. Verùm ne istud quidem Exemplar integrum plane, & numeris omnibus absolutum occurrit; tum quia nonnulla Sanctorum nomina, quæ ex anterioribus Decretis describenda erant, deficiunt; tum quia insequentibus annis nova facta est Sanctorum accessio, quæ idcircò in nupero illo Martyrologio desideratur.

Sanctorum, quorum nomina hic adduntur, series attexitur.

VI. Hinc ne Romanum Martyrologium sua fraudetur integritate, oportuit novam hanc Editionem quamplurimis Sanctorum nominibus locupletare; quorum series in statos anni Ecclesiastici dies distributa, ea est, quæ sequitur:

B. Gregorius X.

Sextadecima die Februarii additur a Nobis *Beatus Gregorius X.*, cujus in prælaudato *de Canonizatione Sanctorum Opere* non semel meminimus, nimirùm *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 17., *lib.* 2. *cap.* 24. §. 37., *& cap.* 42. *num.* 3., *atque in VIII. Appendice ad calcem lib.* 2. ubi integram atteximus Relationem, quæ hac in causa ab Auditoribus Causarum Palatii Apostolici elucubrata est.

Beata Zita.

Die vigesimaseptima Aprilis *Beata Zita*, de qua in nuper memorato Opere *lib.* 2. *cap.* 24. §. 27.

B. Nicolaus Albergatus.

Decima Maji *Beatus Nicolaus Albergatus*, de quo item eodem in Opere *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 16., *& lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 6., ac rursus in *Bullarii Nostri tom.* 1. *Constitut. CVIII.* Consulendum item Nostrum Opusculum de *Sanctis Bononienſibus*, cujus altera Editio, dum hæc scribimus, Typis subjicitur Patavinis.

B. Joannes de Prado.

Die vigesimaquarta Maji *Beatus Joannes de Prado.* Ejus Acta, & monumenta prostant *in lib.* 1. *Operis de Canonizatione Sanctorum cap.* 27. *num.* 8.

Sanctus Eneco Abbas

Prima die Junii *Sanctus Eneco Abbas*, cujus meminimus *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 10., *& lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 18. *num.* 8. Operis de quo supra.

Beatus Benedictus XI.

Septima Julii *Beatus Benedictus XI.*, de quo *in altero* Operis Nostri *libro cap.* 28. §. 46., *& cap.* 42. *num.* 8.

Sanctus Dominicus de Sylos.

Vigesima Decembris die *Sanctus Dominicus de Sylos* Abbas Ordinis Sancti Benedicti, de quo in memorati Operis *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 18. *num.* 16.

Alia Beatorum Martyrum adduntur nomina.

VII. Etsi verò in Romano Martyrologio, juxta Regulas a Sac. Rituum Congregatione statutas, atque a Summis Pontificibus pluries confirmatas, enumeranda non sint nomina Servorum Dei, qui in Beatorum dumtaxat numerum, non etiam in Sanctorum Canonem relati sunt; qua de re multis egimus *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 18. *num.* 2. *ac* 9. *præallati Operis de Canonizatione Sanctorum*, ubi etiam nonnulla dictæ Congregationis Decreta protulimus; nihilominus aliquando contigit, ut Romani Pontifices, gravibus justisque causis ita suadentibus, vel ipsa Beatorum nomina in Romanum Martyrologium intulerint; resque patet exemplis bene multis, quæ a Nobis allata sunt *in præcitato Opere & loco sub n.* 9. Pari œconomia, & Nos aliquot nomina Beatorum Martyrum, de quorum martyrio, miraculis, ac cultu aliquibus Ecclesiis, & Diœcesibus permisso, diligenti habita discussione planè constat, novæ huic Martyrologii Editioni duximus adjicienda. Id autem benigniori quadam dispensatione a Nobis gestum est; tum quia Martyrum cultus in Ecclesia Dei antiquior est cultu Confessoribus exhibito, ut in *lib.* 1. *Operis de Canonizatione cap.* 2. *num.* 9. *& seqq. & cap.* 5. *num.* 3. *& seqq.* pluribus demonstravimus; tum etiam quia Martyrologia ideo fuerunt instituta, ut præsens ac perpetua illustrium Heroum, qui pro Christi nomine vitam, ac sanguinem profuderunt, memoria cæteris Fidelibus exemplo esset, atque animos adderet; insequentibus verò temporibus Sanctorum Confessorum, ac Virginum nominibus Martyrologia aucta sunt. *Nomen quoque Martyrologii, quod olim sonabat dumtaxat Indiculum Sanctorum Martyrum, nunc extensum est ad Syllabum plurimorum aliorum Sanctorum Confessorum, ac Sanctarum Virginum*: Verba sunt *Theophili Raynaudi tom.* 18. *suorum Operum pag.* 500.

Enumerantur.

VIII. Eos igitur Beatos Martyres, quorum nomina novæ huic Martyrologii Editioni inseruimus, enumeremus.

Viginti sex Martyres Japoniæ.

Die quinta Februarii addita a Nobis est *Commemoratio viginti sex Martyrum Japonensium*; è quorum numero tres ad Societatem Jesu pertinent; sex, nimirùm tres Sacerdotes, totidemque Laici, ad Ordinem Sancti Francisci; qui verò supersunt reliqui, Sæcularibus accensendi. Relationem de illorum martyrio ab Auditoribus Causarum Palatii Apostolici habitam exhibet *Appendix II. ad lib.* 3. *Operis de Canonizatione Sanctorum*, in qua Martyris cujusque nomen singillatim exprimitur. De horum Cultu consulantur Litteræ Apostolicæ in forma Brevis *apud Bollandianos tom.* 1. *mensis Februarii pag.* 740. Consulenda item quæ a Nobis dicta sunt *lib.* 1. præfati Operis *cap.* 30. *num.* 1.

Novemdecim Martyres Gorcomienſes.

Nona Julii accedit *Commemoratio novemdecim Martyrum Gorcomienſium*, de quibus egimus in mox allato *cap.* 30. *num.* 10, *& in Appendice VI. ejusdem lib.* 1. *pag.* 403. Ex Litteris Apostolicis in forma Brevis a Clemente X. Prædecessore Nostro datis, & Cultus hisce Martyribus exhibendus probatur, & eorumdem Martyrum nomina expressa leguntur. Ex his, undecim enumerandi ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia; duo ex Fratrum Prædicatorum Ordine; duo item ex Ordine Præmonstratensium; unus ex Ordine Regulari Sancti Augustini. Cæteri omnes Sacerdotes, & Parochi sæculares habendi sunt.

B. Petrus de Arbuca.

Decimaseptima Septembris, Commemoratio *Beati Petri de Arbues*, de cujus martyrio a Nobis actum *in citato lib.* 1. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 30. *n.* 4. Litteræ Apostolicæ Alexandri VII. super illius Cultu extant in Bullario Romano *tom. VI. Constitut. CXXXIX.* ejusdem Pontificis.

B. Josaphat Polocenſis.

Postremò in duodecimam Novembris diem rejecimus Commemorationem *Beati Josaphat Polocenſis.* Seriem Actorum, quæ ad illius Causam pertinent, *in superius citato cap.* 30. *lib.* 1. *num.* 2. commemoravimus. Relationem, quæ pro more illius ætatis, ab Auditoribus Causarum Palatii Apostolici confecta est, exhibet *Appendix III. ad lib.* 3. *de Canonizatione Sanctorum pag.* 520. *& seqq.* Litteras Apostolicas in forma Brevis super ejusdem Martyris Cultu, suppeditat Bullarium Romanum *tom. V. Constit. CCCIV.* inter eas, quæ Urbano VIII. Prædecessori Nostro adscribuntur.

Alii prætéritarum Editionum defectus aperiuntur.

IX. Eos inter, quorum nomina Romano Martyrologio ſunt conſignanda, præcipuo quodam jure locum ſibi vindicant Sancti, de quorum Canonizatione extant Apoſtolicæ Litteræ plumbeo ſigno munitæ. Hac in re non ſemel deficiunt Martyrologii Editiones, quæ novam hanc præceſſerunt. Si cauſam inquiramus, gemina occurrit: una quidem a monumentorum obſcuritate; altera verò ab iis, quæ poſteriori ævo peractæ ſunt, Canonizationibus repetenda. Quo tempore utraque correctio ſub Gregorio, atque Urbano abſoluta eſt, nonnullæ Conſtitutiones, ſive Apoſtolicæ Litteræ de peculiari quapiam Canonizatione erant imperviæ, quæ tamen inſequentibus annis ex ignorantiæ tenebris erutæ ſunt. Hinc nil mirum ſi Martyrologium, vel poſt ſedulam correctionem, omnimoda careat integritate. Rursùs, abſolutis emendationibus, atque novis Martyrologii Editionibus prælo ſubjectis, nova in dies Beatorum nomina in Sanctorum Canonem relata ſunt. Hinc quotquot ante Canonizationes prodierunt Martyrologia, hac in parte deficiant neceſſe eſt. Ex quo capite, vel ipſa omnium recentiſſima Editio Venetiis procuſa anno 1745. ſuos in hac re patitur nævos. *In lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 18. num. 6. & 7.* aliquot afferuntur exempla Apoſtolicarum Litterarum, quæ poſt memoratas correctiones inventæ ſunt; aliquot etiam recitantur Decreta, quæ nomina Sanctorum, de quibus Apoſtolicæ Litteræ loquuntur, Martyrologio inſcribenda jubent. Utrique incommodo hac nova Editione occurrimus; ſiquidem Sanctorum nomina, ſive ex Litteris Apoſtolicis, quæ pridem latebant, eruta, ſive recentiori ævo in Canonem Sanctorum relata, deſcribi curavimus.

Nova nominum fit acceſſio.

S. Wilhelmus Archiepiſcopus Bituricenſis.

Quocirca decima menſis Januarii juremeritò additur nomen *Sancti Willhelmi Archiepiſcopi Bituricenſis*, quem Honorius III. anno 1218. Sanctorum Catalogo adnumeravit. Litteras Apoſtolicas, quæ Canonizationem teſtatam faciunt, exhibet *Codex Conſtitutionum Summorum Pontificum de ſolemni Canonizatione Sanctorum*, a Juſto Fontanino Archiepiſcopo Ancyrano collectus, ac Romæ editus anno 1729., in quo Honorii Conſtitutio refertur ordine XXXIII.

S. Wulſtanus Epiſcopus Vigornienſis.

Die decimanona ejuſdem menſis nomen *Sancti Wulſtani Epiſcopi Vigornienſis*, quem Innocentius III. anno 1203. Sanctorum faſtis adſcripſit; reſque indubia eſt *ex Conſtitutione num. XXX.* in memorato Fontanini Codice typis impreſſa.

S. Joſeph a Leoniſſa.

Quarta Februarii nomen *Sancti Joſephi a Leoniſſa*, qui ſolemni ritu in Sanctorum numerum a Nobis relatus eſt. De illo egimus in Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 1. cap. 24. num. 13., & in Appendice VI. ejuſdem libri pag.* 405. Noſtras item de Canonizatione Litteras dedimus die 29. Junii 1746.; quarum exemplar *in Bullarii Noſtri tomo II.*, qui ſub Typis deſudat adhuc, patet legentibus.

S. Catharinæ de Ricciis.

Decimatertia die ejuſdem menſis nomen *Sanctæ Catharinæ de Ricciis*, cujus item ſolemnis Canonizatio a Nobis peracta eſt; atque in citato *Bullarii Noſtri tom. II.* Canonizationis Bulla producitur. Huc revocanda, quæ ſcriptis conſignavimus in Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 1. cap. 24. num. 13., in Appendice V. lib. 1. p. 39., & in lib. 4. part. 1. cap. 19. num. 23. & 24.*

S. Robertus Abbas Caſæ Dei.

Die decimaſeptima Aprilis accedit nomen *Sancti Roberti Abbatis Caſæ Dei*, quem Clemens VI. Sanctorum cenſui adſcripſit. Hujuſce Canonizationis Bulla eſt Ordine LXIV. in citato Codice.

S. Godehardus Epiſcopus Hildesheimenſis.

Quarta die Maji nomen *Sancti Godehardi Epiſcopi Hildesheimenſis*, quem Innocentius II. Sanctis adnumeravit. Bulla Canonizationis proſtat in relato Codice ſub *num. VII.*; Noſque de eodem argumento egimus in Opere *de Canonizatione lib. 1. cap. 8. num. 15.*

Die tertiadecima ejuſdem menſis nomen *Sancti Petri Regalati*, cujus ſolemnem Canonizationem peregimus, Bullamque conſcripſimus, quæ in ſecundo *Bullarii Noſtri tomo* alligatur. Semel & iterùm in Opere Noſtro de hac ipſa re ſermonem inſtituimus, nimirum *lib. 2. cap. 24. §. 16., & in Appendice VII. ejuſdem libri pag.* 429.

S. Petrus Regalatus.

Secunda Junii nomen *Sancti Nicolai Peregrini Tranenſis*, de quo in Noſtro *lib. 1. de Canonizatione cap. 44. num. 13. & 14.* Diploma ſuper illius Cultu ab Urbano II. editum, jacet ordine V. in eodem Canonizationum Codice, de quo ſupra.

S. Nicolaus Peregrinus.

Octava Junii nomen *Sancti Willhelmi Archiepiſcopi Eboracenſis.* De eo loquimur in Opere Noſtro *lib. 2. cap. 41. num. 13.* De ejus Canonizatione Bullam dedit Honorius III., quæ in relato Codice occurrit ordine XXXVIII.

S. Willhelmus Epiſcopus Eboracen.

Sextadecima Junii Nomen *Sancti Joannis Franciſci Regis*, qui a Clemente XII. Prædeceſſore Noſtro ſolemni ritu inter Sanctos adſcriptus eſt. Non infrequens de eo in Noſtro Opere incidit mentio. Conſulatur *lib. 1. cap. 24. n. 12.*, & quæ in finem hujuſce libri rejicitur *Appendix III.*, in qua Canonizationis Bulla integra exſcribitur. Conſulatur item *lib. 3. cap. 6. num. 16.*

S. Franciſcus Regis.

Die prima Julii nomen *Sancti Theobaldi Eremitæ*, quem Alexander Papa III. Sanctorum catalogo accenſuit, Bullamque edidit, quæ in citato Canonizationum Codice refertur *ſub num. XIX.* Licet & hic Noſtrum Opus indigitare, hoc eſt *lib. 1. cap. 18. num. 10. & cap. 9. num. 2.*

S. Theobaldus Eremita.

Die quartadecima Julii nomen *Sancti Camilli de Lellis*, qui Sanctorum albo a Nobis adſcriptus eſt, edita deſuper Conſtitutione, de qua in Bullarii Noſtri *tomo II.* Si quis plura hac de re noſſe cupit, Noſtrum adeat Opus *lib. 1. cap. 24. num. 13. & ſeqq., & Appendicem I. ejuſdem libri pag.* 401.

S. Camillus de Lellis.

In vigeſimamquartam diem Julii conjecimus nomen *Sancti Franciſci Solani*, de quo loquuti ſumus in præcitati Operis *lib. 1. Appendice X. pag. 438. & ſeqq., & cap. 24. num. 9. & 14.* Litteras Apoſtolicas de illius Canonizatione edidit Prædeceſſor Noſter Benedictus XIII., atque in prælaudato Fontanini Codice *ſub num. CXIII.* alligantur.

S. Franciſcus Solanus.

Decimaquinta Auguſti nomen *Sancti Staniſlai Koſtkæ*, quem Prædeceſſor Noſter Benedictus XIII. Sanctis adnumeravit, ſuamque dedit Conſtitutionem ordine CXV. inter eas, quæ in memorato Canonizationum Codice referuntur. Neque hocce argumentum in Opere Noſtro ſilentio premitur, ſi percurrantur, quæ diximus *lib. 1. Appendice X. pag.* 437.

S. Staniſlaus Koſtka.

Vigeſimaſexta Octobris nomen *Sancti Bernwardi Hildesheimenſis Epiſcopi*, a Cœleſtino III. inter Sanctos relati, ut patet ex Bulla Canonizationis in præcitato Codice *ſub num. XXIV.* Huc revocari poſſumus, quæ ſcripſimus *lib. 1. de Canonizatione Sanctorum cap. 9. num. 7.*

S. Bernwardus Epiſcopus Hildesheimi.

Vigeſimaſeptima Novembris nomen *Sancti Virgilii Epiſcopi Salisburgenſis*, qui a Gregorio IX. in Sanctorum numerum relatus eſt, ejuſque Conſtitutio in ſæpedicto Codice Canonizationum extat ordine XLIII.

S. Virgilius Epiſcopus Salisburgenſis.

Vigeſimaoctava ejuſdem Menſis nomen *Sancti Jacobi Piceni*, quem, ut ex Bulla CIX., quam Fontanini Codex exhibet, compertum eſt, Prædeceſſor Noſter Benedictus XIII. Sanctorum numero ſociavit. Frequentior de eodem occurrit memoria in Opere Noſtro, ſi evolvantur, quæ dedimus *in Appendice lib. 1. pag. 437., lib. 2. pag. 34. num. 7., & cap. 51. num. 2.*, tum

S. Jacobus Piceno.

etiam

S. Sturmius Abbas Fuldensis.

etiam *lib. 3. cap. 23. num. 9., cap. 24. num. 36., & cap. 30. num. 14.*

Postrémò in decimamseptimam Decembris diem retulimus nomen *Sancti Sturmii Abbatis Fuldensis*, de cujus Canonizatione ab Innocentio II. peracta, indubium extat Apostolicæ Constitutionis monumentum in mox relato Codice *sub num. IX.*

Nomen BEATI suppositio SANCTI titulo, aliquando immutatur.

X. Fatemur, alia proferri posse Sanctorum nomina, cum a Nobis, tum a Nostris Prædecessoribus Sanctorum Canoni adscripta, quorum in ea, quam supra coordinavimus, Sanctorum serie nulla fit mentio. Id sanè fatemur: Non ideò tamen novæ Martyrologii Editionis integritati quidquam detrahitur. Aliquot nomina, veluti Vincentii de Paulis, Fidelis a Sigmaringa, & aliorum, in anterioribus Editionibus, appositio *Beatorum* titulo, continentur. Supervacaneum idcircò duximus ea hìc repetere: Hinc, suppositio dumtaxat *Sancti* vocabulo, & veteri *Beatorum* titulo abraso, ea intacta reliquimus. Quod si alia adhuc supersint Sanctorum nomina, quæ in superiori catalogo missa fecimus, nihil inde contra novam hanc Editionem licet opponere. Jam enim præmonuimus, sola eorum nomina, de quorum solemni Canonizatione nulla suboriri potest dubitatio, a Nobis fuisse superaddita. Quotquot igitur proferri possunt è Beatorum Sanctorumve censu, qui ejusmodi prærogativa carent, aut Romano Martyrologio nullo unquam tempore fuerunt adscripti, a Nobis omittuntur, quia ab eo, quod Nobis præscripsimus, deviant instituto.

Multorum studia, ut nova Beatorum nomina Martyrologio inferantur.

XI. Huc usque facili tramite, nullaque obsistente controversia, progressa res est. At verò diffusa per hanc Urbem fama, novam Martyrologii Romani Editionem adornari, Sanctorumque nomina in anterioribus Editionibus prætermissa, a Nobis in novas Martyrologii Tabulas referri; multorum excitata sunt studia, scripturis, atque lucubrationibus admota manus, preces additæ, ut quamplurima Sanctorum nomina in novum hunc Codicem conveherentur, quamvis de illorum Canonizatione nullum probatæ fidei suppeteret monumentum. Alii Servorum Dei, Beatorum alii ostendebant nomina, quorum nonnulla Sanctorum titulo decorata sunt, & cultu immemorabili, hoc est spatio annorum centum ante Urbani VIII. Prædecessoris Nostri Decreta illis exhibito, nobilitata. Ad hæc, eorumdem cultum a Sacra Rituum Congregatione maturo judicio expensum, atque probatum; Cultus item extensionem, Missa & Officio, nec non Lectionibus vel de communi, vel etiam propriis pro peculiari quadam Familia, vel Diœcesi concessis, confirmatam, totis urgebant viribus. Quo argumentorum genere ea attingitur controversiæ pars, quæ dicitur de casu excepto a Decretis Summi Pontificis Urbani VIII., de qua fusiore stylo a Nobis actum est *tomo 2. de Canonizatione Sanctorum cap. 17. & cap. 24.*

Et tamen refelluntur.

XII. Ab hisce tamen petitionibus facili negotio Nos expedivimus. Cum enim, juxta præstitutos a Nobis Canones, non liceat in Martyrologium referre nomina illorum, qui post sedulum super virtutibus, atque miraculis examen, solemni ritu in Beatorum dumtaxat numero recensentur; potiori jure nefas erit Martyrologio illos accensere, qui ex nuda cultus immemorabilis approbatione, Beatificati dicuntur per æquipollens; eorum tamen virtutes nec discussæ, nec probatæ fuerunt, antequàm pro cultu immemorabili judicium prodiret; ideoque ad trutinam revocandæ sunt, ut eorum Causa ad Canonizationem progrediatur. Haud immeritò igitur oblatas Nobis petitiones rejecimus; atque ut æquiori animo Postulatores acquiescerent, ea item addidimus, quæ opportunè ad rem hanc a Nobis fuerunt exposita *lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 18. n. 2. & seqq.* ubi de Cultus augmento cum Missa & Officio, uberiùs tractavimus.

Satisfit allatis in contrarium exemplis.

XIII. Sat novimus, Prædecessores Nostros in Romano Martyrologio aliquando scripsisse nomina eorum, qui solemniter, atque, ut ajunt, formaliter in Beatorum numerum relati non fuerant, sed tantummodò per æquipollens, discusso videlicet, ac probato eorum dumtaxat cultu immemorabili, juxta præscriptum Decretorum Urbani Octavi. Prædecessorum Nostrorum facta veneramur: quominùs verò hac in parte eorum vestigiis inhæreamus, ea, quam suprà dedimus, monet ratio; ne scilicet a statutis Regulis, quas accuratè servandas Nobis proposuimus, pedem moveamus. Præterea, si Martyrologio omnia adjiciantur nomina eorum, quorum cultum immemorabilem Sacra Rituum Congregatio probavit, ingens Nominum accedet multitudo, quemadmodùm ex Nostro *lib. 2. de Canonizatione Sanctorum* licet colligere. Cumque horum numerus in dies magis adaugeatur, brevi fiet, ut Romanum Martyrologium tot auctum nominibus in maximum volumen excrescat.

Argumentum ex ineditis Baronii manuscriptis petitum refellitur.

XIV. Ut Sacræ Eruditionis, ac Theologicæ facultatis studia magis excolantur, instituimus Academiam quavis feria secunda cujusque hebdomadis coram Nobis habendam, ut quotquot ad eam conveniunt docti, ac præstantes Viri, stata vice atque ordine, suas sive de Ecclesiastica Historia, sive de re Liturgica, sive etiam de Sacris Canonibus, ac Theologicis controversiis, proferant lucubrationes. Ex his nonnulli, qui soluto Conventu, ad privata colloquia a Nobis admittuntur, Nobis significarunt, inter cætera Manuscripta, quæ in insigni Bibliotheca Vallicellana servantur, plura esse splendida quidem monumenta ad Venerabilem Virum Cardinalem Baronium transmissa, quibus probatur, aliqua Sanctorum nomina in Romano Martyrologio immeritò fuisse prætermissa; ideoque, eodem Baronio judice, in novam Martyrologii Editionem, quando eam fieri contingeret, esse transferenda. Indicium hoc de invento thesauro libenti animo excepimus. Hinc nulla interposita mora, chartas & monumenta omnia ad nos deferri curavimus, evolvimus, inspeximus; sed, contra præconceptam expectationem, nihil, aut ferè nihil ad rem hanc opportunum adinvenimus. Imò verò, quod peculiari admiratione dignum est, tantum abest, ut egregius ille Cardinalis propensior fuerit ad inserenda in novam Martyrologii Editionem Sanctorum illorum nomina, ut potiùs, sicut è brevioribus quibusdam notis ab illo additis licuit arguere, in oppositam sententiam descendere videatur. Enimverò scitè animadvertit, nominum illorum seriem, aut solos Dei Servos comprehendere, quorum cultus angustis peculiarium locorum finibus continetur; aut sub latiori Sanctorum titulo Beatos dumtaxat attingere, quorum nomina, juxta eas, quas supra memoravimus Regulas, Romano Martyrologio accenseri non solent.

Sanctorum Index Martyrologio inserendus, ab Eruditis conficitur.

XV. Hac cura sepositâ, successit alia, quam Eruditorum studia, ac labores Nobis excitarunt. Hi namque nocturna diurnaque manu versantes Acta Sanctorum a doctis Bollandianis collecta, plura item vetera Martyrologia, Acta Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti a Patre Mabillonio edita, aliaque Ecclesiasticæ Eruditionis monumenta, quibus nostra ætas abundat, uberem Sanctorum Indicem Nobis exhibuerunt, ut nova Sanctorum copia Romanum Martyrologium diteseeret. Neque a ratione, vel æquitate alienum putabant, quod petebatur. Cum enim ex præfato *lib. 4. part. 2. cap. 18.*

*num.* 11. Operis Noſtri, cognoverint inſcribendos eſſe Romano Martyrologio non ſolum eos, de quorum Canonizatione ex Litteris Apoſtolicis ſub plumbo conſtat, ſed & illos, qui ex veteri more, ac ritu priſcis Eccleſiæ temporibus obſervato, priuſquàm Apoſtolica Sedes Beatificationum & Canonizationum Cauſas ſibi dumtaxat cognoſcendas, & definiendas reſervaſſet, in Sanctorum Catalogum fuerant relati; hoc eodem argumento uſi ſunt, ut Sanctorum illorum nomina, quorum par erat cauſa, & conditio, meritum in Martyrologio tenerent locum.

Citra injuriam explo-ditur.

XVI. Et horum tamen vota, ac poſtulata inania dimiſimus. Haud inficiamur, Martyrologio eſſe inſcribendos non ſolum eos, qui juxta recentem Eccleſiæ diſciplinam, ſed & eos, qui juxta veterem Eccleſiæ ritum in Sanctorum numerum relati ſunt. Verùm ſi ejuſmodi ritum, atque uſum antiquiori ævo in more poſitum introſpiciamus, patebit eos Sanctorum faſtis fuiſſe adſcriptos, quorum Cultus ſuam novit originem ab approbatione Epiſcoporum, in quorum Diœceſi Servi Dei ex hac vita ad cœleſtem Patriam translati ſunt: Hinc paulatim ex una ad aliam Eccleſiam. tandemque in univerſum Orbem Catholicum Cultus ille diffuſus eſt, non ſine expreſſa, aut ſaltem tacita Romani Pontificis conſenſione, ut fuſiori ſermone demonſtravimus *in lib. 1. de Canonizatione Sanctorum cap. 6. num. 9.* At verò Sanctorum nomina in oblato elencho deſcripta, Cultus quem modò deſcripſimus, carent prærogativa; ſive Cultus initia, ſive progreſſum, ſive etiam propagationem ad veterem Eccleſiæ diſciplinam exigamus. Nulli ergo irrogatur injuria, ſi prolixa nominum ſeries Nobis tradita, in Romanum Martyrologium translata non fuerit; eſto plerique illorum, quos ſeries illa complectitur, ad ea revocentur tempora, quæ novam Eccleſiæ diſciplinam ſuper Cauſarum Beatificationum, & Canonizationum cognitione antevertunt.

Exempla è Martyrologio petita, non afficiunt.

XVII. Quod ſi nonnulla, vel ex ipſo Romano Martyrologio produci poſſint exempla Sanctorum, qui ſupremum diem in Domino clauſerunt, cum adhuc vetuſtior illa de Sanctorum Canonizatione vigeret diſciplina, quamvis eorum Cultus extra unius, vel alterius Diœceſis fines protenſus olim non fuerit, nec etiam hodie protendatur; hæc tamen exempla tanta non ſunt, ut ab ea, quam ſemel ſtatuimus, ſententia, animum noſtrum divellant. Jam enim ſupra monuimus, atque hìc conſtanter repetimus, Nobis fuiſſe propoſitum, novam Martyrologii Editionem adornare, ſalvis tamen, atque integris, quoad fieri poterit, anteactis Martyrologii correctionibus, iiſque ſervatis Regulis, quæ poſt emendationes illas ſtatutæ ſunt. Cum ergo a præſtitutis hiſce Regulis ille recedat, qui aut Beatorum nomina, aut memoriam Sanctorum, qui juxta veterem Eccleſiæ ritum, vel juxta recentem Eccleſiæ diſciplinam in Canonem relati non ſunt, Romano Martyrologio inſcribit, extra tritam hanc ſemitam pedem efferre noluimus; quidquid ſenſerint alii, qui rationem, ac methodum hac in parte diſſimilem ſequi maluerunt.

Alii leviorem quamdam Martyrologii emendationem ſuadent.

XVIII. Quæ huc uſque diximus ea ſunt, ut & animi Noſtri ſenſus ſatis aperiant, & ab ulterioribus moleſtiis Nos eximant. Verùm necdum alienis poſtulationibus, Noſtriſque curis finis impoſitus. Fas aliquando, ut in Noſtro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 17. num. 9. & 10.* animadvertimus, Sedem Apoſtolicam adire, atque illi, ea qua decet animi demiſſione, proponere errati alicujus, quod in Martyrologium irrepſit, emendationem. Hinc non defuere, qui hujuſce libertatis prætextu, leviorem quamdam Romani Martyrologii recenſionem obtineri poſſe putarint. Non enim, ut ipſi ajebant, aut Noſtro conſilio, aut Noſtro id repugnat Inſtituto de ſervandis correctionibus pridem habitis; Siquidem unius vel alterius loci immutatio uſque adeo levis eſt, ut nullo, aut fere nullo habeatur in pretio.

Proponitur controverſia de Clementis Alexandrini nomine.

XIX. Ex iis verò, qui peculiari emendatione indigent locis, quartam Decembris diem innuebant, cui Clementis Alexandrini nomen inſcriberemus; recentiorum Eruditorum aliquibus ægrè ferentibus, nomen Viri doctrina & pietate conſpicui, in Romano Martyrologio fuiſſe præteritum. Hanc controverſiam intactam relinqui nova hæc, quam curamus, Editio non patitur; Hinc operæ pretium duximus, Apoſtolicas inter ſollicitudines, quibus aſſiduè gravamur, ſedulò inquirere, quidnam cum veteres, tum recentes Eccleſiaſtici Scriptores de Clemente Alexandrino, cujus cauſam tractandam ſuſcipimus, litteris conſignaverint.

Veterum Scriptorum de Clementis ſanctitate & doctrina ſuffragia.

XX. Vixit Clemens tertio Eccleſiæ ſæculo ineunte; Præceptorem coluit Pantænum, qui Stoicam Philoſophiam profeſſus eſt, antequàm Chriſtianæ Religioni nomen daret; diſcipulum habuit Origenem. Alexandrinæ Eccleſiæ fuit Presbyter; ibique celeberrimæ ejuſdem Eccleſiæ Scholæ præfuit. Euſebius Pamphili, qui ſub quarti ſæculi initia floruit, *lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 14.* affert fragmentum Epiſtolæ Sancti Alexandri Epiſcopi Hieroſolymitani ad Origenem ſcriptæ, in qua *Sancti* titulo Clemens donatur: *Patres agnoſcimus*, inquit, *Beatos illos, qui viam Nobis præiverunt . . . . & Sanctum Clementem Dominum item meum, qui me plurimùm adjuvit.* Sanctus Hieronymus *in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quem circa finem ſæculi quarti elucubravit, fere geminas congerit laudes ab eodem Sancto Alexandro Clementi tributas hiſce verbis: *Hæc vobis, domini ac fratres, ſcripta tranſmiſi per Clementem Beatum Presbyterum Virum illuſtrem, & probatum.* Theodoretus quinto ſæculo clarus, *lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 6.* Clementem vocat *Virum Sanctum*; cui conſonat *Chronicon Paſchale*, ubi Chronici Auctor *pag. 7.* hæc habet: *Clemens Sanctiſſimus Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter.* Eodem in ſenſu Sanctus Maximus Monachus Conſtantinopolitanus, cujus ætas ad ſeptimum Eccleſiæ ſeculum revocatur, affert fragmentum quoddam *ex lib. de Providentia*, quem dicit eſſe *Sanctiſſimi Clementis Presbyteri Alexandrini*, ut legimus *in tomo 2. Operum Sancti Maximi* Verſionis, atque Editionis Patris Combefis *pag. 144.* Succinit Joannes Damaſcenus octavi ſæculi Scriptor notiſſimus, qui, *in Tractatu de duabus Chriſti voluntatibus*, cujus fragmentum producitur inter *veterum Scriptorum teſtimonia*, quæ *tomo 1.* Operum Clementis Alexandrini Editionis Oxonienſis præmittuntur, pari laude Clementem *Beatum* appellat. Miſſa facimus elogia, quibus Clementis doctrina commendatur; cùm omnium loco eſſe poſſit, quod Sanctus Hieronymus *in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 38.* ipſius Clementis Operibus tribuit, ita ſcribens: *Feruntur ejus inſignia volumina plenaque Eruditionis, & Eloquentiæ, tam de Scripturis Divinis, quàm de ſæcularis litteraturæ inſtrumento*; & in Epiſtola ad Magnum: *Quid in illis indoctum? imò quid non è media Philoſophia eſt?*

Adſtipulantur Recentiores.

XXI. Eadem ferè, quæ veteres Scriptores de Clementis ſanctitate affirmant, repetunt Authores quamplurimi, qui recentiori ævo claruerunt. Id verò cuique compertum erit, qui conſulat *tomum 2.* Operum Clementis præfatæ Editionis Oxonienſis *pag. 1041. in notis ad num. 8.*, *tomum 1. Bibliothecæ Concionatoriæ Patris Combefis pag. 9.* Patrem Ruinart *ad Acta Martyrum pag. 135.*, Patrem Honoratum a Sancta Maria in locis quamplurimis Operis, cui titulus,

*Animad-*

*Animadversiones in Regulas, & usum Criticæ*, Patrem Ambrusel *de abusibus Criticæ tom. 2. pag. 53.*, Natalem Alexandrum *tom. 3. Editionis Parisiensis pag. 307*, Patrem Calmet *lib. 56. Historiæ universalis tomo 5. pag. 72. & seqq. num. 106. & num. 109.*

Martyrologia quamplurima, Usuardi cum primis, Clementi favent.

XXII. Præterea in Martyrologio Usuardi quarta Decembris die occurrit memoria Sancti Clementis, ejusdem scilicet Clementis, de quo loquimur. Huic Martyrologio addi possunt, & alia posteriora, nimirùm Vespuccii editum anno 1486., Maurolycii anno 1568., Galesinii anno 1578., Ferrarii, & aliorum, quæ missa facimus. Tantam enim sibi vindicat authoritatem unum Usuardi Martyrologium, ut robur, & firmitas aliundè frustrà petatur. Ex quo factum, ut Scriptores plurimi, qui *Sancti* titulum Clementi Alexandrino conciliarunt, Usuardi sententiam prætendentes, quamcumque sive invidiam, sive censuram effugerint, uti ratiocinantur Patres Bollandiani *tomo 6. mensis Maji pag. 777. num. 13.*, Baillet *ad diem 4. Decembris tomo 3. pag. 65. & seqq.* Tillemont *tomo 3. pag. 195.* Haud satis igitur Clementis Alexandrini decori consuluisse videtur Cardinalis Baronius, qui Clementis nomen, quod in Usuardi Martyrologio perlegerat, in Romanum Martyrologium non transtulit.

Alii, Clementis errores denegant.

XXIII. Neque hìc sistunt Clementis Patroni, ex quorum sententia hactenùs loquuti sumus. Multam illis ingerit difficultatem Gelasii Papæ Decretum, quo Clementis Alexandrini Opera apocryphis accensentur; Non enim levis suspicio est Gelasii Decretum in causa fuisse, ne hujusce Clementis nomen Romanis fastis inscriberetur, ut scitè animadvertunt celebres Patres Bollandiani *tomo 7. Junii* in notis ad Martyrologium Usuardi. Hinc, ut ab hoc obice sese expediant, qui Clementis causam tuentur, nullum non movent lapidem, ut Clementis Opera ab erroribus aut prorsùs vindicent, aut saltem excusent. Pater Nourry *in apparatu ad Bibliothecam Maximam Sanctorum Patrum tomo 1. lib. 3.* summa diligentia, ac eruditione, singula Clementis Opera recensèt, illustrat, atque ab erroribus, quorum insimulantur, purgare contendit. Ceillier *tomo 2. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 26. num. 14. pag. 314.* errores quidem non diffitetur, sed alienos, atque ab Hæreticis insertos affirmat. Pari conatu in alio Opere, cui titulus, *Apologia Moralis Sanctorum Ecclesiæ Patrum cap. 2.* maculas omnes, quas Joannes Barbeirac in Clemente Alexandrino detegit, conatur diluere. Calmet in Opere, & loco supra relatis fatetur, errores, qui in Clementis Operibus occurrunt, non esse Clementis fœtum, sed ab eo in aliena sententia, quam deinde refellit, produci.

Excusant alii.

XXIV. Alii verò ex Clementis Fautoribus, cum fateri cogantur, Clementem Alexandrinum non in alieno, sed reipsa in proprio sensu alicubi errasse, aliam ineunt viam, ut reatum, quem omninò excludere nequeunt, saltem imminuant, atque in benigniorem partem excipiant. Dupinius *tomo 1. Bibliothecæ pag. 208. Editionis Parisiensis anno 1698.* Clementem ait lapsum, quo tempore Christianæ Religionis Mysteriis nondum erat satis instructus. Annatus *in Apparatu Theologiæ positivæ lib. 4. art. 7.* Operum Clementis Alexandrini Indicem texit, & quæ contra objiciuntur, studet evertere. Bollandiani Patres de Gelasii censura contra Clementis Opera multùm solliciti, *tomo 4. mensis Julii in egregia Dissertatione de divisione Apostolorum pag. 12. num. 27.* probare conantur, duos extitisse Clementes Alexandrinos cognomines, ideòque Gelasii Decretum, quod *alterius Clementis Opuscula* rejicit, de alio quodam Clemente, non etiam de eo, de quo hìc agimus, esse intelligendum. Joannes Baptista Poza Gelasiani Decreti verba penitiùs introspiciens, *in Apologia, quam scripsit ad Summum Pontificem Urbanum VIII.*, ut Opus suum, quod inscribitur *Elucidarium*, vindicaret, *pag. 3. a tergo* censet, Gelasiani Decreti vim eam non esse, ut Opera omnia proscribat, quæ inter Apocrypha enumerat; sed illud dumtaxat discriminis statuisse inter Opera, quæ publicè, cùm Divina Officia peragebantur, legi poterant; & ea, quæ nonnisi privatæ Lectioni permittebantur; quo in sensu Clementis Opera dici putat Apocrypha, quòd inter Divina Officia publica illorum Lectio, non etiam privata inter domesticos parietes vetaretur. Hanc sententiam sequitur Galesinus *in Adnotationibus*, quas Martyrologio suo addidit *sub die 4. Decembris*, ubi de Clementis Alexandrini Operibus ita loquitur: *Sunt tamen ejus Opera, ex Gelasii Sanctione, in Apocryphis, ita scilicèt, quemadmodùm Covarruvius interpretatur, ut caute privatim legantur, publicè autem in Ecclesia nullo sanè modo.*

Graviores, quæ Clementi obsunt difficultates, proponuntur.

XXV. Hæc sunt, quæ a Scriptoribus cum vetustis, tum recentioribus, nedum Catholicis, sed etiam Heterodoxis colligere licuit, atque huc transferre, non inani quadam affectatæ eruditionis ostentatione, sed eo dumtaxat consilio, ut quæ Clementi Alexandrino favere videntur, citra simulationem, omnium oculis subjiceremus. Hæc verò tanta non sunt, ut Nos inducant in eorum sententiam, qua Clementis hujusce nomen Martyrologio Romano inscribendum putant. Rationes quibus innitimur, infrà dabimus; non ut de Clementis Alexandrini laudibus quidquam detrahamus, sed ut pateant graviores difficultates, quæ Nobis impedimento sunt, quominùs Clementis nomen, quidquid sit de ejus doctrina, ac probitate, in Romanum Martyrologium inferamus.

Veterum Scriptorum de Clementis Sanctitate silentium.

XXVI. Prima, quæ difficultatem ingerit, ratio petitur a veterum Scriptorum silentio de moribus, ac vita Clementis Alexandrini. Unus Eusebius Pamphili *lib. 6. cap. 11. Historiæ Ecclesiasticæ* affert fragmentum Epistolæ Alexandri, qui Jerosolymorum rexit Ecclesiam, multa sanè cum laude de Clemente loquentis; quo eodem monumento Hieronymus, ut supra adnotavimus, *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis* usus est. Ita verò se habet Eusebii locus: *Porrò has Litteras, Domini Fratres, per Beatum Presbyterum Clementem ad Vos missi, Virum virtute præditum, & probatum, quem Vos & nostis jam, & amplius cognoscetis. Qui quidem Dei nutu, & providentia, dum hic apud Nos præsens esset, Ecclesiam Christi & confirmavit, & magnoperè auxit.* Etsi verò hæc verba, interprete Henrico Valesio, qui hac in re Divum Hieronymum sequitur, de Clemente Alexandrino sint accipienda, nihil inde colligitur, quod præcipuam quamdam insignemque Clementis prodat Sanctitatem, cujus idcircò illustre monumentum Martyrologii Tabulis sit consignandum. Non enim in una, vel altera bonorum Operum specie, Sanctitas, de qua hìc loquimur, sita est, sed virtutibus in gradu heroico assiduè exercitis, atque ad obitum usque productis, probatur. Quocirca licet hìc repetere, quod Calmet loco superiùs indicato scriptum reliquit de Clemente Alexandrino: Nos memoriis vitæ quam peregit, & mortis quam obivit, destitui. Præterquàm quod Eusebii hominis Ariani testimonium favore Clementis Alexandrini, tamquàm infidum ab iis traducitur, qui aliqua Arianismi semina in Clementis Operibus introspiciunt; In quorum numero

1748.

habendus Petavius, qui *tomo* 2. *Theologicorum Dogmatum lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 1. ita Clementem sugillat: *Naturam, ait, Filii Omnipotenti Deo citimam esse; quod Platonici, & Ariani Dogmatis indolem sapit.*

Nulla de Cultu Clementi exhibito vola, aut vestigium.

XXVII. Altera ratio sic habet: Nullum monumentum, imò nec ullum quidem vestigium superest Cultus, quem aliqua Ecclesia, aut Diœcesis, expresso vel tacito Catholici Episcopi assensu, exhibuerit Clementi Alexandrino. Parùm verò refert, eum vita cessisse, antequàm in Ecclesia Dei mos invaleseret publico cultu honorandi inclytos Christi Confessores; qui mos in Ecclesia cum Orientali tum Occidentali nonnisi quarto Ecclesiæ sæculo primùm incepit, ut Eruditi conveniunt, Nosque probavimus *lib.* 1. *Operis de Canonizatione Cap.* 5. *num.* 3. *& seq.* Etenim neminem latet, priscos Ecclesiæ Fideles, ex præconcepta animisque indita veræ Sanctitatis opinione, vel ipsos Confessores, qui in Domino obdormiverant, cultu publico venerari consuevisse, etiamsi hac de re solemnis disciplina ac ritus nondum ab Ecclesia fuisset introductus.

Clementis Opera multis suspecta.

XXVIII. Tertia sequitur ratio, quæ Clementis Alexandrini Opera, sin minus erronea, saltem suspecta, Nobis inspicienda proponit. Enimverò Petavius, cujus verba supra recitavimus, Clementem Arianismi insimulat; esto Nourry *in Apparatu tomo* 1. *pag.* 683. *& seq.*, *& pag.* 952. *& seq.* hanc labem amoliri contendat. Cassiodorus hoc de Commentariis Clementis Alexandrini in Canonicas Epistolas judicium profert *tomo* 2. suorum Operum, *de Institutione Divinarum Litterarum cap.* 8. *In Epistolis autem Canonicis Clemens Alexandrinus Presbyter, qui & Stromateus vocatur, ideſt in Epistola Sancti Petri prima, Sancti Joannis prima & secunda, & Jacobi, quædam attico sermone declaravit, ubi multa quidem subtiliter, sed aliqua incautè locutus est, quæ Nos ita transferri fecimus in Latinum, ut, exclusis quibusdam offendiculis, purificata doctrina ejus securiùs posset hauriri.* Aliquod & hic sibi quærunt effugium Clementis Patroni, ajentes hoc Opus, in quo multa improbantur, non ipsi quidem Clementi, sed alteri incerto Authori tribuendum. Libros octo Hypotyposeon, sive Institutionum, multis scatere erroribus affirmat Photius, qui in Codice 109. suæ Bibliothecæ longum illorum attexit Indicem, atque ita prosequitur: *Quin etiam & alia id genus sexcenta blasphema voce nugatur, sive ipse, sive quis alius ejus personam indutus; planè ut octo ipsos Libros hisce Blasphemiarum portentis, de iisdem identidem differendo, ac sparsim, atque confusè veluti stupore perculsus, Scripturas producendo, repleverit.* Graviora quidem sunt hæc; ea tamen intelligenda esse non de erroribus, in quos Clemens lapsus fuerit, sed de iis, quos ille ex aliena sententia refert, atque refellit, sentiunt nonnulli, qui Clementis partibus impensiùs student. Addunt insuper, arduum sane esse, rectam ferre sententiam de memorato Clementis Opere, quod nusquam exiſlit, aut certè integrum non habetur, ut Calmet in loco superiùs citato ratiocinatur.

Gravior in eadem Opera ex Gelasiano Decreto Censura.

XXIX. Eadem tamen contra eos Clementis libros, qui & Clementem norunt authorem, & Eruditorum teruntur manibus (hi verò sunt libri Pædagogi, Stromatum libri, aliique numero pauci) objiciuntur incommoda. De hisce Operibus scribit Aubertus Miræus *in Bibliotheca Ecclesiastica Fabritii cap.* 38. *pag.* 112. *In libris ejus nonnullæ sententiæ occurrunt, quæ errorem sapiunt.* Miræo præiverat Venerabilis Cardinalis Bellarminus, qui Clementis Opera in celeberrimis adversùs Hæreticos controversiis tractandis diligenter inspexit, subactoque judicio examinavit. *Non desunt* (ita ille, *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*) *in hoc insigni Authore sententiæ aliquæ, quæ errorem sapiunt, quas in libris nostris Controversiarum notavimus &c. Utrum autem sententiæ illæ ab Hæreticis insertæ sint, ut aliqui piè credunt, an Authori more humano exciderint, ignoramus.* Alia Scriptorum testimonia missa facimus, cum non levem de Clementis Operibus ingerat suspicionem censura Decreti Gelasiani, quod ex antiquissimo Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ a Justo Fontanino Archiepiscopo Ancyrano editum est *in Appendice Antiquitatum Hortæ pag.* 317. *& seqq. primæ Editionis.* Hocce Decretum, ut prænotavimus, Clementis Opera recenset inter Apocrypha; non eo quidem in sensu, ut earum publicam dumtaxat lectionem, non etiam privatam interdicat; sed veriùs, quòd Opera illa erroribus sint aspersa; quam interpretationem sequuntur, & probant Doujat *de Prænotionibus Canonicis lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 1. *in fine*, Cardinalis Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *in Clemente Alexandrino*, Carolus Dufresne *in Glossario* Ver. *Apocrypha*, Pagi *in vita Gelasii num.* 4. *pag.* 227., Magri *in Vocabulario Ecclesiastico* Ver. *Apocryphus.*

Clementis erroribus suspectus, a Martyrologio excludendus.

XXX. Quisquis citra partium studia, maturo judicio secum expendat, quæ a Nobis hucusque prolata sunt, profectò fateri cogitur Clementis Alexandrini doctrinam dubiam saltem suspectamque esse de erroribus, quibus averten dis Clementis Fautores animum torquent, atque a variis interpretationibus, effugiis, exceptionibus, præsidium quærunt, ne gravior in Opera illa intorqueatur sententia. In hoc autem rerum statu, nemo qui sapiat, affirmabit Clementis Alexandrini nomen Martyrologi Romani venerando Codici esse inscribendum. Enimverò quamvis Magni Constantini nomen in Græcorum Menologio inter Sanctos fuerit relatum; quamvis de cultu in Ecclesia Orientali illi exhibito nulla suboriatur dubitatio; nihilominùs in Martyrologium Romanum Magni Constantini memoria nunquam translata est, quòd illum aut Hæresi Ariana aspersum, aut in Arianos propensiorem fuisse, nonnulli fuerint suspicati; quam tamen maculam Bollandiani Patres *tomo* 5. *mensis Maji die* 21. & Natalis Alexander *tomo* 4. *Historiæ Ecclesiasticæ dissert.* 24. a tanto Viro studeant amoliri. Percurrenda item, quæ à Nobis in hanc rem scripta sunt *in lib.* 2. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 36. *num.* 16., & novissimè à Costadono *in suis Observationibus super veterem Tabulam Græcam num.* 14.

Quæ opponuntur exempla, Clementis causam non juvant.

XXXI. Neque ad rem faciunt, quæ opponuntur exempla, alterum Hilarii Arelatensis Episcopi, alterum Vincentii Lirinensis, quorum uterque, nimirùm Hilarius die quinta, Vincentius verò die vigesimaquarta Maji, in Martyrologio Romano commemoratur, quamvis eorum doctrina Semipelagianismi labe fuerit aspersa. Siquidem, etsi Viros illos Semipelagianismi errore tactos concederemus, quod tamen plures denegant, qui Catholicam eorum sententiam egregiè tuentur; excusandi tamen, si quid humani hac in parte illis exciderit; nondum enim Catholica doctrina supremo Apostolicæ Sedis judicio fuerat definita, ut *in lib.* 2. *Operis de Canonizatione cap.* 29. pluribus disputavimus. At contra Clemens Alexandrinus in ea Catholicæ Religionis Dogmata, quæ pridem statuta fuerant, & inconcussis Ecclesiæ Decretis firmata, peccasse creditur: Cum igitur planè dissimilia sint, quæ producuntur exempla, immeritò doctus Pater Halloix *tomo* 2. *Scriptorum Illustrium Ecclesiæ Orientalis in notis ad vitam Pantæni cap.* 2. conqueritur, se vehementer mirari, quòd in Martyrologio Romano nomina aliorum veterum Patrum, qui in varios errores lapsi fuerant, describantur, nomen verò Clementis Alexandrini nullibi reperiatur.

Quo in sensu Sancti titulo Clemens donetur.

XXXII. Nec majoris momenti sunt cætera, quæ pro Clemente Alexandrino superiùs relata

sunt;

sunt; atque illud cum primis, quod *Beati*, *ac Sancti* nomine a multis donetur. Horum agmen, uti vidimus, ducit Eusebius, cujus verba è Sancti Alexandri Jerosolymitani Epistola deprompta supra produximus, quæ juxta Versionem Henrici Valesii ita sonant, *Sanctum Clementem Dominum item meum.* Verùm si verborum proprietatem ad Græcum textum exigamus, *Sacer* potiùs, quam *Sanctus* Clemens vocandus est; ita namque Græcus sermo habet, τὸν ἱερὸν κλήμεντα. Sed etsi ultro daremus, *Sancti ac Beati* nomen Clementi Alexandrino fuisse tributum, non ideò tamen de singulari illius Sancti tate judicium ferendum est. *Sancti* denominatio primis Ecclesiæ temporibus Religionis potiùs, quam Christiani profitebantur, quàm probati cujusque moris indicium erat. *Qui olim Christiani*, inquit Spondanus *in Epitome Annalium Cardinalis Baronii ad ann. Christi* 43. *num.* 4., *iidem nominabantur Sancti, ut a Paulo sæpe ac Luca, posterisque Ignatio, Philone, Polycarpo, Tertulliano, & aliis.* Hinc ut *in lib.* 4. *de Canonizatione Sanctorum par.* 2. *cap.* 27. *num.* 14. satis probavimus, unus *Sancti* titulus par non est, ut Corpora, quæ ex Catacumbis efferuntur, sacro Cultu donentur; sicut enim prænotavimus, in primæva Ecclesia *Sancti* vocabulum nec vitæ Sanctitatem, nec Martyrium pro Christi nomine toleratum, sed Christianæ Religionis, quæ cuique Fidelium communis erat, integritatem declarabat. Successu temporis, ut Spondanus animadvertit, *Sancti* titulus ad peculiarem vitæ sanctimoniam significandam translatus est: *Demum*, sic ille prosequitur, *obtinuit usus, ut illi tantummodò Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatiorique fulgerent morum sanctitudine.* In hac posteriori acceptione haud facilè prudens Scriptor *Sancti* nomen Clementi Alexandrino hodie tribueret; aut si quid tale illi excideret, veniam peteret, ut reverà petiit Combefisius. *De Sancti titulo, quo eum aliquando ornavit Combefisius veniam petiit, Bibliothecæ Concionatoriæ tomo* 1. *pag.* 9., verba sunt eruditi Dominici Georgii *in suis notis, quas Martyrologio Adonis ad diem* 19. *Decembris* subjecit. Eodem pertinent, quæ diligens Scriptor Pater Michael a Sancto Joseph *tomo* 2. *pag.* 39. *suæ Bibliographiæ Criticæ* Ver. *Clemens*, de Sancti nomine, quo Clemens honoratur, adnotavit: *In Expurgatorio Hispano tomo* 1. *pag.* 134. *ubi præscribitur correctio Bibliothecæ veterum Patrum ad tom* 6. *col.* 235. *deleri præcipitur titulus Divi appositus Clementi.*

Quamplura Martyrologia Clementis non meminere.

XXXIII. Equidem nonnulla Martyrologia, ut supra indicavimus, Clementis meminere; sed & alia proferri possunt, in quibus nulla Clementis Alexandrini fit mentio. Nil tale occurrit *in tomo* 3. *Thesauri Anecdotorum Martene, & Durand*; *in tomo* 6. *amplissimæ Collectionis Veterum Scriptorum*, quæ ab iisdem accuratis Authoribus coordinatur; *in tomo* 2. *Spicilegii Lucæ d'Acherii*; *in tomo* 2. *Antiquarum Lectionum Canisii*; *in Martyrologio Florentinii*; *in tomo* 6. *par.* 2. *mensis Junii Patrum Bollandianorum*, esto multa, ac vetusta in hisce locis exhibeantur Martyrologia. Usuardum sæculi noni Scriptorem primum fuisse, qui in suo Martyrologio Clementis Alexandrini nomen conscripserit, haud improbabilis opinio est; Verùm nihil prohibet quominus, si res ita exigat, ab Usuardi Martyrologio, alioquin multis de causis venerando, liceat aliquando recedere.

Prima Clementis mentio in Usuardi Martyrologio.

XXXIV. Usuardum cum primis Clementis nomen suo Martyrologio addidisse, affirmat Eruditus Sollerius *in suis ad Usuardum notis sub die quarta Decembris*; quam sanè Sollerii sententiam verosimillimam arbitramur. Usuardus enim in Opere suo adornando usus est præcedentibus Martyrologiis Hieronymi, Bedæ, Flori, Rabani, Wandelberti, & Adonis, ut præclarè ostendit Anonymus Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri *pag.* 8. *suæ Præfationis ad sincerum Usuardi Martyrologium*, quod Parisiis impressum est anno 1718. Cum autem in nullo ex præcedentibus Martyrologiis nomen Clementis legatur, haud temerè affirmare licet, Usuardum omnium primum fuisse, qui Clementis nomen in suum Martyrologium intulerit; potissimùm cum ipsemet Usuardus, in Prologo, quem ad Carolum Calvum scripsit, atque in prælaudato Opere impressus legitur, disertè fateatur se nonnulla Sanctorum nomina, quæ in præcedentibus Martyrologiis deerant, Operi suo addidisse. *At si quid, præter quod ab illis accepi, in hoc Opere auctum, vel mutatum est, sagaci a me indagine id perquisitum agnosci poterit.* Hæc Usuardus.

Accuratissima Martyrologii Adonis Editio Clementem præ termittit.

XXXV. Alia quidem sententia arridet Dominico Georgii, qui in loco mox allato putat nomen Clementis ante Usuardum ab Adone in suo Martyrologio fuisse descriptum. Verùm id longè facilius asseritur, quàm probatur. Plurimi, & meritò quidem, Georgius facit Editionem Martyrologii Adonis, quam curandam suscepit Rosweydus, cujus exemplar extat *tomo* 16. *Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis anno* 1677. de qua sic loquitur *in Præfatione pag.* 12. *Quanti verò fecerimus Rosweydi Editionem, facilè intelliges, cum videris ad illius fidem Nos omnia expressisse: nihil è textu detraxisse, sed ad scrupulum usque retinuisse omnia, & quæ ex Apographis nostris delibavimus, in varias Lectiones transtulisse.* Si tanta hujusce Editionis Georgio fides, cur ille Clementis nomen inserit, quod hæc probatissima Editio prætermittit? Equidem ille provocat ad vetera Martyrologii Adonis exemplaria, quæ *in Cod.* 511. 512. & 514. Bibliothecæ Vaticanæ exscribuntur; in quibus post Sancti Aviti Abbatis memoriam ita legimus: *Alexandriæ beati Clementis Presbyteri, qui in Divinarum Eruditionum Scholis quammaximè effloruit.* Verùm ipsa Codicum, qua scripti sunt, ætas, illorum authoritatem hac in re dubiam evincit. Audiendus ipsemet Georgius *in Præfatione pag.* 9. *Alter*, inquit, *signatus num.* 511., *ex specimine characteris, sæculo Christi undecimo scriptus esse mihi visus est; Reliqui verò duo signati num.* 512. & 514. *sæculo duodecimo exarati fuisse visi sunt.* Quocirca nec omnino antiqua, nec ab Adonis tempore parùm dissita dicenda sunt tria illa Bibliothecæ Vaticanæ exemplaria, quæ plurium sæculorum spatio ab Authoris ætate dissociantur. Ex quo & illud sequitur, fieri facilè potuisse, ut aliqui sequioris ævi Scriptores, pietatis, ac Religionis prætextu, privato consilio veteribus Martyrologiis nova Sanctorum nomina addiderint; quod multis exemplis, apud Eruditos, ipsumque Georgium satis frequentibus, illustrare possemus.

Fasabiotando ab Usuardi sententia discedere.

XXXVI. Hoc autem semel statuto, Usuardum nempè primum fuisse, qui Clementis nomen in Martyrologium invexit, tanta profectò non est illius authoritas, ut grande sit piaculum ab ea aliquando recedere; cum Nobis compertum sit, ejusmodi Martyrologii Lectionem primò in Monasteriis Benedictinis in usu fuisse; moxque ab aliis Ecclesiis fuisse adoptatam, ut in Opere *de Sanctorum Canonizatione lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 17. *num.* 3. observavimus. Neque unum est, in quo Usuardus fallitur, Clementis nomen. Si ea ad trutinam revocentur, quæ in Martyrologio Usuardi circa Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis enarrantur, & quorum a Nobis *in Opere de Festis Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Beatissimæ Matris ad diem* 15. *Augusti* accurata fit mentio, fateri oportebit, Usuardi testimonium esse rejiciendum, ubi

majora, ac meliora id suadeant argumenta. Quæ cum ita sint, iis profectò assentiri non possumus, qui per summam injuriam reprehendunt eximios illos Viros a Gregorio XIII. Romani Martyrologii emendationi præpositos, quorum nomina in præcitato Operis Nostri loco *sub num.* 5. singillatim enumeravimus: Non enim ideò culpandi, quòd a Clementis Alexandrini nomine, cujus Usuardi Martyrologium meminerat, abstinuerint. Enimverò argumentorum, quæ supra retulimus, tanta vis est, ut & Usuardi testimonium infirmet, & Romani Martyrologii emendationem a quavis obtrectatione, & censura prorsus eximat.

Alia de Severi Sulpicii nomine proponitur Controversia.

XXXVII. Absoluta de Clementis Alexandrini nomine controversia, alia succedit de *Severo Sulpitio Sancti Martini discipulo.* Martyrologii Correctores sub Gregorio XIII. hoc Elogium ad diem 29. Januarii apponendum censuerunt: *Apud Bituricas Sancti Sulpitii Severi Episcopi discipuli Sancti Martini, virtutibus, & eruditione conspicui.* Qui verò Urbano VIII. mandante novam Martyrologii Emendationem instaurarunt, idem Elogium, verbis aliquot intermediis dumtaxat exclusis, ita contraxerunt: *Apud Bituricas Sancti Sulpitii Severi Episcopi virtutibus, & eruditione conspicui.* Tota igitur circa voces illas, *Discipuli Sancti Martini*, versatur emendationum varietas, de qua multa scripserunt Patres Bollandiani *ad diem 29. Januarii, in vita Sancti Sulpitii Severi Episcopi Biturícensis §. 2. num. 12.*, Florentinius in Admonitione 11. quæ præponitur ejus Martyrologio *pag. 51.*, Baillet *ad diem 29. Januarii num. 1. & num. 4.*, Tillemontius *tomo 10. Memoriarum, nota 5. super vita Sulpitii Severi*, Graveson *tomo 12. Historiæ Ecclesiasticæ pag. 157.* Romanæ Editionis anno 1717., aliique complures, quibus & Nostrum *de Canonizatione* Opus addendum *lib. 4. part. 2. cap. 17. num. 7.*

Quænam Gregorianæ correctioni faveant argumenta.

XXXVIII. Ut gravior hæc controversia pro meritis expendatur, illud in quo præcipuus difficultatis cardo sistit, inspiciendum, an Sulpitius Severus Sancti Martini discipulus, fuerit, an non, Episcopus Bituricensis; ideòque jurene, an injuria, verba illa *Discipuli Sancti Martini* fuerint expuncta. Correctores sub Gregorio affirmativam sententiam sequuti sunt; hinc duo illa in Elogio sociarunt: *Apud Bituricas Sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli Sancti Martini.* Hanc ipsam Correctoribus insedisse opinionem testatur Cardinalis Baronius in suis ad Martyrologium notis *sub die 29. Januarii.* Neque verò hæc sententia omnimoda caret probabilitate; quandoquidem ea innititur additionibus a Molano factis ad Usuardum, ubi *ad diem 29. Januarii* hæc habentur: *Bituricas civitate Sancti Sulpitii Severi Episcopi, & Confessoris, discipuli Beati Martini*; fulcitur testimonio Maurolici, qui in suo Martyrologio ad præcitatam diem ita scripsit, *Biturici Severi Præsulis, discipuli Sancti Martini*; & postremò juvatur Apologia, quam pro Sulpitio Severo discipulo Sancti Martini scripsit Guibertus Martinus Abbas Gemblacensis, qui ineunte sæculo tertiodecimo floruit. De hac Guiberti Apologia consulendus Hieronymus de Prato Veronensis, qui illam inseruit *tomo 1. Operum Sulpitii Severi.*

Hinc querelæ in emendationem sub Urbano institutam.

XXXIX. Hisce verò momentis nimiùm præsidentes insurgunt aliqui, atque in Martyrologii correctionem ætate Urbani factam subinfensi, apertis verbis loquuntur simul, & obloquuntur. Aut enim, ita ratiocinantur, locus est conjecturis supra propositis; jamque Gregoriana emendatio sarcta tectaque servanda erat: Aut nova contra conjecturas illas supervenerunt monumenta, atque hoc in casu satis erat Episcopi titulum Severo Sulpitio adimere, & interim, quæ sequuntur verba illa, *Discipuli Sancti Martini*, immutata relinquere. Hoc autem temperamento posthabito, Martyrologium Romanum, ex nupera correctione, non uno, sed duplici gravatur incommodo; tum quia alter Sulpitius Severus Episcopus Bituricensis, a Sulpitio Severo Sancti Martini discipulo diversus, perperam effingitur; tum quia Sulpitius Severus discipulus Sancti Martini, de cujus laudibus Sanctus Paulinus Nolanus, Paulinus Petrocoriensis, Venantius Fortunatus, Gregorius Turonensis, aliique palàm loquuntur, à Martyrologio exploditur, ac non sine injuria a vetustissima illa tituli Sanctitatis possessione deturbatur. *Valdè autem Sulpitii Sanctimoniam commendat*, inquit Gerardus Joannes Vossius in vita Severi Sulpitii, quæ in fronte ejus Operum Editionis Amstelodami præponitur, *quòd in Romano Martyrologio ejus memoria celebretur ad 4. Kalendas Februarii.* Gemina occurrunt apud Patrem Brasschelli, qui ante Urbani VIII. emendationem ita de Severo Sulpitio loquitur in Indice librorum expurgandorum: *Ut interim omittamus Episcopatum, quem in ancipiti quibusdam conjecturis Baronius tomo 5. Annalium posuit; De Sanctitate tamen Severi Sulpitii, cujus tam illustre Elogium extat in Martyrologio Romano 29. Januarii, ambigere, nescio quàm tutum.* Hæc illi, qui Gregorianæ Correctioni favent impensiùs.

Sulpitius Severus Pelagianis, & Millenariis adhæret.

XL. Hæc tamen iis non probantur, qui Severum Sulpitium Sancti Martini discipulum in plures errorum scopulos turpiter impegisse contendunt. Compertum namque est, eum jam ætate provectum erroribus Pelagianorum adhæsisse, & in suis Dialogis errores Millenariorum fuisse sequutum; ex quo Dialogi illi a Gelasio Pontifice in memorato de Ecclesiasticis libris Decreto, Apocryphis accensentur, hisce verbis: *Opuscula Posthumiani, & Galli Apocrypha*; qua in re conveniunt Scriptores non modò Heterodoxi, nempè Casimirus Oudinus *de Scriptoribus Ecclesiasticis sæculi quinti pag. 495.*, & Cave *de Scriptoribus Ecclesiasticis sæculi Nestoriani*; sed & Catholici Authores satis accurati, veluti Joannes Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Cardinalis Bellarminus *in eodem Tractatu*, Philippus Labè *in sua Dissertatione Historica*, quæ prostat *in tomo 7. Operum Cardinalis Bellarmini* Venetæ Editionis anno 1728., Natalis Alexander *in Historia Ecclesiastica sæculi quinti cap. 4. art. 2.*, Longeval *in Historia Ecclesiæ Gallicanæ tomo 1. lib. 3. pag. 397.*, Doujat *in Prænotionibus Canonicis lib. 2. cap. 52. num. 5.* Quid verò ad hæc Sulpitii Patroni?

Sunt qui vindicias & pœnitentiam obtendant.

XLI. Reponunt, ejusmodi probra, quæ in Severum Sulpitium vibrantur, futilia planè esse ac inania; ideòque Martyrologii Reformatores sub Urbano, levi nimiùm innixos fundamento, Severi Sulpitii, qui Sanctum Martinum Præceptorem habuit, nomen è Martyrologii Codice expunxisse. Etenim, qui primus memoriæ mandavit, Sulpitium a Pelagianis deceptum, a Catholica Veritate declinasse, fuit Gennadius quinti sæculi Scriptor, de quo ita loquitur Guibertus Martinus Abbas Gemblacensis in prælaudata Apologia: *quòd a Pelagianis seductus, in aliquo a regula Orthodoxæ Fidei exorbitaverit, nusquam omninò, nisi in solo legi Gennadio, qui, nescio utrum hoc alicubi & ipse legerit, & an ex sola fama, quæ facta, & infecta loquitur, didicerit.* Addunt præterea, eumdem Gennadium, & Sulpitii errores, & pœnitentiam unà sociasse; quæ sanè tanta fuit, ut quoad vixit, perpetuum sibi silentium servandum indixerit, & reipsà servaverit: Si quid ergo peccavit, crimen illustri pœnitentia delevit. Quod verò attinet ad Millenariorum errores, ad Gelasiani Decreti censuram, ad ea demum maledicta, quæ Joannes Clericus in Opera Severi Sulpitii Sancti Martini discipuli infenso congessit stylo,

eadem repetunt, quæ prælaudatus Hieronymus de Prato in *Opere supra relato* in rem hanc scripsit, ut Severum Sulpitium ab impactis criminibus vindicaret. Illud tandem Sulpitii Fautores ingeminant, Correctores Urbani tempore modum nequaquàm servasse; si quid enim castigatione dignum inciderat, immutandum paulisper erat, non omninò delendum. Qua fermè ratione Saussajus in Martyrologio Gallicano, quod anno 1637. editum est, *ad diem 29. Januarii* ademit quidem Sulpitio Severo titulum Episcopi, sed cætera, quæ Sulpitium illum Sancti Martini discipulum fuisse demonstrant, intacta reliquit, hoc pacto: *Eodem die in Aquitania Pago Primuliaco, Sancti Severi Sulpitii Presbyteri & Confessoris, doctrinæ & Sanctimoniæ laude perillustris, qui Sancti Martini res gestas nitido stylo conscripsit, atque non minùs actibus expressit, quàm calamo, paupertatis Cultor egregius, ac humilitatis perstincerus Amator, cujus præconia ob claras sapientiæ dotes, & sublime vitæ institutum, Sanctus Paulinus Nolæ Episcopus efferens, magnificè prosecutus est.*

Ratio potissima cur Sulpitii nomen Martyrologio non inscribatur.

XLII. Atque hæc quidem sunt, quæ de Sulpitio Severo Sancti Martini discipulo cùm ex Eruditorum colloquiis Nobiscum habitis, tùm maximè ex privata librorum lectione Nobis licuit haurire. Nullum verò ex tanta rerum congerie satis efficax argumentum occurrit, quod Nostrum inducat animum, ut a Correctione, quæ sub Urbano VIII. peracta est, recedamus. Enimverò post accuratam causæ discussionem, illud tandem comperimus, universum oppositæ sententiæ Systema huic propositioni, quam axiomatis loco præsupponit, inniti, nimirum die 29. Januarii inscriptum fuisse in Romano Martyrologio nomen Sulpitii Severi discipuli Sancti Martini. Hinc querelæ illæ, atque repetitæ expostulationes, ob non servatam hanc saltem Elogii partem, *Discipuli Sancti Martini*, si fortè Episcopatus insignia Severo Sulpitio minùs conveniant. Verùm hæc præcipua erroris causa, quòd ratiocinium, cui omnimoda fides adhibetur, falso laborat supposito; unde sequitur, ut quæ supra extruitur argumentorum moles, sponte sua corruat.

Status Controversiæ Reformatoribus sub Urbano benè perspectus.

XLIII. Id verò exploratum cuique erit, si ad ea, quæ Martyrologii Reformatoribus sub Urbano Pontifice benè perspecta erant, animum convertamus. Norant hi, Sulpitium Severum, de quo in Romano Martyrologio sub die 29. Januarii fit mentio, reverà Episcopum Bituricensem fuisse, cum hac in re omnia conveniant Martyrologia, quæ Gregorianam Correctionem ætate præcedunt. Norant item, Severum Sulpitium Sancti Martini discipulum numquam ad Bituricensem Episcopatum fuisse evectum, quidquid Guibertus commentus fuerit, quem tamen Hieronymus de Prato in vita Sulpitii Severi discipuli Sancti Martini §. 13. ita refellit: *Pergit Guibertus narrans, Severum à Bituricensi Clero ex Monasterio adductum, Archiepiscopum ejus Urbis constitutum. Nihil magis repugnans veritati, quàm Severum nostrum Bituricensem Episcopum fuisse.* Sed & illud, vel ex ipso Gennadio nosse poterant, Sulpitium Severum nonnisi Presbyterum fuisse; quod deinde recentiori ævo indubium reddidit gemina ejusdem Sulpitii Severi Epistola a Balutio reperta, & *Miscellaneorum tomo* 1. inserta, cujus inscriptio sic habet: *Epistola Sancti Sulpitii Severi Presbyteri.* Utramque Epistolam a Balutio collectam probat Tillemontius *in Adnotatione quinta ad vitam Sulpitii Severi Sancti Martini discipuli*; nec dissentit Hieronymus de Prato §. 10. *vitæ Sulpitii Severi*, monumentorum potiùs, quæ Balutius edidit, quàm Gennadii, cujus fidem habet suspectam, autoritate commotus. Libet Hieronymi locum, etsi longiusculum, integrum hic exscribere: *Uno itaque*, inquit, *Gennadii testimonio innititur Severi Presbyteratus, quod, tacentibus cæteris, quid valeat non video. Moneo tamen, Balutium in Miscellaneorum libro primo exhibere Epistolas duas Sulpitii Severi Presbyteri Aquitani, quas & Nos dabimus in Appendice tomi secundi, quarum utraque hunc præfert titulum*: Epistola Sancti Severi Presbyteri; *prima verò etiam hanc appositam habet coronidem*: Explicit Epistola Severi Presbyteri ad Claudiam sororem suam. *Itaque ni malimus ex authoritate Gennadii huic nostro Severo, cui duæ illæ Epistolæ adscribendæ videntur, Presbyteri titulum a Librariis additum, aliquantulùm hinc ejus sententiæ accederet momenti.*

Sub uno Sulpitii Severi nomine duo secernendi.

XLIV. Falluntur ergo, qui putant Sulpitium Severum, cujus memoria incidit in diem 29. Januarii, esse discipulum Sancti Martini; cùm Sulpitius ille Bituricensis Episcopus dicatur, hic verò sola Presbyteratus prærogativa præfulgeat. Ex qua præpostera sententia illud necessariò sequitur, ut è duplici Sulpitio Severo, ministerio, ac dignitate planè dissimili, unus confletur, cui duo hæc simul conveniant, quòd Episcopus Bituricensis fuerit, itemque discipulus Sancti Martini. Quo quid absurdius? Hæc tamen Personarum comixtio suam duxit originem ab Apologia Abbatis Gemblacensis, cujus opinio Sigonium, Galesinium, Victorem, Giselinum, aliosque plures in eumdem errorem pertraxit.

Controversiam de Sulpitio Presbytero Correctores non attingunt.

XLV. Neque egregios illos Viros, qui Martyrologii emendationem sub Urbano excuderunt, latuit absurda hæc opinio; quamvis compertum sit, nihil de ea rejicienda fuisse solicitos. Cum enim certò nossent, Sulpitium Severum, de quo in Romano Martyrologio ad diem 29. Januarii, Episcopum Bituricensem fuisse, ideoque planè diversum a Sulpitio Severo Sancti Martini discipulo, nihil illis curæ fuit ea ad examen vocare, quæ contra posteriorem Sulpitium Severum opponi solent, ne alioqui extra præstitutos fines vagari viderentur. Huic quæstioni locus quidem fuisset, si de Sulpitio Severo Sancti Martini discipulo aut in Martyrologium inferendo, aut inde expungendo, judicium instituretur. Verùm cum nil tale in disputationem veniret, rem hanc intactam relinquere satiùs duxerunt. Quod enim ad hujusce Sulpitii sanctitatem attinet, nemo est ex antiquis Scriptoribus, qui eum Sancti titulo exornet: *Sanè ab antiquis Sanctitatis titulo haud decoratur*; ita legimus *in Bibliographia* Patris Michaelis *tomo* 4. *pag.* 55. Quod si apud Saussajum, & Petrum de Natalibus, Sancti nomine aliquando donetur, nihil inde conficitur; jam enim præmonuit Longeval *in Historia Ecclesiastica Ecclesiæ Gallicanæ tomo* 1. *lib.* 3. *pag.* 397. *in not. sub lit. A.* optandum esse, ambos ea authoritate fuisse donatos, quam non habebant, & quam habere sibi falsò persuaserant.

Acta Congregationis, quæ sub Urbano habita est, producuntur.

XLVI. Quæ de Martyrologii correctione Urbani tempore instituta, ac de methodo, quam Reformatores sibi servandam proposuere, huc usque narravimus, Historicæ veritati, quæ ex Actis Congregationis indubia est, planè consonant. Rei gestæ seriem paucis hìc repetere, nec inutile erit, nec injucundum. Die 27. Januarii 1628. habita est celeberrima Congregatio coram Cardinali de Torres, cui, præter alios, interfuere Fortunatus Scacchus, Bartholomæus Gavantus, Terentius Alciatus, & Hilarion Abbas Sanctæ Crucis in Jerusalem, ut ex Actis, quæ recensentur *in Codice* 1240. *Manuscriptorum insignis Bibliothecæ Barberinæ pag.* 527. manifestum est. Primo loco igitur vetus Elogium ex Martyrologio jussu Gregorii XIII. castigato productum est, atque inter Acta relatum, cujus tenor, qui sequitur: *Januarii* 29.

*apud*

*apud Bituricas Sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli Sancti Martini.* Quid de ejusmodi Elogio senserint egregii Viri, queis emendatio erat concredita, ex Historica, quam subjicimus, narratione audiamus: *Videbatur hoc loco agi de eo, qui scripsit vitam Sancti Martini, qui tamen mortuus est Presbyter, non Episcopus, & incidit in Errores Origenis, & Pelagii, licet resipuerit, testibus Gennadio, Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Baronio in Annalibus. Fuit alius hujus nominis Episcopus Bituricensis ex Antonio Democar in Catalogo Episcoporum Bituricensium, qui tamen non vixit, nisi longè post Sanctum Martinum Turonensem Episcopum, cujus fuit alioquin imitator, ex Petro de Natalibus. Quibus omnibus consideratis, decretum est deleri ea verba*, Discipuli Sancti Martini, *ut de Episcopo Bituricensi statim intelligatur Martyrologii textus, non de alio discipulo Sancti Martini, & Scriptore vitæ.*

Sulpitii duo, uterque Bituricensis Episcopus, numerantur.

XLVII. Quæ verba cum satis aperta sint, nullisque ambagibus involuta, nihil iis, quæ suprà retulimus, addendum supereſt. Hoc unum, antequam controversiæ finem imponamus, juvat hic adnotare, duos nimirum Sulpitios Episcopos Bituricenses extitisse, quibus nihil commune est cum Sulpitio Severo Sancti Martini discipulo. Primus obiit an. 591., alter vita cessit anno 694. De priori loquitur Martyrologium die 29. Januarii, posteriorem die 17. ejusdem mensis commemorat. Ne nominis, atque Episcopatus affinitas confusionem pareret, alteri cognomen *Severi*, alteri *Pii* cognomen est additum; Hinc de altero Sulpitio die 17. Januarii legimus: *Apud Bituricas depositio Sancti Sulpitii Episcopi cognomento Pii, cujus vita, & mors pretiosa gloriosis miraculis commendatur.* De Sulpitio, qui *Severus* cognominatur, non etiam de alio, qui *Pius* vulgò audit, excitatur controversia, sit ne a Sulpitio Severo Sancti Martini discipulo secernendus; quæ tamen controversia post correctionem Urbani VIII. è medio sublata est. De gemino Sulpitio Bituricensi Episcopo consulendus Cardinalis Baronius *tomo 5. Romanæ Editionis ad ann. Christi 431. §. Sed illud hic considerandum*; & in *Notis ad Martyrologium Romanum die 29. Januarii*, Patres Bollandiani *die 29. Januarii in vita Sancti Sulpitii Severi Episcopi Bituricensis §. 2. num. 12.*, Mabillonius *in Annalibus Benedictinis lib. 2. num. 91. ad an. 624.*, & *in Actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti Sec. 2. ad ann. 644. in Observationibus prævis ad vitam Sancti Sulpitii Pii num. 1.*, Dionysius Sammarthanus *in Gallia Christiana tomo 2. editionis Parisiensis anno 1720. pag. 14. num. 25., & pag. 16. n. 19.*, Le Coint *in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad ann. Christi 591. pag. 392.* ubi ad rem nostram ita scribit luculentissimè: *In Cathedra Bituricensi duo sederunt Sulpitii: Hic Severi nomen obtinuit, ut ab altero distingueretur, cui cognomen Pii cessit; atque inde factum est, ut a posterioris ævi Scriptoribus discipulus Sancti Martini prædicaretur, ac talis in Martyrologium Romanum irreperet quarto Kalendas Februarii, donec Urbani VIII. Romani Pontificis authoritate abrasæ sunt illæ voces* Discipuli Sancti Martini, *his dumtaxat servatis: Apud Bituricas Sancti Sulpitii Severi Episcopi, virtutibus, & eruditione conspicui.* Consulendi quoque Annatus *lib. 4. Theologiæ positivæ art. 26.*, & Dominicus Georgius *in notis ad Martyrologium Adonis die 17. Januarii.*

Bollandiani instant pro Theodori Pontificis nomine; sed rejiciuntur;

XLVIII. Eruditissimis Patribus Bollandianis *tomo 3. mensis Maji die 14. pag. 263.* mirum planè subit, quòd in Romano Martyrologio Theodori Summi Pontificis nomen nullibi occurrat, cum illius expressa fiat mentio in gemino Martyrologio Florentino, altero Magni Ducis Etruriæ, altero Senatoris Strozzi; quibus & illud accensendum, quod Florentiæ typis excusum est anno 1486. Hinc ea Bollandianorum expostulatio: *Contigit hæc depositio, seu potius ejus (Theodori) obitus hac die 14. Maji ann. 649.; sed, quod miramur, nullis aliis fastis, maximè Romanis, ejus nomen insertum reperimus.* Quæ verba de Theodoro I. Summo Pontifice intelligenda esse temporis definita ratio demonstrat; cùm Theodorus II. post dies viginti in Pontificatu actos ex hac vita migraverit anno 901. Bollandianis adhæret Franciscus Pagi *in Vita Theodori I. tomo 1. Breviarii Romanorum Pontificum.* Mirari tamen desinet quisquis animadvertat, Correctores Romanos ea tantùm in Martyrologium transtulisse Sanctorum nomina, quæ ex veteribus probatisque Martyrologiis petebantur. Porrò tantam authoritatem recensitis Martyrologiis conciliandam non esse arbitrati sunt: Hinc, cum alia deficerent monumenta, uni Codicum illorum fidei acquiescere noluerunt.

Alia de Siricio Pontifice controversia. Florentinius, et Norisius pro Siricio decertant.

XLIX. Quod verò satis mirari non possumus, illud est, Siricii Pontificis nomine, quod vetusta æque ac probata exhibent quamplura Martyrologia, quæ a Bollandianis commemorantur *tomo 3. Februarii pag. 282.*, Nosque infra indicabimus, Romani Martyrologii Codicem tamdiù caruisse. Ubi primùm post Gregorianam Correctionem innotuit, ejusmodi Pontificis nomen in diem 26. Novembris relatum non fuisse, Clarus Vir Franciscus Maria Florentinius doctam scripsit Exercitationem, quæ *in Martyrologii suis notis ad dictam Novembris diem jacet ordine XVI.*, in qua multa sanè cum laude, ac eruditione demonstrat, quàm consentaneum sit, ut tanti Pontificis nomine Martyrologium ditetur. At Florentinii lucubratio suo caruit effectu, cùm nonnisi post absolutam Martyrologii correctionem, Romam pervenerit. Iterùm instituta Urbani VIII. tempore nova Martyrologii correctione, nulla de Siricii nomine incidit mentio, quia nulli curæ fuit ejusmodi causam, qua decebat vi, & alacritate, tractandam suscipere. Cum verò Clemente X. Ecclesiæ clavum gubernante, Sacror. Rituum Congregatio Basilicæ Lateranensi Officia propria Sanctorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum concessisset, Siricio prætermisso, rursùs de hujusce Pontificis Sanctitate, ejusque Officii concessione agi cœptum, irrito tamen eventu; siquidem Archiepiscopus Myræ, qui tunc temporis Promotoris Fidei munere fungebatur, acriter obstitit, quòd Siricii nomen in Romano Martyrologio nusquam occurreret; Ea namque Sacræ Congregationis mens erat, ut Sanctorum Pontificum Romanorum, quorum nomina in Martyrologium relata fuerant, Officia concederentur. Et quoniam ipsemet Fidei Promotor in suis Animadversionibus obiter attigit rationes præcipuas, ob quas Siricii nomen in Martyrologii emendatione fuerat prætermissum; hinc monitu, atque hortatu bonæ memoriæ Cardinalis Casanattæ, celebris Henricus Noris tum Augustiniani Ordinis Professor, mox communi plausu ab Innocentio XII. inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales adscriptus, pro tuenda Siricii Pontificis Sanctitate, satis accuratam ac validam edidit Apologiam, quæ nulli tamen fuit usui; cum ea, quæ in Sacror. Rituum Congregatione agitabatur Causa de concessione Officiorum, ad exitum perveniſſet, nec jam liceret post absolutum judicium, veterem excitare controversiam. En igitur Siricii Causam iteratò propositam, atque ad primævas silentii tenebras iterùm redire jussam.

Quæ nostra ætate pro Siricii Causa gesta sunt, enarrantur.

L. Tandem Nostra ætate, Nobisque id agentibus, novus de Siricio Pontifice recurrit sermo. Cum enim felicis recordationis Clemens XI. Prædecessor Noster munus Promotoris Fidei,

& deinde paucos post annos Præbendam Theologalem in Basilica Vaticana Nobis contulisset, e re Nostra fuit Sacror. Rituum Congregationi supplices offerre preces, ut quæ Basilicæ Lateranensi pridem concessa fuerant Sanctorum Pontificum Romanorum Officia, ad Capitulum Canonicos, & Clerum Basilicæ Vaticanæ extenderentur; quod obtinuimus. Similique exemplo commoti Basilicæ Liberianæ Canonici par Privilegium haud multò post impetrarunt. Tum verò opportunam occasionem nacti, Siricii Causam urgere, & eximiam Florentinii exercitationem proferre cœpimus. Cumque Nobis nuntiatum esset, celeberrimam a Cardinali Norisio super eodem argumento procusam fuisse lucubrationem, ad eam perquirendam curas animumque convertimus, ut validiori præsidio muniti, rursus Siricii causam deliberandam proponeremus. Sed quamdiù Promotoris Fidei munus obivimus, Norisiana Dissertatio fuit Nobis impervia. Postquàm verò singulari beneficentia Benedicti XIII. Prædecessoris Nostri ad Cardinalatus dignitatem ascendimus, quo tempore Scripturarum Cardinalis Casanattæ ad sacra Missarum Officia spectantium, indiculum conficiebamus, ut Operis de Canonizatione Sanctorum, quod tùm meditabamur, bono ac utilitati prospiceremus, inopinatò optatissima illa Norisii Dissertatio ad Nostras pervenit manus; quam idcircò summa diligentia, ac fide exscribendam curavimus, ejusque exemplar unà cum aliis monumentis, quæ ex prælaudati Cardinalis Casanattæ scriptis accepimus, Nobiscum Anconam primò, mox Bononiam detulimus. Scripturarum memorati Cardinalis integra series in celeberrima Casanattensi Bibliotheca summa cura asservatur; quæ verò a Norisio procusa est lucubratio *tomo* 4. *ejus Operum Editionis Veronensis an.* 1732. *pag.* 722. *& seqq.* impressa est. Nec defuere ex recentioribus alii, qui de gestis Sancti Siricii multa cum laude, ac eruditione disseruerint. Consulendi inter cæteros Franciscus Pagi *in Breviario Romanorum Pontificum in vita Siricii*, & Antonius Pagi ejus Patruus *in Adnotationibus Criticis ad Annales Baronii.*

Summus Pontifex Siricio favet.

LI. Quæ cum ita sint, Nostro muneri deesse profectò videremur, si Nos, quibus de Siricii Pontificis Sanctitate multa præsto sunt argumenta, quam olim in minoribus curam suscepimus, ad Summi Pontificatus Apicem Divina miseratione evecti, ad optatum exitum non perduceremus. Hoc autem negocium, mutatis vicibus, dissimili ratione, ac methodo est hodie pertractandum. Olim Nos in filiorum numero positi, a Majoribus & Patribus, quæ gerenda essent, audiebamus: Jam verò cum è Filiorum statu, in Ecclesiæ Pastorem ac Patrem evaserimus, quid hac in re decernendum sit, aliis indicimus. Siricii Pontificis nomen Romano Martyrologio inscribendum censemus; neque idcircò anterioribus Martyrologii Emendationibus, quæ Siricii nunquam meminere, apertè contradicimus. Unius quippè nominis additamentum, quod nova ac validissima suadent argumenta, aut præteritis correctionibus nihil officit, aut usque adeò levem infert varietatem, ut nullum, aut ferè nullum ex eo obveniat detrimentum.

Controversiæ status in certa capita distribuitur.

LII. Atque ut totius controversiæ status, qua decet methodo ac ordine pertractetur, rem universam in quatuor summa capita secernendam decernimus; ita nempè, ut primo loco inquiramus, quæ fuerit Siricii Pontificis, cum adhuc viveret, ac post ejus obitum, Sanctitatis fama: Secundò quænam Martyrologia, probatæne, an potius suspectæ fidei, Siricii meminerint: Tertiò quænam contrà Siricium militent rationes, ob quas ejus nomen Romano Martyrologio nunquàm fuerit inscriptum: Postremò quodnam de hisce rationibus judicium ferendum sit; num scilicet eæ sibi constent, an veriùs futiles sint, ideoque explodendæ.

Splendidum Valentiniani testimonium de Siricii Sanctitate.

LIII. De Sanctitatis fama, quæ Siricium adhuc superstitem commendavit, splendidum suppetit testimonium Valentiniani Imperatoris in Epistola ad Pinianum Urbis Vicarium, sive Præfectum data. De Valentiniano hìc loquimur non jam recèntioris ætatis, cum nempè adhuc puer, blanditiis ac suasionibus Matris, Arianorum erroribus imbutæ, erat adhuc implicitus, sed Valentinianum producimus grandævum, sapientia & virtutibus instructum, quas Divus Ambrosius in Oratione in ejus obitu habita commemoravit. Porro Magnus hic Imperator suas ad Pinianum dedit Literas postquam Sanctus Siricius, rejecto Ursicino, qui schismate Romanam Ecclesiam turbaverat, concordi Romani Populi acclamatione summus Ecclesiæ Pontifex renunciatus est. Hanc Epistolam ex veteri Codice Bibliothecæ Vaticanæ erutam, suis Annalibus inseruit Cardinalis Baronius *ad an. Christi* 385., & Petrus Constant *tomo* 1. *Epistolarum Romanorum Pontificum* edidit in ordine *secundam* inter eas, quæ Siricio Pontifici adscribuntur. Quid verò de Siricio senserit Valentinianus, quæ sequuntur verba demonstrant: *Proinde quoniam religiosum Siricium Antistitem Sanctitatis sic præesse Sacerdotio voluerunt, ut Ursicinum improbum acclamationibus violarent, nostro cum gaudio memoratus Episcopus ipse permaneat, Piniane carissime, ac jucundissime. Siquidem magnum innocentiæ, ac probitatis exemplum est, in una acclamatione & ipsum eligi, & cæteros improbari.*

Siricii epistola ad Himeriumdata, Authorem commendat.

LIV. Himerius Episcopus Tarraconensis Sanctum Damasum Siricii Decessorem, gravissimis de rebus ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus, more Majorum consuluerat. Himerii tamen Epistola Romam pervenit, cum jam Sanctus Pontifex Damasus ad Superos evolasset. Hinc qui Damaso successor datus est Siricius, rem confecit, atque hisce verbis Himerium est alloquutus: *Quia necesse nos erat in ejus labores curasque succedere, cui per Dei gratiam successissimus in honorem.* Magna quidem Ecclesiæ Catholicæ utilitate, magnoque Ecclesiasticæ disciplinæ profectu, quidquid Himerius Damaso proposuerat, exposuit, declaravit, ac definivit Siricius, ut patet ex illius Epistola, quæ inter collectas a Petro Constant occurrit ordine *prima.* Quam quidem Epistolam tot nominibus commendatam, usque adeò utilem ac necessariam, notis illustravit Cardinalis *de Aguirre tomo* 2. *Conciliorum Hispaniæ dissertat.* 5. *in Epistolam Siricii Pontificis pag.* 126. *& seqq.* Etsi namque Siricius solum Himerium alloquatur, decernit tamen, ut quæ ad unius consulta rescripsit, ad omnium Coepiscoporum notitiam perveniant, nec eorum omnium dumtaxat, qui in Himerii Provincia erant constituti, sed præterea ad *Carthaginenses, ac Bœticos, Lusitanos, atque Gallicos*, vel ut in aliis manuscriptis legimus, *Gallicanos*, vel *Gallicianos*, hoc est Gallæciæ Antistites universos. Ex quo factum, ut integerrimum Siricii responsum Clericorum mores in variis Orbis Catholici partibus corruptos emendaverit, ac pristinæ integritati restituerit.

Siricius Cœlibatus Legem asserit, pœnisque indictis confirmat.

LV. Non levem Sancto Siricio conciliat laudem, quòd Cœlibatus Legem in Clero firmaverit, ac pœnis in violatores indictis stabiliverit, ut liquet ex ejus Epistolis, & præsertim ex ea, quam memoratus Petrus Constant exhibet ordine *quintam.* Hoc nixus fundamento Sanctus Innocentius I. *in Epistola ad Exsuperium Episcopum*, quæ in præallata Collectione jacet ordine *sexta*, contra Diaconos & Presbyteros incontinentes, easdem pœnas, quas Siricius

pridem

pridem ſtatuerat, exequendas decernit hiſce verbis: *De his, & Divinarum Legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis Viri Siricu Epiſcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in Officiis talibus poſiti, omni honore Eccleſiaſtico priventur, nec admittantur accedere ad Miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri.* Eodem fultus præſidio Æneas Epiſcopus Pariſienſis nono Eccleſiæ ſæculo clarus, quem Lupus Ferrarienſis Epiſcopus *in Epiſtola* 98. multis effert laudibus, quæſtionem de Cœlibatu contra Græcos pertractans, in libro contra eos ſcripto *cap.* 101. Apud d'Acherium *tomo* 1. *Spicilegii Editionis Pariſienſis ann.* 1723. *pag.* 133. urget authoritatem Epiſtolæ *quintæ* Siricii ad Epiſcopos Africæ, quam his verbis extollit: *Sanctus Siricius Papa in Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis in Concilio reſidens, & Fratribus & Coepiſcopis per Africam Eccleſiaſtica jura deſcribens, inter cætera, hæc de pudicitia intulit &c.*

Apoſtolicus Siricii zelus in Hæreticos, præcipuè in Jovinianum.

LVI. Præterea ardens pietatis ſtudium, & eximium Catholicæ veritatis amorem oſtendit Sanctus Siricius in damnandis erroribus Joviniani, aliorumque ejuſdem ſectæ Hæreticorum, ut ex verbis Epiſtolæ *ſeptimæ* in prænarrata Conſtantii Collectione compertum eſt. *Apoſtoli ſecuti præceptum*, ita Siricius loquitur, *quia aliter, quàm quod accepimus, annuntiabant, omnium Noſtrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam etiam totius Cleri, unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martinianus, Januarius, & Ingenioſus, qui incentores novæ hæreſis & blaſphemiæ inventi ſunt, Divina ſententia, & Noſtro judicio in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent.* Apoſtolicam hanc Siricii Pontificis ſolicitudinem, ac vigilantiam Sanctus Ambroſius una cum aliis Epiſcopis in Mediolanenſi Concilio congregatis, ſummis effert laudibus, ac Pontificiæ Sanctioni ſeſe ultrò conformat. *Recognovimus* (ſic ad Siricium Ambroſius, aliique Epiſcopi in Epiſtola *octava* memoratæ Collectionis) *Litteris Sanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui diligenter commiſſam tibi januam ſerves, & pia ſolicitudine Chriſti Ovile cuſtodias, dignus, quem oves Domini audiant, & ſequantur*; & in fine: *Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martinianum, Januarium, & Ingenioſum, quos Sanctitas tua damnavit, ſcias apud Nos quoque ſecundùm judicium Tuum eſſe damnatos.*

Par Siricii ſolicitudo contra Manichæos, eorumque aſſeclas.

LVII. Albo, ſive Abbo Floriacenſis de Siricio Papa memoriæ tradidit, quòd exoſos habuerit omnes Hæreticos, maximè Manichæos. Enimverò cùm Priſcillianiſtas, qui cum Manichæis in multis nefariè conveniebant, & ſceleſtè conſpirabant, Urbe ejicere armis Spiritualibus non potuiſſet, opem Theodoſii imploravit, ejuſque præſidio, quod ſummoperè optabat, tandem obtinuit, ut prudenter conjicit Cardinalis Baronius *anno Chriſti* 389. *num.* 63. Haud impari ſolicitudine ad coërcendam audaciam Bonoſii Epiſcopi Macedoniæ impiè aſſerentis Beatam Virginem poſt incontaminatam Chriſti Domini Nativitatem alios filios peperiſſe, Epiſcoporum Concilium Capuæ indixit, ut colligitur ex epiſtola *nona* inter eas, quas Conſtantius coordinavit. Plura adhuc ex aliis Siricii Epiſtolis, præſertim ex *decima* proferre poſſemus de ſingulari tanti Pontificis ſolicitudine pro reſtituenda in Galliæ partibus Eccleſiaſtica diſciplina: Verùm hanc provinciam iis tractandam relinquimus, qui Siricii Vitam, ac geſta commentariis illuſtranda ſuſcipiunt; quibus ſatis amplam de Siricii laudibus materiem ſuppeditant Anaſtaſius, ſive Auctor Pontificalis *tomo* 3. *Romanæ Editionis*, & quæ ab eruditis Viris Scheleſtrato, Altaſerra, Bencinio, Blanchinio, Ciacconio, Somiero, ac Pagio ſubjiciuntur adnotationes.

LVIII. Ex dictis ſatis conſtat de fama Sanctitatis, quam Siricius vigilantiſſimus Eccleſiæ Paſtor, & Catholicæ Religionis aſſertor, ſibi adhuc vivens conciliavit. Nec minor, poſtquàm è vivis exceſſit, invaluit opinio. S. Innocentius I. *in Epiſtola prima Collectionis Couſtantii* pari elogio commendat Damaſum, Siricium, ejuſque ſucceſſorem Anaſtaſium, ita ſcribens: *Cui etiam anteriores tanti ac tales viri Prædeceſſores mei Epiſcopi, ideſt ſanctæ memoriæ Damaſus, Siricius, atque ſupramemoratus vir* (Anaſtaſius) *ita detulerunt &c.* Porro de Damaſi, atque Anaſtaſii ſanctitate nemo dubitat. S. Leo in Epiſtola ad Anaſtaſium affirmat ſe illi conferre Primatum ſuper Illirici Eccleſias, *beatæ recordationis Siricii exemplum ſequutum.* Eodem in ſenſu Concilium I. Toletanum, quod paulò poſt obitum Sancti Siricii habitum eſt, Litteras *Sanctæ memoriæ Ambroſii, & Sanctæ memoriæ Siricii* multa cum laude commemorat. Ex quibus monumentis ritè expenſis, Cardinalis Noriſius in præcitata Diſſertatione, & ante Noriſium Florentinius *in Exercitatione* 16. *poſt diem* 26. *Novembris pag.* 1006. *& ſeqq.* ſolido inferunt ratiocinio, ejuſmodi laudum titulos non Pontificiæ dignitati dumtaxat, ſed inſuper vitæ ſanctitati eſſe tribuendos, cùm Siricius Summo Pontificatus honori multa ac ſplendida virtutum, Religionis, ac Paſtoralis vigilantiæ evempla benè ſociaverit. Hinc illud Petri de Natalibus pro Siricio elogium: *Et poſtquàm Sedem Apoſtolicam feliciter gubernaſſet, dormivit cum Patribus ſuis, & ſepultus eſt ad Sanctum Petrum plenus Sanctitate.* Nec deſunt in Scriptoribus, qui Petri de Natalibus ætatem præceſſere, inſignia de Siricii ſanctitate documenta; Siquidem Hordericus Vitalis affirmat, *Siricium circa Gregem Dominicum valdè fuiſſe ſolicitum*; & Luitprandus Horderico vetuſtior, Siricium *ſanctæ memoriæ* Papam appellat.

Teſtimonia de Siricii Sanctitate poſt ejus obitum.

LIX. Ad aliud Controverſiæ caput, quod Martyrologia conſiderat, in quibus de Sancto Siricio fit mentio, noſtra hæc oratio progreditur. Qua quidem in re non tam Codicum numero, quàm eorum authoritati ſtudemus. Hinc Martyrologia, quæ minori habentur in pretio, miſſa facimus; quibus ea item accenſemus, quæ Cyriacum Papam, hoc eſt Siricium, ut nonnulli perperam interpretantur, commemorant; nullus enim Cyriacus nomine, ut cuique notum, inter Summos Pontifices numeratur. Ea igitur, quæ majoris momenti ſunt Martyrologia innuamus, quæ Sancti Siricii nomen præſeferunt. Hæc inter ſeſe Nobis offert Martyrologium Bedæ, Rabani, & Monaſterii Sancti Cyriaci hujus almæ Urbis, quo toties uſus eſt Cardinalis Baronius in Romani Martyrologii emendatione. Succurrit præterea Martyrologium Eccleſiæ Occidentalis editum a Florentinio *die* 26. *Septembris*; nec non Antuerpienſe, & Corbejenſe, utrumque antiquiſſimum, de quo ipſemet Florentinius in Notis. Alia inſuper Martyrologia numerantur ab eodem Scriptore *in citata Exercitatione* 16., & a Patribus Bollandianis *die* 22. *Februarii pag.* 282., quorum aliqua nec Cardinalis Baronius, nec qui ſequuti ſunt Martyrologii Romani Reformatores noſſe poterant, cum eorum ætate in Archivis, & Bibliothecis adhuc delitеſcerent. Hinc fortaſſe, ut prudens Florentinius haud temere ſuſpicatur, Siricii nomen a Romano Martyrologio tamdiù abfuit, quòd Veteribus multa fuerint incognita, quæ poſterior ætas manifeſtavit: *Accidere facilè potuit, quod noſtra ætate inventa plura vetuſtioris Martyrologii exempla non viderint.*

Quamplura probant fidei Martyrologia Siricium nominant.

LX. Hanc tamen Florentinii conjecturam non probant, qui multa, eaque non levia, contra Siricium objiciunt crimina, quæ a Nobis ſingil-

Multa in Siricium objiciuntur crimina.

latim

latim enumeranda sunt, ut tertium Controversiæ caput, juxta propositam divisionem, expediamus. Primo loco, vitio datur Siricio, quòd in Apostolicis Litteris conscribendis Sancti Hieronymi opera usus non fuerit; qua in re nec Prædecessoris Damasi exemplum sequutus est, nec Hieronymi famæ satis consuluit. Notum quippe est, Sanctum Hieronymum à Siricio neglectum, inimicorum calumniis ac maledictis usque adeò fuisse obnoxium, ut coactus idcircò fuerit ex illorum conspectu sese proripere, atque ex Urbe discedere. Secundò, haud obscuris indiciis manifestum est, Siricium Pontificem sin minùs infenso, saltem minùs æquo fuisse animo in Sanctum Paulinum Virum moribus, ac vita integerrimum. Tertiò, improvidum nimis, ac tardum Siricii consilium reprehenditur in rejiciendis Origenistis, eorumque hæresi coercenda, cum in Rufinum, & Melaniam, longam nimium patientiam adhibuerit; quam ob causam festinavit ex hac mortali vita educere illum Dominus, atque Anastasium sufficere acerrimum Origenistarum oppugnatorem.

Horum criminum veritatem haud diffitetur Baronius.

LXI. Neque tria hæc, quæ in Siricium congeruntur crimina, quorum item meminere Florentinius, atque Norisius, Nosque meminimus *lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 5. sub n. 4.*, gratis conficta sunt, sed ex validis Ecclesiasticæ Historiæ monumentis confirmantur. Quòd enim ad Hieronymum Romæ malè habitum attinet, hæc habet Baronius ad annum Christi 385. *Cum autem non, ut Damasus fecerat, Siricius Papa in scribendis ejusmodi Literis Hieronymi opera uteretur, neque eum, ut ille, quod par erat, amplecteretur, atque foveret, mox Pontificis Romani destitutus præsidio, idem* Hieronymus *acerbissimos pati cœpit persecutores, illos scilicet Clericos, quorum mores improbos scriptis editis sugillasset.* De subinfenso Siricii in Paulinum animo, validum ex Epistola 1. ejusdem Paulini ad Sulpitium Severum eruitur argumentum: Cum enim de Romanis Clericis ille conqueratur, hæc addit: *Quantum Nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Urbici Papæ superba discretio &c.* quæ verba magnus Annalium Parens de Siricio interpretatur, ita scribens *ad ann. Christi 394. Jam puto, sentis Lector, quem Paulinus per Urbicum Papam intelligat, non alium quidem, quàm qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ Pontificem, ipsum Siricium, quem infensum absque causa aliqua, ut ait, pati coactus fuerit. Accidit planè Sanctum Paulinum justè conqueri de Siricio Papa, atque aliis nonnullis Romanæ Ecclesiæ Clericis, de quibus etiam conquestum vidimus Sanctum Hieronymum, quod sæpè superiùs diximus. Ut planè acciderit hac ex parte malè audire Siricium, quòd adversùs adeò insignes Sanctitate & doctrina Viros, ubique spectatos, fuerit commotus.* Postremò de nimia contra Origenistas Siricii tarditate, ejusque præcoci obitu testem habemus eumdem Baronium *ad ann. Christi 397.* ubi sic loquitur: *Cæterum quòd haud velociter Siricius periclitanti occasione Origenis errorum occurrit Ecclesiæ, quamcitiùs, nempe anni sequentis exordio, ex hac vita sublatus est; erectusque super Cathedram Petri acerrimus oppugnator Origenistarum hæreticorum Anastasius Papa. Sæpè quidem, atque pavendis est demonstratum exemplis, ut Pontifices illi, qui Causam fidei paulò segniùs tractaverunt, ac remissiùs curaverunt, a Christo primario omnium Pastore fuerint quàm celeriter ex hac vita subducti; adeò ut manifestè fuerit declaratum, summo jugique studio, speciali diligentia semper invigilasse super Romanam Ecclesiam Divinam Providentiam, ne qua vel levi saltem suspicione hæreticæ contagionis aspergeretur.*

Hieronymi ad Urbem accessus; egregiæ illius dotes, multaque cum Damaso familiaritas.

LXII. An hæc, quæ in Siricium vibrantur tela, aliquod contra ejus Sanctitatem incorruptumque gubernium inferant vulnus, ex quo Correctores ejus nomen Martyrologio non inseruerint, in hoc postremo Controversiæ Capite supereſt inquirendum. Cumque ex historicis monumentis Siricii crimina repetantur, historica veritas paulò accuratiùs examinanda. Ab iis, quæ Hieronymus passus est, curis atque molestiis, exordiamur. S. Hieronymus duodeviginti annos natus Romam accessit, ibique Grammaticæ, Rhetoricæ, ac Philosophiæ Scholas frequentavit. Quinquennio Romæ commoratus, inde recessit annum agens tertium supra vigesimum; neque ante Damasi Pontificis ætatem in Urbem regressus est. Cum enim Damasus Generale Concilium Romæ habendum indixisset, ea occasione Hieronymus unà cum Paulino Antiocheno, & Epiphanio Episcopo Salaminæ in Insula Cypro, rursus Romam advenit. Tanti viri fama commotus Pontifex Damasus, erat quippe Hieronymus summo ingenio, excellenti doctrina, sanctisque moribus præditus, eum designavit, ut & ab Epistolis esset, & totius Orbis Consultationibus, quæ ad Sedem Apostolicam mittebantur, responderet. Ex quo Sanctus Doctor intima Damasi familiaritate usus est; & vicissim multo in honore a Damaso est habitus. De munere, quo apud Damasum fungebatur, ita loquitur ipse Hieronymus in Epistola ad Ageruchiam: *Ante annos plurimos cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis Consultationibus responderem.* Solo tamen triennii spatio concreditum sibi munus obivit, quòd nonnisi triennii spatio Damasum habuerit superstitem.

Hieronymus Siricii tempore multis invisus, & quare.

LXIII. Siricio in Damasi locum suffecto, mirum dictu est quot motus, quantæque in Hieronymum excitatæ sint turbæ; in quem idcircò tota penè Civitas commota videbatur; quòd ille sub Pontifice Damaso multorum, quorum vitia, voce, ac scripto exagitaverat, odium, atque offensionem incurrisset. *Nos vitiis detrahentes*, sunt verba Hieronymi, *offendimus plurimos*; & in præfatione ad librum Dydimi fatetur se *cum esset in Babylone* (hoc nomine Romam sibi infensam appellat) expositum fuisse odio maledicæ Civitatis, *& purpuratæ Meretricis.* Mox in adversarios insurgens, subdit post pauca: *Ecce Pharisæorum conclamavit Senatus, & nullus Scriba, vel fictus* (vel ut alii legunt, *velificatus*), *sed omnis quasi indicto sibi prælio doctrinarum, adversùs me imperitiæ factio conjuravit.*

Graviores Hieronymi contra Æmulos querelæ excusantur.

LXIV. Liberiorem hunc loquendi morem Rufinus exprobat Hieronymo, ac miratur: *Quomodo de Urbe Roma, Deo favente, Capite Christianorum, ea dicat, quæ dicebantur tunc, cum Gentiles in ea populi, & persecutores Principes morabantur.* Æquior tamen Baronius rigidiora illa Sancti Doctoris verba ex justo dolore potiùs, quàm ex furore odiove prolata, explicat, simulque excusat *ad ann. Christi 385.*, ita scribens: *At hic lector attende, hæc a Sancto Hieronymo scripta de insciția Romanæ Ecclesiæ Ministrorum, non sic quidem accipienda esse, prout hyperbolicus sonat sermo, omnes Romanæ Ecclesiæ Clericos fuisse doctrina expertes, cum dicit, quod nullus ibi Scriba vel fictus, nempè Doctor, sed Pharisæi omnes, nempè scelesti, cautela verò, & hypocrisi scelera contegentes. Concedendum aliquid Hieronymo justissima causa indignanti, qui oculos in eos tantum conversos habens, a quibus contumeliis, & calumniis impeteretur, omnes illos pravos dixerit, & imperitos. Certè quidem, qui tempora hæc exactè consideraverat, intelliget planè hoc tempore coaluisse in Ecclesia Romana Clericos doctrina, atque scientia claros.* Si quid ergo vehementiori stylo Hieronymus aliquando protulerit, venia dignum; non enim in probos, atque innoxios, sed in eos,

quorum vitia damnaverat, sermonem convertit. Enimverò suis Epistolis Monachos infectatus fuerat, qui suæ Professionis obliti, vitio gulæ se dederant, divitum domos frequentabant, efferebantur superbia, superstitione tenebantur. Virgines quoque, quæ nimia familiaritate cum Viris versabantur, acriùs reprehenderat. Hinc odia, obtrectationes, ac maledicta pravorum hominum, qui insaniebant in medicum, a quo sanabantur.

Roma abit, atque in Orientem secedit.

LXV. Quamdiù verò vixit Damasus, igneus ille inimicorum furor veluti doloso cinere tectus delituit. Tunc verò exarsit, incendiumque excitavit, cum, Damaso sublato, Siricius in Petri Cathedram evectus est. Innumeræ criminationes, calumniæ, ac irrisiones in Hieronymum congestæ, de quibus sic ille conqueritur: *Alius incessum meum calumniabatur & risum; ille vultui detrahebat; hic in simplicitate aliud suspicabatur.* Quocirca cum eò res perveniisset, ut jam vix sibi posset Hieronymus temperare, tandem Roma abiit; atque in agrum se recepit, ubi suas ad Marcellam dedit litteras. Sed remotiorem secessum anhelans, oblata sibi opportunitate in Orientem abeundi, eò pergere statuit; jamque navigium conscensurus, ad Asellam scripsit, suamque cum Paula, & Melania familiaritatem, quam maledici criminabantur, egregiè vindicavit. Meminit quoque injuriarum, quas acceperat; fatetur tamen se æquo animo eas ferre, proposito sibi exemplo Christi Domini: qui a Judæis Seductor, & Dæmoniacus est habitus; tandemque concludit: *Scio per bonam, & malam famam perveniri ad Regna Cælorum.*

Nullæ Siricii partes quoad Hieronymum male habitum, & Roma abeuntem.

LXVI. Cum igitur privato consilio, quod tamen pravorum hominum molestiæ excitarunt, suum ab Urbe discessum Hieronymus decreverit, non est cur ullam discessus causam in Siricium refundamus, ut scitè ratiocinatur Vir eruditus Dominicus Vallarsius in vita S. Hieronymi *tom. 2. Operum Sancti Doctoris Editionis Veronensis anno 1742. cap. 16. Neque ab eo*, loquitur de Siricio, *est illa constitationum Sancti Patris cum æmulis malisque hominibus causa repetenda; sed ipse utique, quid causæ fuerit, Hieronymus novit, & fassus est Epistola 40. Nos, inquiens, vitiis detrahentes, offendimus plurimos.* Sed nec illud Siricio opponi potest, quod Hieronymum in eum dignitatis gradum, quem Damasus illi contulerat, non restituerit, ideoque tot bella, & contentiones in Hieronymum exarserint, quæ alioquin sub Siricii tutela Sanctus Doctor effugisset. Non enim cœco modo de rebus a Nostra ætate adeò diffitis judicium ferendum est; neque conjecturis agendum, ubi in summa rerum caligine versamur. Quid? quod si illorum temporum, ac rerum conditionem spectemus, fortasse intelligi poterit, non sine causa Hieronymum a Siricii familiaritate fuisse sejunctum, ne alioquin, quæ in Hieronymum fervebant odia, in Siricium converterentur.

Haud culpandus Siricius, quod Hieronymi discessum non retardaverit.

LXVII. Abiit Roma Hieronymus non jam Siricio aut mandante, aut impellente, sed proprio actus consilio, atque illud Evangelii monitum sequutus: *Si vos persecuti fuerint in Civitate ista, fugite in aliam.* Poterat sanè Siricius prohibere ne Hieronymus ab Urbe recederet: nulla tamen, quæ Siricium obstringeret, urgebat lex. Neque Hieronymi opera, etsi Damasi tempore commendatissima, usque adeò necessaria erat sub Siricio, ut dempto Hieronymo, & Apostolico muneri ferendo, & totius Orbis Catholici Consultationibus expediendis impar esset Siricius, Sancti Doctoris præsidio destitutus. Constat enim è Pontificis Siricii Litteris, ac responsionibus, nihil in iis occurrere, quod multum Pontificis pro Catholica Religione, atque Ecclesiastica disciplina studium summopere non commendet: Adeò eximiæ illæ sunt, adeo solidæ, ac Pastoralis sollicitudinis, vigilantiæ, ac majestatis zelo ubique refertæ: Hinc summo ab omnibus habentur in pretio, esto, inscio Hieronymo, fuerint conscriptæ. Petrus Constant in Præfatione, quam Siricii Litteris anteponit, fatetur, *eum amore potius, quàm authoritate populum vexisse.* Ne autem quis, Hieronymi sententiam sequutus, Siricium aut inexpertum, aut minus providum arbitretur, hæc subdit: *Quæ autem ad nos pervenerunt ipsius Scripta, summum fidei Catholicæ, & Canonicæ Disciplinæ servandæ studium spirant.*

LXVIII. Si arcana Divinæ Providentiæ consilia scrutari liceret, duce Gennadio Massiliensi, vel alio, quisquis ille fuerit, Scriptore Vitæ S. Hieronymi, quam in citato tom. 11. Vallarsius edidit, haud dubitaremus asserere, Deum, qui satiùs duxit de malis bona facere, quàm mala nulla esse permittere, maximum ex conspiratione in Hieronymum Romæ facta, ejusque ab Urbe recessu elicuisse bonum; ut nimirum Sanctus Doctor a publicis negociis, & Urbis strepitu remotissimus, sacrarum Scripturarum studio totus vacaret, suasque vigilias, ac curas omnes, nullo prohibente, in præclarum illud Opus utilissimum æque, ac commendatissimum conferret. *Verum enimverò*, ita loquitur scriptor vitæ *apud Vallarsium pag. 243. hunc ego felicem dixerim, hujus fugæ eventum corrigentis Christi judicio dispensatum, quem pravorum hominum persecutionibus partum fore existimo: scilicet, ut Romana Ecclesia Petri instituta regimine, omniumque veteris Testamenti librorum edocta veritate, Christo Deo volente, & Hieronymi speciali studio desudante, hæbraicam quoque habeat veritatem; & Græcorum quorumdam levitas, quæ sibi Romanos a se omnes Scripturas divinitus inspiratas accepisse plaudebat, eos habere, quod non habet, recognoscat.*

LXIX. Quæ hactenus pro Siricio loquuti sumus, ea profectò sunt, ut Sanctum Pontificem ab iis omnibus, quæ contra Divum Hieronymum illatæ fuerunt, injuriis, ac contumeliis prorsus eximant. Ne tamen in re tanti momenti quidquam intactum prætereamus, ad ea, quæ inter Siricium ac Hieronymum contigisse dicuntur, oculos convertamus. Sunt enim, qui privatas quasdam simultates obtrudant, quæ sicut Christianæ Charitatis legibus adversantur, ita Siricii virtutibus, & Sanctitati obesse videntur. Nihil verò quæcumque in hanc rem proferri possunt argumenta, Nos commovent; aut enim falsa omnino sunt, aut si veritati consonent, Siricium non lædunt, ut modò demonstrabimus.

LXX. Sanctus Hieronymus in ea fuit sententia, ut nullam irregularitatis notam contrahat, qui duas ante Baptismum, aut etiam unam ante, alteram post Baptismum, uxores ducat, modò priori defunctæ succedat conjux altera, ut multis in Epistola ad Oceanum probat argumentis. Hinc colligit Sanctus Doctor validam simul, ac licitam fuisse, Ordinationem Charterii Episcopi in Hispania, qui nondum sacro tinctus lavacro, matrimonium semel contraxerat; moxque, uxore viduatus, aliam sibi sociaverat post Baptismum. Rentur aliqui hanc Hieronymi sententiam a Siricio sub ipsis Pontificatus initiis fuisse improbatam; ideoque Hieronymum illius assertorem, ex insigni æstimationis, ac famæ gradu, in quem conscenderat, excidisse. Huic opinioni adhæret memoratus Vallarsius *in vita Sancti Hieronymi cap. 16.*; sed negat, Siricium, qui sententiam illam rejecit, Hieronymi nomini ac famæ ullo pacto nocuisse: *Nemo hinc tamen sibi in animum inducat, eum quidquam in Sanctum Doctorem commisisse, unde is in aliorum criminationes atque odia incideret.* Sua

Val-

Vallarsio sit sententia : Nobis enim alia, quæ Siricii Causam magis juvat, arridet responsio. Enimverò Sanctus Siricius, cùm in Epistola prima ad Himerium Episcopum Tarraconensem, tùm in alia ad Episcopos Africæ, hoc unum statuit, bigamum scilicet habendum esse, qui aut duas uxores duxerit, aut unam, quæ virginitatem amisit, sibi sociaverit. Cæterum eam facti speciem, ac circumstantias de gemino ante Baptismum inito matrimonio, aut de conjugio semel ante Baptismum, iterùm post Baptismum contracto, de quibus Hieronymus loquitur, Siricius non attigit, ut ex *capite* 10. & 11. *Epistolæ ad Himerium*, & *ex num.* 4. & 5. *Epistolæ ad Episcopos Africæ* patet legenti. Ex quo sequitur, ut nec sententiam Hieronymi Siricius directè improbaverit, nec indirectè Sancti Doctoris nomini, ac dignitati quidquam detraxerit.

Eam tamen rejicit Innocentius.

LXXI. Hieronymianam de Bigamis opinionem impugnavit S. Innocentius I. *in Epistola secunda ad Victricium Episcopum Rothomagensem cap.* 6., ubi non de bigamis generatim, quo in sensu Siricium loquutum novimus, sed de ipsa Bigamia ante Baptismum contracta, quam planè circumstantiam Hieronymus exprimit, apertè loquitur hisce verbis : *Ac ne ab aliquibus existimetur, ante Baptismum si fortè quis accepit uxorem, & ea de sæculo recedente, alteram duxerit, in Baptismo esse dimissum, satis errat a regula, qui in Baptismo hoc putat dimitti. Remittuntur peccata, non acceptarum uxorum numerus aboletur* : & post nonnulla : *Quod si non putatur uxor esse computanda, quæ ante Baptismum ducta est; ergo nec filii, qui ante Baptismum geniti sunt, pro filiis habebuntur.* Immeritò igitur Siricio tribuitur, quod Innocentio I. adscribendum. Nec dissentit Baronius, qui ad ann. *Christi* 405. putat memoratam de Bigamis sententiam, quam S. Hieronymus Romæ tenuit, ab eodem Sancto Doctore majori contentione, ac nisu fuisse propugnatam in litteris, quas ad Oceanum misit, ut Charterii Episcopi Ordinationem vindicaret; ideoque ab Innocentio potiùs, quàm a Siricio eam fuisse improbatam. Petrus autem Constant *in Notis ad eamdem Innocentii Epistolam pag.* 751. prudenter observat, Sanctum Innocentium Siricii verba usurpasse, ut decerneret quidnam statui oporteret de Marito, qui duas uxores ante Baptismum acceperat; qua de re Siricius non loquitur, ut supra animadvertimus. *In hoc, atque superiori decreto*, ita Constantius, *Innocentius ita Siricii verba exscribit, ut in utroque de uxoribus ante Baptismum ductis, de quibus Siricius nihil dixerat, quid sentiendum sit, sibi necessario definiendum duxerit.* Utra eligatur sententia, Baronii, an Constantii, Sancti Siricii causa egregiè vindicatur.

Siricius Hieronymi sententiam sequutus, Jovinianum damnat.

LXXII. Cum multa eloquentiæ vi, ac fervido in Dei gloriam & animarum salutem studio polleret Hieronymus, Jovianum seu Jovinianum novum Christianorum Epicurum vehementer insectatus est : Qua in re tot tantisque laudibus virginitatem extulit, ut in quorumdam suspicionem venerit, Sanctum Doctorem in extrema prolapsum, legitimas nuptias damnasse. Etsi verò a mente & consilio Hieronymi alienissimum id esset, nihilominus inanis rumor in Urbe invaluit, multosque in pravam hanc de Hieronymi doctrina suspicionem adduxit. Hinc Pammachius, qui D. Hieronymo intima familiaritate conjunctus erat, Opuscula omnia undequaque colligere, atque ex aliorum conspectu subducere studuit. Postquàm verò Sanctus Doctor eximiam contra Jovinianum edidit Apologiam, in qua tenebras omnes, quas iniquus ille virginitatis impugnator obtenderat, ne Catholicæ veritatis lumen innotesceret, eloquentiæ, ac doctrinæ fulgore disjecit, Jovinianus a Siricio damnatus est. Porrò vel ex hac una Siricii sententia satis patet quanto Catholicæ veritatis servandæ studio Sanctus Pontifex hæreticos oppugnaverit, & quo animo fuerit erga Hieronymum Catholicæ veritatis propugnatorem. *Assulsit tamen veritas, nec tantùm se luculenter purgavit Hieronymus, sed ipsius Pammachii opera a Siricio damnatus est Jovinianus, quod idem est ac dicere, Siricium in sententiam Hieronymi iviſſe.* Ita loquitur Florentinius *in citata Exercitatione pag.* 1004.

Hieronymi censura Siricii sanctitati non officit.

LXXIII. Nondum tamen hac in re nodos omnes dissolvimus; hinc ad seriem Historicam regrediamur oportet. Quo tempore gravior illa de Hieronymi doctrina contra Jovinianum, fervebat in Urbe disceptatio, Sanctus Doctor suam ad Pammachium scripsit Epistolam, quæ *in tom.* 1. *Editionis Veronensis, est* 49. in qua postquàm meritas reddidit Amico grates, quod exemplaria Romæ suspecta prudens subtraxerit : *De Opusculis meis contra Jovinianum, quod & prudenter, & amanter feceris exemplaria subtrahendo, optime novi*, subdit post pauca : *Audio totius in te Urbis studia concitata : Audio Pontificis, & Populi voluntatem pari mente congruere. Minus est tenere Sacerdotium, quam mereri.* Hisce verbis expendendis intentus Florentinius *in relata Exercitatione pag.* 1003. sic fatur : *Verùm ea occasione Siricium commotum in Pammachium, ne dum in Hieronymum, ex omnibus fere clamoribus ita idem Hieronymus affirmat : Audio totius in Te Urbis studia concitata; Audio Pontificis, & populi voluntatem pari mente congruere. An verò amarulentum illud, quod sequitur, in Siricium jactatum sit, hæreo : Minus est tenere Sacerdotium, quàm mereri.* Hæret ergo Florentinius, nec audet hæc verba ad Siricium transferre. Quod si quis præsidentior, ea de Siricio intelligenda esse obfirmato animo contendat, tandem id dabimus; ita tamen, ut nullo pacto Siricium ex Hieronymi testimonio Pontificatus honore indignum fuisse concedamus. Quidquid enim hac in re Sanctus Doctor ex aliena potius, quàm ex propria sententia protulerit, ut infrà explicabimus, profecto privata unius, vel alterius authoritas publico totius Romani Cleri populique judicio non est anteponenda. Cumque splendidum, atque inconcussum ex Valentiniani Imperatoris Epistola petatur argumentum de provida Siricii electione, ejusque innocentia, ac probitate, sileat oportet quicumque obtrectator, hujusce Elogii, quod pro Siricio Valentinianus attexuit, authoritate convictus : *Magnum innocentiæ, & probitatis exemplum est, in una acclamatione & ipsum* (Siricium) *eligi, & cæteros improbari.*

Hieronymi in Siricium duriora verba excusantur.

LXXIV. Sed neque lividam obtrectationis maculam Hieronymo inurendam censemus; quidquid enim hac in parte illi excidit, quod Siricii sanctitati injurium videatur, inani potiùs illius credulitati, quàm infenso in optimum Pontificem animo tribuendum. Potuit sanè Sancto Doctori contigisse, quod iis passim usuvenit, qui remotissimas regiones inhabitant, ut nimirum ex falso quopiam rumore Jerosolymam perlato, in errorem inductus, minus æquam de Siricii virtutibus, regimine, ac probitate conceperit opinionem. Quod animo imbiberat, privatis ad amicum Pammachium litteris aperuit; atque ob eam, quæ inter amicos obtinet familiaritatem, fortasse minus cautus, de iis facilè locutus est, quæ ex incerto, atque inani rumore in vulgus disseminabantur. Accedit quòd litteras ad Pammachium Hieronymus dederit, quo tempore disceptatio contra Jovinianum adhuc fervebat, & Siricius populari urbis opinione deceptus, adversariis Hieronymi liberiùs fortasse, quàm oportebat, favere videbatur. Hinc nova Hieronymum incessit suspicio, novus timor, qui tandem in voces, quæ Siricii integritati adversari videntur, erupit.

Quo fermè pacto inter Collitigantes occurrunt aliqui, qui cum bonam foveant Causam, si Judicem in adversam partem propendere suspicantur, in Judicem ipsum insurgunt, obloquuntur, ejus laudibus obtrectant, munere, quo fungitur, indignum affirmant; donec judicium, de quo sibi metuunt, definiatur. Ubi verò juri consonàm Judex sententiam tulit, versis vicibus, sermonem corrigunt, suspicionem execrantur, palinodiam recinunt, summamque Prætoris scientiam, atque integritatem commendant. Hæc eadem facilè Hieronymo possunt accommodari. Cum enim, pendulo adhuc judicio, anceps hæret ac dubius, de Siricio conqueritur; at contra re integra, & quavis suspicione remota, Siricium veneratur, ac multa cum laude commemorat, ut infra patebit.

Rejiciuntur, qui Hieronymum ex invidia loquutum putant.

LXXV. Hasce conjecturas amplectimur, quæ & Siricii sanctitati, & Hieronymi famæ ac dignitati benè consulunt. Eos namque aversamur, qui de celeberrimi Ecclesiæ Doctoris honore tuendo nihil planè solliciti, ut Siricium vindicent, damnant Hieronymum, in quem idcircò ne dum maledicentiæ, sed & invidiæ ac ambitus crimina congerunt. Ferunt enim illum secunda populi acclamatione in Damasi successorem propositum, sed mox in Electione Siricio posthabitum, verba illa in æmulum immeritò sibi præpositum protulisse: *Minus est tenere Sacerdotium, quàm mereri.* Præposteram hanc verborum Divi Hieronymi interpretationem refert Florentinius, quamvis eam omninò non approbet. At Nobis nullo modo ferenda videtur; non enim citra summam injuriam illud de Hieronymo aut sentire, aut etiam suspicari possumus, tantum Virum usque adeò ambitus crimine abreptum fuisse, ut & futurum Pontificatum concupiverit & deperditum ingemuerit.

Litteras Communicatorias Rufino traditas Hieronymus improbat, excusat Baronius.

LXXVI. Rufinus Roma discessurus, ut in Patriam reverteretur, Litteras Communicatorias a Siricio petiit, & impetravit. Cardinalis Baronius rem hanc expendens ad ann. Christi 397. Siricium reprehendere non audet, cum nulla Sancto Pontifici causa suppeteret, cur petitas Litteras Rufino denegaret: *Sed quod ad Rufinum spectat, etsi profecturus Aquilejam solum patrium, petierit & acceperit ab ipso Siricio Romano Pontifice Communicatorias litteras, Catholicis tantùm, ut sæpius diximus, impertiri solitas, minimè cessit culpæ Siricio. Nam cum ipsa hæretica interpretatio Periarchon Origenis, nomine careret Authoris; nec à quo Præfatio illa esset scripta, liqueret; nihil est, quod Rufinum nondum detectum, imò Catholicum se clamantem, & ab omni hæresi se alienum extrinsecus profitentem, a communione extorrem facere deberet; nec Romanæ Sedis moris est, non convictum quempiam condemnare.* Hæc Baronius. Erant igitur Communicatoriæ Litteræ, Catholicæ communionis indicium, atque argumentum; quo sanè argumento Optatus usus est, ut ostenderet Ecclesias Africæ, quæ Cœciliani Ordinationem tuebantur, omnimodam cum Ecclesia Catholica servare communionem. *Sedit prior Petrus*, loquitur de Cathedra Romana, & enumeratis Petri successoribus usque ad Siricium, ita prosequitur: *Siricius hodie, qui noster est socius, cum quo nobis totus Orbis commercio Formatarum*, Communicatorias intelligit, *in una societatis communione concordat.* Hasce Litteras vaferrimus Rufinus magnopere ostentavit venditavitque, præsertim post mortem Siricii, ratus sibi profuturas tempore Anastasii Pontificis, qui Siricio succesisset, ut Judicium contra se institutum aut effugeret, aut infirmaret. Quocirca Divus Hieronymus, cui prava Rufini indoles perspecta erat, Catholicæ Religionis studio actus *in Epistola* 127. *ad Principiam tom.* 1. *ejus Operum Editionis Veronensis pag.* 951., postquàm Marcellam, quæ errori strenuè restiterat, egregiè commendavit, Siricium simplicitatis quodammodo insimulat, quòd ex propriæ indolis ac probitatis mensura alienos mores metiretur, ac de iis judicium ferret. *Tunc Sancta Marcella, quæ diù se cohibuerat, ne per æmulationem quidpiam facere videretur, postquàm sensit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut Sacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum, maximèque sæculi homines in assensum sui traheret; ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de sui ingenio cæteros æstimabat; publice restitit, malens Deo placere, quàm hominibus.*

Quæ in Siricium objicitur Simplicitas, culpa vacat.

LXXVII. Observat Cardinalis Baronius ad annum Christi 397. Siricium a Hieronymo non doli, aut gravioris criminis, sed simplicitatis dumtaxat insimulari: *Sugillat Sanctus Hieronymus Siricii Papæ simplicitatem, non dolum.* At Petrus Constant in toties memorati Operis *pag* 706. animadvertit, Rufinum tunc cum Litteras Communicatorias obtinuit, virum fuisse acris ingenii, multæ scientiæ, ac integræ famæ prærogativa commendatum; nondum enim, quod in imo pectore servabat virus, evomuerat: *Eò autem facilius Rufinus sibi, ac sociis Litteras a Siricio impetravit humanitatis ac benevolentiæ plenas, quòd ille virtutis ac scientiæ fama clarus necdum malè audiisset.* Qua de re opportunior infrà, ubi Origenistarum causam tractabimus, redibit sermo. Quod verò ad Siricii simplicitatem attinet, idem Constantius quamcumque criminis invidiam amoliri studet, atque ita prosequitur: *In sinistram suspicionem non facilè abit Christiana simplicitas, nec malè de quoquam judicare amat, præsertim de illo, de quo nihil se menti offert, unde non rectè de illo sentiat.* Culpanda igitur simplicitas, quæ a fatuitate nimiave credulitate proficiscitur; excusanda verò, quæ ortum ducit a Christiana charitate, cui illud peculiare est, ut de alieno malo, quod ignorat, non cogitet. Atque huc quidem revocari possunt verba Hieronymi, qui de Siricio jam vita functo sermonem habens, cùm Rufino easdem, quas a Siricio acceperat Litteras, exprobaret, quòd iis contra judicium ab Anastasio instructum abuteretur, uno eodemque sermonis contextu Rufinum objurgat, & Siricium commendat: *Siricii jam in Domino morientis profers Epistolam*, ita Sanctus Doctor Rufinum alloquitur, *& viventis Anastasii verba contemnis*; quibus verbis Siricium Pontificem, Beatorum, qui in Domino moriuntur, numero accenset. Hanc ipsam verborum Hieronymi interpretationem probat, ac sequitur Pagius *in vita Siricii num.* 77. *Quæ verba*, inquit, *ostendunt Hieronymum credidisse Siricium somno Sanctorum in Domino obdormivisse.*

S. Paulinus Anastasio Pontifici acceptissimus.

LXXVIII. Quoniam de Hieronymo satis hucusque egimus, proposita Controversiæ methodus exigit, ut jam de Sancto Paulino sermonem instituamus. Quia verò & hic nova criminum materies contra Siricium exurgit, rem paulò altiùs repetere juvabit. Quanta animi benevolentia Pontifex Anastasius Siricii successor prosequutus fuerit S. Paulinum tunc adhuc Presbyterum, mox celeberrimum Nolæ Episcopum, ex ejusdem Paulini *Epistola* 20. *ad Delphinum* data, satis compertum est. *Sciat veneratio tua*, inquit Paulinus, *Sanctum fratrem tuum Papam Urbis Anastasium amantissimum esse humilitatis nostræ. Nam ubi primum potestatem charitatis suæ nobis offerendæ habere cœpit, non solùm suscipere eam a nobis, sed inferere nobis piissima affectione properavit.* Cujus quidem singularis benevolentiæ haud obscurum argumentum inde eruitur, quod Anastasius ad diem suum natalem celebrandum, ad quem soli Episcopi convenire consueverant, nonnisi Paulinum Presbyterum invitaverit; nec minori amoris significatione

excusa-

excusationem exceperit, quam, cur non veniret, Paulinus attulerat. *Postea quoque*, sic ille prosequitur in laudata Epistola, *interposito tempore, etiam ad natalem suum, quod Consacerdotibus suis tantùm deferre solet, invitare dignatus est. Nec offensus est excusatione nostra, sed officium sermonis nostri, quod in vicem præsentiæ reddideramus, acceptans, animo nos paterno & absentes recepit.*

Longè dissimilis Paulini fortuna sub Siricio.

LXXIX. Longè tamen dissimilem fortunam Paulinus expertus est sub Pontifice Siricio, qui Paulinum Romæ versari ægrè ferebat; qua de re gravite conquestus est ipsemet Paulinus *in Epistola 5. ad Sulpicium Severum*, in qua postquàm motus ac turbas omnes ab invidis Clericis contra se concitatas commemoravit, hæc subjicit: *Sed plenius indicare potuerunt conservi nostri pueri tui quantùm nobis gratiæ Domini detrimentum faciat Urbici Papæ superba discretio.* Urbici Papæ nomine Siricium intelligi affirmat Baronius, cujus verba jam a Nobis supra relata juvabit repetere: *Jam puto*, inquit ad ann. Christi 394. *sentis Lector, quem Paulinus per Urbicum Papam intelligat: non alium quidem, quam qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ, Pontificem ipsum Siricium, quem infensum absque causa aliqua, ut ait, pati coactus fuit.* Mox causam inquirens, cur Siricius alieno fuerit animo erga Paulinum, hanc producit, quòd nimirum Paulinus adhuc laicus a Lampio Barchinonensi Episcopo ad Ordines fuerit promotus, legitimis temporum interstitiis nequaquam servatis. Id verò cum displicuisset Siricio, qui Ecclesiasticæ disciplinæ vindex erat acerrimus, ideò iis benevoli animi significationibus, quæ tanti Viri meritis ac virtutibus congruebant, Paulinum excipere noluit; quod tamen in Siricio Baronius non probat, cùm Paulinus invitus ac nolens ad Sacra Altaris Ministeria obeunda fuerit initiatus. Neque verò deerant illustrium Virorum exempla, veluti Ambrosii ac aliorum, qui vel ex ipso laicorum statu, vel etiam è Catechumenorum ordine, nedum ad Sacerdotii, sed etiam ad sublimiorem Episcopatus gradum ascenderant, veriùs evolaverant.

Nulla invidia, livor nullus Siricium impulit, ut Paulinum aversaretur.

LXXX. Meminit idem Baronius, quo plausu Paulinus Romam adveniens exceptus fuerit. Magna enim ac potior Urbis pars, Civium scilicet, Præsulum, ac eorum, qui publicis fungebantur muneribus, præter advenas, una commixtos plebejosque homines, certatim, & velut agmine facto ad eum invisendum confluebat. Equidem plausu ac admiratione digna res erat, Paulinum Virum Consularem, humili Sacerdotum veste indutum aspicere. Cavendum verò ne ullam ex tanta Urbis gratulatione criminationis materiem in Siricium refundamus. Tillemontius *tomo 14. Commentarior. pro Historia Ecclesiastica sex priorum sæculorum, in vita Sancti Paulini art. 14.* de hominum frequentia, qui ad Paulini domum convolabant, sermonem habens, putat Siricium ideò subinfenso ac alieno in Paulinum fuisse animo, quòd communis favor ac plausus egregias tanti Viri virtutes celebraret. Hinc livorem ac invidiam, quæ in Paulinum exarsit, exortam affirmat. Tillemontio assentiuntur alii iniqui sane Censores, nempe Baillet *in vita Sancti Paulini die 22. Junii n. 7.* & Dupinus *sæculo quinto novæ Bibliothecæ tomo 3. part. 1. pag. 480.* Has tamen in Sanctum Pontificem impactas calumnias facile erit contundere, si quæ Pater Franciscus Sacchini *in vita Sancti Paulini apud Bollandianos die 22. Junii cap. 4. nu. 30.* in hanc rem scripsit, hùc revocentur. Ait enim Siricium satis apertè loquutum, se nempe Paulini Ordinationem præproperam nimis, atque præcipitem probare non posse; ideoque consueta benevolentiæ ac humanitatis officia in eum exercere noluisse. Hanc unam ille producit causam, quæ Siricium a Paulino paulisper alienavit: *Sivit Siricius emanare sermonem, ejus* (hoc est Paulini) *se consuetudinem nolle, scilicet ne repentinam hominis consecrationem probare, & latas ab se ipsemet enervare leges videretur. Nihil ultrà gestum satis ostendunt illa Paulini ad Severum verba: Qui nos odisse, & a consortio Sanctitatis suæ segregare dicuntur.* Id ipsum affirmat Ceillier *tom. 10. Histor. Generalis Sacrorum Authorum cap. 17. nu. 8.*, cui consonat Florentinius in citata *Exercitatione pag. 1005.*, & Pagius *in vita Siricii nu. 15.*

Aliæ, quæ Siricium vindicant, rationes adduntur.

LXXXI. Alias rationes iidem Florentinius, ac Pagius attexunt, ut quamcumque simultatis suspicionem, quæ in Siricium intorqueri posset, excludant. Ajunt igitur, Sanctum Paulinum contra dissolutos Romani Cleri mores liberiùs declamantem, multorum odia ac obtrectationes, quod & Hieronymo, ut supra adnotavimus, contigit, in se concitasse. Hinc alienis clamoribus commotum ac veluti fatigatum Siricium, a Paulini familiaritate recessisse: Addunt præterea Paulinum optimis quidem, atque integerrimis moribus præditum, in aliis tamen dijudicandis minus solerti fuisse ingenio; ideoque de Siricio Pontifice, quem nondum satis perspexerat, fuisse conquestum. Audiendus Florentinius: *Sed verè etiam fatendum est, Paulinum ex humana ratione optimum non fuisse hominum & eorumdem morum æstimatorem, dum Siricium superbæ discretionis insimulat, quem Hieronymus nimiæ simplicitatis, & innatæ bonitatis quodammodo coarguit: Et quamvis sanctitate morum Paulinus polleret, minus acris judicii reputari potest.* Id ut confirment memorati Florentinius, & Pagius, rationes addunt nonnullas, quas hic repetere supervacaneum putamus.

Quæ causa Siricium a Paulino abalienaverit.

LXXXII. Quænam verò hac in re Nostra sit sententia, hisce quas subjicimus animadversionibus aperimus. Prima est, Sanctum Paulinum, statutis temporum interstitiis non servatis, ad Sacerdotium fuisse promotum, contra legem a Siricio statutam in Epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem *cap. 9.*, quam ante Paulini Ordinationem Siricius conscripserat, stata temporum intervalla definiens, quæ a Laicali statu ad Presbyteratum debent intercurrere, ut in Sacris præcedentium Ordinum Ministeriis ritè exerceatur quisquis ad Sacerdotium cupit accedere. Quamobrem ejusdem Siricii Decreto accuratè secernuntur, qui ab infantia Ecclesiæ ministerio mancipantur, ab iis, qui ætate grandævi Clericali militiæ adscribuntur; quibus idcircò lex indicitur, ut per Ecclesiasticos gradus paulatim ascendentes, tandem statuto tempore ad Sacerdotium perveniant. Cum ergo certa, atque explorata sit Causa, quæ Siricii animum a Paulino abalienavit, haud licet aliam, aut incertam, aut minùs solidam causam obtrudere. Porro ea, quæ a Paulini Ordinatione petitur ratio, cæteris æquior est, magisque consentanea. Si enim Siricius ad eam benevolentiæ significationem, qua Paulini probata virtus digna erat, descendisset, multorum animis hæc insedisset opinio, Siricium Ecclesiasticarum Legum, quas pridem promulgaverat, quasque in Paulini Ordinatione violatas noverat, contemptum negligere, aut tacitum dissimulare.

Siricius in Paulinum aliquandò benevolus.

LXXXIII. Sed & illud animadversione dignum est, Siricii severitatem erga Paulinum haudquaquam dituturniorem fuisse, neque ad obitum usque fuisse productam. Satis enim Siricio fuit semel, atque iterùm duriùs excepisse Paulinum; mox enim compositò ad benevolentiam vultu, quam priùs occultaverat, paterni animi benignitatem, tandem manifestavit, eaque Paulinum complexus est. Tillemontius in loco citato *art. 20.* post evolutas Paulini Epistolas,

affirmare non dubitat, egregium hunc Virum quotannis ad celebrandum natalem diem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Romam accedere, ibique decem circiter dierum spatio commorari consuevisse. Quid verò interim Paulinus Romæ ageret, sic ille aperit: Antemeridiano tempore Ecclesias adire, & Sacra peragere solemne illi erat: Pomeridianis verò horis, in hiis, qui salutatum venerant, excipiendis, erant autem quamplurimi, qui turmatim ad Paulini ædes accedebant, totus occupabatur; nec ullum vel exiguum illi supererat temporis spatium, quo vel epistolam scriberet, vel pagellam percurreret, ut tot tantisque implicitum curis animum recrearet. Nox una quietem, breviorem tamen, Paulino conciliabat. Quo primùm tempore mos ille inceperit Romam accedendi ipso Apostolorum Petri, & Pauli natali die, idem Tillemontius inquirit, probatque hujusce Sacri Ritus initia ab ipso Siricii Pontificatu esse repetenda. Hinc infert, Siricium postremis vitæ annis æquiori erga Paulinum fuisse animo, ideoque eum Romam accedentem, ac Romæ commorantem multa dilectionis, ac benevolentiæ significatione excepisse. Secus, nec Romam accedere, nec ullam ibi moram trahere decrevisset Paulinus, si infensum Siricii animum fuisset expertus. Ubi Paulinus suboffensum Siricium cognovit, ab Urbe recessit; si ergo in Urbem sub eodem Siricio regressus est, jam pacatum sibique benevolum probè noverat.

Quæ inter Siricium & Paulinum intercessit discrepantia, eorum sanctitatem non lædit.

LXXXIV. Tertio loco dissimulare non possumus, duriora illa, quæ supra retulimus verba, a Paulino in Siricium, non etiam a Siricio in Paulinum fuisse prolata; ideoque si liceret de alterutro judicium ferre, Paulinus, non Siricius de acri illa ac inofficiosa expostulatione esset culpandus. Verùm hac etiam animadversione posthabita, si rem ad rigidioris judicii lances exigamus, hoc unùm colligimus, aliquam scilicet inter Siricium ac Paulinum intercessisse discrepantiam, & animorum offensionem, quæ neutrius sanctitatem evertit. Ut id Pagius confirmet, notissimum *in vita Siricii* affert exemplum contentionum, quæ Sanctum Willelmum Episcopum Eboracensem, & Sanctum Abbatem Bernardum ad invicem commiserunt; qua de re fusiori sermone Nos item egimus *libro* 2. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 41. *num.* 13., qui insuper *sub num.* 8. aliud exemplum produximus de privatis contentionibus inter Sanctum Leonem Magnum, & Hilarium Episcopum Arelatensen, ut silentio prætereamus alia gravioris momenti dissidia, quæ *in sequenti cap.* 42. *ejusdem Operis* indicavimus. Nihil tamen illustrium Virorum virtuti ac probitati quidquam inde decedit: Aliud namque est simultates intercedere; aliud controversias excitari. Illud charitatem infringit, ac in odium erumpit; hoc in sola animorum dissensione versatur, quæ voluntates non dissociat, cùm ingenia committit.

Origenistarum errores ignorat.

LXXXVI. Etsi verò memorata Baronii responsio tot monitis ac testimoniis illustrata, improbanda non sit, ab ea tamen abstinemus, cum alia opportunior, ac pro Siricii causa tuenda longè validior Nobis præsto sit. Baronius Siricium hæresis Origenistarum conscium supponit; hinc prudentem tarditatem causatur. At Nobis Origenistarum errores, Siricio superstite, omninò delituisse videntur; quamdiù enim vixit Siricius, pessimi simulatores, ovium vestimentis contecti, lupinam improbitatem occuluerunt, quæ tandem sub Anastasio Pontifice Siricii successore detecta est, atque damnata. Nullus igitur excusationi locus, ubi error, qui nondum innotuit, quamcumque in Siricio improvidam simplicitatem excludit. In rem hanc testem producimus ipsum Hieronymum, qui causam inquirens, cur Origenistæ, atque omnium loco Rufinus, Communicatorias Litteras a Siricio postulaverint, hanc unam producit *in Epistola* 127. *ad Principiam*, *in nova Veronensi Editione tomo* 1. *pag.* 952. *nu.* 10. ut nimirum hæresis nondum evulgata, Catholicæ communionis pallio obtecti, securiùs ex Urbe discederent. *Cernentes Hæretici*, inquit Sanctus Doctor, *de parva scintilla maxima incendia concitari, & suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse; nec posse latere, quod multos deceperat; petunt, & impetrant Ecclesiasticas Epistolas, ut communicantes Ecclesiæ discessisse viderentur. Non multum tempus in medio, succedit in Pontificatum Vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne Orbis caput sub tali Episcopo truncaretur; imò idcirco raptus, atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.* His verbis enucleandis intentus Cardinalis Norisius *in citata dissertatione pag.* 725. duo securus affirmat: Alterum nempe, Rufinum Roma abiisse, ne detectis erroribus a Siricio puniretur; alterum verò, errores illos Siricii ætate omninò impervios delituisse. Præstat ipsum Norisium loquentem audire: *Itaque*,

Tardum Siricii Consilium in damnandis Origenistis, a Baronio excusatur.

*teste*

*teste Hieronymo, Rufinus Roma discessit, verius non posse latere diutiùs Origeniani Voluminis errores, ac proinde a Siricio sibi timebat, quem si propitium speraſſet, poterat tutus cæterorum clamores surdis auribus contemnere. Ex illis verbis:* Nec posse latere, *constat eos errores nondum publicatos, sed tantum clanculùm assertos. Quid mirum si Siricium latuerint?*

Sub Anastasio Pontifice Origenistarum errores erumpunt.

LXXXVII. Egregius item est locus alter *ex Epistola* 130. *ad Demetriadem in citat. tom.* 1. *Editionis Veronensis pag.* 936. *num.* 16. ubi Sanctus Doctor Origenistarum errores sub Anastasio Pontifice detectos, & proscriptos affirmat. *Dum esses parvula*, ita Demetriadem alloquitur, *& sanctæ, ac beatæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæva tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere & labefactare conata est. Sed Vir utilissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium perculit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit.* Hinc juremeritò infert Florentinius *pag.* 1003. *præfatæ Exercitationis*, hæresim Origenistarum Siricii tempore nondum è latebris prodiisse; tum verò caput exeruisse, cum Anastasius Romanæ præerat Ecclesiæ: *Nondum hæresis patefacta erat, hoc enim tantùm accidisse sub Anastasio, adductum ipsius Hieronymi fragmentum demonstrat.*

Multa Origenistarum sollicitudo, ne hæresis innotesceret.

LXXXVIII. Nec facile poterat Origenistarum hæresis ad aliorum notitiam pervenire, cùm Rufinus, ejusque socii, genus hominum vaferrimum, qua poterant, arte, vel fraude errores obtegerent. Prava hæreseos dogmata solis familiaribus manifestabantur, neque extra Rufini & Melaniæ consocios, & assecias, arcana illa doctrina evulgabatur. Ita verò Origenistarum calliditatem describit *Pagius ad Annales Baronii ad ann. Christi* 397. *num.* 17. *Nondum hæresis satis patefacta erat, idque tantùm accidit sub Anastasio, licet penes Rufini & Melaniæ familiares jam malesanæ doctrinæ suspicio invalesceret.* Pari sollicitudine Rufinus Versionem libri Periarchon, Siricio vivente, occultavit, ne alioquin ex obvia lectione virus detegeretur. *Verùm cum Origenis errores*, inquit Pagius loco citato *nu.* 16. *ex mala Rufini interpretatione, ante Anastasium latuerint, quid culpabile Siricius omiserit, non apparet; & Communicatorias Litteras Rufino de more concedens, dum hic optimè apud omnes ante vulgatum Romæ Periarchon audiret, non videtur in crimen vocandus.* Imò verò etsi Rufinus Roma abesset, & Aquilejæ moraretur, ubi biennio permansit, adhuc errores simulare curavit. Hinc nondum fraude detecta, Chromatii Episcopi familiaritate usus est: Hinc etiam ipsemet Chromatius apud Hieronymum, & Venerius Mediolanensis Episcopus apud Pontificem Anastasium pro Rufino allaborarunt, ut de Venerio Episcopo constat ex ejusdem Pontificis Epistola ad Joannem Jerosolymitanum. Qui ergo Siricius nosse poterat Origenistas, quorum errores, vel ipso Anastasii Pontificis tempore aliquamdiù delituerunt? Si errores non noverat, nullo modo culpandus, quod errores non condemnaverit. Quocirca Parabola illa Evangelica, quam Siricio Baronius accommodat, de Patrefamilias, qui maluit zizania ad messem usque intacta relinqui, ne pari eventu zizania ac frumentum unà divellerentur, minus consona videtur; cum Paterfamilias zizania tritico commixta noverit, Siricius verò Origenistarum errores Catholicæ doctrinæ infensos ignoraverit. Si quid ergo ex Evangelica illa Parabola ad rem nostram liceat decerpere, illud est, Patremfamilias nullo modo culpandum, quod zizania in agro succreverint, cum ipse bonum semen electumque frumentum terræ mandaverit. Non enim illius incuriæ, sed insciliæ tribuendum, quod inimicus homo, occulta fraude, & nocte concubia, zizania in sementem effuderit. Pari jure Siricius vindicandus, cum eo superstite nulla in Christi Ecclesia Origenistarum prava semina innotuerint. Quodsi Anastasii Pontificis ætate Hæreticorum zizania apparuerint, excusandus omninò Siricius, cum aut eo vita functo, aut si nondum vita cesserat, profundæ noctis silentio, ipso nimirum Siricio id penitùs ignorante, noxia illa errorum zizania ab Origenistis fuerint disseminata.

Illustrium Virorum, qui ab Hæreticis decepti sunt, exempla nonnulla.

LXXXIX. Ea est pravorum hominum indoles, ac Hæreticorum versutia, ut innumeras ad decipiendum obtendant fraudes, quibus vel ipsis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, etsi doctrina ac sanctitate præstantibus, aliquandò imposuerunt. Ut novo Siricii simplicitatem vindicet argumento Petrus Constant *pag.* 706. affert exemplum Sancti Augustini, ac aliorum, qui Pelagio jam de hæresi suspecto Communionis Litteras non denegarunt, quibus ille in Concilio Diospolitano usus est, ut hæreticæ pravitatis notam effugeret. Mox utrumque exemplum quam simillimum Siricii & Augustini unà componens, ita ratiocinatur. *Qua in re si culpandus Siricius, quanto magis culpandi essent cùm Augustinus, tùm alii, qui Pelagio jam hæresis suspecto similes non denegarunt Epistolas, quibus ille ad depellendum a se hæreseos crimen Diospolitano in Concilio abusus est?* Alia a Cardinali Norisio congeruntur exempla Sanctorum Pontificum Aniceti, Julii, Zosimi, & Damasi, qui licet Sanctitatis fama claruerint, nihilominùs perspectos nequaquam habuerunt pravos errores, primus Praxeæ, alter Marcelli Episcopi Ancyrani, tertius Cœlestii Pelagianorum Principis, quartus Vitalis Apollinaristæ. Sed longè majora sunt, quæ Baronius commemorat de Viris illustribus, ac Summis Ecclesiæ Pontificibus, quos insidiis ac fraudibus circumventos, improborum versutia eò usque perduxit, ut innoxios ac insignes pietate Viros exosos aliquandò habuerint, duriusque tractaverint. *Non mireris, lector* (inquit Baronius *ad ann. Christi* 464. *num.* 8. *in nupera editione Lucensi*) *Romanum Pontificem Hilarum adversùs Mamertum adeò vehementer insurgere, Virum, ut declararunt eventa, sanctitate insignem; In his enim, quæ contentiosi fori sunt, perfacile est quemque decipi. Persimile etiam Sancto Leoni accidit, qui in Sanctum Hilarium eadem fermè ex causa acerrimè invectus est. Quis nesciat sæpè accidere, ut falsis accusationibus & subreptionibus aures Pontificum repleantur, & cum putant agere, quod justum apparet, exagitent innocentem?*

Cromatius, Paulinus, Augustinus, esto Rufino faveant, excusantur.

XC. Enimverò, ne a Rufino discedamus, si quæ pro eo gessit Cromatius, sanctitati Cromatii non officiunt, Norisio teste, *neque hæc officia Cromatii sanctitati nocuere*: Si D. Augustinus citra ullum probitatis dispendium, magno in pretio habuit Rufinum, ut patet ex Epistola *in veteri editione* 15., *in nova* 73., quem insuper in pristinam Hieronymi amicitiam, etsi gravioribus ex causis dissolutam, restituere conatus est; Si nemo Paulinum reprehendit, quòd Rufinum coluerit, & Melaniam Origenistarum Patronam commendaverit: Cur Siricius damnabitur, quòd acerrimum Rufino bellum non indixerit, Cromatius, Paulinus, Augustinus excusantur, quod dolum, pravosque Rufini mores ignoraverint: Sed & Siricius ipse ignoravit; nec poterat Rufinum aversari, quem nondum noverat sceleſtum; non poterat sceleſtum nosse, quem communis fama, & opinio probum adhuc habebat. Quo eodem argumento utitur Pagius ad Annales Baronii *in suis adnotationibus ad ann. Christi* 397. *num.* 17. ita scribens: *Nec quia Siricius, dum viveret, benè de Rufino sensit, nondum cognita ejus venenata doctrina, è sanctitate decidit; sicuti neque Divus Au-*

*gustinus dum Epistola 15. quæ novo ordine est inter Augustinianas 73., Rufinum conciliare Hieronymo laborans, illum magni fecit, quamquam jam Apologetica, & amarulenta Opuscula inter utrumque vulgata essent sub Anastasio.*

Quæ Paulino, eadem & Siricio congruit excusatio.

XCI. Pari excusatione Baronius Paulinum tuetur, qui cum pravos Melaniæ mores ignoraret, ejus sanctitatem impensius laudavit. Aberat nempe Paulinus a Melania, nec nosse poterat aut debuerat quidquid ab ea clam & secreto gerebatur in Palæstina. *Melaniam*, verba sunt Baronii *ad ann. Christi* 397., *eum sic a Paulino laudatam vides, ne mireris; His quidem ipsa, atque majoribus digna præconiis videbatur, nescientibus, quæ paucis arbitris in Palæstina, non tam ab ipsa, quàm per ipsam, a suis consociis de inducendis in Ecclesiam erroribus Origenis, refragante Sancto Hieronymo, ac penitus obnitente Sancto Epiphanio, gesta essent. Quomodonam, quæso, Paulinus sciret, quæ nec qui Jerosolymis essent, nosse potuerint?* Quod de Paulino absente habet Baronius, Nos de Siricio Romæ commorante repetimus. Aderat Romæ Rufinus, non inficiamur; sed vicinia frustra obtenditur, ubi extra parietes domesticos, aut extra societatem eorum, qui pari laborant errore, prava doctrina non egreditur. Lupos ab ignis secernunt mores; sinceram à vitiata arbore distinguunt fructus. Si ergo mores lateant; si fructus non erumpant, nec Lupi rapacitatem, nec arboris vitium licebit cognoscere. Pravus Rufino erat animus, prava doctrina: sed cum soli Rufino, ejusque familiaribus errores essent perspecti, perperam Siricius tamquam minus sollicitus accusatur. Ignoti nulla cupido; nulla item invidia.

Eorum sententia, qui Rufinum ab Anastasio damnatum negant.

XCII. Novum pro Siricii vindiciis argumentum Nobis præsto esset, si eam amplecteremur sententiam, quam multi & doctrina, & Ecclesiasticæ Historiæ peritia satis instructi, sequuti sunt; Rufinum scilicet ne ab ipso quidem S. Anastasio fuisse damnatum, quamvis Anastasio illud laudi detur, quod in Origenistarum causa partes omnes Apostolici muneris optimè impleverit. Consulendum in hanc rem Opus posthumum eruditi Viri Justi Fontanini Archiepiscopi Ancyrani, quod inscribitur: *Historia litteraria Aquilejensis lib. 5. cap. 18.* Consulenda item, quæ Vallarsius adnotavit in Epistolam S. Hieronymi 127. *ad Principiam pag.* 952., ubi animadvertit nullam de Rufini excommunicatione fieri mentionem, nullumque proferri posse vetus probatæque fidei monumentum, ex quo de aperta in Rufinum sententia dubitare non liceat. Addit Vallarsius, Rufinum, quamdiu vixit, nedum amicitiam, sed & familiaritatem exercuisse cum Sancto Paulino Nolano, Cromatio Aquilejensi, Gaudentio Brixiano, quibus ex Fontanino *loco citato num.* 3. addendus Sanctus Petronius Bononiensis. Nemo autem dixerit, Rufinum ab Ecclesia ejectum, ac peculiari decreto damnatum, societatem ac consuetudinem cum tot tantisque Viris, virtutibus ac Religionis zelo præstantibus, servare potuisse. Ex quo infert, nonnisi indirectè Rufinum in Anastasii Decreto fuisse comprehensum; Cum enim Summus Pontifex in Origenem nominatim sententiam tulerit, & ipsos indirectè Origenistas, quos inter eminet Rufinus, damnavit. Qua in re nihil Rufino accidit probri, quod cæteris Origenis Sectatoribus, qui venenatam ipsius doctrinam profitebantur, commune non sit.

Objectio de celeri Siricii morte dissolvitur.

XCIII. Reliquum tandem est, ut simplicitatis, sive improvidi nimium consilii maculâ, qua Siricius aspergitur, planè dilutâ, & ipsum, quem ab ejusmodi crimine tamquam a causa profluxisse aliqui putant, effectum, hoc est celerem Siricii mortem, explodamus. Aliquos in ea fuisse sententia, ut providus Deus Siricium ex hac vita rapuerit, ne Origeniana hæresis invalesceret, atque Anastasium suffecerit, qui Origenistas prosterneret, jam supra animadvertimus, ubi illa Baronii verba recitavimus: *Sæpè quidem, atque pavendis est demonstratum exemplis, quod Pontifices illi, qui causam Fidei paulò segnius tractaverunt, ac remissius curaverunt, a Christo primario omnium Pastore fuerint quàm celeriter ex hac vita subtracti.* Hanc tamen sententiam piam sanè, sed minùs solidam, rejiciunt Florentinius, Norisius, Pagius *in vita Siricii*, aliique Scriptores bene multi, quorum responsa, & argumenta, ut brevitati consulamus, sat erit innuere. Primo igitur loco reponunt, Siricium, si Pontificatus tempora metiamur, in supremo Ecclesiæ gubernio quatuordecim, sive ex veriori calculo, quindecim annos egisse; si verò ætatem consideremus, plusquam septuagenarium ex hac mortali vita excessisse. Quocirca nec breviores Pontificatus anni, nec mors immatura Sanctum Siricium exagitant. Secundò, alia exempla suppetere Sanctorum Ecclesiæ Pontificum, Damasi, ac Julii, qui licet Hæreticos, a quibus decepti fuerant, non damnaverint, celeri tamen morte sublati non sunt: *Hic tamen ab his quærerem*, inquit Norisius, *cur Deus ab hæretico deceptum Damasum non statim è vivis sustulit, uti cum Siricio factum putant. Julius Papa post absolutum Marcellum Ancyræ Episcopum, quinquennio superstes vixit, cum illum Liberius posteà damnaverit.* Tertiò, si accuratiori temporis supputationi, quam Norisius producit & probat, hæreamus, supremo Siricii vitæ anno Rufinus Origenianos libros Periarchon latinitate donavit; ideoque Siricio, qui nonnisi menses aliquot superstes fuit, tarditas & socordia opponi non debent. *Juxta ejusdem (Chronologiæ) calculos*, ita Norisius, *Siricius post latinitate donatos libros Periarchon Origenis, aliquot tantum menses superstes fuit. Ejus verò Successor Anastasius post triennium ferme sui Pontificatus Rufinum cum cæteris Origenistis condemnavit.* Ex quo fit, ut cùm triennalis mora, Anastasii sanctitati non noceat, longè brevius mensium aliquot intervallum Siricii probitati non officiat. Sanè Anastasius judicium protraxit, non quia socors, sed quia cautus; ut nimirum, quæ necessariò præmittenda erant, neutiquam negligerentur. *In qua procrastinatione*, sequitur Norisius, in toties a Nobis laudata dissertatione, *nullus socordiæ vitium vituperari potest, sed exactius totius causæ examen commendandum venit.* Postremò absurdum videtur, Siricii Pontificis obitum, etiamsi celerem, atque festinatum fuisse haud inviti daremus, Divinæ ultioni adscribere, cum teste Hieronymo *in Epist. 127. ad Principiam*, breviores Anastasii Pontificis anni singulari Divinæ Providentiæ beneficio tribuantur, ne scilicet Orbis Caput sub tali Episcopo truncaretur; *imo idcircò raptus, atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.* Improvidi ergo consilii est, Divinæ voluntatis Decreta de variis vitæ ac mortis eventibus curiosiùs investigare, atque ad hebetioris ingenii humani captum illa demittere; sicut enim, proposito sibi exemplo Siricii, atque Anastasii, ratiocinatur Florentinius *pag.* 1002. *malè eadem vitæ festinata abscissio in uno ad insimulandam negligentiam, eodem contextu inducitur in alio ad Sanctitatis indicium.*

Siricii Causa accurratissimo judicio discussa.

XCIV. Etsi judicium, quod de Sancti alicujus nomine Martyrologii tabulis inscribendo, aut in Martyrologium, unde expunctum fuit, restituendo instituitur, multum differat ab eo judicio, in quo solemnis Canonizationis agitur causa, ut observat Christianus Lupus *in Notis ad Concilium IV. Romanum sub Leone IX. tomo 3. p. 574.*

Nosque

Nosque item animadvertimus *in lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 17. num. 9.*; In hac tamen, quam pro Sancto Siricio agitavimus, controversia, eadem fere ratio ac methodus, quæ in causis Canonizationum obtinet, a Nobis servata est. In Canonizationum judicio hæc præ cæteris locum habent: Primò, Servi Dei virtutes exponendæ, ac ritè ab iis, quorum interest, probandæ sunt: Secundò, si quæ reliquæ adhuc sunt difficultates, diluendæ: Tertiò, quovis remoto obice, ad probandas Pontificio Decreto virtutes tutò transitur. Pari fermè œconomia Siricii Causam tractavimus. Ea cum primis, quæ Siricii Sanctitati favent, expendimus; quò spectant argumenta ab opinione, & fama Sanctitatis, ab ejus virtutibus, ac probatæ fidei Martyrologiis, petita. Deindè, quæ contra Siricium objici solent, quibus fortasse innixi Correctores sub Gregorio XIII. Siricii nomen rejiciendum censuere, enumeravimus ac confutavimus. Nil ergo prohibet quominus, Causa satis cognita, ac validissimis rationibus, ac monumentis, quæ Siricii Sanctitatem demonstrant, probè discussis, Siricii nomen Martyrologio Romano inscribendum sit; quod idcirco inscribendum decrevimus, atque mandavimus. Qua in re, cum & tanti Pontificis Sanctitati benè consultum sit, & Nostra vota, quæ jam tum, cum Promotoris Fidei munere fungebamur, Nostro insederant animo, tandem Nobis in Supremo Apostolatus Officio constitutis, fuerint impleta, vehementer gratulamur.

Summus Pontifex Regi fausta precatur.

XCV. Hæc sunt, quæ Majestati Vestræ circa novam Martyrologii Editionem duximus significanda; par enim Nobis visum est, eidem Majestati Vestræ, cujus regio sumptu nobilis hæc Editio prælo subjicitur, animi Nostri sensus, & quæ in nuperam hanc Editionem contulimus, aperire. Multas sanè Nostra hæc Epistola implevit paginas; eam tamen, etsi prolixiorem, nec gravem, neque injucundam fore confidimus, cum Nobis compertum sit, quanta in Deum pietate, quanta item in Sanctos veneratione ac obsequio majestas Vestra feratur. Postremo omnipotentem Deum bonorum omnium largitorem enixè precamur, ut divitiarum suarum, Cœlestium cum primis, copiam effundens, Vos diu servet incolumes, Vestramque Regiam Familiam numquam desitura successione confirmet. Regna Vestra pacata custodiat, eorumque fines in remotissimas usque Infidelium regiones protendens, quod incepit, perficiat. Et Majestati Vestræ, Vestræque Regiæ Familiæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die prima Julii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. Pont. A. VIII. die prima Julii 1748.

## LV.

Pro elevatione Corporis Ven. Servi Dei JOSEPHI A MATRE DEI Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

*Dilecto Filio Magistro Ludovico Valenti in utraque Signatura Nostra Referendario, ac Fidei Promotori.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Pontif. quamprimum V. Josephum à Matre Dei inter Beatos adscribere tendit.

DE Congregratione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositæ consilio, & assensu, ut Servus Dei Josephus a Matre Dei Fundator Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupat. in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendæ) exponantur, & aliàs, prout in aliis Nostris in simili forma Brevis literis desuper expediendis uberiùs continebitur, quamprimum auctoritate Apostolica indulgere intendentes, ac cupientes, ut ejusdem Servi Dei Corpus ex tumulo in Ecclesia sub invocatione Sancti Pantaleonis de Urbe ejusdem Congregationis Clericorum Regularium sito, in quo conditum reperitur, elevatum, in decentiorem, nobilioremque locum transferatur, & collocetur, ad quem accedentes Christifideles venerentur, nec non ut ea omnia, quæ in hujusmodi elevationibus servari solent, exactè serventur: Tibi, qui Promotoris Fidei munus, quod Nos dum in minoribus essemus, præstitimus, tanta cum sapientia, integritate, pietate, zelo, ac sedulitate obire pergis, per præsentes committimus, & mandamus, ut Te ipsum ad locum, in quo positum est ejusdem Servi Dei Corpus conferas, & clausis januis, & quibuscumque aliis (præter publicum Notarium acta omnia per Te conficienda rogaturum; nec non dilectos Filios modernos Præpositum Generalem, nec non Procuratorem Generalem, & Assistentes secundodictæ Congregationis, & Postulatorem Causæ dicti Servi in eadem Congregatione Cardinalium, atque eos Ministros, seu Fossores, quos ad ejusmodi ministerium, & opus necessarios esse duxeris dumtaxat, nec omnino alios) sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua nemo, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo constitutus, obtinere queat, ipso facto ab omnibus cujuscumque status, dignitatis, auctoritatis, præeminentiæ, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, absque alia declaratione incurrenda, nec non aliis ad Nostrum arbitrium imponendis pœnis, & censuris, penitùs exclusis; tumulum, in quo Corpus dicti Servi Dei jacet, per antedictos Ministros, seu Fossores effodi, arcamque, seu loculum, in quo conditur, reserari facias; nec non omnia, & singula accuratissimè inspicias, quæ ad authenticitatem ejusdem corporis firmandam apposita fuisse memoriæ traditum est, ac præsertim signa, aliaque hujusmodi recognoscas, cæteraque scruteris, quæ pro tua hac in re singulari peritia duxeris notanda. Præterea Tibi per præsentes itidem mandamus, ut singulis supradictis, quos solos tecum dumtaxat, ut præmittitur, interesse statuimus, sub suspensionis, interdicti, & excommunicationis latæ sententiæ, aliisque pœnis, & censuris Nobis, ut præmittitur, reservatis denunties, & inhibeas, ne quilibet eorum Nobis insciis, & inconsultis, quidpiam, vel minimam Corporis partem dicti Servi Dei auferre, detrahere, ac secum asportare audeat. Postquam verò hæc omnia præstiteris, idem Corpus in aliqua Arca, seu loculo recondas, tuo in cera Hispanica signo munias, & in aliquo decentiori loco diligentissimè, ac tutissimè custodiendum cures, donec opportuno tempore debitis cum honore, & cautelis in eo loco, in quo in futurum servandum, colendumque erit, collocetur. Eapropter Tibi omnes, & singulas super negotio hujusmodi ea, qua decet, & opus est fide, & diligentia perficiendo necessarias, & opportunas facultates auctoritate Apostolica tenore præsentium tribuimus, & impertimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ideo ejus Corpus elevari jubet.

Et elevationem hujusmodi committit Fidei Promotori.

Ei præscribendo formam.

Reliquiarium extractionem prohibet.

Loculum obsignandum mandat.

Datum

Dat. Pontif. Anno Octavo die 17. Julii 1748.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Julii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

*D. Card. Passionеus.*

## LVI.

Super designatione Confessariorum extraordinariorum pro Monialibus.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Procœmium.

Pastoralis curæ Nobis impositæ munus hanc, inter alias, sollicitudinem a Nobis exposcit, ut pusillorum animis in afflictione, & angustia constitutis opportuna solatia ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conscientiæ tranquillitatem recuperare, aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam Omnipotenti Deo servitutem alacri, & prompta affectione exhibere. Hujusmodi angoribus, & afflictionibus confici passim constat Religiosas Mulieres in Claustris degentes, quibus certus, & unicus Sacramenti Pœnitentiæ Minister a Monasterii Prælato ad tres ut minimum annos designari solet; cui si aliquando, præ pudore, vel alia quapiam de causa, non omnes conscientiæ suæ recessus aperire audeant, atque ideo Confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis æternæ se ipsas miserè conjiciunt. Quod sanè haud rarò evenire, satis Nobis exploratum atque compertum est, tum ex iis, quæ in Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio tractari vidimus, dum olim in minoribus constituti plurium annorum spatio munus Doctoris in Decretis in eodem Officio sustinuimus; tum etiam ex iis, quæ in Episcopalis Anconitanæ primùm, deindè in Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ regimine, frequenti usu cognovimus; tum demum ex his, quæ sæpiùs ad Nos in Petri Cathedra octavum jam annum Dei miseratione residentes, deferri contingit, sive ex parte diversarum hujusmodi Monialium, quæ animarum suarum angustias paternis oculis Nostris identidem subjicere coguntur; sive ex parte Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiarum Antistitum, qui Nobis earumdem Monialium in suis Diœcesibus existentium calamitates, ex præallegata causa ortas, aut viva voce, aut per Literas non semel repræsentarunt, ac super eâ re Apostolicæ providentiæ opem postularunt.

Vigilantia Pontificis in procuranda conscientiarum serenitate.

Præcipuè in Monialibus, quæ certum habent Confessarium.

Hinc est, quod Nos earum spiritualibus indigentiis per hanc Nostram perpetuò valituram Constitutionem opportunè prospicere volentes; non quidem intendimus consultissimam illam, & veteris disciplinæ auctoritate roboratam Legem tollere, aut abrogare, quâ generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis Monialium Monasteriis unus dumtaxat Confessarius deputetur, qui Sacramentales Confessiones universæ earum Communitatis excipiat, neque liceat unicuique Moniali peculiarem Confessarium pro libito sibi deligere; sed hoc dumtaxat Nobis propositum est constituere, ut si quando generalis hujusmodi Legis rigor, in peculiaribus casibus, non sine animarum detrimento aut periculo, servari posse videatur, in promptu sit opportunæ dispensationis, & indulgentiæ remedia occurrentibus necessitatibus admovere.

Ideo, firma remanente lege de unico Confessario ordinario.

Sanè jamdudum Sanctus Thomas Aquinas Scholarum Princeps, Ecclesiæque Doctor, *in Supplemento tertiæ Partis, quæst. 8. art. 4. ad sextum*, sive *in quartum Sententiarum*, ex quo Commentario desumptum est hujusmodi *Supplementum*, hoc Superioribus monitum dedit, ut Subditis suis, quibus certum, & uni cum Confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri Sacerdoti; propterea quod multi infirmi, & imbecilles animo reperiuntur, qui potiùs eligerent sine sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa peccata certo alicui Sacerdoti a Superiore designato aperire. Jam verò Sacrosancti Concilii Tridentini Patres, hanc legem districtè sanxerunt, *sess. 25. cap. 10. de Regular.*, ut Episcopi, aliique Monasteriorum Prælati, subjectis sibi Monialibus Confessarium extraordinarium, duabus, aut tribus vicibus in singulos annos, exhibere debeant; per hæc verba: *Præter ordinarium autem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, aut aliis Superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat.* Quod quidem non alia de causa præscriptum fuit, quàm quia satis constabat nonnullas aliquando Moniales esse, quæ nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum suum ordinario Confessario confiteantur; adeo ut necesse omnino sit, alterius Confessarii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis integrè, ritè, atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probè animadvertit magnus Ecclesiæ Dei Sacerdos Sanctus Carolus Borromæus, qui prædicti Concilii Tridentini absolutionem ope sua plurimum juvit, ejusque executionem, & observantiam in sua Mediolanensi Civitate, & Provincia, non sine immensis laboribus & curis, invexit; Is enim hac de re decrevit: *Præterea Superiores, ex decreto Sacri Tridentini Concilii, quotannis idoneum Confessorem extraordinarium Monialibus sibi subjectis exhibeant, cui curent, ut universæ confiteantur, ut quæ hujusmodi indigent medicinâ, propter aliquem occultum animæ morbum, neque ipsæ eam postulare, aut accipere ab usitato Confessore unquam auderent, liberiùs mederi suis malis possint, ac Diaboli laqueos evadere, una cum reliquis Confessario novo sua peccata confitendo*, uti legere est *in Actis Ecclesiæ Mediolanen. impress. anno 1599. pag. 53.*, *in Editione autem Lugdunensi tom. 1. pag. 46.*

De extraordinariis oportunius decernet, ut infra.

Sententia D. Thomæ Aquinatis pro concessione Confess. extraordinar.

Porrò quicumque Conciliaris Decreti sensus penitiùs introspexerit, non modò salutarem illius providentiam facilè agnoscet; sed & circumspectam ejusdem æquitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodò injungitur, ut duabus, tribusve vicibus infra annum, Confessarium extraordinarium Monialibus exhibeant; *bis, aut ter in anno offeratur*: Hujusmodi autem Confessarius jubetur earum omnium Confessiones excipere, quotquot eidem confiteri velint: *Qui omnium Confessiones audire debeat.* Neque tamen omnibus, & singulis Monialibus præcipitur, ut peccata sua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in Monasterio degentibus, tam scilicet a Superioríssa, cæterisque Monialibus Professis, atque Novitiis, quàm a Sæcularibus, quæ vel educationis causa, vel alio titulo, in eodem Monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario Confessario singulæ se sistant, sive ad Sacramentalem Confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra Sacramentalem Confessionem, ab ipso accipienda. Atque ita prudentissimè consultum est, ne, si Moniales aliquæ extraordinarium Confessarium adirent, aliæ autem coram ipso non comparerent, suspiciones, atque oblocutiones excitarentur; & illæ quidem conferentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactæ essent; aliæ verò ab hujusmodi necessitatibus, & causis immunes judicarentur.

Quam

Quam agendi rationem communi Doctorum calculo comprobatam, ſan. mem. Prædeceſſor Noſter Clemens Papa XI. Edicto ſuo, ( quod eſt *XV. in ſecunda parte ipſius Bullarii* ) inviolabiliter ſervari mandavit, eandemque omnium Diœceſum conſuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac in re addendum ſupereſt, niſi, ut Venerabiles Fratres Noſtros Eccleſiarum Antiſtites enixè hortemur, ut, quamvis Tridentina Synodus de ſolis Clauſtralibus Monialibus in præmiſſo decreto loquatur, nihilominùs eandem diſciplinæ formam obſervent, tam cum aliis Monialibus, quæ licet Clauſuræ legibus minimè adſtrictæ ſint, in communitate tamen vivunt; quàm cum aliarum quarumcumque Mulierum, aut Puellarum Cœtibus, ſeu Conſervatoriis, quoties tam illæ, quàm iſtæ, unicum Ordinarium Pœnitentiæ Miniſtrum a Superioribus deſignatum habeant. Quæcumque enim circa Moniales in rigoroſa clauſura viventes cavenda ſunt, eadem in aliis quibuſcumque Mulieribus, ſive Regularibus, ſive Sæcularibus, in Communitate, aut Collegio degentibus, locum habere poſſunt; ideoque pari providentia, iiſdemque remediis arceri, aut emendari debent. Et Nos quidem, quum hanc conſuetudinem offerendi Confeſſarios extraordinarios bis, aut ter in anno ſingulis tam Monialium non Clauſtralium Communitatibus, quam piis aliarum Puellarum, & Mulierum Cœtibus, & Communitatibus, in Noſtra Civitate, & Diœceſi Bononienſi induxerimus; ( qua de re extat Edictum Noſtrum *nu. LVI.* inter Paſtorales Inſtitutiones Italico primùm ſermone a Nobis vulgatas, deindeque in Latinum converſas ); omnibus teſtari poſſumus, vel potiùs debemus, uberem ſpiritualium utilitatum meſſem Nos inde evidenter collegiſſe.

Pontifex extendi cupit eandem regulam ad omnes Mulierum Communitates.

Quum verò ſuper relati Conciliaris Textus intelligentia nonnullæ quæſtiones aliàs excitatæ, eædemque jam pridem per opportuna Sedis Apoſtolicæ decreta definitæ fuerint; operæ pretium ducimus hujuſmodi definitiones ab omnibus, ad quos ſpectat, omnino tenendas, atque ſervandas, his Noſtris Apoſtolicis Litteris complecti. & auctoritatis quoque Noſtræ robore communitas, in prædictorum omnium notitiam deducere. Et primò quæſitum fuit, ad quem Superiorem pertineat extraordinarium Confeſſorem Monialibus deputare, atque offerre: Sed facilis fuit reſponſio, quam Nos quoque decreto Noſtro ratam habemus; hujuſmodi ſcilicet deputationem ad eum regulariter ſpectare, ad quem pertinet Confeſſarii Ordinarii electio, & deputatio; ideoque Epiſcopus, ſive Ordinarius Loci, qui Monialibus ſibi ſubjectis Confeſſarium Ordinarium dare conſuevit, idem Confeſſarium extraordinarium bis, aut ter in anno, ad normam Tridentinæ ſanctionis, eiſdem offerre tenetur; Prælatus verò Regularis, ad quem pertinet Ordinarium Confeſſarium ſubditis ſibi Monialibus, ſervata Apoſtolicarum Conſtitutionum forma, deſignare & conſtituere; ipſe etiam eiſdem extraordinarium Confeſſarium, in vim præfati decreti, & juxta eaſdem Conſtitutiones, duobus aut tribus per annum temporibus exhibere poteſt, ac debet. Quæ tamen ideò *regulariter* obtinere diximus; quia ſi Epiſcopus aliquis ( quod Deus avertat ) adeo in hac re negligens eſſet, ut Monialibus ſuis, bis terve in anno, extraordinarii Confeſſarii copiam facere prætermitteret; obtendens, ut moris eſt, nullam hac de re Monialibus ipſis ſollicitudinem, aut curam eſſe; tunc volumus Dilectum Filium Noſtrum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem modernum & pro tempore exiſtentem Majorem Pœnitentiarium, ſtatim ac pro parte Monialium hujuſmodi requiſitus fuerit, Ordinarii Paſtoris negligentiam ſupplere debere, eorumque Monaſterio extraordinarium Confeſſarium, ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas Monialium Confeſſiones ab ipſo Ordinario Loci approbati fuerint, cum omnibus neceſſariis & opportunis facultatibus, concedere, & deputare. Quod ſi Prælatus Regularis eandem Concilii legem de Confeſſore extraordinario bis aut ter in anno Monialibus ſibi ſubjectis exhibendo, ſimiliter implere neglexerit; tunc locus fiet Decreto Congregationis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ad ipſius Concilii interpretationem & exequutionem auctoritate Apoſtolica deputatorum, quo ſcilicet eadem Congregatio ad quæſtionem ab Epiſcopo Vercellenſi propoſitam *die* 23. *Auguſti anni MDCXXXI.* reſcripſit, ut infra: *Epiſcopus Vercellen. ſupplicat ſibi reſponderi, an deputatio Confeſſarii extraordinarii Monialium Regularibus ſubjectarum ſpectet ad Ordinarium Loci: Sacra Congregatio cenſuit, ad Epiſcopum non pertinere, niſi in caſu negligentiæ eorumdem Regularium:* ut videre licet *Decretorum Lib. XIV. pag.* 493. Nec aliter reſpondit quæſtionibus ab Epiſcopis Belgii exhibitis, *die 6. Aprilis anni MDCXLVII.*, ut legitur *Decretor. Lib. XVIII. pag.* 397. Quæ quidem reſcripta & Decreta, Nos etiam præſentium tenore, & Apoſtolica auctoritate, in omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus.

Dubia quædam circa Concilii Decretum orta declarat.

I. Ad quem pertineat Confeſſarium extraordinarium Monialibus offerre.

Superiorum verò Regularium, ab Ordinariis locorum.

Quum autem Tridentina Synodus de univerſa quidem Monialium Communitate, ut ſupra, decreverit, ſed nihil de ſingulis Monialibus ſtatuerit; ut patet legenti Textum citati Capitis X., utque etiam jam uſque ab anno MDLXXV. judicatum fuit ab ipſa Congregatione Cardinalium Concilii Interpretum, per ſubſequens Reſcriptum, quod extat *Decret. Lib. IV. pag.* 90. *Sacra &c. cenſuit, extraordinarium Confeſſorem offerendum non alicui Moniali ſingulariter, ſed omnibus Monialibus univerſè, ut omnium Confeſſiones audire debeat; in arbitrio tamen cujuſque Monialis eſſe, ut Confeſſario extraordinario velit confiteri*; Hinc ortum habuit alterum controverſiæ, ſeu dubitationis caput; an ſcilicet, ubi jam univerſæ Communitati bis terve infra annum Confeſſarii extraordinarii copia facta eſt, & nihilominùs aliqua Monialis Confeſſarium peculiarem extra ordinem ſibi concedi petit, an, inquam, hujuſmodi petitioni ſit indulgendum. Id autem primo loco quæſitum fuit, propoſito caſu Monialis graviter ægrotantis, quæ in mortis periculo, pro ſpirituali conſolatione poſtulet, alium Sacerdotem, qui tunc non ſit Ordinarius Monaſterii Confeſſor, ſuprema ſibi Eccleſiaſticæ pietatis officia, & Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrare. Huic annuendum facile eſſe, prædicta Congregatio pluriès judicavit, ut videre eſt ipſius *Decretor. Lib. XVIII. pag.* 322. *a tergo*, ſub *die 6. Aprilis anni MDCXLVII.* & eodem Libro *pag.* 586. *die 2. Februarii anni MDCXLIX.*; quæ pariter Decreta à Nobis præſentium tenore approbantur, & confirmantur; ut ſcilicet Epiſcopi ſubjectis ſibi Monialibus in gravi infirmitate conſtitutis, & id expetentibus, peculiarem Confeſſarium concedere debeant; iidemque etiam idipſum præſtent erga Moniales Regularibus Prælatis ſubjectas, quum aliqua ex illis a ſuo Superiore Regulari hujuſmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem caſu nihil ſtatuitur de Cardinali Majore Pœnitentiario, non ideò, quia nequeat is pro ſingulis Monialibus idem facere, quod ſupra diximus eundem pro toto Monaſterio facere poſſe; ſed quia tunc, ob temporis angustias, intercluſa præſumitur via recurrendi ad ipſius Officium. Quod ſi nihilominùs ipſius adeundi tempus, & modus ſuppetat; ad eum pertinebit, eâdem prorsùs ratione peculiaribus ſupplicantium neceſſitatibus providere, quâ dictum eſt ſuperiùs, univerſæ Re-

II. An Monialibus concedendi ſint Confeſſarii peculiares extra ordinem.

Quid in caſu gravis infirmitatis.

Ordinariorum negligentia ſuppleri debet a Card. Majori Pœnitentiario.

licioſæ

ligiosæ Communitati ab ipso consulendum esse.

Quid in casu insuperabilis reluctantiæ adversus Confessorem ordinarium.

Actum deindè fuit de peculiaribus quibusdam Monialibus, quæ nec corpore infirmæ, nec morti proximæ, Ordinario tamen Ministro confiteri obfirmatè recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est, & sublevanda; adeoque, ubi earum reluctantia superari nequeat, Confessarius extra ordinem deputandus est, qui earum Confessiones peculiariter excipiat. Id verò, circà Moniales Episcopo, seu Ordinario Loci subjectas, ab ipso Ordinario præstari debet. Quod autem ad illas pertinet, quæ Regularium Regimini subsunt, ad Regularem Prælatum pertinet, servatis servandis, peculiarem ipsis destinare Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium; vel, si Sacerdos ille, cui ejusmodi Monialis confiteri cupit, pro illis non sit approbatus, cum ipso Ordinario agendum erit, ut pro excipienda saltem illius Monialis Confessione, & pro tot vicibus, quot expedire judicabitur, eundem approbet. Sin autem contingat (neque id adeò rarum est) ut Regularis Superior ad concedendum hujusmodi Confessarium extraordinarium Moniali communem Confessarium recusanti nullo pacto adduci possit; jam huic casui provisum est per Decretum anno MDLXXIII. a prædicta Congregatione Concilii editum, & a fel. record. Gregorio Papa XIII. tunc Apostolicum Thronum obtinente approbatum, & confirmatum, quod nunc iterum confirmationis Nostræ auctoritate roboramus. Decreti verba relata *Lib. 1. Decretorum ipsius Congregationis pag. 66. a tergo*, hæc sunt: *Monialis per aliquod tempus noluit confiteri Confessariis Regularibus. Dubitatum fuit, an Episcopus Regiensis posset dare dictæ Moniali Confessorem alterius Ordinis Regularem, vel Sæcularem, cui illa semel, vel pluries confiteatur peccata sua, & a quo absolvi possit. Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Congregationis Concilii, declaravit, dictum Caput decimum ita esse intelligendum, ut etiam possit Episcopus concedere Confessarium alterius Ordinis, vel Sæcularem.* Præterea nihil obstat, quo minus ipsa Monialis recursum habeat ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarium, a quo ipsi providendum erit, ut supra dictum est, per deputationem Confessarii ex approbatis ad Moniales, apud quem illa confiteatur.

Quid pro spirituali consolatione, & profectu.

Quæsitum denique fuit de Monialibus illis, quæ neque ægrotant, neque recusant Ordinarium Pœnitentiæ Ministrum a Monasterii Prælato pro universa Communitate deputatum; verùm pro majori animi sui quiete, atque ulteriori in via Dei progressu, facultatem petunt confitendi aliquoties Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confessiones jam approbato. Qua de re non semel Nobis in minori statu degentibus accidit, ut cum aliquibus Episcopis, aut Regularibus Monialium Superioribus agere debuerimus. Porrò in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos; qui aspera quadam verborum brevitate respondebant, quod quum Moniali postulanti libera fuisset facultas confitendi extraordinario Sacerdoti, qui universæ Communitati non semel eo anno jam datus fuerat, tunc oportebat eam conscientiæ suæ consuluisse: Quod si oblata commoditate uti noluerat, id sibi imputaret; neque pergeret Superiori molestiam afferre, ut peculiarem Confessarium extra ordinem ipsi concederet. Nobis autem objicientibus, Monialem hujusmodi ad Apostolicæ Pœnitentiariæ Officium facile recursum habituram, ibique haud ægrè impetraturam id, quod ab ipsis Superioribus ei denegatum fuisset; iterum constanter respondebant, extraordinarium hujusmodi Confessarium, post impletam ab ipsis erga universum Monasterium Tridentini Concilii legem, ab alio quidem concedi posse, sed a se nunquam concessum iri.

At verò, neque tunc Nobis arridebat, neque profecto nunc Nobis placet rigida isthæc agendi ratio. Persuasum enim habebamus, adeoque habemus, non solùm integræ Communitati, sed singulis etiam Monialibus indulgendum esse in iis rebus, quæ juste & rationabiliter petuntur, maximè quum illæ ad earum conscientiæ quietem, & securitatem conferre dignoscuntur. Neque sane hujusmodi postulationes aut temere exaudiri, aut sine causa rejici debere censemus; sed inquirendum in primis esse de qualitatibus tum Monialis, quæ Confessarium extra ordinem petit, tum Confessarii, qui ab ea requiritur; ut utrisque diligenter inspectis, deliberari possit, an illius votis annuendum sit, an non. Si enim Monialis ex una parte nullum det adversæ suspicioni locum, ex altera verò Confessarius non modò legitimam Ordinarii approbationem, sed etiam commune probitatis testimonium pro se habeat, nullo modo probare possumus tam frenum hujusmodi Prælatorum in renuendo propositum; nec intelligimus, cur post Confessarium extraordinarium integræ Communitati, juxta legem Concilii Tridentini, oblatum, nulla omninò Monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem Confessarium, cujus consilio, & opera, justis fortasse de causis, indigere se arbitrentur. Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille Animarum Rector S. Franciscus Salesius, cujus doctrinæ summam ex illius Operibus tum editis, tum manuscriptis, collectam, bon. mem. Joannes Petrus le Camus Episcopus Bellecensis justo volumine complexus est, cui Titulum fecit: *Spiritus Sancti Francisci Salesii.* In hujus compendio, quod ex Gallico in Italicum sermonem conversum Venetiis anno MDCCXLV. pro quarta vice Typis editum est, *parte XVII. cap. 6.* aperte legitur, quod, quum Beatus Episcopus non ita intelligeret præmissum Concilii Tridentini Decretum, ut vetitum existimaret, Confessarium extraordinarium, pluribus etiam quàm tribus vicibus in anno, Religiosæ Communitati offerre; quæ quidem sententia plures habet suffragatores, quos refert *Diana in Editione coordinata Tom. 7. Tract. 1. resol.* 348.; non solùm solebat suis Monialibus Visitationis Beatæ Mariæ Virginis quater in anno, videlicet in singulis Hebdomadis Quatuor Temporum, Confessarium extraordinarium deputare; verùm etiam earum respectivis Superioribus commendatum reliquit, ut singulis Monialibus, quæ non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate, Confessarium extraordinarium peculiariter peterent, haud se difficiles in eo concedendo præberent. Nec aliter se gerere consuevit Ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus; Is enim, ut testatur illius quondam Vicarius Generalis Joannes Clericatus in *Tractatu de Pœnitentia, decis. 41. num. 7.*, & Patrum Tridentinorum decretum quoad omnia Monialium Monasteria in sua Civitate & Diœcesi existentia quotannis reipsa exequebatur, & nihilominùs exorari se patiebatur a Monialibus, quæ aliquando rationabilibus de causis peculiarem pro se Confessarium expeterent. Hujusmodi regulis, & exemplis nostram quoque agendi rationem in spirituali Monialium regimine conformare curavimus; maximumque utilitatis, & quietis fructum Nos inde percepisse cognovimus. Quapropter Venerabiles Fratres Ecclesiarum Antistites, atque Dilectos Filios quarumcumque Religiosarum Mulierum Rectores hortamur in Domino, & enixè monemus, ut eandem viam, quoad fieri potest, insistere non recusent, & non adeo difficiles se præbeant peculiaribus

Monialibus extraordinarium Confessarium aliquando expetentibus; quin potiùs, nisi aut Monialis postulantis, aut Confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeant, earum justis precibus obsecundare studeant: illud cogitantes, quod etsi liberum sit cuilibet Moniali Cardinalem Majorem Pœnitentiarium adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a Romano Pontifice tribuitur; nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempestivè adveniat: Et quamvis etiam quorumlibet negociorum expeditiones, quæ in Officio Pœnitentiariæ Apostolicæ fiunt, ab omni vel minima pecuniæ solutione inviolabiliter sint immunes: non omnibus tamen Monialibus facile est invenire, qui earum negocia in Urbe procurare velit, & possit.

III. De qualitatibus Confessarii extraordinarii.

Jam verò postrema supereſt quæstio, nimirum de qualitatibus Confessarii extraordinarii, qui vel pro universa Monialium Communitate, vel pro aliqua Moniali peculiariter deputari debeat. Porro nullo unquam tempore dubitatum fuit, an in hujusmodi Sacerdote ætatis maturitas, morum integritas, prudentiæ lumen requiratur; quas quidem dotes in eo, qui ad hujusmodi munus adhibetur, necessarias esse, omnes fatentur. Sicut etiam minimè dubitatur, quin idem ab Ordinario Loci specialiter pro Monialibus approbatus esse debeat, quum hujusmodi approbatio, ex Apostolicarum Constitutionum lege, omnino requiratur non solum in omnibus tam ordinariis, quàm extraordinariis Confessariis, qui Monialibus, etiam Regularibus subjectis, ab earum respectivè Superioribus deputantur; sed etiam in iis, qui a Cardinali Majori Pœnitentiario conceduntur, etiam Apostolica Sede vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus; ut videre est in Nostra Constitutione super illius facultatibus edita, quæ est XCV. in Tomo I. Bullarii Nostri, ubi paragrapho 54. eidem conceditur, ut vacante Sede, *Monialibus Confessarios extra ordinem valeat deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones eligendos.* Quamobrem ad id dumtaxat redacta est controversia, an scilicet è Clero Sæculari, an verò è Regulari eligendus sit hujusmodi Confessarius; tum inter Regulares, an assumi possit ex quolibet Ordine alias permisso, an verò semper deputari debeat ex ipso Ordine Prælati Regularis, ad quem Monasterii regimen spectat.

An semper deputari debeat ex eo Ordine, cujus est Monasterii Prælatus.

Quid de consuetudine.

Sanè pro Monialibus Episcopo immediatè subjectis regula est, ut Ordinarius earum Confessor sit Sacerdos Sæcularis. Extraordinarium verò ex Ordinibus Regularibus sæpissimè assumi, apud plerosque Episcopos usu receptum esse constat; deficiente forsan per singulas Diœceses Sæcularium Presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. Regulares autem Prælati Monialibus sibi subjectis Confessarium Ordinarium designant è suo ipsorum Ordine; extraordinarium autem etiam ex alio Ordine Regulari deputare possunt, juxta Decretum a sæpedicta Congregatione Concilii editum *die XXVJ. Septembris anni MDXCV.*, ac relatum in *Libro iij. Decretorum pag. 149. a tergo*, ubi sic legitur: *Sacra &c. respondit, Superiores Regulares teneri offerre Confessarium extraordinarium ejusdem Ordinis, alterius verò Ordinis posse quidem, sed non teneri.* Nunquam tamen, quod meminerimus, ullum Sacerdotem Sæcularem, aut diversi Ordinis Regularem, vidimus a Regulari Prælato Monialibus sibi subjectis extraordinarium Confessorem deputari. Denique quum aliquando evenire possit, ut in casu negligentiæ Superioris Regularis, ad Episcopum, ut supra dictum est, pertineat deputatio Confessarii extraordinarii etiam pro Monialibus Regularium regimini subjectis, nulla ipse lege tenetur ad hujusmodi Confessarium eligendum ex eo Ordine, cujus est Monasterii Prælatus; sed tali casu liberum est illi quemlibet idoneum Presbyterum Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem, ad audiendas earum Monialium Confessiones deputare.

Regulares deputare possunt Confessarios extraordinarios, etiam ex alio Ordine, vel Sæcularem.

Controversia sub Innocentio XIII. examinata in Congregatione particulari.

At quum Superioribus annis Apostolicæ Sedi expositum fuisset, pluribus de causis, iisque gravissimis, quas hic referre opus non est, non tam opportunum, quàm plane necessarium videri, ut Monialium Monasteria Regularium regimini subjecta, semel saltem in anno Confessarium extraordinarium diversi Ordinis Regularem, aut è Sæculari Clero Presbyterum haberent, hujus rei examen, jubente fel. record. Prædecessore Nostro Innocentio Papa XIII., assumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus compositâ, cui Nos tunc in Minoribus constituti in Secretarii munere operam præstabamus; quæque, per annum & ultra, singulis Hebdomadis cogebatur, ad discutienda, & definienda complura Ecclesiasticarum quæstionum capita, quæ deinde inserta sunt in Apostolicis Literis ab eodem Innocentio Prædecessore editis die XIII. Maii anni MDCCXXIII., quarum initium est: *Apostolici Ministerii*, quæ etiam a san. mem. Prædecessore quoque Nostro Benedicto Papa XIII. in forma specifica confirmatæ fuerunt, per alias similes Literas datas die XXIII. Septembris anni MDCCXXIV.

Ejus Congregationis scopus, Tridentini Concilii observantiam instaurare.

Cum autem negocia, quæ in ea Congregatione tractabantur, nullius privatas rationes attingerent, sed de restituenda potissimum Tridentini Concilii observantia in quibusdam Catholici Orbis Regionibus, ut ferebatur, non parum labefactatâ, unicè ageretur; necessarium minimè judicatum fuit, aliquem velut in judicium vocare, ad deducenda jura, siquæ sibi adversus illa, quæ decernenda viderentur, competere forsan putaret. Sed Nostra peculiaris cura erat, ad singula proposita capita totidem Dissertationes, unicuique ex præfatis Cardinalibus exhibendas, elucubrare; ad demonstranda videlicet fundamenta illius disciplinæ, quæ in usum revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, quum in eadem Congregatione, ut præfertur, in deliberationem venit, an decernendum foret, ut Regulares Monasteriorum Prælati, unâ saltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium Confessarium Monialibus sibi subjectis in annos singulos exhibere debent, aliquem Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem Presbyterum ad id deputare tenerentur, utque ipsis hac in re deficientibus, liberum esset Episcopis Locorum Ordinariis eorum defectum supplere, & emendare.

Nihilominus in hoc casu admissi sunt Regulares ad contradicendum.

Verùm quum Regularibus innotuisset, a prædicta Congregatione conditum esse Decretum eorum intentioni contrarium; utpotè qui minimè adstringi volebant ad hujusmodi annuam deputationem Confessorum extraordinariorum è Clero Sæculari, vel ex aliis Ordinibus; nonnullarum Religionum Procuratores Generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas hujusmodi Decreto obstare putabant; Cumque id facile impetrassent, ac suam, totiusque Cœtus Regularium causam per eximios illius temporis in Romana Curia Advocatos defendi curassent; sed nihilominùs prædicta Cardinalium Congregatio in priori sententia permansisset; placuit præfato Prædecessori Innocentio, antequam Decretum hujusmodi approbatione sua confirmaret, aliorum Cardinalium sententias audire. Itaque, exclusis illis omnibus, qui ex ipsius Pontificis deputatione, in præce-

Novæ cautelæ a Pontif. adhibitæ.

dentibus Sessionibus per annum integrum negocia discusserant; aliisque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi secretò fecerat conscriptarum allegationum exempla; Nobis etiam adesse jussis, qui rationum momenta a priori Congregatione præ oculis habita, si opus esset, exponere possemus; novam Cardinalium Congregationem ex improviso coram se convocavit, in quâ iterum proposita quæstio diligenter ac maturè discussa fuit; ac demum ipse Pontifex, de ipsius Congregationis consilio, & assensu, super hac re decrevit, ut sequitur: *Cumque ex eodem Concilio Tridentino Confessor extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confessiones audiat; si in posterum Superiores Regulares, quoad Monasteria ipsis subjecta, toties prædictum extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id minus elegerint Sacerdotem aut Sæcularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis professorem, in his casibus Episcopi, pro sui arbitrio & conscientia, deputationem hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo, aut prætexu, a Superioribus Regularibus valeat impediri.*

Tenor resolutionis a Pontifice tunc editæ.

Perscriptum sanè fuit hujusmodi Decretum ea occasione, qua agebatur de restituenda in certis quibusdam Regionibus Ecclesiastica disciplina ad formam Concilii Tridentini: Verùm ipsius Decreti vigor ad eas duntaxat Regiones minimè restrictus fuit; quum & animarum pericula, quæ ex perpetua Confessorum ejusdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus Monasteriis Regularium regimini subjectis locum habere possint; & quæcumque adversus Decretum ipsum adducta fuerunt, ex generalibus Ordinum Statutis, & ex Constitutionibus Monialium Regularibus subjectarum, fuerint desumpta. Cumque judicatum fuerit, ea omnia nequaquam obstare, quo minùs ita decerneretur; sequitur, ut, quamvis eidem Decreto causam dederint peculiarium quarundam Regionum necessitates Apostolicæ Sedi eo tempore expositæ, illud tamen generale sit, & universos per Orbem Regulares Monasteriorum Monialium Prælatos afficere debeat. Cum verò deinde alter laudatus Prædecessor Benedictus XIII. Innocentii Literas in forma specifica confirmaret, Nobis constat, illius mentem fuisse, ut hujusmodi Decretum universalis & inviolabilis legis vim obtineret. Super quo nihilominùs ne ulla apud aliquos supersit dubitatio; Nos ipsi, præsentium Literarum vigore, ac Motu proprio, & certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ipsum relatum Innocentii Prædecessoris Decretum, statutum, mandatum, atque præceptum, ad omnia per Orbem ubique existentia, & Regularium regimini subjecta Monialium Monasteria, quatenus opus sit, expresse extendentes, & ampliantes; decernimus, atque statuimus, ut singulis annis, incipiendo a proximo millesimo septingentesimo quadragesimo nono a Nativitate Domini decurrendo, Regulares Monasteriorum Prælati teneantur bis, aut ter in anno Confessarium extraordinarium universis Monialibus in iis degentibus offerre; si verò ipsi forsan hujusmodi Confessarii extraordinarii deputationes intra præscripta tempora omiserint, vel semper proprii Ordinis Regularem Sacerdotem ad hunc effectum deputaverint; itaut præfatæ Moniales semel saltem in anno Confessarium extraordinarium è Clero Sæculari, aut ex alio Ordine Regulari non habeant; ad Episcopos Diœcesanos, omni appellatione remota, devolvatur jus supplendi eorundem Prælatorum defectum (si nempe pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse judicaverint) per deputationem Confessarii extraordinarii, quem tam in uno, quam in altero casu, aut è Clero Sæculari, aut ex alio Regulari Ordine, pro ipsorum arbitrio, deligere possint, & valeant.

Ea generalis est, & ubique observanda.

Pontifex eam expresse extendit ad omnia Monasteria Regularibus subjecta, cum præcepto &c.

Quocirca dilecto Filio Nostro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, moderno Nostro, & pro tempore existenti Romani Pontificis in Urbe, ejusque Districtu Vicario in Spiritualibus Generali, earundem præsentium tenore committimus, & mandamus, ut hæc nostra Decreta, atque Statuta, tam in omnibus ejusdem Almæ Urbis Monasteriis, quæ Regularium regimini subsunt, quàm in aliis quibuscumque Regularium, aut Sæcularium Mulierum, aut Puellarum Domibus, seu Collegiis, atque Conservatoriis, quibus unicus ordinarius Confessor a Superioribus deputari solet, in omnibus & per omnia, juxta earundem Literarum præscriptum, exactissimè observari, & adimpleri faciat; ne fortè audiri contingat, quod cum magna animi nostri molestia dictum aliquando esse cognovimus, Apostolicas Constitutiones Romæ quidem ferri, & publicari, sed eas minime in ipsa Urbe ad effectum perduci.

Eandem porrò curam, & sollicitudinem injungimus, & demandamus Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis per omnes universi Orbis Ecclesias constitutis; quibus, ut satis perspectum putamus voluntatis nostræ studium, tam in eorum rationabilibus querelis, justisque petitionibus suscipiendis, quam in corrupteliis quas irrepsisse indicaverint, eliminandis; idque non ex ingenio nostro quidquam statuendo, nec peregrinas novitates inducendo; sed veteres ut plurimum leges & regulas, vigili Prædecessorum nostrorum providentia jampridem constitutas, in pristinum debitumque vigorem, & usum revocando: Ita eosdem meminisse volumus, proprium zeli Pastoralis officium non in eo situm esse, ut adversus ea, quæ contra leges fiunt, inutiliter deplorando declament; sed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem jam præstitutis, implorato etiam Apostolicæ Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati, & legum executioni, afferri contingat, omnesque diligentias & curas, quas corrigendis abusibus ipsi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

Quoniam verò tam in superiùs allegato Clementis XI. Edicto, quàm in Synodalibus plurium Episcoporum Constitutionibus statutum esse conspicimus, ut quo tempore extraordinarius Confessor alicui Communitati deputatus ministerio suo fungitur, ordinarius Confessor nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multòque minùs præsumat per id temporis alicujus Monialis, sive Superiorissæ, sive Novitiæ, sive Conversæ, neque demum alterius cujuscumque Personæ intra sepia Monasterii, aut piæ Domûs commorantis, Sacramentalem Confessionem audire; Nos id quoque approbatione nostra roborantes & confirmantes, statuimus & mandamus, ut Episcopi quidem, si de Monasteriis, aut Domibus eorum regimini subjectis agatur. Regulares autem Superiores quod ad illas Communitates attinet, quibus ipsi præsunt, pro hujusmodi Legis implemento advigilent, & contraveni ntes meritis pœnis coerceant, & afficiant.

Ac demùm quibuscumque Confessariis extraordinariis, qui vel alicui Communitati generaliter, vel peculiariter alicui personæ in Monasterio degenti concessi, ac deputati fuerint, districtè inhibemus, sub pœnis adversus accedentes ad Monasteria Monialium, & cum ipsis conversantes, præsertim Regulares, a Prædecessoribus Nostris quandocumque statutis (quas etiam præsentium vigore confirmamus, & innovamus) ne, postquam suum officium impleverint, ad idem Monasterium ulteriùs accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare & fovere,

etiam sub spiritualis causæ, aut necessitatis obtentu & colore, audeant, aut præsumant.

Clausulæ pro præmissorum firmitate.

Decernentes, ipsas præsentes Litteras, atque omnia & singula in eis statuta atque præscripta, etiamsi quicumque in iisdem interesse habentes, seu habere prætendentes, ad id vocati, & auditi non fuerint, nec præmissis consenserint, aut alterius cujuscumque generis defectus forsan adversus eas objiciatur, semper & perpetuò valida, & efficacia esse & fore, & ab omnibus, ad quos spectat, atque in futurum spectabit, inviolabiliter etiam perpetuò observari.. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationes ordinarias, aut peculiariter deputatas, aliosque Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Vice-Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, judicari, & definiri debere; sublata eis, & eorum cuilibet, aliter judicandi, definiendi, ac interpretandi facultate, & auctoritate; atque irritum, & inane decernentes, quidquid secùs a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus quibuscumque etiam Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quarumcumque Ecclesiarum, & Ordinum Regularium, seu Congregationum, aut Societatum, & Institutorum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aliorumque Militarium Ordinum, seu Monasteriorum Virorum, aut Monialium, aliarumque piarum Domuum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis, etam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolis, cuilibet præmissorum, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, etiam hic de necessitate exprimendis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, & derogatoriarum derogatoriis, quomodolibet in contrarium concessis, ac pluriès confirmatis, approbatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, hac vice dumtaxat, & ad præmissorum effectum, illis aliàs in suo robore permansuris, de Apostolicæ potestatis plenitudine derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides præstanda transumptis.

Volumus demùm, ut earundem præsentium Transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides, tam in judicio, quàm extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergò omninò Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontif. Anno VIII. die 5. Augusti 1748.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVIII. Nonis Augusti, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 26. Augusti* 1748.

---

Erectio Seminarii Missionum in Conventu Sanctæ Mariæ de Rosario, & Febri, in Monte Mario, Fratrum Ordinis Prædicatorum Congregationis Sancti Marci. LVII.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

Proœmium.

Ecclesiæ Catholicæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris ad majorem Dei gloriam, ac Religionis, piorumque operum incrementum & propagationem, providè emanasse noscuntur, ut firma semper, ac stabilia persistant, Apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur, patrocinio libenter constabilimus.

Testamentum Jo. Victorii de Rubeis favore Fratrum S. Petri de Pisis.

Alias siquidem pro parte tunc existentium Vicarii Generalis, & Fratrum Congregationis Sancti Marci Florentin. Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum, felicis recordat. Clementi Papæ XI. Prædecessori Nostro exposito, quòd dudum tunc in humanis agens Joannes Victorius de Rubeis in suo, sub quo ab humanis decessit, die XXI. Decembris Ann. MDCXLVI. condito testamento, Ordinem Fratrum Sancti Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis hæredem instituerat, ac voluerat, ut extrà Portam Angelicam Almæ Urbis Nostræ, in loco, qui ad Crucem Montis Marii vocatur, in quo quædam Ecclesia sub invocatione Beatæ Mariæ Viriginis de Rosario, & Febri nuncupata, constructa reperiebatur, novus Conventus secundo dicti Ordinis & Congregationis, ac mansiones ad usum illius Fratrum, qui perfectioris vitæ studio ducti sese illuc recipere voluissent, ædificarentur, dictique Fratres in Ecclesia hujusmodi divina Officia celebrare deberent; ac declaraverat, tot ex dictis Fratribus ibidem permanere debere, quot ex fructibus suæ hæreditatis, assignatis eorum cuilibet quotannis quinquaginta scutis monetæ ab omni expensa in Ecclesia præfata facienda liberis, ali potuissent; adjecta inter alias conditione, quia prævidebat, nonnisi sex Fratres ex fructibus hæreditatis hujusmodi in hoc novo Conventu ali potuisse, quod prædicti Fratres ea super re necessarias Literas Apostolicas derogatorias infra sex menses tunc decurrendos obtinere curarent: & in eventum, quo illas minime obtinuissent, sex Presbyteros sæculares a se nominatos dicto Ordini substituerat cum eodem onere celebrationis Divinorum Officiorum, ac pari assignatione quinquaginta scutorum similium cuilibet ex dictis sex Presbyteris sæcularibus, quot ex hujusmodi fructibus ali potuissent, annuatim persolvendorum, & cum libera facultate, ut quilibet ex Presbyteris præfatis Successorem sibi in perpetuum eligere valeret: Ac demum tam dictis Fratribus, quàm Presbyteris sæcularibus, in adimplemento alicujus conditionis, seu rerum ab ipso Joanne Victorio Testatore injunctarum deficientibus, Confratres pro tempore existentes Congregationis sub titulo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ in Domo Professa de eadem Urbe Clericorum Sæcularium Societatis Jesu canonicè erectæ ad dictam suam hæreditatem vocaverat, & aliàs, prout in dicto Testamento uberiùs asserebatur contineri.

Conditiones ipsis injunctæ.

Substitutio favore Presbyterorum sæcularium.

Alia substitutio, favore Congregationis Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in Domo Professa Soc. Jesu.

Ipsi verò Fratres cum intra præfixum sibi tempus memoratas Literas Apostolicas non obtinuissent, dictique Presbyteri sæculares se ad hæreditatem, & Ecclesiam hujusmodi admitti contenderent, post dispendiosam duodecim

annorum litem, eosdem Presbyteros ad illam per concordiam admiserunt, facta anno MDCLVI. cuicumque suo prætenso juri ad favorem eorumdem Presbyterorum, illorumque successorum, plena renunciatione.

Lites exortæ.

Porrò subinde, nempè anno MDCLXXXVII. tres tunc existentes Ecclesiæ supradictæ Presbyteri cæteros suos Collegas, uno dumtaxat dissentiente excepto, induxerant ad similem renunciationem faciendam in favorem Congregationis Piorum Operariorum nuncupatorum Civitatis Neapolitanæ, qui, cum usque ad annum MDCXCIII. Ecclesiam, hæreditatemque possedissent, agnoscentes deinde se eas minimè legitimè possidere, post diuturnam litem cum tunc existentibus Confratribus præfatis agitatam, similiter per concordiam, Ecclesiam, & hæreditatem hujusmodi dimittere coacti fuerunt; ideòque dicti Confratres locum tandem successioni in dicta hæreditate ad eorum favorem factum esse existimantes, litem etiam contra memoratos Presbyteros seculares, qui dicto anno MDCLXXXVII. Ecclesiæ, & hæreditatis præfatarum possessores fuerant, coram tunc existentibus Cappellanis Causarum Palatii Apostolici Auditoribus moverunt: Verùm per primam decisionem anno MDCXCVI. ab eisdem Cappellanis excluſi, motæ liti hujusmodi ad favorem Presbyterorum præfatorum, quorum plerique adhuc superstites existebant, pariter per concordiam renunciaverunt.

Demum etiam alia tunc existens Congregatio sub invocatione Sancti Josephi in Ecclesia Sancti Pantaleonis ad Montes nuncupata de eadem Urbe instituta, cum anno MDCCIV. super tribus dubiis litem prætensi juris ad ejusmodi Ecclesiam, & hæreditatem contra tunc in humanis agentes Hieronymum Berti, & Joannem Masserotti Presbyteros seculares illarum possessores, in Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum, super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & Locorum piorum de Urbe, præfata auctoritate Apostolica instituta, similiter movisset, die VIII. Maii ejusdem anni omnium votis super singulis dictorum dubiorum penitus excluſa remansit, nec unquam novam audientiam, pluries licet petitam, obtinuit; quinimo sententia tunc existentis Generalis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditoris super executione Decretorum dictæ Congregationis Cardinalium & Prælatorum ad favorem memoratorum Hieronymi & Joannis Presbyterorum possessorum emanavit.

Cessio Presbyterorum sæcularium favore PP. Prædicatorum Congregationis S. Marci.

Et in eadem expositione subjuncto, quod propter prædictas, aliasque dispendiosas lites, ac temporum calamitates, malamque dictæ hæreditatis administrationem, tempore præsertim defunctorum illius possessorum Presbyterorum sæcularium, Ecclesia præfata, ejusque facies, & quatuor Cappellæ operis omnino rustici reperiebantur, illiusque Tholus, & Hypetrum imbribus pervia celeri reparatione indigebant, nec non murus corruerat, aliusque similis, & quidem scaphus grandior, & alia ædificia ruinæ proxima erant, quodque magis dolendum erat, annui dictæ hæreditatis redditus eatenus ad medietatem diminuti existebant, itaut, cum antea sex Presbyteri ex dictis redditibus alerentur, tunc tres tantum de hac reliqua illorum medietate, licèt alius Presbyter partem etiam in ea prætenderet, participarent, adeòque ibi cultus divinus juxta piam dicti Joannis Victorii Testatoris mentem adimpletus minimè fuisset, nec, attento præsertim, quod tunc unus tantum Presbyter ibidem resideret, adimpleri posse videretur; ac propterea dicti Hieronymus, & Joannes, duo tunc ex dictis tribus ejusmodi Ecclesiæ, & hæreditatis possessoribus Presbyteris, habito aliàs, de ipsius Clementis Prædecessoris licentia, super hoc cum Vicario Generali, & Fratribus primodictæ Congregationis tractatu, die XXII. Augusti MDCCIX. dictam hæreditatem cum omnibus illius redditibus, & pertinentiis, reservato tamen sibi, quoad vixissent, usu cellarum, seu mansionum dictæ Ecclesiæ annexarum, quibus tunc gaudebant, & dummodo ad id ejusdem Clementis Prædecessoris, & Sedis Apostolicæ beneplacitum accessisset, ad favorem Fratrum primodictæ Congregationis Sancti Marci, quantùm ad eos spectabat, cesserunt, & renuntiaverunt; ipsi verò exponentes, qui, ut asserebant, nullum in dicta Urbe, seu prope illam, pro negotiis suis agendis Hospitium, & Diversorium habebant, si dicta Ecclesia cum illius redditibus, & mansionibus sibi, ac dictæ eorum Congregationi ab eodem Clemente Prædecessore concederetur, præfato usu mansionum dictis Hieronymo, & Joanni, titulo hospitii, quoad vixissent, relicto, a die habitæ possessionis loci, seu Ecclesiæ hujusmodi, omniumque illius pertinentiarum, tunc pariter in humanis agenti Francisco de Sanctis, qui unà cum dictis Hieronymo, & Joanne, tertius Ecclesiæ & hæreditatis præfatæ possessor Presbyter existebat, & eatenus cessioni hujusmodi minimè consenserat, quinquaginta scuta paria, quot scilicet dictus Joannes Victorius Testator singulis Presbyteris, sicut præmittitur, assignaverat, illius vita naturali durante, ex prædictis redditibus annuatim solvere; ac etiam tunc in humanis itidem agenti Joanni Baptistæ Perotti, qui uti quartus Presbyter, jus etiam ad illos prætendebat (id, quod ipsi Clementi Prædecessori, considerata præfata Joannis Victorii Testatoris prædicti dispositione, justum visum fuisset) ex eisdem redditibus quotannis ad ejus pariter vitam præstare; rebusque ita compositis, duos in sacro Presbyteratus ordine constitutos, & duos laicos Fratres expresè professos primodicti Ordinis ad dictam Ecclesiam mittere, ibique collocare; ac deinde Conventum formalem, & Seminarium Religiosorum Missionariorum usque ad numerum sex Religiosorum hujusmodi, ad majorem Dei gloriam, divinique cultus incrementum, & Catholicæ Fidei propagationem, modo, & tempore ipsis præscribendo, quantum in ipsis esset, adjuvante Domino, instituere paratos esse offerebant; sibique propterea in præmissis opportunè ab eodem Clemente Prædecessore provideri, & ut infra indulgeri summopere desiderabant.

Approbatio Clementis Papæ XI. sub nonnullis conditionibus.

Idem Clemens Prædecessor sacrarum Missionum incrementum promovere volens, hujusmodi supplicationibus inclinatus, per quasdam suas in simili forma Brevis die III. Februarii anni MDCCX. expeditas literas, tunc existenti suo in eadem Urbe Vicario in spiritualibus Generali, seu illius Vicesgerenti commisit, & mandavit, ut veris existentibus narratis, & accedente consensu dictorum Hieronymi, & Joannis, nec non exhibita sibi valida, & authentica illorum renuntiatione cuicumque juri, quod in dicta Ecclesia, illiusque ædificiis, & redditibus, ac perceptione emolumentorum habere poterant; facultate illis dumtaxat habitandi in Cellis præfatis (quatenus tamen tot aliæ Cellæ superessent, in quibus infrascripti Religiosi habitare possent) reservata, ut præfertur; non obstante præfatorum Francisci, & Joannis Baptistæ, quibus ut infra provisum fuerat, dissensu, & quatenus ipsi ad præstandum consensum a se requisitum cum assignatione termini competentis, dissentirent, vel non consentirent; eamdem Ecclesiam cum omnibus illius ædificiis, juribus, pertinentiis, & introitibus universis, præfatæ Congregationi Sancti Marci, quatenus tamen prius ad sex Professores ipsius Congregationis in

Sacro

Sacro Presbyteratus ordine constitutos, qui intra sepia dictæ Ecclesiæ degerent, & Ecclesiasticis functionibus ibi exercendis juxta proprium institutum addicti essent, simulque dicti Joannis Victorii Testatoris voluntatem in ea parte, quæ cultum Ecclesiæ, & bonum spirituale Christifidelium respiciebat, adimplerent, nec non ad munus Missionariorum explendum, & Catholicam Fidem propagandam idonei existerent, intra sexennium a die executionis gratiæ computandum, ex dictæ Ecclesiæ, & propriis ipsius Congregationis redditibus perpetuò sustentandos, in forma valida se obligaret; ita ut Conventus inibi ante dicti sexennii lapsum erigendus, esset Seminarium Missionariorum, qui mandatis Congregationis tunc, & pro tempore existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum semper obtemperare deberent.

Idem Pontifex Seminarium Missionariorum erigi mandat intra sexennium sub dependentia a Sacra Congreg. Propagandæ Fidei.

Interim verò, & statim ac Literæ præfatæ executioni demandatæ fuissent, unum Laicum, & tres Fratres expresse professos in sacro Presbyteratus ordine constitutos Congregationis, & Ordinis præfati, qui memorati Joannis Victorii Testatoris voluntati cultum Ecclesiæ, & bonum spirituale Christifidelium concernenti obsequi deberent, intra septa Ecclesiæ hujusmodi dicto sexennio durante ex eisdem redditibus etiam sustentare promitteret, auctoritate Apostolica concederet, & assignaret; Quatenus verò primodicta Fratrum præfatorum Congregatio conditionibus prædictis intra tempus sibi, sicut præmittitur, a se præfigendum non pareret, eam quocumque jure, quod ex hujusmodi gratia sibi acquisitum fuisse prætendere potuisset, perinde ac si illa concessa non fuisset, omnino carere dicta auctoritate declararet.

Pœna caducitatis inflicta.

Porrò Congregationem Fratrum hujusmodi ad quinquaginta scuta monetæ dicto Francisco, quoad vixisset, vel aliter de æquivalenti rata ei ab eodem Clemente Prædecessore provisum fuisset, quotannis ex redditibus dictæ Ecclesiæ, a die, quo possessionem bonorum ejusdem Ecclesiæ acquisivisset, & non antea, subministranda teneri, ac pro subministratione præfata, bona ipsius Ecclesiæ ad illorum favorem obligata, atque hypotecata remanere, eadem auctoritate decerneret.

Prorogationes dicti sexennii a Clemente XI. concessæ.

Et subinde pro parte tunc pariter existentium Fratrum primodictæ Congregationis denuo eidem Clementi Prædecessori exposito, quod Literæ præfatæ juxta earum seriem, & tenorem executioni demandatæ fuerant: Inter verò conditiones, seu leges in ipsis Literis præscriptas eidem Congregationi S. Marci, post absolutum sex annorum cursum, onus sustentandi sex Fratres Presbyteros ad munus Missionariorum explendum idoneos cum esset injunctum, & ipsi exponentes a die, quo Ecclesiæ præfatæ, illiusque bonorum possessionem apprehenderant, ea, qua par fuisset, diligentia, & studio, illa, quæ multorum annorum spatio neglecta fuerant, nonnullas fabricæ partes ruinam minantes nedum reparando, sed etiam alias habitationes pro necessaria ejusdem Conventus commoditate augendo, & in bonum statum redigendo, ac insuper cùm fabrica præfata ob terreni deficientiam, & muri fracturam in totum collaberetur, quamdam Ecclesiam exteriorem cum muris primariis nondum absolutam quæ commoditati, amploque ingressui non solùm in Ecclesiam, & Conventum præfatos, sed etiam fulcimento totius fabricæ superioris, quibus illi innitebantur, inservire valeret, consoli; & interea, ne sustentatio pro dictis sex Religiosis deficeret, terrenis culturam adhiberi eaque meliorari, nec non alia denuo acquiri curassent; nec id pro sustentandis sex Religiosis præfatis eatenus sufficiens esset; Propterea terminum sex annorum hujusmodi sibi, sicut præmittitur, præfixum, qui brevi expiraturus erat, ad aliud sibi benevisum tempus prorogari plurimùm desiderabant.

Idem Clemens Prædecessor tunc etiam existenti in dicta Urbe Vicesgerenti mandavit, ut Exponentibus præfatis terminum sex annorum hujusmodi eis ad sustentandos sex Religiosos ad hujusmodi munus Missionariorum explendum, & Catholicam Fidem propagandam idoneos præfixum, ut præfertur, ad alios quatuor annos a fine dictorum sex annorum computandos prorogaret.

Et successivè pro parte Fratrum memoratæ Congregationis Sancti Marci eidem Clementi Prædecessori itidem exposito, quod quadriennii hujusmodi finis imminebat, ipsi verò Cellas, & Officinas pro Magistrorum, ac Superiorum eorumdem Missionariorum, & Laicorum, seu Conversorum commoditate necessarias in dicto Conventu ædificare eatenus nequiverant, tametsi in id omne studium adhibuissent; præfatus Clemens Prædecessor sex annos hujusmodi primum concessos, & deinde ad alios quatuor annos prorogatos, ut præfertur, ad aliud quadriennium a fine quatuor annorum prorogatorum numerandum prorogari iterum mandavit.

Aliæ Prorogationes concessæ a Benedicto Papa XIII.

Ac postmodum pro parte eorumdem Fratrum fel. record. Benedicto Papæ XIII. Prædecessori Nostro exposito, quod, cum terminus quatuor annorum ultimo loco ab eodem Clemente Prædecessore prorogatus jam expirasset, eædem verò causæ etiam tunc durarent, dictus Benedictus Prædecessor tunc etiam in eadem Urbe Vicesgerenti, ut eisdem Exponentibus sex annos præfatos ad sustentandos, & retinendos sex Religiosos ad munus Missionariorum hujusmodi explendum, Catholicamque Fidem propagandam idoneos, a supradicto Clemente Prædecessore concessos, & successivè bis ad quatuor annos pro qualibet vice prorogatos, ut præfertur, donec acquisivissent bona, quorum annui reddituus sufficerent pro omnibus supradictis adimplendis, servata cæteroquin supradictarum Clementis Prædecessoris Literarum forma, & dispositione prorogaret pariter, ac extenderet, & ampliaret, & alias prout in memoratis in Clementis, & Benedicti Prædecessorum Literis, quarum omnium tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberiùs continetur.

Fratres Congregationis S. Marci paratos se exhibent Literas Clementis Papæ XI. exequi.

Cum autem, sicut pro parte Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum Nobis nuper expositum fuit, quòd propter supra expressas rationes, aliasque difficultates, quæ interea temporis intervenerunt, dispositio in primodictis ejusdem Clementis Prædecessoris Literis contenta adhuc executioni demandata minimè fuerit; Dilecti verò Filii moderni Vicarius Generalis, ac Fratres primodictæ Congregationis, accedente etiam consensu Magistri Generalis Ordinis præfati, memoratas primo loco expeditas Clementis Prædecessoris præfati Literas in omnibus suis numeris, juxta modum pro majori Litterarum præfatarum faciliori executione a memorata Cardinalium Congregatione præscriptum, infra terminum præfinitum juxta ejusdem Cardinalium Congregationis Decretum die VII. Augusti anni proximè præteriti, referente Dilecto Filio Nostro Prospero ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali Columna nuncupato edituum, cujus tenorem etiam præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur, Literas præfatas debitæ executioni demandari intendant, ac ad id paratos sese obtulerint; ac proinde Cardinales

Sac. Congregatio propag. Fidei modum, & terminum præfinit.

Congregationis hujuſmodi Nobis ſupplicaverint, ut Vicario Generali, & Fratribus præfatis in præmiſſis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Vicarium Generalem, & Fratres præfatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, primodictas Clementis Prædeceſſoris Literas, nec non memoratæ Congregationis Cardinalium Decretum, cum omnibus & ſingulis in illis, & illo contentis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper in præmiſſis quomodolibet intervenerint, ſupplemus, & ſanamus.

Pontif. Clementis XI. Literas, & dictæ Congreg. Decretum confirmat.

Præterea, ut Miſſionariorum munus, quod verè Apoſtolicum eſt, per viros undequaque idoneos omni cura & fervore, & cum animarum Chriſti Sanguine redemptarum fructu exerceatur, dicta auctoritate volumus, præcipimus, & mandamus, ut Vicarius Generalis pro tempore exiſtens primodictæ Congregationis Sancti Marci, ſive illo abſente, is, qui ejus vices pro tempore gerit, nonniſi Alumnos, Profeſſoreſque dictæ ſuæ Congregationis regulari diſciplina, probitate morum, & Religionis, ac Dei gloriæ zelo præditos, & ad animarum ſalutem eximia charitate accenſos eligat, quique Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudia laudabiliter expleverint, aut ſaltem in morali Theologia ſint benè verſati: utque validiùs labores Miſſionum ſuſtinere poſſint, non minores ſint vigintiquinque annis, nec majores trigintaquinque, ac robuſta corporis valetudine gaudeant: illoſque ex tota ſua Congregatione accerſere curet: Moneatque inſuper locales Conventuum Congregationis hujuſmodi Superiores, alioſque, ſi opus fuerit, illius Fratres, ne accedere volentes ullo modo retrahant, ac contra tales diſſuadentes, malèque conſulentes, comminetur pœnas privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliaſque arbitrio memoratæ Cardinalium Congregationis imponendas.

Qualitates Alumnorum eligendorum.

Alumnorum qualis eſſe debeat ætas.

Pœna contra diſſuadentes accedere ad Seminarium.

Quòd ſi verò non ſemper haberi poſſint ex dicta Sancti Marci Congregatione ſex Profeſſores ad munus hujuſmodi explendum idonei, & præſcriptis volitiſque qualitatibus præditi; volumus itidem, ut, quoties id acciderit, aſſumantur ex alia dicti Ordinis Congregatione Sanctæ Sabinæ, iiſque ſimiliter deficientibus, vocentur ex alia Beati Jacobi Salomonii Venetiarum Congregatione, ac denique ex univerſo Fratrum Prædicatorum Ordine; ita tamen, ut quicumque Profeſſores cujuſcumque ex memoratis Congregationibus, & Ordine, dum in Seminario præfato permanſerint, ſeſe conformare debeant, quoad victum, & habitum, & quoad reliqua regularem diſciplinam concernentia, uſibus, & obſervantiis præfatæ Congregationis Sancti Marci.

Unde aſſumendi ſint Alumni.

In ipſo ingreſſu in Seminarium hujuſmodi faciendo, ſinguli Exercitia Spiritualia peragant per decem, aut octo dies, cum omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum ſit deſcendens a Patre luminum: illiſque abſolutis, in manibus præfati Vicarii Generalis, aut, eo abſente, alterius ab eo deputati, & deputandi, juramentum juxta infraſcriptam formulam præſtent, illudque, poſtquam ſic præſtitum fuerit, ad eamdem Cardinalium Congregationem tranſmittatur. Formula autem juramenti hæc eſt: *Ego Frater N. profeſſus in Conventu N. Congregationis S. Marci Florentiæ Ordinis Prædicatorum juro, & promitto in manibus Paternitatis Veſtræ N., ſive Superioris delegati, me ab hoc Seminario non diſceſſurum, neque diſcedere procuraturum mediatè vel immediatè per me, vel interpoſitam perſonam, niſi ex legitima cauſa a Paternitate Veſtra, vel a veſtris Succeſſoribus canonicè intrantibus, & non aliàs admittenda. Inſuper pro Fidei Catholicæ propagandæ cauſa, & ſalute Infidelium procuranda, ad eum locum, Provinciam, ſeu Regnum, ſine aliqua repugnantia, aut exceptione iurum, ad quem, ſeu quod a Veſtra Paternitate ero deſtinatus, & miſſus. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Ego N. N. affirmo ut ſupra manu propria.*

Exercitia Spiritualia in ingreſſu a ſingulis peragenda.

In Seminario verò hujuſmodi permaneant ſpatio trium annorum, & non ultra, quò melius vocatio probetur, & plenè in ſtudiis, Apoſtolicaque diſciplina inſtituantur, & in omnibus tam ipſi, quàm Lectores ſubſint obedientiæ Superioris Conventus hujuſmodi, & Superiorum primodictæ Congregationis, ſicut cæteri Fratres de familia. Lector in hoc Seminario ſemper adſit, qui Controverſias Fidei, ac Theologiam Moralem doceat, iſque non admittatur niſi prævio examine, & confirmatione præfatæ Congregationis Cardinalium, eidemque injungatur ſedulitas, & aſſiduitas in lectionibus & repetitionibus, ac in exercitiis ſcholaſticis.

Tres ad minus in hebdomada lectiones Controverſiarum, duas Moralis, utiles pro Miſſionibus, ad quas Alumni hujus Seminarii ſunt mittendi, & poſt veſperas earumdem habeat collationes, frequentibuſque exercitiis ſtudentes inſtituat.

Prohibetur propterea æquè Lectori, ac ſtudentibus, diebus lectionum è Conventu, ſeu Seminario hujuſmodi egredi quacumque de cauſa, niſi expletis integrè lectionibus, & exercitiis ea die, qua fieri debebunt, & in hoc Superior Conventus diligenter incumbat; & ſi Theſes ea die habeantur, abſolutè egrediendi licentiam deneget.

A lectionibus, repetitionibus, & exercitiis utriuſque ſtudii præfati nemo prorſus ex ſtudentibus quocumque titulo, aut colore eximatur, aut unquam permittatur abeſſe, & ſi quis neglexerit, a Superiore corrigatur; idemque fiat, ſi aliquem negligentem in ſcribendis lectionibus, aut in dictis ſtudiis deſidioſum reperiat, & tam Lector, quàm Superior Conventus, de omnibus Vicarium Generalem præfatum, vel illo abſente, ejus Delegatum, ac etiam ſupradictam Cardinalium Congregationem certioret.

Senis deinde quibuſcumque menſibus Theſes Theologicæ Controverſiarum, & Moralis habeantur, quibus Superior Conventus intereſſe teneatur, ad dignoſcendum eos, qui proficiunt, & monere debeat præfatum Vicarium Generalem, ſive ejus Delegatum, de iis, qui fortaſſe hujuſmodi ſtudio minùs vacaverint, ut valeat illis ſubmotis alios ſubrogare.

Singulis porrò Dominicis, & aliis feſtivis d præcepto diebus, præfati Studentes in Eccleſia, vel in alio opportuno loco a Superiore locali deſtinando explicent Catechiſmum Romanum, & unuſquiſque turnariè continuet per menſem, ad hoc ut aptiores evadant tempore, quo in Miſſionibus operam præſtare debebunt.

Vicarius inſuper Generalis præfatus, vel eo abſente alius ab ipſo delegandus, ſingulis ſaltem quatuor menſibus, ſtudium, ſeu Seminarium iſtud viſitet, &, ſi Studentem aliquem minimè proficientem invenerit, aliqua pœnitentia ei injuncta, eum amoveat, aliumque in amoti locum quamprimum ſubroget.

Item per Secretarium Sac. Congregationis.

Ultra verò præfatam Vicarii Generalis, seu alterius ab eo delegati visitationem, Secretarius itidem pro tempore existentis memoratæ Cardinalium Congregationis bis visitet in anno, absque Superiorum Regularium interventu, ut liberiùs queat statum, & necessitates Seminarii hujusmodi exponere, Studentes examinare, & de eorum progressu certiorare.

Completo Triennio, quò sint mittendi, si tunc non sit in promptu locus Missionis.

Completo postmodum triennio, abeant Studentes, quò a præfata Cardinalium Congregatione destinati fuerint; quòd si nullus tunc temporis sit in promptu Missionis locus, liceat Vicario Generali eos ad alios sui Instituti Conventus transferre, certiorata prius ipsa Cardinalium Congregatione, ac curet, ut in iis Conventibus collocentur, in quibus commodiùs studio Controversiarum, & Moralis exerceri possint, quousque advenerit occasio Missionis, ad quam ab eadem Cardinalium Congregatione erunt destinandi.

Interim vero se immunes esse non credant ab observantia Regulari, & Officiorum servitio.

Pœna contra inobedientes.

Quod si aliquis illorum ad destinatas Missiones renueret, aut negligeret accedere, arbitrio memoratæ Congregationis Cardinalium plectetur.

Nemo removendus a Missione, inconsulta Sac. Congregatione.

Nemo autem ab eisdem Missionibus possit amoveri, aut revocari, absque participatione ejusdem Congregationis Cardinalium. Si verò, qui sacris Missionibus per statutum tempus inservierint, & a præfata Cardinalium Congregatione ad propria remeandi facultatem obtinuerint, nulla prorsus exemptione, privilegio, aut præeminentia in propria Congregatione gaudere, ac potiri præsumant, solùm a Domino, qui est bonorum omnium largitor, mercedem recepturi.

Post reditum a Missione nullo gaudeant Privilegio.

Strictè tamen per præsentes injungimus Superioribus primodictæ Congregationis, ut in emeritos hujusmodi Christi Fidei Præcones, omnem caritatem exerceant, cum plerumque assiduis laboribus consumpti, ægritudinibus, aliisque corporis incommodis sint obnoxii.

Datur facultas Vicario Generali alia statuendi quò ad disciplinam regularem, & studia, approbanda a Sac. Congregatione.

Denique in iis omnibus conscientiam Vicarii Generalis pro tempore existentis dictæ Congregationis Sancti Marci oneratam volumus, ejusque arbitrio relinquimus alia statuendi (supradictis tamen firmis remanentibus) tum exactam disciplinam, tum studiorum profectum concernentia, approbandaque ab ipsa Cardinalium Congregatione, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Approbatio, & Confirmatio.

Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac Superioribus, & Fratribus dictæ Congregationis plenissimè suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ idem Clemens Prædecessor in primodictis suis Literis præfatis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Julii 1748. An. VIII.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Julii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

*D. Card. Passionеus.*

LVIII.

Beatificatio Ven. Servi Dei JOSEPHI Calasanctii a Matre Dei, Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

COelestis Paterfamilias, cujus judicium perennis misericordia superexaltat, ut ostenderet se nihil eorum prætermisisse, quæ in excolenda Vinea optimum, & diligentissimum Agricolam decent, nullam unquam passus est elabi ætatem, quæ contra impios conatus inimici hominis superseminantis zizania, admirabilis ejus dexteræ potentiam, & præsidium non experiretur. Per varias enim diei horas, a prima nempe ad nonam usque, in electam hanc Vineam suo Sanguine acquisitam operarios ire jussit, ne succrescentibus spinis, & sæviente Satana, portio Domini desiderabilis in dissipationem, & desertum converteretur; ita ut ex omnibus terræ plagis, non Regio fuerit, non Sinus, non Insula, nullus denique locus, ubi non hujusmodi cultores, quam maxima subeuntes pericula, aut ignorantiæ tenebras Evangelicæ Legis prædicatione discuterent, aut cœlestis Doctrinæ veritatem datis cervicibus propugnarent, aut rejectis Mundi illecebris vias Domini in solitudine rectas facerent, aut lapsos a viis pessimis ad dignos Pœnitentiæ fructus exemplo suo provocarent. Undecima tandem, & novissima hora, ut Vineam perficeret, quam plantavit dextera ejus, novos conduxit Operarios, qui ne Aper de silva Christo renata germina in ipso flore depasceret, Domini timorem, Legem Vitæ, & Disciplinæ Parvulos edocerent. Luculentum sane, ac memorandum hujusce Providentiæ specimen superiori Sæculo in hac ipsa Urbium Principe misericordiarum Pater per Servum suum JOSEPHUM CALASANCTIUM A MATRE DEI ostendere dignatus est. Hic inter Aragonios Nobili genere ortus, florentibus annis per exercitia Pietatis, & Literarum studia peractis, variisque porro muneribus integre administratis, de improviso in sortem Domini vocatus, divinoque afflatu Numinis Romam accersitus, ad novi operis ministerium, Christiano Populo quam maxime profuturum, sedulo animum adjecit. Cum enim ubique gentium miserrimi æque, ac frequentissimi pueri jacerent in triviis, & per compita divagarentur, quos non divina Religio, non famæ pudor, non amor virtutis, non Parentum disciplina, non lata jura coercebant, quique per turpem desidiam in vitiis enutriti, ad Christiani nominis probrum, & perniciem Reipublicæ adolescere videbantur, teterrimo huic incommodo Venerabilis Dei Servus, utpote novus Vineæ Operarius, fortiter se se opponens, nihil reliqui fecit, quominus hujusce modi pueri a Diaboli contagione abducti, ad Religionem & Charitatem informarentur. Primum consilio, precibus, & qua re cumque potuit, Vir plane humilitatis studiosissimus, hujusmodi oneris suscipiendi pluribus Auctor fuit. Verùm aliis alia causantibus, tantumque pietatis opus detrectantibus universis, sibi demum præter cæteros intellexit ab eo, qui Angelorum ministeria, hominumque dispensat, pauperem derelinqui, & orphani adjutorium commendari. Cæteris igitur quibuscumque curis abjectis, per se ipse opus aggressus est, & pauperum potissimum adolescentum commodo & incolumitati, novæ Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundamenta jecit. Invalescere jam cœperat saluber-

Summarium Virtutum, & meritorum Beati Viri.

De institutione Congreg. Scholarum Piarum.

rimum hoc Institutum, altasque radices figere; cum hostis antiqui insidiis & fraudibus, tot, tantasque turbas in Institutorem, æque ac familiam ejus homines concitarunt, ut res plane profligata, dejectaque videretur. Nihilominus Venerabilis Dei Servus ambulans in innocentia cordis sui, potestatum tenebrarum conatibus minimè fractus, fideique scuto inexpugnabili firmissimè protectus, a suscepto condendæ Congregationis consilio ullo modo nec divelli, nec distrahi potuit. Quinimo vel ampliſſimis, ultroque oblatis dignitatibns constantissimè repudiatis, nihil unquam antiquius habuit, quam incepti operis curam, & amplificationem: Quod quidem Institutum, sublatis diffidiis, Deo auspice, & incrementum dante, ad quamplurimas Christiani Orbis Provincias cum uberrimo animarum fructu propagatum esse conspicimus. Denique Vir Dei meritis cumulatus, ærumnisque confectus, nonagenario major mortalitatem explevit in terris, & immortalitatem inter cœlites inchoavit. Verum ejusdem fama longè latèque percrebrescente, ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Causa deducta est; ubi cum de virtutibus æstimandis juxta Canonicas Sanctiones quæstio de more haberetur, Nos, qui per id temporis Aulæ Consistorialis Advocati munere fungebamur, earum primo patrocinium suscepimus, deinde Promotoris Fidei officio insigniti, earum causam acriter egimus. Quare fel. record. Benedictus Papa XIII. Prædecessor Noster VI. Idus Septembris MDCCXXVIII. in gradu heroico constitutas esse pronunciavit. Porro coram Nobis ad supremum Ecclesiæ regimen, quamquam immerito, admotis, cum de Miraculis disceptaretur, duo potissimum unanimi tum Cardinalium, tum Consultorum secundodictæ Congregationis suffragio approbata. Nos itidem Decreto Nostro VI. Idus Maii hujusce mei Anni duximus approbanda. Quapropter precibus tandem complurium Regum, Episcoporum, aliorumque Principum, nec non dilectorum filiorum Clericorum Regularium ipsiusmet Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, paterna benignitate annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, & assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei Servus JOSEPHUS A MATRE DEI impositorum BEATI nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendæ) exponantur. Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis VI. Kalendas Septembris, quo demortui Corpus humatum est, recitetur Officium, & Missa de communi Confessoris non Pontificis, cum Oratione a Nobis approbata, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani: Recitationem autem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus, tum in universa Clericorum Regularium hujusmodi Familia, tum in Oppido Petraltæ in Aragonia, ubi Vir Dei in lucem editus est; tum in Ortoneda, in Vicariatu Trempensi, & in Civitate Urgellensi, ad quas Christi Vineas excolendas Operarius primo vocatus est, tum apud Sodalitates Sanctorum duodecim Apostolorum, Doctrinæ Christianæ, Sacrorum Stigmatum Sancti Francisci, Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum, & Suffragii de Urbe, in quas cooptatus fuit, ab universis Christifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur; Et quoad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus Festum peragetur, conluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis in Ecclesiis Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, Oppidi, Vicariatus, Civitatis, & Sodalitatum hujusmodi solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respectivè constituta, postquam in Basilica Nostra Sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint solemnia, nempe XV. Kalendas Sptembris currentis anni, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non Cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumtis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Ordo in ejus Causa servatus.

Preces Sanctæ Sedi porrectæ pro ipsius Beatificatione.

Eidem Beati nomen, & honores decernuntur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Augusti MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

*D. Card. Passionеus.*

---

De concessione, & executione Dispensationum Matrimonialium: altera Epistola ad Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos Regni Poloniæ.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

AD tuas manus perveniſſe speramus Epistolam nostram Encyclicam datam die 29. superioris mensis Junii, de Dispensationibus, quas pro contrahendo Matrimonio intrà gradus jure prohibitos hæreticis Conjugibus concessisse, Apostolicæ Sedis Ministri falsò insimulabantur. Attamen hanc aliam rursus ad te mittere cogimur; cùm enim res, unde falsus ille rumor exortus est, in apertum educta sit, eamque omnibus notam fieri oporteat, ex Nostris ad eam animadversionibus alii proficere, meliùsque in posterum, quæ agenda sunt, constituere poterunt.

Episcopus quidam istius Poloniæ Regni duobus Lutheranis Conjugibus, qui in secundo affinitatis gradu inter se conjuncti erant, contrahendi matrimonii facultatem dedit. Rogatus, quo jure id fecisset, an uti executor alicujus dispensationis, quæ concessa fuisset vel a Nostra Dataria, vel Pœnitentiaria, vel a Sancta Inquisitionis Officio; namque hæ viæ sunt, quibus hujusmodi dispensationes a Sede Apostolica expediri consueverunt; nullas se accepisse ingenuè fassus est; sed fecisse eâ generali potestate respondit, quam sibi, ut Episcopo in remotis degenti, Sedes Apostolica elargita est; factumque suum excusavit more recepto suæ Diœcesis, & Prædecessorum suorum consuetudine. Addidit etiam, ad id faciendum adductum fuisse spe, quam ipsi dederunt Conjuges, quamprimum ad Fidem Catholicam se conversuros; quod si intra debitum tempus minimè adimplerent, se vi eos adigendi, cohabitatione prohibitâ, potestatem habere.

Ut ab hujusmodi narrationis serie minimè discedamus, in primis id compertum est, è nostris Tribunalibus dispensationem super impedimento affinitatis pro contrahendo matrimonio inter duos hæreticos neutiquam emanasse. Episcopus est, qui concessit; affirmatque, fecisse vi generalis cujusdam facultatis, quam Sedes Apostolica impertiri consuevit Episcopis, qui extra Europam, vel in remotis Europæ partibus constituti sunt.

At quid dicendum esset, si facultas, de qua agitur, dispensandi in secundo gradu,

non

Tenor generalis facultatis refertur.

non comprehenderet matrimonia inter hæreticos contrahenda? Et quidem res ita se habet; etenim facultates, quæ dantur Europæ Episcopis, qui in dominio Catholicorum Principum positi sunt, in hæc verba conceptæ sunt: *Dispensandi in tertio, & quarto simplici & mixto tantùm cum pauperibus, in contrahendis: in contractis verò, cum hæreticis conversis, etiam in secundo simplici, & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.*

Dispensationis concessæ nullitas ob non expressum, nec insertum Indultum.

Prætereundum ducimus, in dispensatione, de qua agimus, & quæ ab Episcopo concessa, & a Nobis lecta est, nullibi ab ipso expressum fuisse, quod dispensationem impertiebatur ex vi Apostolicæ facultatis; hac enim declaratione omissâ, actus nullus ac irritus efficitur; ut in earumdem facultatum formula apertè statuitur: *& in dispensationibus hujusmodi declaretur expressè, illas concedi tamquam a Sedis Apostolicæ Delegato: ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ; aliàs nullæ sint.* Sed id solùm scisitabimur, ubinam contineatur facultas dispensandi in secundo gradu? Certè Nobis respondebitur, in verbis illis paulò ante laudatis: *etiam in secundo simplici & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum.* Nos statim reponemus, ante ea verba hæc alia occurrere: *In contractis verò, cum hæreticis conversis &c.* Et ideo, cùm facultates limitatæ sint ad Matrimonia contracta, non autem contrahenda; ad hæreticos conversos, non autem ad eos, qui se convertendi spem faciunt: Sanè unusquisque facili negotio, ictuque, uti dicitur, oculi, dignoscere poterit facultatis abusum in concessione dispensationis, quæ, ut diximus, in causa fuit, cur sinister rumor, & popularis obtrectatio adversus Apostolicæ Sedis Ministros suscitaretur.

Nullitas quoque adest ex defectu facultatis.

Degunt quibusdam in locis istarum Regionum Catholici cum Hæreticis mixti; palàm inter se Matrimonia contrahunt; & nemo est, qui contrahentes corripiat, & puniat, aut illis adversetur. Hoc autem posito, quî fieri potest, ut hinc colligatur dispensationis concessio super aliquo impedimento in hujusmodi Matrimoniis inter Catholicum, & Hæreticum, & multo magis inter duos Hæreticos, ut in specie, de qua agitur, contigit? Tolerat quidem in aliquibus locis Apostolica Sedes Matrimonia inter Catholicum, & Hæreticam, vel Hæreticum, & Catholicam, cùm nequeat impedire; & Ecclesiasticâ quadam prudentiâ, ne majora mala enascantur, dissimulat, ac tacet. At, quod Apostolicæ Sedis auctoritate gratiosa in hisce Matrimoniis dispensatio super gradu, aut alio impedimento concedatur, fieri nunquam potest; nisi præcedat hæresis abjuratio, juxtà ejusdem Sedis Apostolicæ disciplinam a Nobis in præcedenti Epistola expositam, & juxtà recensita concessæ facultatis verba.

Ex eo, quod tolerantur Hæretici, eorumque Matrimonia, non infertur, quod ipsis Dispensationes sint concedendæ.

Quod est contra disciplinam, & contra literam Indultorum.

Sed respondetur: ab anterioribus Episcopis, qui easdem facultates iisdem verbis conscriptas habebant, quibus conceptæ sunt illæ, de quibus quæstio est, id peractum fuisse. Nos ignoramus, quid egerint Episcopi Prædecessores; id solum Nobis compertum est, quod, si dispensaverunt in Matrimonio non contracto, sed contrahendo, in Matrimonio inter duos adhuc in hæresi permanentes; perperàm ac malè egerunt, grave admiserunt peccatum, multorumque malorum reos se fecerunt, quia facultates eis concessas attento animo non considerarunt, ex quibus, veluti ex fonte, omnis delegata auctoritas dimanat.

Exempla, si quæ sint, damnanda, non imitanda.

At Nobis reponitur: quidquid factum est, ideo factum, quia Conjuges suam conversionem polliciti sunt. Id autem, an verum sit, paulo post videbimus. Interea ponatur, revera Conjuges id promisisse: quæritur, cùm facultas a Sede Apostolica concessa præscribat, ut dispensetur in secundo gradu cum Hæreticis jam conversis, quomodo Episcopus arbitratus sit, eâ se uti posse in dispensando non cum hæreticis jam conversis, sed cum iis, qui solummodo conversionem promiserant? cùmque Sedes Apostolica hujusmodi dispensationes, nisi conversione jam factâ, ut latè in Nostra prima Epistola Encyclica demonstratum est, concedere non soleat; quæritur iterum, quomodo ejus Delegatus in tantum ausum devenerit, ut cum iis, qui nudam promissionem se convertendi fecerant, dispensare non dubitaverit?

Promissio abjurandi hæresim non suffragatur ad effectum &c.

Additur demum: si fidei datæ Conjuges hæretici defuerint, acriter punientur, eisque simul habitare interdicetur. Nos minimè latet, discrimen, quod inter infidelem, & hæreticum intercedit: primum quidem ad amplectendam Fidem Catholicam, ad quam se per Baptismum minimè obligavit, cogi non posse: è diverso hæreticum, qui jam Baptismum suscepit. At verò Nobis ignotum est, an usu & consuetudine receptum sit, ut hæretici ad Catholicam veritatem profitendam constringi possint in iis regionibus, in quibus a Principibus permissum est, ut commixti cum Catholicis vivant, eâdemque juris æquabilitate, & civili consuetudine fruantur. Sed, quidquid de hoc sit, illud necessarium esset ostendere, quibus argumentis ac probationibus hæreticorum Conjugum promissio demonstretur. In dispensatione enim hæc verba leguntur: *ob spem, quod ad Fidem Orthodoxam convertentur:* Spes autem a promissione omnino diversa, & distincta est. Si quando autem de separatione, ob frustratam spem a Conjugibus datam, agi vellet; cùm res sit de Matrimonio contracto, non inter unum Hæreticum, & alterum Catholicum, absque alio impedimento, quàm illo Religionis; sed de Matrimonio inito inter duos hæreticos in secundo affinitatis gradu conjunctos; locus non esset separationi tantùm *quoad thorum*, sed etiam alteri *quoad vinculum*; quæ injungenda esset a Dispensante, publicâ protestatione emissâ, se nullo jure, atque auctoritate dispensasse, ac proinde dispensationem irritam ac nullam fuisse.

An Episcopus cogere possit Hæreticos ad abjurandum in locis, ubi toleruntur.

De promissione non constat in casu &c.

Tam dispensatio, quàm Matrimonium, irrita declarantur.

In priori Epistola nostra Encyclica scripta die 29. Junii admonuimus, ut ii, quibus executio dispensationum Matrimonialium, quæ in Urbe conceduntur, committitur, eas attentè legant, & benè ac diligenter perpendant. Nunc autem eadem repetimus, & insuper addimus, ut legantur, & considerentur etiam facultates, quæ a Sede Apostolica conceduntur, priusquam aliquis illis utatur; cùm minimè deceat, ut aliorum culpa vel Sedi Apostolicæ, vel ejus Ministris vitio vertatur, & quod ab aliis peccatum est, crimini eis detur. Interea autem Tibi, Venerabilis Frater, & Christiano Gregi tuæ curæ commisso, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Monentur Episcopi, ut facultatum indultarum tenores expendant.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die VIII. Aug. MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. P. A. VIII. die 8. Aug. 1748.

De

LX.

De Pallii Benedictione, & traditione.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Procœmium.

RErum Ecclesiasticarum origines quò altiùs ex sacræ antiquitatis memoria repetimus, eò magis illas & solidis fundamentis innixas, & sublimi non minus, quam vetusta institutione venerabiles, ipsâque disciplina, & ritu graves ac religiosas, agnoscere & comprobare gaudemus. Ita porrò de sacris Palliis, quæ a Romano Pontifice, Patriarchis, & Archiepiscopis concedi, ipsisque in Curia præsentibus tradi, absentibus autem transmitti consueverunt, a primis usque Ecclesiæ sæculis complura extant certissima monumenta; nec dubium est, quin eorum traditioni, sive transmissioni, solemnis semper præmissa fuerit benedictio. Quia tamen hujusmodi Benedictionis ritus nonnullas mutationes in evolutione temporum subiisse dignoscitur; Officii Nostri esse judicavimus illius formam perpetuis futuris temporibus observandam constituere, ac præsentium Literarum auctoritate firmare.

Pallii traditio vetusta, & venerabilis est.

Ejus quoque Benedictio. Cujus tamen ritus varius fuit.

Inter speciales prærogativas Basilicæ Sancti Petri in Vaticano, quarum meminit Petrus Mallius ejusdem Basilicæ Canonicus tempore Alexandri III., hæc recensetur, quod *in ea tantum vigilantur Pallia*, quæ a Romano Pontifice, Patriarchis, & Archiepiscopis mittuntur. Maphæus autem Vegius alter Sancti Petri Canonicus sub Prædecessore Nostro Martino V. Lib. 2. Rerum memorabilium Basilicæ Sancti Petri, piam supplicationem describit, quæ ab ipsius Basilicæ Clero, cum cantu Psalmorum Pœnitentialium, Litaniarum, aliarumque precum fiebat, dum ad Pallia benedicenda procedebatur; atque addit, nocturnas vigilias ea occasione ita celebrari consuevisse, quemadmodum in pervigilio Festi Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. De hujusmodi Vigiliis similiter mentio est in Libris Sacrarum Cœremoniarum Ecclesiæ Romanæ, qui tribuuntur Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi, a quo videlicet Prædecessori quondam Nostro Leoni Papæ X. oblati fuerunt; ubi etiam *lib. 1. sect. 10. cap. 5.* dicitur, quod ipsa Pallia demittebantur in sacram Beati Petri Confessionem, ut supra illius Corpus consisterent, *Per Canonicos Basilicæ ponuntur Super Corpora Petri, & Pauli Apostolorum Sub Altari Majore, ubi factis de more Vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restituunt Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservant.* Erat quippè in anteriori fronte Altaris dictæ Confessionis parva quædam veluti fenestra, & in hujus solo intra ipsius Altaris molem foramen erat, Æneæ Arcæ ad perpendiculum respondens, in qua Sacrum Apostolorum Principis Corpus requiescit; ut latiùs legere est in descriptione veteris situs, & formæ ejusdem Confessionis, quam Michaël Lunigus Prædecessori Nostro Urbano Papæ VIII. dicavit, quæque tam seorsim, quam cum aliis Operibus Typis edita pluries fuit.

Monumenta antiquæ Benedictionis in Basilica S. Petri.

Locus in Confessione S. Petri, in quo reponebantur Pallia.

Verùm quum mutata deinceps fuerit Aræ Majoris forma, nocturnarum autem Vigiliarum disciplina magna ex parte in desuetudinem abierit; annuentibus Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, inductum fuit, ut prædictæ Basilicæ Archipresbyteri Vicarius in Episcopali Ordine constitutus, vel alius Episcopus ejusdem Basilicæ Canonicus, qui Matutinis Officiis in Festo Sanctorum Petri & Pauli in Pontificalibus assisteret, idem Benedictionem Palliorum faceret, cujus ritus talis erat.

Ritus recenter inductus.

Pallia, quæ benedicenda erant, auratæ Pelvi imposita, ab ipsius Vaticanæ Basilicæ Canonico Altarista nuncupato, comitantibus duodecim ejusdem Basilicæ Beneficiatis, ad Confessionem Beati Petri deferebantur, ibique locabantur super Mensam stragula pretiosa coopertam, inter duo Candelabra accensis cereis subjecta. Episcopus verò, qui Matutinis Officiis, ut præfertur, adstiterat, post decantatas Laudes, Pontificalibus adhuc indutus, una cum assistentibus Ministris paratis, & Clero Basilicæ, ad Confessionem ipsam descendebat, Pallia aspergebat aqua benedicta, tum incenso adolebat, ac demùm solemnes Benedictionis preces super illa recitabat: Pallia verò sic benedicta, per totam Festivitatis Octavam, supra Corpus Apostoli requiescebant, expleta autem Octava, a Sacrarii Curatoribus removebantur, & inclusa Capsulæ Holoserico coccineo coopertæ, recondebantur in Oratorio Secretarii, in quo Sanctorum Reliquiæ asservantur, Clavis autem Capsulæ tradebatur primario Pontificis Cœremoniarum Magistro.

Ritum hunc, qui ad proximos usque annos viguit, Nos ipsi semper observari vidimus, quo tempore in minoribus constituti, prædictæ Vaticanæ Basilicæ Canonicatum tenuimus; nisi quod anno Jubilei millesimo septingentesimo vigesimo quinto, die XXII. Februarii, in Festo Cathedræ Sancti Petri Antiochiæ, fel. record. Prædecessor Noster, ac Dignitatis Nostræ amplificator, Benedictus Papa XIII. hujusmodi Pallia per se ipsum benedicere maluit; Cujus Nos exemplo excitati, ejusque præclara vestigia libenter sectantes, duobus proximè elapsis annis, in pervigilio Natalis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Vespertinis Officiis in ipsa Basilica Vaticana de more persolutis, hujusmodi Pallia benediximus certo ordine ac ritu, quem in posterum quoque servare decrevimus, atque etiam a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus, seu respectivè ab eo S. R. E. Cardinali, qui forsan, absente Pontifice, Vesperarum solemnitati in Pontificalibus adstiterit, observari & adhiberi, præsentium Litterarum mansuro tenore statuimus.

Primùm itaque volumus & mandamus, ut singulis annis Palliorum numerus sufficiens pro Ecclesiarum opportunitate, in Vigilia Apostolorum de mane, a prædictæ Basilicæ Canonico Altarista, cum consueto comitatu, ad Confessionem Beati Petri deferatur, ibique decenter, ut supra diximus, collocetur; ipsaque Pallia post vesperas ejusdem diei in ipsa Basilica ritu maximo celebratas, a Summo Pontifice, si præsens fuerit, sin minus ab eo Cardinali, qui Pontificalia peregerit, benedicantur. Sicut enim ipsius Romani Pontificis, vel saltem illius personam, & vices gerentis, maximè propriam, ita huic potissimum diei meritò adscribendam censemus hujusmodi Benedictionem; tum quia Sacrum Pallium, *in quo* (ut Innocentii Papæ III. Prædecessoris Nostri verbis utamur) *Pontificalis officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis adpellatione confertur*, speciale munus est, quod a solo Romano Pontifice Beati Petri successore conceditur; tum quia eo die conspicuus universi Collegii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aliorumque ipsius Ecclesiæ Romanæ Procerum consessus, ac frequentissimi Populi concursus, hujusmodi Functionis splendorem, & majestatem magnopere augebit.

Expletis itaque Vesperis, descendat ad Confessionem unus ex Auditoribus Causarum Palatii Apostolici, Sacris Subdiaconalibus vestibus indutus; præcedentibus duobus servientibus armorum, Mazzeriis Papæ nuncupatis;

comitan-

comitantibus hinc & inde duobus aliis Auditoribus Collegis, cum supparo, & superpelliceo; & subsequentibus Pontificiæ Consistorialis Aulæ Advocatis; atque is præparata Pallia coram Pontifice, aut Cardinale Pontificalia exercente, afferat & sistat. Decet enim hujusmodi munus injungi præfatis Auditoribus, in Subdiaconorum Ordine Pontifici ministrantibus, quorum videlicet Collegii Decano singulis annis traduntur Agni, ex quorum velleribus contexenda sunt Sacra Pallia; nec minùs convenit, Consistorialis Aulæ Advocatos adesse, ad quos singulari privilegio pertinet pro Pallii concessione apud Pontificem in Consistorio residentem perorare.

Ipse autem Pontifex, seu illius vice, ut præfertur, Cardinalis ille, qui Officio in Pontificalibus adstiterit, Pallia prædicta more solito adsperget aqua benedicta, tum incenso adolebit, deindeque pronunciabit super ea preces, & Benedictiones, juxta formulam inferiùs statuendam.

De Custodia Palliorum habenda post Benedictionem.

Peracta demum Benedictione, eadem sacrata Pallia includantur arculæ argenteæ auro obductæ, quam semper in ipsa Confessione Beati Petri Apostoli, & prope sacrum illius Corpus in loco ad id designato asservari mandamus; quamque ad hunc effectum, exquisito cælaturæ opere, nostro sumptu conflatam, nuper eidem Beatissimo Apostolorum Principi reverenter obtulimus, ipsum enixè orantes, ut de negligentiis, & offensionibus nostris, quascumque in ipsius Basilicæ servitio admisimus, dum inter illius Canonicos accensebamur, indulgentiam & veniam Nobis ab Omnipotenti Deo dignanter imploret. Volumus autem, ut hujusmodi arculæ cura, & custodia spectet ad ipsius Basilicæ Canonicum Altaristam pro tempore existentem; illius verò Clavis a primario Pontificiarum Cæremoniarum Magistro retineatur.

Præscribitur forma juramenti præstandi pro traditione Pallii.

Denique attendentes, quo ritu hujusmodi Pallia a Cardinali S. R. E. Diaconorum Priore absentium Patriarcharum, seu Archiepiscoporum Procuratoribus traduntur, animadvertimus ipsos Procuratores juramentum præstantes juxta antiquam formulam, quæ ipsis exhibetur, plura promittere, quæ nec omninò his temporibus integrè adimpleri, nec sine perjurii crimine negligi posse videntur. Quapropter volumus, & statuimus, ut hujusmodi juramentum deinceps a Procuratoribus prædictis alia forma præstetur, inferius pariter inserenda præsentibus Literis; Quas quidem, cum omnibus in iisdem statutis, atque præscriptis, semper & perpetuò validas, & efficaces existere & fore, & ab omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum, plenissimè observari decernimus: Non obstantibus, si quæ sunt in contrarium, Apostolicis Ordinationibus, & Constitutionibus, nec non Cappellæ Pontificiæ, & ipsius Vaticanæ Basilicæ, etiam Apostolica auctoritate approbatis, & confirmatis, ritibus, formulis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; quibus omnibus, & singulis, quatenus opus sit, Motu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, pro præmissorum perpetua executione, derogamus, ac derogatum censeri volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Formula Benedictionis.

Formula igitur Precum ad benedicenda Pallia in vigilia Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, talis est. Post Vesperas, Pontifex, seu Cardinalis, qui illius vice in Pontificalibus Officio adstiterit, ipsa Pallia ter aspergit aqua benedicta, dicendo Antiphonam *Asperges me &c.* ac ter Incenso adolet; deinde dicit:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini,*
℟. *Qui fecit cœlum, & terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

## OREMUS.

*Deus, Pastor æterne Animarum, qui eas Ovium nomine designatas, per Jesum Christum Filium tuum, Beato Petro Apostolo, ejusque Successoribus, boni Pastoris typo regendas commisisti, atque ipsis sacrarum Vestium symbolis Pastoralis curæ documenta significari voluisti; effunde per ministerium nostrum super hæc Pallia de Beatorum Apostolorum Principum Altari sumpta, copiosam Benedictionis † & sanctificationis † tuæ gratiam, ut quam mysticè representant Pastoralis officii plenitudinem, atque excellentiam, pleno quoque operentur effectu. Humilitatis nostræ preces benignus excipe, atque eorundem Apostolorum meritis, & suffragiis concede, ut quicumque ea, te largiente, gestaverit, intelligat se Ovium tuarum Pastorem, atque in opere exhibeat, quod signatur in nomine. Sit boni magnique illius imitator Pastoris, qui errantem Ovem humeris suis impositam cæteris adunavit, pro quibus animam posuit. Sit ejus exemplo in custodia Gregis sibi commissi sollicitus, sit vigil, sit circumspectus, ne qua Ovis in morsus incidat, fraudesque Luporum. Sit disciplinæ zelo districtus, quod perierat requirens, quod alienum reducens, quod confractum alligans, quod pingue, & forte custodiens. Videat humeris suis impositam Crucem, quam Filius tuus proposito sibi gaudio sustinere non recusavit; sitque illi crucifixus Mundus, & ipse Mundo. Tollat injectum collo suo Evangelicum jugum, sitque ei ita leve ac suave, ut in via mandatorum tuorum cæteris exemplo, & observatione præcurrat. Sit ei hoc symbolum unitatis, & cum Apostolica Sede communionis perfectæ tessera, sit charitatis vinculum, sit Divinæ hæreditatis funiculus, sit æternæ securitatis pignus; ut in die adventus, & revelationis Magni Dei, Pastorumque Principis Jesu Christi, cum Ovibus sibi creditis stolâ potiatur immortalitatis, & gloriæ. Per eundem &c.*

Formula juramenti.

Formula autem juramenti, quod Procuratores absentium Archiepiscoporum, aliorumque, quibus Pallium a Romano Pontifice concessum fuerit, præstare debent in manibus Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconorum Prioris pro tempore existentis, dum Pallium ipsis ferendum, seu transmittendum suscipiunt, talis est:

*Ego N. Procurator, & procuratorio nomine, & pro parte Reverendissimi in Christo Patris, & Domini N. electi Ecclesiæ N., instanter, instantius, & instantissime peto mihi tradi, & assignari Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, & promitto illud reverenter portare, vel portari facere eidem Reverendissimo Patri Domino N. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

Sanctio.

Nulli ergò omninò Hominum liceat paginam hanc Nostræ ordinationis, statuti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontif Anno VIII. die 12. Augusti 1748.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVIII. pridie Idus Augusti Pontificatus Nostri Anno Octavo.

D. Card. Passionei.
J. Datarius.
Visa de Curia
J. C. Boschi.
J. B. Eugenius.
Loco † Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 26. Augusti* 1748.

Indul-

LXI. Indultum celebrandi tres Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, pro Regnis, & Dominiis Hispaniarum, & Portugalliæ.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Procœmium. QUod expensis omnium rationum momentis, & gravissimis suffragiis virorum dignitate, pietate, ac sapientia insignium concurrentibus, alias a Nobis decretum est, id, ut sollennioribus Apostolicæ auctoritatis Nostræ documentis confirmatum, quemadmodum est hoc in more positum, laudabilique Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum instituto commendatum, majori cum observantia debitæ executioni mandetur; novo Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communire exoptamus. Sane nuper edidimus Decretum tenoris sequentis: BENEDICTUS PP. XIV. Cum Nobis Carissimus in Christo Filius noster Ferdinandus VI. Hispaniarum Rex Catholicus enixam piamque petitionem exhiberi fecisset, ut quæ disciplina viget in suo Aragoniæ Regno, (cujus appellatione tum ipsa Aragonia, tum etiam Valentiæ, Cataloniæ, & Majoricæ Ditiones comprehenduntur) ut scilicet in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos Sæcularis duas, Regularis autem tres Missas celebrare possit; eadem ad cætera quoque Regna, & Dominia eidem Ferdinando Regi subjecta auctoritate nostra extenderetur; Cumque eodem fere tempore Carissimus quoque in Christo Filius noster Johannes V. Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illustris similem instantiam apud Nos promoveri fecisset, ut nempe in omnibus Regnis, atque Dominiis sibi subjectis, cuilibet Sacerdoti tam Sæculari, quam Regulari, facultas per Nos fieret tres Missas præfato die celebrandi; Nos quidem hujusmodi petitionum gravitatem pensantes, ac memores similium postulationum, quæ aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris parum felici exitu exhibitæ fuerunt, necessarium omnino putavimus totam rei summam maturo examini subjicere: Quamvis minime hospites in ea Nos reputare possemus; siquidem olim ipsius momente, pro Officio, quod tunc gerebamus, Secretarii Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpositæ, diligenter Nobis expendenda fuerunt; cumque etiam hac de re plura scripserimus in nostro Opere *de Festis Domini part.* 1. *pag.* 247. item in Tractatu *de Sacrificio Missæ sect.* 2. *pag.* 169. juxta Editionem Patavinam, & in una ex Institutionibus Pastoralibus pro nostro Bononiensi Clero, Populoque editis, quæ est *XXXVI.* in Latina versione Romæ impressa *pag.* 185. & 186., ac demum in nostris literis ad Episcopum Oscensem datis die XVI. Martii anni MDCCXLVI., quæ jam seorsim Typis vulgatæ, in Bullarii nostri Tomo II. propediem edendo locum habebunt.

Instantiæ Regis Catholici pro extensione consuetudinis in Aragonia jam vigentis.

Instantiæ Regis Portugalliæ.

Res alias agitata, & a Sanctissimo Domino Nostro tractata.

Exitus Causæ in Congreg. Concilii anno 1722. Sane quum Nos in minoribus constituti, præfatæ Congregationi Concilii, ut supra diximus, a Secretis essemus, oblatusque fuisset supplex Libellus, in quo ex parte cl. mem. Philippi V. Hispaniarum Regis idipsum studiosissime petebatur, quod nunc a Ferdinando Rege ipsius filio iterum petitur, Officii nostri esse putavimus, instantiam hujusmodi majori cum apparatu, quemadmodum Catholici Regis dignitas postulabat, Congregationi repræsentare. Idcirco peculiaris Dissertatio a Nobis elucubrata fuit, quæ inserta est in consueto folio Relationis Causarum, quod a Secretario confici, & singulis Cardinalibus tradi consuevit. In qua primum Dissertatione rem ipsam accuratissime pro viribus exposuimus, neque omisimus originem investigare illius disciplinæ, quam diximus in Aragoniæ Regno vigere; deinde nonnullas in contrarium indicavimus resolutiones, quæ alias ad hujusmodi postulata prodierant; tum aliam memoravimus petitionem, quæ olim pro Portugalliæ Regnis facta fuerat Prædecessori Nostro Clementi Papæ IX. ut trinas liceret Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare, de qua tamen ob immaturam Pontificis mortem nihil decretum fuit. Quibus omnibus addidimus, quod, quum hoc idem ab Hispaniarum quondam Rege Philippo IV. pro omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus Regnorum suorum Sacerdotibus postulatum fuerit, vel saltem postulandum fuisse non ignoraretur; ideoque plura rationum, factorumve monumenta, pro hujusmodi concessione impetranda, collecta tunc fuisse constaret; Nobis datum non fuerat hujusmodi Collectiones ad causam maxime opportunas reperire: ut videre est in folio pro Congregatione diei 11. Maii anni MDCCXXII. a Nobis conscripto, quod nunc in Thesauro Resolutionum præfatæ Congregationis Concilii *Tom. II. pag.* 169. & *seq.* impressum reperitur. Quum autem bon. mem. Ludovicus Cardinalis Belluga Congregationi prædicta die habitæ interfuisset, memnimus ipsum de nostra Dissertatione favorabiliter loquutum, in nostram quoque sententiam devenisse, ut necessarium putaret allegationes illas tempore Philippi IV. adornatas inspicere, ipsumque in se recepisse, ut ipsas diligentissime conquiri curaret. Quapropter Rescriptum prodiit: *Non proposita*: eoque Rescripto factum est, ut Instantia tunc quidem pro rerum circumstantiis minime admissa censeretur, non tamen omnino, & perpetuo rejecta; quin potius relictus fuerit locus ulteriori rationum, atque factorum examini, si quæ aliquando ad ipsam petitionem magis juvandam deducerentur.

Novum examen hac occasione institutum.

Quum itaque nunc ad Nos ipsos in Apostolica Sede, inscrutabili Dei judicio, collocatos præfatæ petitiones jamdudum desertæ, instantibus præfatis Carissimis in Christo filiis nostris, delatæ fuerint, omnia, quæ ad plenam rei cognitionem quomodocumque pertinerent, colligi mandavimus, quæque olim desiderata sunt, in lucem proferri. Ut autem nihil sine aliorum prudenti consilio statueremus, peculiarem delectorum Virorum Congregationem ad negotii hujus examen deputavimus; in qua adscriptos voluimus Venerabilem Fratrem Nostrum Antonium Xaverium Episcopum Prænestinum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem *Gentili* nuncupatum, prædictæ Congregationis Concilii Præfectum, Dilectosque Filios Nostros ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Presbyteros, Sylvium *Valentini* Congregationis de Propaganda Fide Præfectum, Carolum Albertum *Cavalchini* Præfectum item Congregationis super negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, Fortunatum *Tamburrini* Præfectum Congregationis Sacrorum Rituum, & Joachimum *Besozzi* Majorem Pœnitentiarium; ac præterea Venerabilem Fratrem *Sylvestrum Merani* Episcopum Porphyriensem Apostolici Sacrarii Præfectum, quem peculiaris hujusce Congregationis Secretarium declaravimus; ac Dilectos Filios, Magistrum *Ludovicum Valenti* in utraque Signatura nostra Referendarium, Protonotarium Apostolicum, & Fidei Promotorem, Fratrem *Michaelem a Sancto Joseph* Priorem Generalem Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemtionis

Nomina Cardinalium & Consultorum.

Capti-

Captivorum, *Cœleſtinum Orlandi* Procuratorem Generalem Congregationis Monachorum Cœleſtinorum, *Joannem Andream Onofrii* Ordinis Eremitani Sancti Auguſtini Procuratorem Generalem, *Thomam Sergium* Presbyterum Congregationis Piorum Operariorum, Sanctæ Inquiſitionis Conſultorem, & Præfectum Studiorum in Collegio Urbano de Propaganda Fide, Fratrem *Joachimum Pucci* Ordinis Prædicatorum Magiſtrum, Epiſcoporum, & Cleri Romani Examinatorem; *Dominicum Turanum* Societatis Jeſu Presbyterum, Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Conſultorem Theologum, & *Ægydium Giulj* ejuſdem Societatis Presbyterum, alterum Examinatorem Epiſcoporum, & Sacrorum Canonum Profeſſorem in Collegio Germanico Hungarico ad Sanctum Apollinarem. His omnibus, & ſingulis exhiberi mandavimus quæcumque ad cauſam pertinebant, eaque potiſſimum, quæ nuper reperta ſunt, ſed in præcedentibus propoſitionibus exhibita non fuerant; quæ omnia juſto volumine comprehenſa typis edita ſunt Romæ hoc anno MDCCXLVIII., datoque aliquot Menſium ſpatio, quo res accuratè perpenderetur, juſſimus, ut ſinguli ſententiam ſuam ſcripto traditam, ac ſigillo obſignatam ad Nos tranſmitterent: quæ omnia diligentiſſime ſunt peracta.

Denique Nos ipſi aliorum laboribus laborem noſtrum, privataque ſtudia noſtra eorum ſtudiis adjunximus; & inſpectis, libratiſque tum novis documentis, tum ipſorum Conſultorum ſuffragiis (ex quibus, quum quatuordecim numero fuerint, duo dumtaxat petitionem rejiciendam eſſe, reliqui verò duodecim Indultum concedi poſſe cenſuerunt) omnibus rite, ac mature penſatis, invocato etiam Divini Luminis adjutorio, piis ac religioſis precibus dictorum Cariſſimorum in Chriſto Filiorum Noſtrorum Ferdinandi VI. Hiſpaniarum Catholici, & Johannis V. Portugalliæ, & Algarbiorum Regum Illuſtrium libenter annuentes, omnibus, & ſingulis in eorum Regnis, atque Dominiis actu commorantibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus Sacerdotibus nunc exiſtentibus, ac pro tempore futuris, quamdiu in prædictis Regnis, atque Dominiis moram traxerint, & non alias, facultatem perpetuis futuris temporibus duraturam concedimus, & impertimur, ut ſingulis annis die ſecunda Novembris, ſeu die ſequenti, juxta Rubricas Miſſalis Romani, qua nempe Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum ab Eccleſia Univerſali recolitur, tres Miſſas ſinguli celebrare poſſint, & valeant, contrariis quibuſcumque Conſtitutionibus, litteris, regulis, ritibus, & conſuetudinibus minime obſtantibus.

Indultum conceditur pro tribus Miſſis die Comm. omnium Fideliũ Defunct., ab omnibus in Dominiis duorum Regum celebrandis, in perpetuum.

Novimus ſane, inter Scriptores rerum moralium non ſatis convenire, an Sacerdotibus celebrantibus Miſſam pro Defunctis juxta prædictas Rubricas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, liceat hujuſmodi Miſſæ fructum medium, quem vocant, alicui peculiari defuncto applicare, an vero pro omnibus omnino Defunctis Fidelibus illum applicare teneantur. Utcumque autem ſe res habeat de hac controverſia, Nos eos quidem, quibus in Aragoniæ Regno licitum erat ante hoc noſtrum Indultum duas, vel tres reſpective Miſſas prædicta die celebrare, hortamur in Domino, ut earum fructum medium omnibus in Chriſto quieſcentibus applicent; His verò, qui in poſterum hujus Indulti vi, aut tertiam in eodem Regno Miſſam, aut ſecundam & tertiam in aliis Regionibus, ad quas hoc idem Indultum extenditur, celebraturi ſunt, diſtrictè jubemus, atque præcipimus, ut earum fructum medium, non quidem alicui peculiari defuncto, ſed in ſuffragium omnium Fidelium Defunctorum omnino applicent; expreſſe declarantes hanc eſſe noſtram mentem, & voluntatem, neque Nos aliàs, abſque hujuſmodi lege & conditione, hoc ipſum Indultum unquam conceſſuros fuiſſe.

Nihil innovatur, quoad applicationẽ primæ Miſſæ, & aliarũ antèà in Aragoniæ Regno permiſſarum.

Scimus etiam, antiquis juſtiſque titulis innixum eſſe uſum, quo ſolent Presbyteri Eleemoſynam accipere pro celebrandis, ſive pro applicandis Miſſis juxta offerentium mentem; qua de re latè diſſeruimus in noſtra *Inſtitutione Eccleſiaſtica LVI.*, fuſiùs autem in opere nuperrimè vulgato *de Synodo Diœceſana Lib. V. Cap.* 8. & 9. An vero quum retroactis temporibus in Regno Aragoniæ duæ Miſſæ a Sacerdotibus, tres autem a Regularibus in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrarentur, duplex quoque ab illis, ſeu reſpectivè triplex Eleemoſyna acciperetur, id ignoramus; ſed facile credimus id uſitatum fuiſſe, quum ubique fere receptum ſit, ut in ſollennitate Nativitatis Domini pro tribus Miſſis tria recipiantur charitativa ſtipendia. Ideoque de illis, qui ante hoc tempus in Aragoniæ Regno duas, vel tres reſpectivè Miſſas prædicta die celebrantes, duas vel tres eleemoſynas accipiebant, nihil innovandum cenſemus. Iis verò, qui inpoſterum in eodem Regno tertiam Miſſam vigore præſentis Indulti celebrabunt, juſtis de cauſis, ac ſub pœnis inferius dicendis diſtrictè prohibemus, ne pro ipſa Miſſa ullam Eleemoſynam accipere præſumant, ſicut etiam iis, qui in aliis locis hoc eodem Indulto comprehenſis, ſecundam, tertiamque Miſſam celebrabunt, ſimili ratione, ac ſub iiſdem pœnis præcipimus, atque jubemus, ut non niſi unam accipiant eleemoſynam, videlicet pro prima Miſſa dumtaxat, & in ea tantum quantitate, quæ a Synodalibus Conſtitutionibus, ſeu a loci conſuetudine regulariter præfinita fuerit. Decernentes nullam omnino cauſam, nullumque prætextum, aut obtentum, ad declinandam hujus præcepti noſtri obſervantiam ſuffragari poſſe; ne voluntariam quidem Fidelium oblationem, nam nec a ſponte dantibus quidquam recipi poſſe ſtatuimus; nec alium quemcumque colorem, quod nempè eleemoſyna detur pro celebratione, non autem pro applicatione Miſſæ; aut quod applicatio facienda ſit pro omnibus Fidelibus Defunctis; ſive quod offerentes cupiant ipſo dumtaxat oblationis merito Defunctos juvare; hi enim poterunt per alia pia opera, ſive per alias eleemoſynas in alios quoſcumque, quàm in Sacerdotem, eique conjunctos, erogandas, Defunctorum Animabus ſuffragari: Non Item gravem indigentiam, aut paupertatem Sacerdotis celebrantis, aut Eccleſiæ, aut Cœnobii; quibus nimirum aliis quibuſcumque rationibus ſubveniendum erit: Nec magnam copiam eleemoſynarum, quæ congeſtæ fuerint pro Miſſis celebrandis ipſa die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibuſque aliter ſatisfieri non poſſit; quum minimè liceat eleemoſynas accipere pro Miſſis, quæ celebrari nequeunt intra tempus ab offerentibus, aut a legibus præfinitum: Neque porro Miſſarum onera non adimpleta, pro quibus eleemoſynæ jam receptæ, aut attributi reditus jam percepti fuerint; Nos enim nolumus hujuſmodi onera impleri per celebrationem Miſſarum, quæ Indulto noſtro permittuntur: Neque demum legem fundationis jam factæ, aut in poſterum faciendæ cum augmento eleemoſynæ pro ſecunda, & tertia Miſſa; quum Nos hujuſmodi fundationes ſive factas, ſive faciendas, etiam ex nunc prout ex tunc & è contra, hac in parte nullas & irritas eſſe, & fore decernamus. In ſumma volumus & ſtatuimus, hujuſmodi Miſſas de novo conceſſas omnibus in communi Fidelium Defunctorum Animabus, abſque ulla prorſus eleemoſynæ perceptione, applicari;

Quoad perceptionẽ eleemoſynæ, pari modo ſtatuitur.

Ut pro Miſſis noviter indultis nihil accipiatur præter eleemoſynam pro prima Miſſa, juxta Taxam conſuetam.

Ac decerni tur nullam ob cauſam, aut prætextum, quidquam percipi poſſe.

Sed Miſſæ hoc Indulto conceſſæ applicari jubentur omnibus Fidelib. Defunct.

Sub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, & Pontif. reſervatæ.

Quam Epiſcopi, jure delegato, relaxare poterunt, facta tamen reſtitutione.

contrafacientes autem pœnam ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrere decernimus, ejuſque relaxandæ facultatem Nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus expreſſe reſervamus. Hanc vero facultatem communicamus Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſive aliis Locorum Ordinariis, ut auctoritate noſtra Apoſtolica, & tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, ubi ſic expedire prudenter in Domino judicaverint, eâdem canonicè utantur erga quoſcumque præcepti hujus noſtri violatores, qui ad ipſos humiliter recurſum habuerint, ſive Sæculares, ſive Regulares, ſive alio quocumque modo ab eorum Juriſdictone exemtos; hac tamen appoſita lege, ut incurſam hujuſmodi ſuſpenſionem nunquam relaxare valeant, niſi prius eleemoſynas a delinquentibus ratione prædictarum Miſſarum perceptas ab ipſis reipſa receperint; quas ipſi Ordinarii in alios pios uſus (non tamen in ſubventionem eorumdem Sacerdotum, aut perſonarum ipſis vel ſanguine, vel neceſſitudine conjunctarum, aut in eorumdem Cœnobiorum, Domorum, & Eccleſiarum utilitatem, quantumvis ipſi, aut perſonæ, Cœnobia, Domus, & Eccleſiæ hujuſmodi notoria paupertate laborarent) arbitrio ſuo erogare debebunt. Sciant tamen, quod facultas hujuſmodi, quam ad relaxationem ſuſpenſionis eo modo incurſæ iiſdem delegamus, nequaquam extenditur ad diſpenſationem ab irregularitate, in quam inciderent, qui poſt ſuſpenſionem, ut præfertur, incurſam, in Sacro Altari miniſtrare præſumerent; hujus enim diſpenſationis concedendæ facultatem Nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus privativè, & perpetuò reſervamus.

Super Irregularitate ex celebratione poſt incurſam ſuſpenſionem contracta, a ſolo Pontif. diſpenſatur.

Quid ſpectaverit Pontifex in concedendo Indulto.

Ad hunc igitur ſolum, & unicum finem, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, multiplicatis Eccleſiæ Militantis ſuffragiis, piorum Animæ in Purgatorio detentæ ſubleventur, omnibus tam è Sæculari, quàm è Regulari Clero Sacerdotibus in Regnis atque Dominiis duorum prædictorum Regum Ditioni ſubjectis, nunc, & in poſterum pro tempore exiſtentibus, concedimus, & indulgemus, ut prædicta die tres Miſſas ſinguli celebrare poſſint, & valeant. In quo ſicuti prædictorum Conſultorum concordibus fere ſententiis, conſiliiſque adhæſimus, ita a piæ Matris Eccleſiæ ſpiritu nequaquam diſceſſiſſe Nos arbitramur. Siquidem animadvertimus minimè alienam fuiſſe Eccleſiam a permittenda Sacerdotibus Miſſarum iteratione in unico die, ubi de juvandis Defunctorum Animabus ageretur, & quidem etiam poſtquam deſierat vetus illa diſciplina, de qua infra ſermo erit, qua ſcilicet Sacerdotibus licebat pluries in die rem Divinam peragere, ac poſt latam legem de unica tantum Miſſa, præter quam in die Natalis Domini, ab unoquoque Sacerdote celebranda.

Eccleſiæ ſtudium ſuffragandi Fidelibus Defunctis.

I. Hujus exempla, etiam poſt vetitam Miſſæ iterationem in genere.

Nova hæc diſciplina a Prædeceſſoribus Noſtris Innocentio III. & Honorio III. Romanis Pontificibus ſtabilita fuit, quorum hac de re leges extant in Libris Decretalium Titulo *De celebratione Miſſarum*; Innocentii quidem in Cap. *Conſuluiſti*; Honorii verò in Cap. *Te referente*. Quum autem Innocentius in citato Capitulo hæc verba poſuiſſet: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat*; non ſolum Gloſſa Canonica eidem Capitulo appoſita hujuſmodi neceſſitatis cauſam tunc fore dicit, quum celebranda ſit Miſſa pro aliquo recens defuncto, ibi: *ſed quam dicit neceſſitatem? Reſpondeo: ſi celebravit de die, & poſtea etiam moriatur aliquis*: verum etiam in Synodo Oxonienſi poſt ipſius Innocentii obitum, ſedente jam Honorio III., celebrata, decretum videmus, ut ſi Defuncti corpus Eccleſiaſticæ Sepulturæ mandandum exiſtat, Sacerdos duas Miſſas eodem die celebret, unam de Officio diei, aliam pro Defunctis, ut videre eſt in Collectione Conciliorum Angliæ Londini edita anno MDCCXXXVII. *Tom. I. pag.* 586. *numero* 7. Idque etiam diſtinctiùs in aliis Conciliis traditum invenitur, a quibus præſcriptum eſt, ut Sacerdos in prima Miſſa Purificationem non ſumat, utque tunc ſolum ſecunda Miſſa pro Defunctis ab eodem Sacerdote celebretur, quando Cadaveris præſentia occurrat die Dominico, ſeu alio die Feſto, nec alius adſit Sacerdos, qui hujuſmodi ſecundam Miſſam celebrare poſſit, quemadmodum habetur in Conſtitutionibus Sodorenſibus anno MCCXCI. conditis *Cap.* 36. in eadem Anglicana Collectione *Tom. II. pag.* 179., itidemque in Concilio Rotomagenſi habito anno MCCXXXI. *num.* 14. *in Collectione Harduini Tom. VII. pag.* 186. *& ſeqq.* Qua de re Nos ipſi olim egimus in noſtra Inſtitutione Eccleſiaſtica XXXVI. *pag.* 186. Neque verò hæc in præſenti à Nobis commemorantur, quaſi nunc etiam, præſente Cadavere, duæ Miſſæ ab eodem Sacerdote celebrari poſſint; quum, juxta hodiernam diſciplinam, liceat Presbytero, relicta Miſſa de die, Miſſam pro Defuncto, ſi præſens ſit Corpus, cum cantu celebrare, niſi tanta fuerit diei ſollennitas, quæ Miſſam pro Defunctis omnimode excludat. Sed ideo hæc dicta ſunt, ut appareat, quam propenſa fuerit Eccleſia ad permittendam Miſſarum iterationem quantumvis generaliter interdictam, ubi de procurandis Fidelium Defunctorum ſuffragiis ageretur. Quo nempe ſpiritu Nos etiam adducti, Miſſarum Sacrificia in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum a ſingulis prædictorum Regnorum, atque Ditionum Sacerdotibus ter celebrari poſſe conceſſimus.

II. Uniformitatem Ritus inter Aragoniam, aliaſque Hiſpaniæ Ditiones.

Sed duæ aliæ præterea cauſæ, eæque ſatis graves, ad id concedendum Nos impulerunt. Prima eſt, quod quum antiquiſſima ſit in Regno Aragoniæ conſuetudo, ut prædicta die tres Miſſæ a Sacerdotibus Regularibus, duæque a Sæcularibus celebrentur; eaque non modo nunquam reprobata fuerit, ſed etiam a Prædeceſſore noſtro Julio III., aut Paulo III. vivæ vocis oraculo confirmata aſſeratur (ut jam olim adnotavimus in folio pro Congregatione Concilii a Nobis, ut ſupra diximus, exarato) utpotè quæ nec Divino, nec naturali juri contraria, ſed ſolum a jure communi Eccleſiaſtico vetita dignoſcitur; cumque conſtet eamdem conſuetudinem non ſolum in Regno Aragoniæ proprie dicto, atque in alio Valentiæ, & in Comitatu Cataloniæ, ſed etiam in Regno Majoricæ longius diſſito, tamquam ipſius Aragoniæ Regni Appendice, viguiſſe & vigere; utique nec novam omnino rem, nec in exemplum alibi trahendam Nos feciſſe cenſemus, dum hujuſmodi conſuetudinem, ſive ritum, auctoritate noſtra extendimus ad alia Regna, & Dominia eidem Hiſpaniarum Regi ſubjecta, atque inſuper ad ea, quæ alteri quidem Principi, nimirum Luſitaniæ Regi parent, ſed magna ex parte finitima & proxima ſunt prædictis Hiſpanici Regis Ditionibus. Regula quippe canonica eſt, ut in Regionibus conterminis, atque inter ſe proximis Rituum ac Diſciplinæ uniformitas ſtatuatur, atque ſervetur. Unde etiam Prædeceſſor noſter Sanctus Siricius Pontifex Maximus, quum ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem ſcripſiſſet de variis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ capitibus,

Et inter has, & finitimum Luſitaniæ Regnum.

bus, de quibus ille Sanctum Damasum ipsius Decessorem consuluerat, eidem mandavit, ut Apostolica rescripta non solùm cum Provincialibus suis communicaret, sed ea etiam transmitteret *ad Carthaginienses, ac Bæticos, Lusitanos, atque Gallæcos.*

III. Pium studium duorũ Regum, eorumque in Ecclesiam promerita.

Alteram vero causam, eamque plurimi apud Nos momenti, cum magno paterni animi nostri gaudio, Nobis suppeditavit enixum studium duorum Carissimorum in Christo Filiorum nostrum Hispaniæ, & Lusitaniæ Regum, tantis in Ecclesiam promeritis Illustrium, qui unico, & sincero devotionis instinctu acti, nec retardati ob parum felicem exitum similium petitionum, quas a Prædecessoribus suis propositas fuisse noverant, istorum pietatis hæredes erga Fidelium Animas purgatorio igne cruciatas sese professi sunt, auctoresque se præstiterunt, ut in earum levamen, recurrente quotannis generali Fidelium Defunctorum Commemoratione, in suis respectivè Regnis, atque Dominiis suffragia multiplicarentur. Quapropter Magni Prædecessoris Nostri Sancti Gregorii Papæ verba, quæ is ad Brunichildem Francorum Reginam conscripsit (*Epist.* 50. *lib.* 6. ipsius Operum *Tom. II. pag.* 858.) jure, ac merito ad prædictos Reges transferre Nos posse censemus: *Epistolarum vestrarum series, quæ Religiosum animum, & piæ mentis studium continebat, non solum voluntatis vestræ fecit Nos laudare propositum, sed etiam libenter invitavit postulata concedere.* Tum etiam ea, quæ alter rec. mem. Prædecessor noster Innocentius Papa III. ad Regem Castellæ scripsit (Epist. 154. lib. 14.) *Cum Personam tuam inter Catholicos Reges speciali diligamus in Domino charitate, in his, quæ secundum Deum requiris a Nobis, favorem Tibi Apostolicum libenti animo impertimur*; atque alia, quæ idem (Epist. 24. lib. 15.) scripsit ad Regem Lusitaniæ: *Æquum est autem, ut quos ad Populi regimen & salutem, dispensatio cœlestis elegit, Apostolica Sedes sincero prosequatur affectu: & in justis postulationibus studeat efficaciter exaudire*; eadem sane præsentium Hispaniæ, ac Portugalliæ Regum pietati ac dignitati mirum in modum congruere videntur. Quorum præterea consimiles postulationes hac de re Nobis exhibitas, & parem pro Religione zelum, eximiumque Christianæ Fidei in remotissimis etiam Regionibus propagandæ studium, perspicuis argumentis Nobis assiduè comprobatum, dum læti suspicimus; hæc etiam utrique simul aptanda censemus; quæ noster quoque Prædecessor S. Leo Magnus ad Theodosium Augustum scribebat, *Epist.* 21. *ipsius Operum Tom. I pag.* 238.: *Quantum præsidii Dominus Ecclesiæ suæ in fide Vestræ Clementiæ præpararit, his etiam literis, quas ad me misistis, ostenditur; ut Vobis non solum Regium, sed etiam Sacerdotalem animum inesse gaudeamus. Siquidem præter Imperiales, & publicas curas, piissimam sollicitudinem Christianæ Religionis habetis.*

Ad unitatẽ Ritus servãdam, trinæ permittuntur Missæ omnibus hoc Indulto comprehensis.

Quamvis verò antehac in Regno Aragoniæ, Sacerdotibus Regularibus prædicta die tres Missas celebrantibus, Sæculares Presbyteri duas tantum celebrarent, Nos tamen æquum judicavimus hos illis per omnia exequare, ut esset inter ipsos Ritus uniformitas: quæ res in causa fuit, ut in Ecclesia Catholica aliæ quoque diversitas sublatæ fuerint, quantumvis tolerabiliores videri possent. Ita quum in Gallias, regnante Carolo Magno, inductus fuisset, una cum Ordine Romano, Ritus celebrandi tres Missas in die Natali Domini nostri Jesu Christi, quum antea duæ tantum celebrari solerent; novum hunc Ritum soli primum Episcopi adoptarunt, ac sibi suæque Dignitati proprium fecerunt; sed postea, ad evitandam difformitatem, hujusmodi facultas ad omnes inferioris quoque Ordinis Sacerdotes extensa fuit, quemadmodum a Nobis demonstratum est in Tractatu *de Festis Domini par.* 1. *pag.* 248.

Applicatio pro omnibus Defunctis injuncta, juxta Ecclesiæ mentem, & dictorũ Regum pietatem.

Applicationem autem Missarum hoc nostro Indulto concessarum, tertiæ nimirum a Sacerdotibus Sæcularibus in Regno Aragoniæ, secundæ verò, ac tertiæ ab omnibus existentibus in aliis Regionibus hoc Decreto comprehensis, jussimus fieri, non quidem pro aliquo peculiari Defuncto, sed pro omnibus Fidelibus Defunctis in genere; tum quia id magis consentaneum visum est piæ, ac religiosæ menti duorum Regum hujusmodi Indultum expetentium; tum quia Ecclesiæ spiritus id maxime postulabat; Siquidem constat generalem Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum secundæ diei Mensis Novembris affixam, jam usque a sæculo nono ab Amalario Fortunato propositam, vertente autem sæculo undecimo a Beato Odilone Abbate pro omnibus Monasteriis sibi subjectis receptam, atque ab his demum, Prædecessoris nostri Johannis Papæ XIX. auctoritate, ad universam Ecclesiam propagatam fuisse, ea potissimum de causa, ut, post celebratam præcedenti die Festivitatem in honorem Sanctorum omnium cum Christo regnantium, omnium quoque Justorum Animæ in Purgatorio detentæ, ac cœlestis gloriæ consortium expectantes, generalibus Ecclesiæ suffragiis adjuventur. De hac re latius disseruimus in Opere, quod scripsimus in Acta nonnullorum Sanctorum, quorum Officia celebrantur in nostra Bononiensi Civitate, ac Diœcesi, *in Editione Patavina Cap.* 22. Unde satis patet, quam justa de causa prædictas Missas non aliquibus peculiaribus Defunctis, sed omnibus in communi Fidelibus in Christo dormientibus applicandas esse voluerimus.

Aviditatis species a celebratione Missarum arcenda.

Quàm verò Nobis semper cordi fuerit, ut, juxta Sacrorum Canonum præscriptum, a celebratione Sacrosancti Missæ Sacrificii omnem avaritiæ speciem, omnemque sordidi captandi lucri prætextum longissimè arceremus, satis compertum esse putamus ex his, quæ tum in Archiepiscopatus Bononiensis, tum in Supremi Pontificatus administratione, in hunc finem præstitimus. Etenim inter Pastorales Institutiones nostras, præter *quinquagesimam sextam*, in qua plures hac de re Ecclesiasticæ Disciplinæ regulas demonstravimus, & omnino observari præcepimus, adest etiam *nonagesima secunda*, in qua Sanctissimis Apostolicæ hujus Sedis Decretis inhærentes, pravam quamdam damnavimus consuetudinem, qua contendebant nonnulli licitum esse Missas ita celebrare, ut earum fructum medium in antecessum applicarent pro iis, qui postea eleemosynam offerendo illius applicationem expeterent. Inter nostras verò Apostolicas Constitutiones *in Bullarii Nostri Tom. I.* impressas, extant *vigesima secunda, & vigesima tertia*, quibus severissimè vetitum per Nos est, ne eleemosynæ pro Missarum celebratione colligantur in iis locis, in quibus major est earum Taxa Synodalis, ut deinde Missæ alibi celebrandæ committantur, ubi hujusmodi Taxa in minori quantitate statuta est. In novissimo autem Tractatu Nostro de *Synodo Diœcesana lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 9. & 10. alia complura ad hanc rem pertinentia studiosè collegimus.

Idque præcipua ratione, ubi earũ iteratio permittitur.

Ab hoc itaque tramite neutiquam recedendum Nobis esse judicantes, decrevimus supra, atque statuimus, ut pro celebratione, aut applicatione Missarum hoc nostro Indulto concessarum, nullum prorsus stipendium quocumque prætextu aut colore accipi valeat; quod ut a Nobis in præsenti casu decerneretur, specialis quædam, & urgens ratio Nos impulit, præter generales hasce, quas paulò ante indicavimus,

1748.

Perspectum est enim omnibus in Ecclesiastica Historia paulùm modo versatis, plurès olim fuisse dies polyliturgicos, quibus nimirum singuli Sacerdotes plus quam semel Missarum sacrificia peragebant, ut erat, præter Natalem Domini, prima dies Mensis Januarii, Feria V. in Cœna Domini, Vigilia Ascensionis, tres dies Jejunii infra Octavam Pentecostes, aliique dies Festi nonnullorum Sanctorum memoriæ dicati, ut Nativitas Sancti Joannis Baptistæ, & Natalitium Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, de quibus Nos ipsi monumenta protulimus in Opere *de Festis D. N. Jesu Christi part.* 1. *pag.* 247.

Quæ ideò jam vetita fuit, ut turpes quæstus tollerentur.

Ut autem hujusmodi consuetudo generaliter tolleretur, & facultas celebrandi plures Missas uno die, ad solum diem Natalis Domini coarctaretur, non alia de causa factum est, quam ut avaritiæ, & sordidis quæstibus adimeretur occasio, vel saltem obloeutionibus silentium imponeretur; quæ scilicet ex eleemosynis pro Missarum numero multiplicatis, aut ortum habuerant, aut oriri posse videbantur. Hunc esse proprium sensum Canonis *sufficit. de Consecr. dist.* 1. jam demonstratum per Nos est in literis ad Venerabilem Fratrem Episcopum Oscensem datis §. *Excepta, & sequentibus.* Ideo autem scripta Nostra in hoc Decreto frequenter in medium protulimus, ne quæ jam alibi a Nobis dicta sunt, hîc denuò explicare, & quæ alibi demonstravimus, iterum rationibus comprobare cogeremur. Id verò, quod supra posuimus, a duobus præterea scriptoribus in Ecclesiasticis rebus apprime versatis asseritur. Eorum alter est Thomassinus in Opere *de veteri, & nova Ecclesiæ disciplina par.* 3. *lib.* 1. *cap.* 74. *num.* 6. ubi post allatam Constitutionem Odonis Episcopi Parisiensis, videlicet: *Nullus bis in die Missam audeat celebrare, aut cum duplici Introitu, nisi in magna necessitate*; hæc subdit: *Cum pecunia tunc ut plurimum ad Missam offerretur, hinc avaritiæ species, vel suspicio quædam iterationi Missarum affricabatur.* Alter est Vicecomes in Tractatu *de antiquis Missæ Ritibus lib.* 3. *cap.* 28. *circa fin.*, ubi postquam antiquam exposuit disciplinam, qua permittebatur Sacerdoti plures Missas in die celebrare; de ipsius disciplinæ mutatione deinde sic ait: *Abrogationis autem causam, quantum equidem divinare possum, dedere nundinatores quidam, qui majoris pietatis materiam ad turpe lucrum detorquere non sunt veriti, & fecerunt, ut libertas prisca saltem hisce Regionibus erepta sit, ac desierit.*

Si igitur multiplicitas Missarum, quæ Sacerdotibus olim pluribus per annum diebus permittebatur, ideo sublata fuit, ut avaritiæ quæstibus, aut obloquentium suspicionibus obviam iretur, jure ac merito Nos Indultum hoc Nostrum, quo Sacerdotibus in præfatis Regnis, atque Dominiis commorantibus tres Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare permisimus, hujusmodi expressa lege, atque districta sanctione communire debuimus, ut ne quis eorum pro Missis de novo concessis, ullum stipendii genus, quacumque de causa, & quolibet prætextu, aut colore recipere posset.

Atque in casu etiam aliàs denegata fuit, ne avaritiæ via aperiretur.

His accedit, quod quum petitiones inspexerimus ab aliquibus peculiaribus Episcopis Apostolicæ Sedi olim oblatas pro concessione celebrationis duarum, aut trium Missarum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; simulque contraria expenderimus Rescripta tunc respectivè emanata; agnovimus prædictas petitiones huic potissimum rationi innixas fuisse, quod scilicet tanta esset eleemosynarum copia, quæ ea die pro Missarum celebratione a piis Fidelibus offerebantur, ut aliter illis satisfieri non posse assererent, quàm si facultas indulgeretur Sacerdotibus, ut plures Missas ea ipsa die celebrare possent: contra verò in rejiciendis iisdem petitionibus, id maximè spectatum fuisse agnovimus, ne per hujusmodi concessiones Ordo Sacerdotalis apud detractores in aviditatis suspicionem, & infamiam adduceretur. Qua etiam de causa Nos hanc concessionem nostram, prædicta lege adjecta, suspicionibus hujusmodi nullum locum præbere posse voluimus.

Hæc sunt, quæ concedenda esse judicavimus, quæque de præmissorum consilio, & Apostolica auctoritate Nostra concessimus; atque hæc sunt, quæ in hujusmodi Indulti concessione præ oculis habuimus; quæque omnia exponenda duximus præsenti Decreto, quod a Nobis conditum, manu nostra subscripsimus hac die XXI. Augusti Anni MDCCXLVIII. Anniversaria Coronationis nostræ, ineunte Pontificatus Nostri Anno Nono.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Pontifex Decretum confirmat per Litteras Apostolicas, cum claus. lis &c.

Porro præinsertum nostrum Decretum, atque in eo omnia, & singula contenta, ac præscripta, quo firmius subsistant, & serventur exactius, atque etiam quatenus opus sit, auctoritate Nostra Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus; illique, & omnibus, ac singulis contentis, & præscriptis, Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, atque ita, ut præmittitur, omnino servari mandamus. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè sub irrogatis pœnis, & censuris inviolabiter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur iisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Rom. A IX. dicat. Aug. 1748.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Augusti. MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Nono.

*Cajetanus Amatus.*

---

LXII.

Erectio duarum Cathedrarum in Archigymnasio Urbis.

## BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

### *Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium ex publica Universitatum utilitate.

QUanta Reipublicæ commoda obveniant ex publicis studiorum Universitatibus, in quibus bonarum artium, ac scientiarum documenta ingenuæ Juventuti traduntur, concordi omnium judicio, & felici experientia evidentissimè constat; dum per homines maximè liberalibus disciplinis excultos atque expolitos, totius Civitatis mores, ad æquitatis, & justitiæ rationem conformari solent; & necessaria in civilibus Societatibus judicia, rectè,

ac lau-

Pontifex jam Universitatem Urbis protexit & favoribus amplificavit.

ac laudabiliter exerceri, pluraque hominum usibus proficua inveniri passim conspiciuntur, & reliquæ omnes privatæ ac publicæ res prudenter utiliterque administrari.

Quamobrem ad Nostrum potissimè Officium pertinere judicavimus, celeberrimum Almæ Urbis Nostræ Archigymnasium studii generalis, *Sapientiam* nuncupatum, speciali providentiæ Nostræ cura tueri, atque fovere; quin etiam, si quæ Nobis ejus rei facultas suppeteret, illius splendorem novis Apostolicæ liberalitatis favoribus amplificare: Ut, quæ Nobis olim in minoribus adhuc versantibus, ejusdemque Sapientiæ regimen, pro Advocati Consistorialis jure, vel communiter, vel peculiariter moderantibus, ad perficiendum illius statum deesse videbantur, ea nunc, supremæ Auctoritatis Nostræ ope, ipsius Universitatis, totiusque Urbis ornamento & commodo, accederent incrementa.

In reformando ejus regimine plura jam præstitit.

Quæ quidem cum partim in restituendo aut firmando aptiori, utiliorique ipsius Archigymnasii regimine atque ordine, partim in nonnullarum, quæ desiderabantur, doctrinarum & facultatum accessione, consistere intelligeremus; illud hactenus studiosè præstare non omisimus, ut scilicet, quas opportunas judicavimus, leges, sive ad tempus, sive perpetuò in eodem servandas, præscriberemus; ex quibus meliorem studiorum rationem, ac scientiarum tradendarum methodum in ipso rectè processuram fore confidimus: Alterum verò, quod ad novas Disciplinarum Cathedras instituendas, augendumque Lectorum numerum pertinebat, ad hunc diem efficere non potuimus, quum id, nec ipsius Archigymnasii reditus, nec Apostolici Ærarii Nostri vires, recentibus nimium calamitatibus exhaustæ, ullo modo ferre valerent.

Nunc ex proventu cujusdam novi Affictus Cathedrarū numerū auget.

Cum autem recens in Civitate & Statu Avenionensi, & Comitatu Venaissino Nostræ temporali Ditioni subjectis, inducta sit facultas, ut eam vocant, privativa, dandi prælo, ac vendendi & publicandi per totam Pontificiam Ditionem Civitatis, Status, & Comitatus præfatorum, novitates publicas, tam politicas, quàm Literarias, Kalendaria, & alia similia, ipsaque privativa facultas dilecto filio Alexandro Giraud ad novem annos concessa, & locata reperiatur, pro annua responsione quatuor mille librarum monetæ Galliæ, sub diversis pactis, & conditionibus, prout in Instrumento publico per acta dilecti filii Cognominati Jeremie, Notarii publici, & Secretarii generalis Legationis Avenionen. sub die 16. Mensis Novembris Anni Domini 1747. desuper confecto, & stipulato, plenius continetur.

Incipit dispositiva.

Nos igitur congruum & consentaneum arbitrantes, prædictum reditum quatuor mille librarum dictæ monetæ, qui, quum antea nunquam inter emolumenta Cameralia computatus fuerit, ex prædicta nova locatione, & privativa facultate per Nos, ut præfertur, indulta, nuper accrevit, eidem Archigymnasio, ad excitandas, & promovendas in eo alias scientias, & liberales artes, integrè, & in perpetuum attribuere; verumque hodiernum ipsius Archigymnasii statum, annuos reditus, Cathedras, & Lecturas, regimen, administrationem, & privilegia, de quibus plenam certamque notitiam habemus, nec non præfatum locationis Instrumentum, omnia item & singula privilegia, & indulta etiam a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris Civitati & Legationi Avenionensi, ac pro tempore existentibus S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis & Vicelegatis inibi commorantibus, quomodolibet concessa, etiam pluries confirmata, & innovata, ac alia quæcumque, etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, eorumque omnium & singulorum totos, & integros tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes.

Erigit unā Cathedram Mathematicæ, & alteram Chimiæ per concursum conferendas.

Motu proprio, & ex certa scientia, meraque deliberatione Nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, in præfato publico Archigymnasio, seu studio generali, *Sapientiæ* nuncupato, de Urbe, præter eam in qua elementa Geometriæ traduntur, aliasque inibi præexistentes Cathedras & Lecturas, duas novas Cathedras, seu Lecturas, alteram nimirum Mathematicæ, alteram verò Chymiæ, pro aliis duobus Lectoribus, altero nempe Mathematicæ, altero autem Chimiæ hujusmodi Professoribus, probatæ fidei, & idoneitatis, ad Cathedras hujusmodi pro tempore quomodolibet vacantes, prævio concursu, & servata forma dudum a Nobis in Constitutione Nostra, privilegiorum Nostræ Consistorialis Aulæ Advocatorum confirmatoria, quæ incipit *Inter conspicuos Ordines*, edita quarto Kalendas Septembris Anno Quinto, §. *In eligendis*, tradita atque præscripta, deputandis, & assumendis, ad commune bonum, publicamque utilitatem, Apostolica Auctoritate perpetuo erigimus, & instituimus.

Ipsisque Cathedris assignat scuta ducenta pro qualibet.

Eisdemque Cathedris, seu Lecturis a Nobis sic erectis & institutis, pro earum dote, ac utriusque Lectoris congruo salario & provisione, annuam summam quadringentorum scutorum monetæ Romanæ de juliis decem pro quolibet scuto, ad rationem ducentorum scutorum pro quolibet, eis, ut infra, persolvendorum, eadem Apostolica Auctoritate constituimus & assignamus. Ipsosque futuros pro tempore Mathematicæ, & Chymiæ Lectores, aliorum dicti Archigymnasii Lectorum, Magistrorum, Doctorum, & Professorum consortio, ita ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, præeminentiis, antelationibus, honoribus, & prærogativis, etiam antianitatis, quibus alii ejusdem Archigymnasii Magistri, Lectores, Doctores, & Professores quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, atque uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pariformiter, & æque principaliter, in omnibus, & per omnia, & omnino quoad omnia, ipsi quoque utantur, fruantur, potiantur, & gaudeant, omnibusque pariter oneribus & obligationibus, quibus illi subjacent, pari modo etiam ipsi subjaceant; Apostolica itidem Auctoritate adjungimus, & aggregamus.

Lectores dictarum facultatum aliarū consortio adjungit.

Pro hujus erectionis firmitate dictū Affictum, & assignationē confirmat.

Ad consulendum verò perpetuæ utriusque Cathedræ a Nobis per præsentes erectæ stabilitati, & manutentioni, prædictam facultatem privativam dandi prælo, ac vendendi, & publicandi per totum Statum Avenionen., & Comitatum Venaissinum Nostræ temporali Ditioni subjectum, novitates publicas, tàm politicas, quàm literarias, Kalendaria, cæteraque in memorato Instrumento locationis comprehensa, & expressa, earumdem tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac quatenus opus sit, de novo inducimus, & constituimus. Et nihilominus præfatum annuum reditum quatuor mille librarum dictæ monetæ Galliæ, ex concessione & locatione privativæ facultatis hujusmodi nunc provenientem, & qui deinceps, etiam in quacumque majori summa provenire poterit, a cæteris Cameræ Nostræ Apostolicæ reditibus, introitibus, & proventibus extraneum, seu perpetuò separatum, atque disjunctum haberi, & censeri volumus, ideoque ab iisdem pari auctoritate itidem perpetuò separamus, sejungimus, & dismembramus, sicque dismembratum, sejunctum, & separatum, præfato Archigymnasio pro utriusque Cathedræ seu Lecturæ

1748.

a Nobis per præsentes erectæ & institutæ, dote & pro aliis infrascriptis usibus, etiam perpetuò applicamus, concedimus, & assignamus.

Judices Conservatores deputat pro futuris temporibus.

Quamobrem dilectis Filiis nunc, & futuris pro tempore ejusdem S. R. E. Cardinalibus Nostris, & Sedis Apostolicæ de Latere Legatis, ac Vicelegatis in dicta Civitate Avenionen. commorantibus, nec non Congregationi Avenionensi, ac præfatæ Cameræ Apostolicæ Thesaurario, & Commissario generalibus, aliisque ipsius Cameræ Officialibus & Ministris, quocumque nomine nuncupatis, in virtute Sanctæ Obedientiæ districtè inhibemus, ne præfatum annuum reditum ex privativa facultate hujusmodi provenientem, in alios quoscumque usus, & causas, quantumvis privilegiatas, & privilegiatissimas, ullatenus erogent aut convertant, nec de prædictis pecuniis aliter ullo modo disponere præsumant; sed ipsa dumtaxat Congregatio, prædictique Legati ac Vicelegati, seu alii, ad quos nunc quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, si, & postquam, ac quoties pro parte infrascripti Nostri, deinde vero Romani pro tempore Pontificis Secretarii Status, aut Rectoris dicti Archigymnasii fuerint requisiti, tàm pro executione & conservatione dictæ privativæ facultatis, quàm pro integra, celerique exactione annui reditus præfati, eorum brachium & auxilium efficaciter præstent; Ipseque pro tempore Cardinalis Legatus, seu Vicelegatus exactæ pecuniæ depositum, in faciem, & creditum dicti Archigymnasii, ut infra, faciendum sedulò curet.

Interim vero R.mum Card. Valenti pluribus titulis de dicta Universitate benemeritum designat.

Quoniam verò dilectus Filius Noster Sylvius Tituli Sancti Callisti S. R. E. Præsbyter Cardinalis Valenti nuncupatus, ejusdem S. R. E. Camerarius, & Nobis a Secretis Status, in procuranda prædicti novi reditus accessione, & in illius applicatione ad supradictum effectum proponenda, eximium suum studium de bono publico amplificando, ac de scientiis & liberalibus Artibus promovendis Nobis apertè comprobavit; idcirco Nos earumdem tenore præsentium prædicto Sylvio Cardinali, quod vixerit, plenam & omnimodam facultatem, potestatem, & auctoritatem tribuimus, & elargimur, post ipsum verò cuilibet pro tempore existenti Romani Pontificis Secretario Status, nec non præfati Archigymnasii pro tempore Rectori similiter concedimus & impertimur, ut ipsi, adveniente termino currentis locationis dictæ privativæ facultatis, & sic deinceps quoties terminus hujusmodi advenerit, eidem pro tempore existenti Legato, seu Vicelegato Avenionen., aut pro eo alii, vel aliis, ad quos pro tempore spectabit, aut spectare poterit, celebrationem & stipulationem novæ locationis ejusmodi privativæ facultatis pro dicto Archigymnasio, celeremque transmissionem pecuniæ de Civitate Avenionen. Romam, ad effectum illam, ut infra, deponendi, absque ulla dependentia a prædicta Congregatione Avenionen., aut a Camera Apostolica, illiusque Officialibus, & Ministris prædictis, committere, & mandare liberè & licitè possint, & valeant.

Modum asservandi & solvendi pecunias assignatas præscribit.

Postremo volumus, & mandamus, ut pecuniæ, ut supra, provenientes, apud Mensam Nummulariam Montis Pietatis, ad creditum dicti Archigymnasii, in peculiari tamen & separato computo, deponantur, ita ut cum aliis prædicti Archigymnasii reditibus nullo unquam tempore misceantur, vel confundantur, sed stare debeant dumtaxat ad effectum, ut pro rata scutorum quadringentorum, prædictis duobus Lectoribus Mathematicæ, & Chymiæ, annua honoraria & stipendia a Nobis iisdem respectivè constituta, in consuetis tertiariis, juxta morem aliarum Cathedrarum, & Lectorum ipsius Archigymnasii, mediantibus ordinibus manu Rectoris ejusdem pro tempore deputari subscriptis, persolvantur; residuum verò in expensas necessarias pro experimentis Chymicis, & non in alios quoscumque usus, omnino erogetur.

Clausulæ pro præmissorum firmitate.

Præsentes quoque Litteras, quas in dicta Camera Apostolica, juxta Constitutionem fel. rec. Pii Papæ IV. Prædecessoris Nostri desuper editam, præsentari, insinuari, & registrari volumus, præmissaque omnia, & singula, nullo unquam tempore ex quibuscumque causis, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci posse, sed semper, perpetuòque valida, & efficacia existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales, nec non Palatii Apostolici Auditores, prædictæque Cameræ Thesaurarium Generalem, & Clericos Præsidentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis generalibus, vel specialibus, dictæque Cameræ, nec non Congregationis Avenionen. & Archigymnasii prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis respectivè statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis dictæ Congregationi, eidemque Cameræ, ac illius Officialibus & Ministris, & quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum confirmatis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum omnium & singulorum effectum, specialiter, & expresè, ac latissimè, & pleniissimè motu simili derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides præstanda transumptis.

Utque de præmissis etiam in Civitate & Ditione Avenionen., quandocumque opus fuerit, fides fieri valeat; volumus, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo præfati Sylvii Cardinalis, seu respectivè Romani pro tempore Pontificis Secretarii Status, aut prædicti Archigymnasii Rectoris obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur in Judicio, & extra illud, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc paginam Nostræ Erectionis, dismembrationis, applicationis, inhibitionis, concessionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum

Petri,

Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo octavo, quinto Idus Octobris Pontificatus Nostri Anno Nono.

Dat. Pont. A. IX. die 11. Octobris 1748.

D. Card. Passionеus.
J. Datarius.

Visa de Curia
I. C. Boschi.
J. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

---

## LXIII.

Decretum quo prohibetur cuilibet in posterum Libros, Scripturas, aliaque Opera quæcumque Typis imprimere, seu aliter in lucem edere, in quibus de imminutione dierum Festorum de Præcepto, sive pro, sive contra eam agatur.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Instantiæ factæ Pont. super imminutione dierum Festorum.

NOn multi menses effluxerant, ex quo placuit Omnipotenti Deo humilitatem Nostram nullis suffultam meritis ad universalis Ecclesiæ regimen assumere, quum plurium, & pietate, & doctrina insignium Virorum, necnon Episcoporum per Ecclesias tàm citra, quàm ultra Montes constitutorum, instantiæ ad Nos deferri cœperunt, ut numerus dierum Festorum de præcepto in satis nota Constitutione rec. mem. Prædecessoris Nostri Urbani Papæ VIII. præfinitus, auctoritate Nostra minueretur. Quam quidem ob rem, Nobis exponebant, & nimis grave detrimentum humilioris sortis hominibus, qui manuum suarum laboribus se ipsos, suasque familias sustentare coguntur, ex hujusmodi Festorum dierum numero, quibus operari prohibentur, inferri; Et simul arduum vel potius impossibile esse, debitam, exactamque eorum observantiam & sanctificationem a populis obtinere; siquidem post innumeras districtasque leges ea de re latas, & curas adhibitas, numquam sæpius cauponæ atque popinæ frequentari dignoscuntur, quàm ipsis diebus Festis, pomeridianis potissimùm horis, non sine scandalo, & rixarum, aliorumque criminum sequela. Cumque Carissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ Rex Illustris post aliquot annos Urbem ingressus ad Nos comiter accessisset, non omisit summo zeli studio pro hujusmodi Festorum dierum in suis Regnis imminutione Nobiscum agere.

Summa rationum, quæ adducebantur.

Nos autem cum primum illæ, quas supra diximus, instantiæ ad Nos pervenerunt, minimè laborі pepercimus, ut rem ipsam in suis fontibus inspiceremus; quin etiam satis amplam Dissertationem ea de re exaravimus, & publicari curavimus, in qua plerasque a Nobis demonstrata sunt, ad hanc minuendorum Festorum materiam pertinentia, pluresque hujusmodi imminutionis viæ indicatæ fuerunt; sed nihil definitum, aut pro auctoritate statutum fuit; quum id Nobis unicè propositum tunc fuisset, ut aliorum sententias intelligeremus, non solùm circa rationem peragendæ Festorum dierum reductionis, sed etiam super ipsius imminutionis substantia, an eam fieri, vel potius rem in priori statu relinqui præstaret; itaut, qui reductionem nequaquam faciendam existimaret, minimè necesse haberet de illius executionis modo inquirere, aut Nobis consilium præstare.

Pont. de hac re dissertationem confecit, ut aliorum sententias audiret.

Et 4o. Personarũ consilium exquisivit.

Quadraginta porrò fuerunt, quorum consilium requisivimus; inter quos nonnulli hujus S. R. E. Cardinales, Episcopi plures tàm Itali, quàm Ultramontani, reliqui Theologiæ aut Sacrorum Canonum Professores, vel in Ecclesiasticæ Disciplinæ rationibus tum Romæ, tum alibi, agendo potissimum experiendoque versati. Hòrum omnium responsa, juxta mandatum Nostrum, scripto concepta, quæ adhuc apud Nos asservantur, cùm accepissemus; ex prædicto numero, tres supra triginta invenimus, qui Festorum dierum imminutionem vel necessariam, vel utilem omnino fore affirmabant; ex his verò, quindecim Nobis suadebant, ut editâ generali Apostolica Constitutione, hujusmodi imminutionem in universa Ecclesia statueremus; alii autem numero octodecim, audiendas esse censebant instantias Ecclesiarum, atque Diœcesum, earumque peculiaribus necessitatibus diversa atque opportuna ratione consulendum. Quod verò pertinet ad ipsius reductionis modum; quum in Concilio Provinciali Tarraconensi, habito sub san. mem. Prædecessore Nostro Benedicto XIII. Pontifice de Nobis optimè merito, conditum fuerit Decretum, ut, accedente Apostolicæ Sedis approbatione & auctoritate, ac salva obligatione sanctificandi, ut prius, omnes dies Dominicos, & solemniores quasdam Festivitates, quibus nimirum & assistendum foret Sacrificio Missæ, & abstinendum ab operibus servilibus; in aliis quibusdam Festis minus principalibus, tenerentur quidem Fideles ex præcepto Missam audire, sed reliquum diei tempus operibus & laboribus quibusque exercendis, etiam servilibus nuncupatis, licitè impendere possent; cumque ipsius Concilii Patres Año Domini MDCCXXVII. hujusmodi Decreti approbationem & confirmationem a præfato Benedicto Prædecessore petiissent, idemque Prædecessor Anno sequenti MDCCXXVIII. Decretum ipsum per suas Apostolicas Literas in forma Brevis approbasset & confirmasset; ex præfatis XXXIII. consulentibus, viginti tres in eo concordes fuerunt, ut Festorum dierum reductio juxta formam & methodum Decreti Conciliaris Tarraconensis fieri deberet, reliquis decem in diversas sententias abeuntibus; aliis nempe tollendas omninò censentibus Festivitates aliquot ex his, quas Urbanus VIII. servari mandaverat; aliis proponentibus plurium Festivitatum conjunctionem in unam diem de præcepto sanctificandam; aliis verò complura Sanctorum Festa in dies Dominicos transferentibus.

Major numerus reductionem faciendam censet.

Aliquid etiam per generalē Constitutionem, alii non.

Et quid circa modum.

Nos autem, horum omnium consiliis perlectis, maturèque perpensis, nequaquam expedire judicavimus generalem hac de re Constitutionem edere, quum Nobis animo obversarentur multimodæ difficultates olim adversus prædictam Urbani Prædecessoris Constitutionem excitatæ ab iis ipsis, qui pro illius promulgatione consilium dederant, & preces obtulerant. Quapropter, ut & Apostolicæ Sedis auctoritati ac dignitati prospiceremus, & simul ostenderemus, quanto in honore apud Nos habeantur Venerabiles Fratres Nostri Ecclesiarum Antistites, quos quidem suarum Diœcesum necessitates optimè intelligere, maximoque zelo pro Dei cultu & gloria flagrare non dubitamus; id Nobis servandum proposuimus, & re ipsa servavimus, ut nihil hac in re decerneremus, nisi postquam Episcopi pro suis quique Diœcesibus, aut Metropolitani, de Suffraganeorum consilio & assensu, pro suis Provinciis, peculiares Ecclesiarum & Populorum necessitates Nobis demonstrantes, Festorum dierum imminutionem postulassent. In quo tamen non cuilibet angustæ Diœcesis Episcopo id optanti annuendum censuimus, nisi simul finitimi alii Præsules id ipsum expeterent; quò scilicet ritus & disciplinæ uniformitas, quantum fas esset, in vicinis atque conterminis Diœcesibus conservaretur. Præterea nihil innovari voluimus, non solum in hac Nostra Romana Urbe, pro qua peculiares

Pontifex nil generaliter præciperē, sed peculiares Episcoporum instantias expectare statuit.

quædam

quædam circumstantiæ ponderandæ sunt, quæ aliis Civitatibus ac Diœcesibus aptari nequeunt; sed nec in Nostra Bononiensi Civitate ac Diœcesi, cujus Pastorale regimen una cum Supremo Pontificatu retinemus; ne scilicet aliis exemplo & judicio Nostro præire voluisse videremur, ut pro suis Diœcesibus, licet inviti, id facerent, quod Nos ipsi Bononiæ fecissemus; aut hominum censuram adversùs illos excitaremus, qui non idem egissent, quod Nos statuisse viderent in Diœcesi regimini Nostro immediatè subjecta.

Ideoque, instantibus Episcopis, in illorum Diœcesibus observantiam nonnullorũ Festorum relaxavit.

Hanc igitur agendi normam constanter sequentes, oblatis Nobis multorum Episcoporum petitionibus, præceptum observandi dies Festos in pluribus Diœcesibus, atque Regionibus, juxta modum inferius dicendum, benignè relaxavimus; Nec aliquid invenire est hac in re ullibi a Nobis fuisse statutum, sine præcedentibus instantiis, & causarum expositionibus, pro singulis Civitatibus, & Diœcesibus, ex parte earumdem Antistitum ad Nos & Apostolicam Sedem delatis. Quod verò spectat ad modum relaxandi hujusmodi præceptum; quum adverterimus, legem audiendi Missam, ab alia feriandi ab operibus servilibus, distinctam planè, & separabilem esse; ipsosque etiam Episcopos non solum frequenter agrorum cultoribus, sed & urbanis quandoque Operariis, haud difficulter concedere, ut dies Festos, officio Missæ dumtaxat assistendo, sanctificent, de cætero autem laboriosis operibus incumbere valeant: quin etiam a quibusdam Moralis Theologiæ Scriptoribus, licet audacter, assertum fuisse viderimus, immunes esse a peccato pauperes, & inopes, qui Festis diebus etiam solemnioribus, quò valeant egenas familias suas sustentare, audito Sacro, laboribus manuum suarum, quantumvis servilibus, per plures horas occultè, & sine scandalo occupantur; cumque potissimum Tarraconensis Decreti ab Apostolica Sede, ut supra dictum est, approbati, illustre exemplum præ oculis haberemus: In tadmittendis Episcoporum Instantiis, hanc observavimus methodum, ut, firmam & ratam relinquentes utramque legem de audienda Missa, & de abstinendo ab operibus servilibus in omnibus diebus Dominicis, & in præcipuis quibusdam anni Festivitatibus; aliarum minus solemnium sanctificationem ita deinceps fieri permitteremus, ut, audita Missa, reliquum diei tempus pauperibus liberum esset ad laboriosa quæque opera exercenda. Neque verò facilem aditum apud Nos invenerunt aliquorum Antistitum preces, qui Festorum dierum imminutionem alia via & ratione in suis Diœcesibus fieri optabant; translatis nimirum in dies Dominicos Sanctorum Festivitatibus per hebdomadas occurrentibus.

Modus, quo Indultũ fuit concessum, refertur.

Per hæc autem minimè detractum censeri debet providæ Constitutioni Prædecessoris Nostri Urbani Papæ VIII., quam & Apostolico illius zelo dignam, & eorum temporum rationibus maximè aptam fuisse agnoscimus, & profitemur. Nec aliter profectò de illa Nos judicare dicendum esset, etiamsi (prout fert earum legum natura, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam, mutationibus meritò sub jectam, unicè pertinent), ex novis non levibus, neque pro ingenio excogitatis causis, sed tot insignium Ecclesiæ Præsulum judicio comprobatis, plures dies Festi de præcepto in Urbani Catalogo descripti, ex observandorum dierum numero exempti omnino fuissent. Ideoque multo minus hoc dici potest, ubi nulla ex Festivitatibus in ea Constitutione designatis peculiari cultu & sanctificatione privata est; sed in aliquibus dumtaxat permissum fuit, ut Divinis Mysteriis religiosâ saltem præsentiâ celebratis, cuilibet licitum esset, operibus & laboribus humanæ vitæ utilibus, & necessariis intendere.

Hæc Indulta non immutant Catalogum Urbani VIII.

Quod enim Ecclesiastica disciplina, salvo honore præcedentibus Constitutionibus, earumque auctoribus debito, & sine eorum reprehensione atque injuria, immutari valeat, innumeris possemus exemplis apertissimè comprobare, a quibus, cum in re minimè dubia versemur, recensendis supersedemus; illudque solùm monuisse sufficiat, tunc demum innocuam esse antiquæ disciplinæ mutationem, dum non temere atque inconsultò, sed a legitimis Superioribus, & justis de causis fiat, quas Innocentius III. Prædecessor Noster in Concilio Lateranensi IV. *Can.* 50. commemorat.

Et Nos quidem jure Nobis polliceri posse videbamur, dum circa propositam dierum Festorum imminutionem adeò cautè, adeò ex aliorum potius sententia, quàm ex auctoritate, qua fungimur, omnia ad hunc diem agere studuimus, nec nostram agendi rationem in aliorum censuram & offensionem incidere debere, nec Ecclesiæ pacem, quæ Nobis summopere cordi est, ullo modo turbandam fore. Verùm nonnulla intervenerunt, quorum causa eam Nobis spem in irritum cessisse dubitamus. Quum enim inter Viros doctos disputari cœperit, rectè ne, an secus, Episcopi faciant, qui ab Apostolica Sede postulant, ut liceat in suis Diœcesibus aliquos dies Festos de præcepto minus principales sola Missarum auditione sanctificare, non interdicto in reliquis horis negociorum & operum etiam servilium exercitio; quamvis facilè intelligamus, hujusmodi dissidia ex diversa hominum judicandi & opinandi ratione ortum habere, humanasque res omnes similibus dissensionibus plerumque subjectas esse; nihilominus ab aliquibus doctis probisque Viris demonstratum Nobis est, in hac controversia, Scribentium stilum intra innocuæ disceptationis terminos non constitisse; dubitarique posse, ne ab improbandis postulantium studiis, ad ipsius concessionis reprehensionem sensim disputatio transierit; adeoque incaluisse concertationis æstum, ut in publicis Libris & Scripturis, graviores accusationes & censuræ in contrariæ sententiæ defensores utrimque conjectæ fuerint; ex quo sanè novarum turbarum occasio, cum Ecclesiasticæ pacis detrimento, existere posset.

Variè tamen scripserunt an recte Episcopi id petant.

Quorum dissidiis pax Ecclesiastica turbari potest.

In hoc statu rerum, Nos unam ab altera consultationis causa sejunximus. Quæcumque circa Nostram agendi rationem dicta & conscripta palam, Nobis observanda offerebantur, ea nec audire voluimus; sed, testimonio conscientiæ Nostræ contenti, illa omnia vel negleximus, vel nimio contendentium ardori condonavimus. Quod verò spectat ad ipsam ferventis disputationis naturam, illius examen primùm demandavimus nonnullis in Theologica facultate præstantibus Viris; qui sanè, omnibus visis atque perpensis, retulerunt neutra ex parte ullum Catholici dogmatis caput in controversiam adductum fuisse, nihil adversus Urbani VIII. Constitutionem contumeliosè, aut irreverenter esse dictum, nullum esse locum in contendentium scriptis, quantumvis adversariorum censura notatis, cui genuinus Catholicus sensus revera non subsit. Approbato Theologorum judicio, quod luculentissimis scriptis ediderunt, quid facto opus esset, ut ulterioribus perturbationibus occurreremus, exquisivimus; & aliquot Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, aliorumque Ecclesiasticæ Disciplinæ peritorum consilium fuit, ut universæ quæstioni, auctoritate Nostrâ Apostolicâ, silentium imponeretur, publicandisque in posterum super ea libris & scriptis aditus intercluderetur; id quod a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, ad alias extinguendas controversias similiter exardescentes, non semel factum fuisse constaret. Horum consilium Nos, matura deliberatione præhabita, & probavimus, & exequen-

Pontifex de hac unicè sollicitus.

Eorũ scripta examini subjicit.

Censura Examinatorũ.

Et aliorum consilia ulteriori providentia.

dum

dum ſtatuimus; eo maximè, quod, ſi ſcribentibus pro una aut altera ſententia, hic finis propoſitus eſt, ut Eccleſiarum Antiſtites vel a petendo minuendorum Feſtorum Indulto retrahantur, vel ad illud poſtulandum incitentur; tot ſunt, quæ ad hunc diem in utramque partem ſcripta & dicta fuerunt, ut quilibet Epiſcopus ſatis in illis habeat, quo ſuum denique conſilium capere poſſit, prout ad optimum Diœceſis ſuæ ſtatum, & ad Dei gloriam magis expedire judicaverit.

Decernitur propterea

Quapropter Nos hujuſmodi conſilio adhærentes, de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, præſentis noſtri Decreti vigore, omnibus & ſingulis infraſcriptis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis infra ſtatuendis, prohibemus primò, ne ullam hujus Decreti explicationem, interpretationem, aut commentarium, nec multò minus ullum Librum, Diſſertationem, Epiſtolam, ſeu alterius generis opus, quo Decretum ipſum ſive directè, ſive indirectè oppugnetur, edere aut publicare audeant. Secundò vetamus & interdicimus, ne ullos in poſterum Libros, Libellos, Relationes, Theſes, Folia, Epiſtolas, vel alterius cujuſcumque generis Opera & Scripta, in quibus de imminutione dierum Feſtorum de præcepto, aut de facultate concedenda, vel deneganda, ut auditâ Miſſa in nonnullis minùs principalibus anni Feſtis fas ſit operibus ſervilibus vacare, ſive ex profeſſo, ſive incidenter agatur, ſive cum vero, ſive cum ficto Auctoris nomine, ſive ſub alieno, vel etiam ſine alicujus nomine, Typis imprimere, vulgare, ſeu alia quacumque ratione in lucem edere præſumant. Tertiò quæcumque ad hunc diem hac ſuper re edita fuerunt Opera & Scripta, iterum prælo ſubjici & recudi, multoque magis nova Folia, Opera, Epiſtolas, Diſſertationes, aliaque præmiſſa, poſt hæc, ſub anteriori datâ, fraudulenter imprimi, aut publicari, ſimiliter prohibemus; Decernentes, quæcumque hujuſmodi Opera & Scripta, in ſpretum, & fraudem præſentis Decreti, imprimi de cætero forſan, vel aliàs, ut ſupra dictum eſt, in lucem prodire contingat, ea omnia & ſingula, abſque alio examine, & in pœnam inobedientiæ & contumaciæ, in Indicem Librorum prohibitorùm quamprimum referri. Hujus autem Decreti lege omnes & ſingulas cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, & dignitatis Perſonas Eccleſiaſticas & Seculares, & cujuſcumque Ordinis, ſeu Congregationis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Militiæ Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, aliorumque etiam ſpecialem & individuam mentionem requirentium Ordinum, Regulares, alioſque Eccleſiaſticos quoſcumque, etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, & Patriarchali dignitate fulgentes, & S. R. E. Cardinales, æqualiter teneri, & expreſsè comprehendi, decernimus, & declaramus. Contravenientes verò, præter Librorum & Operum prohibitionem, ut præfertur, ſi quidem Laici fuerint, in excommunicationem majorem latæ ſententiæ, a qua nemo, præter Nos, & Succeſſores Noſtros Romanos Pontifices, niſi in mortis articulo, ipſos abſolvere valeat; Eccleſiaſticos autem uſque ad Sacerdotalem gradum incluſivè, pœnam ſuſpenſionis a divinis; in Superioribus verò gradibus conſtitutos, ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & a perceptione fructuum ſuorum Beneficiorum, Penſionum Eccleſiaſticarum, Monaſteriorum, Epiſcopatuum, & Archiepiſcopatuum, aliorumque Eccleſiaſticorum reddituum quorumcumque, quarum pœnarum relaxationem, & reſpectivam rehabilitationem, Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus privativè reſervamus, ipſo facto, abſque alia declaratione, incurrere decernimus & ſancimus. Præterea Typographos & Bibliopolas, qui Libros, Scripta, au Folia hujuſmodi, contra Decreti Noſtri legem, Typis imprimere, aut recudere, ſeu vulgare & venundare auſi fuerint, omnibus & ſingulis pœnis tam pecuniariis, quàm corporis afflictivis, quæcumque ſtatutæ ſunt adverſus eos, qui Libros prohibitos imprimunt, aut evulgant, ſive venales proponunt, ſubjacere, & re ipſa mulctari & plecti volumus, & mandamus.

I. Ne ſuper Decreto hujuſmodi quidquam ſcribatur.

II. Neque ſuper Indultis concedendis, vel deneganda pro imminutione Dierum feſtorum.

III. Quæcumque ſcripta, antea jam facta, denuo non imprimantur.

Omnes ad hujus Decreti obſervantiam teneantur.

Pœnæ contra inobedientes.

Publicationi in Urbe peractæ tribuitur vis ſpecialis intimationis omnibus factæ.

Ut autem nemo de præmiſſis ignorantiam allegare aut prætendere poſſit, volumus & mandamus, hoc ipſum Decretum, ſeu illius exempla, ad valvas Baſilicarum Urbis, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ, & in aliis ſolitis locis ipſius Urbis, per Curſores Noſtros publicari & affigi; atque ita publicatum & affixum, omnes & ſingulos perinde afficere, & arctare, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum, & notificatum fuiſſet; Ac præterea ipſius tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, cujuſcumque Notarii publici manu ſubſcriptis, ac ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, parem omnino fidem ubique locorum ab omnibus haberi, ac ſi Decretum ipſum Manu noſtra ſubſcriptum ipſis foret exhibitum, vel oſtenſum.

Exemplis fides tribuitur.

Datum Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali die XIV. Novembris MDCCXLVIII. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Dat. Pont. ann. 9. die 14. Novembris 1748.

*Publicat. per Magiſtrum Curſorum more ſolito in Urbe die 16. Novembris* 1748.

---

Nova Conceſſio Judicis privativi in cauſis Cameræ Capitolinæ. LXIV.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad futuram rei memoriam.*

Proœmium.

SInceræ fidei, & devotionis affectus, quem dilecti filii Conſervatores Almæ Urbis Noſtræ in Nos, & hanc Sanctam Sedem gerere comprobantur, Nos inducit, ut eos ſpecialis favore gratiæ proſequamur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Conſervatores Urbis prædictæ, quod aliàs fel. rec. Innocentius Papa XII. Prædeceſſor Noſter, poſtquam quamdam ſuam Conſtitutionem ſuper ſuppreſſione, abolitione, & abrogatione quorumdam Tribunalium, & nonnullorum Judicum peculiarium editam die IX. Septembris MDCXCII. publicaverat, per ſuum Chirographum Motus proprii expeditum, & manu propria ſignatum, omnia, & ſingula privilegia, & prærogativas, quibus Conſervatores prædicti uſque tunc gaviſi fuerant, & ad illos ſpectabant, & pertinebant, præſertim quoad facultatem, & prærogativam nominandi, conſtituendique unum Romanæ Curiæ Prælatum in Judicem privativum Cameræ Capitolii, qui omnes cauſas, activas, & paſſivas, in quibus ipſa Camera Capitolii jus vel intereſſe habere poſſet, privativè cognoſceret & definiret, prout Conſervatores pro tempore exiſtentes ab antiquo tempore, nempe a Pontificatu fel. rec. Pauli II. Prædeceſſoris itidem Noſtri conſtituere, & nominare conſueverant, ut ex antiquo Almæ Urbis prædictæ ſtatuto *lib. 3. cap. 2.* haberi aſſerebatur, de novo conceſſit, ſeu confirmavit, ac inſuper eoſdem Conſervatores in ſua Conſtitutione hujuſmodi, quoad facultatem nominandi Judicem hujuſmodi, minimè comprehenſos eſſe declaravit, quam quidem facultatem rec. mem. Clemens Papa XII. Prædeceſſor quoque Noſter per aliud ſimile ſuum Chirographum motus proprii ſignatum die XXIII. Novembris MDCCXXXI. de novo conceſſit, & tunc, & pro tempore exiſtentes Conſervatores prædicti quamplurimos

Innocentius XII., qui Judices particulares ſuppreſſerat,

Judicē Cameræ Capitolinæ a ſuppreſſione exemit,

Clemens XII. Conſervatoribus Urbis facultatem dictū Judicem nominādi confirmavit.

Romanæ

1748.

Romanæ Curiæ Prælatos unum in locum alterius vel defuncti, vel ad Cardinalatus dignitatem promoti, semper & usque nunc nominare & eligere perrexerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes vereantur, ne prærogativa hujusmodi per binas Nostras die XXVII. Februarii MDCCXLII. super abolitione, & XXI. Decembris MDCCXLV. super reformatione Tribunalium editas Constitutiones eis ablata sit, ac proinde facultatem hujusmodi per Nos confirmari, seu de novo concedi plurimùm desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, inhærentes antiquo statuto Almæ Urbis prædictæ anni MCCCCLXVI. *lib.* 1. *cap.* 12. & *lib.* 3. *cap.* 11. & *cap.* 25., nec non alteri statuto anni MDXIX. *lib.* 1. *cap.* 12, & *cap.* 36., ac denique uniformi observantiæ centum propemodum annorum; eisdem modernis, & pro tempore existentibus Conservatoribus dictæ Urbis, ut ipsi in Judicem Cameræ Capitolinæ unum ex Prælatis Romanæ Curiæ Civem Romanum, qui tamen Magistratum, sive Officium inire nequeat, nisi postquam a Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, mediante Nostro, & Successorum prædictorum speciali rescripto, eoque actis publicis prædictæ Curiæ inserto approbari meruerit, eligere, & nominare possint, & valeant, facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus; eidemque Prælato sic, ut præfertur, eligendo, nominando, & approbando, auctoritate, & tenore prædictis itidem concedimus, & impertimur omnes, & singulas facultates, quoad causas civiles tam activas, quàm passivas, tam motas, quàm movendas, in quibus Fiscus, & Camera Capitolina interesse aliquod habere possit, tum in prædictis antiquis statutis Judici Cameræ prædictæ, tum in Chirographo ejusdem Clementis Prædecessoris Prælato hujusmodi attributas, cum eisdem juribus, & privilegiis, quibus in causis itidem Fiscalibus potiuntur, & gaudent Judices Cameræ Nostræ Apostolicæ, & præsertim cum privilegio, quod ab ejusmodi Prælati in Judicem electi decretis, aut sententiis appellari nequeat, sed solum peti possit commissio appellationis, aut recursus ab audientia Nostra, & Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum; cum declaratione, quod ipse Prælatus sic electus approbatusque, sit, atque esse intelligatur quoad causas supradictas Judex Ordinarius, atque ideo neque sportulas accipere possit, neque sub Constitutionibus revocatoriis Judicum, & Tribunalium particularium hactenus publicatis, vel in posterum quavis occasione a Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus Nostris publicandis comprehensus censeatur. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Conservatoribus plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus prædicta Innocentii Prædecessoris, ac Nostris super abolitione, & reformatione Tribunalium editis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Almæ Urbis, & Cameræ Capitolinæ hujusmodi, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Decembris 1748. Pontificatus Nostri Anno Nono.

*D. Card. Passioneus.*

Quia tamen dubitari potest, ne facultas hujusmodi per Constitutiones Pontificis sublata fuerit.

Ideo Pontifex attendens antiquum & recentius Urbis statutum.

Et consuetudinem, in qua reperiuntur Conservatores.

Dictam facultatem de novo concedit.

Judici deputato communicat facultates opportunas.

Statuit, quod ab ejus decretis appellari nequeat, sed tãtũ peti commissio &c.

Quodque habeatur tãquam Judex Ordinarius.

Clausulæ.

ANNO 1748. Derogatio contrariu.

Dat. Pontif. Anno IX. die 11. Decembris 1748.

---

LXV.

Festorum dierum reductio in Regno Neapolitano citra Pharum & in Diœcesibus Messanensi & Panormitana.

*Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis & Episcopis Regni Siciliæ citra Pharum, nec non Messanensi & Panormitano Archiepiscopis.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Proœmium.

CUM, sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum: Ea propter hæc Sancta Sedes, pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus caritatem, ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiæ angore contemnuntur. Cum itaque Charissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ & Hierusalem Rex Illustris tum coram per se ipse, quum quatuor ab hinc annis Romam profectus est, tum sæpe alias per suos in Urbe Ministros id a Nobis studiosissimè efflagitaverit, ut pauperum calamitatibus sublevandis, qui opere faciundo victum lucrantur, sanctorumque dierum cultui, & Religioni amplificandæ, eorumdem Festorum dierum numerum imminuere dignaremur: Nos in tanto negotio, nisi re tota sedulò perspecta, haud quidquam decernendum esse rati, id usque responsum dedimus: Nihil Nos de hujusmodi Ecclesiasticæ disciplinæ institutis prorsus immutaturos, nisi per Archiepiscopos & Episcopos rogaremur, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quique Domus Israël facti speculatores, quid ferant hominum, temporumque vicissitudines, cominus inrospiciunt: Immo id in animum induxisse Nostrum (si quid in hac re foret innovandum) affirmavimus, ut salva & incolumi, solemnioribus diebus Festis, veteri disciplina de audiendo Sacro, & a servilibus operibus vacatione,

Rex utriusque Siciliæ petit a Pontif. Festorũ dierum reductionem.

Responsum Pont. qui vota Episcoporũ exquirere voluit.

Episcopi omnes pro reductione supplicarūt.

iisdem tantum servilibus curis per aliquot Festos dies, humanæ necessitatis ratione habita, vacare indulgeremus, lege tamen astandi Sanctissimo Altaris Sacrificio neutiquam abrogata. Ab universis porro Fraternitatibus Vestris supplices, gravissimasque in idem argumentum literas accepimus, quibus plurima incommoda ex dierum Festorum frequentia in vestras respectivè Diœceses, & Provincias invehi lamentabamini; ac de iis imminuendis accuratè disserentes, eamdem, ac Nos ipsi, rationem arbitrabamini esse ineundam: id propterea ejusdem Caroli Regis æquissimæ voluntati, nec non piis Fraternitatum Vestrarum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, obsecuti, Festorum dierum grandiorem numerum ad modum revocandum existimavimus. Fraternitatibus itaque Vestris, Fratres Archiepiscopi, & Episcopi totius Regni Siciliæ citra Pharum, ac Fratres Archiepiscopi Messanen. & Panormitan. per præsentes committimus, & mandamus, ut unusquisque Vestrum in suis respectivè Provinciis, ac Civitatibus, & Diœcesibus hanc de Festis diebus legem Auctoritate Nostra Apostolica edicat, nempe, ut diebus Dominicis Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes, aliisque per annum Dominicis diebus; nec non diebus Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, & Nativitatis Domini; diebus Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ; natali die Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli; die Festo omnium Sanctorum; ac Festo die cujusvis præcipui quarumcumque Civitatum, vel locorum Diœcesum prædictarum Patroni, pro veteri Ecclesiæ Catholicæ instituto, Sacris non tantum astare Christifideles vestrarum respectivè Civitatum, & Diœcesum teneantur; sed etiam a servilibus operibus feriati sunto: In reliquis verò Festis sive per Apostolicam hanc Sanctam Sedem, sive per Synodales quarumcumque Diœcesum hujusmodi Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per Christifideles Civitatum, Diœcesum, & Provinciarum hujusmodi, eorumque Majores facti, quod quoad hanc partem Auctoritate Nostra Apostolica per Vos commutari volumus, præceptis, præscriptisque, sacrosancto Missæ Sacrificio intersint; cæterum negotiis familiaribus, servilibusque suis operibus, sine ullo prorsùs conscientiæ scrupulo, incumbere integrum cuique esto. Ubi verò obtingit, unum eumdemque Episcopum duabus præesse Ecclesiis invicem canonicè unitis (quod potissimùm in Regno Siciliæ citra Pharum evenit) quarum unaquæque suum habet præcipuum Patronum, homines tantùm illius Diœcesis, cujus Patroni Festivus dies recurrit, non verò alterius, volumus & præcipimus eodem die tum Missæ Sacrificio adesse, tum a servilibus operibus sibi temperare. Quæ cum ita se habeant, Fraternitates Vestras in Domino plurimùm hortamur, ut Vos populos vestræ curæ commissos quàm sæpissimè edoceatis, quæ ad justam, legitimamque dierum Festorum celebrationem pro temporum varietate pertinere videbuntur, qua spiritus alacritate, qua mentis contentione, qua cordis humilitate astare oporteat Sanctissimo Altaris Sacrificio, in quo Christus Dominus tradit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis, quam frequentes divinis Officiis, sacrisque Concionibus, Christianæ Doctrinæ explicationibus & explanationibus esse debeant, & quanti piaculi sit eos temerare dies, quos ad sui nominis gloriam amplificandam sibi Dominus consecravit. Ne autem per eos dies potissimùm Christifidelium corda graventur in crapula, & ebrietate, ac cogitationibus secularibus, quàm diligentissimè curare debetis, ut profana quæque, ludicra, & minus religiosa a publicis locis quàm longissimè amoveantur, etiam invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: quod sanè non defuturum neutiquam dubitamus. Memores semper Prophetici illius oraculi, quo solemnitates, quas vitiosa consuetudine homines deturpant, tanquam stercus a Deo projiciendas, & disperdendas esse declaratur. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Provinciarum, Civitatum, Diœcesum, & locorum præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hinc Pont. primo excipit dies Festos, qui ab omni opere feriari esse debent.

Transumptis fidem præstari præcipit.

Et derogat contrariis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Decembris MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Nono.

*D. Card. Passionеus.*

---

Erectio Cathedralis Ecclesiæ Pinarolien. LXVI.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Secundo quoad reliquos dies Festos illos ita servari jubet, ut audito Sacro, quis operibus servilibus vacare possit.

Consulit in casu quod duæ Ecclesiæ unitæ, singulæ proprium Patronum habeāt.

Hortatur Episcopos, ut Populos moneant circa dierum Festorum observantiam.

Proœmium.

IN Sacrosancta B. Petri Principis Apostolorum specula, nullis Nostris meritis, sed inscrutabili Divinorum Judiciorum altitudine collocati ad universum Gregem Dominicum oculos Nostræ mentis intentos semper habemus, more vigilis pastoris inspicientes, quid Apostolicæ providentiæ impendere debeamus, ut Grex ipse ubique gubernetur utiliter, & ad Cœlestia Pascua fideliter dirigatur. Hinc, si ratio exigat, & Animarum utilitas persuadeat, ut in aliquo insigni Oppido nova Sedes Episcopalis instituatur, id quidem tantò libentiùs, promptiùsque curandum, ac congruè exequendum censemus, quantò studiosiùs alicujus incliti Regis pietas novæ Sedis hujusmodi institutionem deposcit, & exoptat, & Nos, rerum, & locorum circumstantiis diligentiùs consideratis, majori Divini Nominis gloriæ, commodiori Christifidelium disciplinæ, & Orthodoxæ Religionis incrementis arbitramur in Domino multifariàm prodesse, & salubriter expedire.

Instantia Regis Sardiniæ pro erectione Cathedralis Ecclesiæ in Oppido Pinaroli.

Cum itaque, sicut ex insinuatione Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Emanuelis Sardiniæ Regis Illustris Nobis per dilectum filium Joannem Baptistam Balbis Simeonem Comitem de Rivera Senatorem Taurinen., ejus apud Nos, & Sedem Apostolicam Administrum facta, accepimus, Monasterium Abbatia nuncupatum Sanctæ Mariæ Oppidi Civitatis nuncupati Pinarolii Sancti Benedicti, seu Cistercien. Ordinis

Status Monasterii S. Mariæ dicti Oppidi ejusque jurisdictio, & prærogativæ.

Nullius

1748. Nullius Diœcesis Provinciæ Taurinen. quod de Jurepatronatus ejusdem Caroli Emanuelis Regis, ratione Ducatus Sabaudiæ, cujus ipse Carolus Emanuel Rex etiam Dux existit, ex fundatione, vel dotatione, aut ex Privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, ac cujus Abbas pro tempore existens particulare & separatum Territorium habet, ac Jurisdictionem quasi Episcopalem in præfato Oppido, nec non in uno de Riva, & alio de Bardenasca, ac alio de Abbatia, seu Sancti Verani pariter nuncupato, nec non alio Sancti Petri similiter nuncupato, ac alio de Talucco, & alio de Portis, ac alio de Villar Perosa, & alio de Tagliareto, ac alio de Pinasca, & alio de Perosa, ac alio de Meana, & alio Sancti Secundi itidem nuncupato, ac alio de Mirandolo, & alio de Turina, seu vulgò inverso Porte, ac alio de Pomareto, & alio de Facto, & Riclareto, ac alio de Perero, & alio Sancti Martini, etiam nuncupato, ac alio de Massello, & alio de Chiabran, & Maniglia, ac alio de Rodoreto, & alio de Prali, nec non alio de Famolasco, & alio de Mombello, ac reliquo de Lagnasco sibi subjectis locis exercet, ac Synodum convocare, & in ea Examinatores deputare consuevit, dicti Monasterii Commendâ, in quam illud ex concessione Apostolica ad vitam obtineri consuevit, per obtimum illius ultimi Possessoris Commendatarii extra Romanam Curiam defuncti cessante, adhuc eo, quo ante Commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad præsens.

Qualitates ejusdem Oppidi.

Oppidum verò præfatum perantiquum, & Caput Provinciæ, satisque celebre, & insigne existat; cum in eo reperiantur multæ Nobiles Familiæ, ac frequentes Incolæ numerum quinque millium excedentes, literarum scientiâ, bonarum artium peritiâ, morumque urbanitate respectivè præditi, nec non præter unam, & alteram infrascriptas Collegiatas Ecclesias, duo Sanctimonialium, & quatuor Virorum, unum videlicet Fratrum Sancti Dominici Prædicatorum nuncupatorum, & aliud Fratrum Sancti Augustini Heremitarum, & reliquum Fratrum ejusdem Sancti Francisci Capuccinorum respectivè nuncupatorum respectivè Ordinis Cœnobia, nec non Collegium Presbyterorum Regularium Societatis Jesu, & Hospitium pro Puellis Orphanis, duo quoque Hospitalia, alterum Charitatis nuncupatum, alterum verò pro Infirmis, & Infantibus expositis, nec non Peregrinis recipiendis, ac Hospitium magnificè extructum pro Cathecumenis, & Hæreticis Vallium illarum Partium ad Fidem Catholicam noviter conversis.

Aliæ illius prerogativæ.

Pro temporali autem ipsius Oppidi, totiusque Provinciæ, cujus illud, ut præfertur, Caput existit, gubernio, & regimine resideat inibi Gubernator cum Officialibus Status majoris, & militari præsidio, nec non adsint Inspector, & Præfectus tàm pro Oppido, quàm pro illius Provincia præfatis: proptereaque inter illustria, & celebriora illarum Partium Oppida recenseatur, dignumque, & accommodum reputetur, ut Pontificali Sede per Nos, ut infra, decoretur, & ad Episcopalis Civitatis honorem evehatur.

Status duarum Collegiatarum Ecclesiarum ibidem existentium.

Cumque insuper in primodicto Oppido una Sancti Donati, & altera seculares, & Collegiatæ, quæ etiam Parochiales existunt, Ecclesiæ Sancti Mauritii invicem perpetuò sic unitæ, ut earum Præpositus & Canonici unum & idem Capitulum unius, & alterius Collegiatarum hujusmodi constituant, & in ipsis Collegiatis Ecclesiis una Præpositura, quæ in utraque earum Dignitas principalis, & unica existit, ac quindecim Canonicatus, totidemque Præbendæ, quatuor videlicet, totidemque omnino liberæ collationis, ac reservationibus, ac affectionibus Apostolicis obnoxii, & obnoxiæ, quos, & quas pro tempore respectivè obtinentes, pro eo, quod eis datum fuit colligere Decimas tritici & vini ad rationem duorum pro quolibet centenario, & anno, Canonici Decimantes nuncupantur, qui aliàs cumulativè cum Præposito præfato munia Parochialia, Præpositus quidem in ambabus, Canonici verò Decimantes nuncupati hujusmodi duo in una, & alii duo in altera Collegiatis Ecclesiis præfatis respectivè explebant, ac alii quinque, totidemque, qui, & quæ, ut etiam accepimus, olim de Jurepatronatus laicorum, certarum videlicet Familiarum ex fundatione, vel dotatione respectivè existebant, nunc verò, Familiis hujusmodi penitus extinctis, ad illos, & illas pro tempore respectivè vacantes Nominatio, seu Præsentatio Personarum idonearum in eis ad Nominationem, seu Præsentationem hujusmodi, per Ordinarium loci, aut aliàs respectivè instituendarum, ad pro tempore existentes Capitulum, & Canonicos unius, & alterius Collegiatarum Ecclesiarum hujusmodi, cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis præfatis, aut ex eorum respectivè fundatione præfata forsan semper, & quandocumque spectat, & pertinet, ac reliqui sex Canonicatus, totidemque Præbendæ, qui, & quæ, ut similiter accepimus, etiam de Jurepatronatus laicorum ex fundatione, vel dotatione existunt, nec non sex perpetua simplicia, personalem tamen residentiam requirentia, ac servitium Chori annexum habentia Beneficia Ecclesiastica, quæ pro tempore respectivè obtinentibus nonnullas Missas celebrandi, seu celebrari faciendi onus incumbit, tria nimirum in una, & reliqua tria in altera ex dictis Collegiatis Ecclesiis respectivè fundata, quorum unum, quod Joannes Antonius Solar, omnino liberæ collationis existit, ad alia duo, quæ Henricus Marsiglia, & Joannes Michaël Julianus, dum illa pro tempore vacant, Nominatio, seu Præsentatio Personarum idonearum, in eis ad Nominationem, seu Præsentationem hujusmodi, per eundem loci Ordinarium, aut aliàs respectivè instituendarum, etiam ad pro tempore existentes Capitulum, & Canonicos præfatos, cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis præfatis, seu ex eorum fundatione forsan semper, & quandocumque, similiter spectat & pertinet; Reliqua verò tria, quorum unum Petrus Demolin, & aliud Prosper Boutal Clerici, seu Presbyteri dilecti quoque filii ad præsens respectivè obtinent, tertium autem certo, quem præsentibus haberi volumus pro expresso, modo vacavit, & vacat ad præsens, ut pariter accepimus, de jurepatronatus laicorum, videlicet dilectorum pariter filiorum illorum de Lanteri, & de Boutal, & de Calusio respectivè Familiarum ex fundatione, vel dotatione respectivè existunt, & super cujus jurispatronatus pertinentia quoad Beneficium vacans hujusmodi lis, & causa in Partibus, seu in Romana Curia præfata coram certo, seu certis earundem Partium Judice competente, seu Judicibus competentibus inter unam præfatorum de Lanteri, & alteram Familias dilectorum itidem filiorum illorum de Aquilant ex una, & altera partibus ante, vel post præfatam illius vacationem introducta, in prima, seu alia veriori instantia pendet indecisa, erecti, & instituti, ac erectæ, & institutæ, nec non erecta & instituta reperiantur.

Quamquam verò Præpositus, & Canonici pro tempore existentes præfati unum, & idem Capitulum unius, & alterius Collegiatarum Ecclesiarum hujusmodi, ut præfertur, constituant, diversimode tamen pro diversitate Fundationum, in una, & altera Collegiatis Ecclesiis præfatis Chorus dirigatur, & Divina peragantur

Officia;

Officia; & Præpositus quidem in alterutra pro ejus libito Divinis Officiis interfit, Canonici autem præfati alii uni, alii alteri ex dictis Collegiatis Ecclesiis sine vicissitudine respectivè deserviant, solumque omnes Canonici præfati insimul sacris functionibus intersint in primodicta Collegiata Ecclesia quibusdam anni solemnitatibus, ac etiam insimul conveniant pro eligendis Vicerectoribus pro Curæ Animarum Parochianorum unius, & alterius Collegiatarum, quæ etiam Parochiales, ut præfertur, existunt, Ecclesiarum præfatarum, quam Præpositus, & quatuor Canonici Decimantes nuncupati prædicti olim exercebant, exercitio, itemque pro eligendis aliis quatuor Vicerectoribus ad curam Animarum Parochianorum in locis Buriaschi, & Rivæ, ac Bernedaschæ, & Taluchi existentium similiter exercendam. Verum primodicta Collegiata Ecclesia in honorem præfati Sancti Donati dicata aptior, & magis accommoda dignoscatur, ut ad Cathedralis Ecclesiæ statum, & Dignitatem per Nos etiam, ut infra, sublimetur.

Collegiata Ecclesia S. Donati dignior cænsetur, ut in Cathedralem erigatur.

Cessio Monasterii Ultien. causâ hujus erectionis.

Quod ut amplioribus eveniat successibus, dilectus similiter filius Joannes Baptista Dorlier de Saint Innocent Presbyter, qui Monasterium Præposituram nuncupatum Sancti Laurentii de Plebe Martyrum nuncupati Ultien. Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium Nullius, seu Taurinen. Diœcesis, in ea tamen Delphinatus parte positum, quæ in fœderibus Pacis initis cum Claræ memoriæ Ludovico hujus nominis XIV., dum in humanis ageret, Galliarum Rege Christianissimo, Regiæ Domui Sabaudicæ cessa fuit, ad quod, dum illud pro tempore vacat, Nominatio Personæ idoneæ Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad præfatum Carolum Emanuelem Regem spectat, & pertinet, in Commendam ad sui vitam ex concessione Apostolica obtinet, ad infrascriptorum effectum, Commendæ secundodicti Monasterii, in quam illud ad vitam ex simili concessione Apostolica obtineri consuevit, ac omni, & cuicumque Juri sibi in secundodicto Monasterio, illiusque regimine, & administratione, vel ad illud quomodolibet competenti, & per eum prætenso, in manibus Nostris sponte, & liberè cedere proponat, & ex nunc cedat.

Donatio a Rege facta.

Idemque Carolus Emanuel Rex, pro ingenti ejus Religione, & Catholici Principis pietate, plurimùm cupiens Cathedralis Ecclesiæ in primodicto Oppido institutionem, ut præter alias, quæ ex Divinorum celebratione proficiscuntur, utilitates, futurus inibi Episcopus pro tempore residens Pontificalis Dignitatis splendore, & verbo prædicationis, nec non Sanctorum Operum exemplo, fructuque orationis, Catholicæ Fidei veritatem exhibeat Hæreticis in vicinis Vallibus commorantibus, eosque ab hæreticæ pravitatis erroribus ad viam salutis, operante Domino, revocet, & reducat, pro commodâ ipsius futuri Episcopi habitatione, & residentia, nec non pro Seminarii Puerorum Ecclesiastici institutione, donec tamen, & quousque Domus Episcopalis, & Seminarii hujusmodi ædificia construantur, aut aliter utrique congruè, & sufficienter provideatur, usum Palatii Gubernii in primodicto Oppido existentis ad utrumque effectum satis apti & capacis, assignare proponat, & ex nunc libenter & liberaliter assignet.

Incipit dispositiva.

Nos igitur, qui primodicti Oppidi statu, & insignitate, aliisque circumstantiis universis matura consideratione pensatis, congruam esse censemus novæ Sedis Episcopalis in ipso primodicto Oppido plantationem; eamque, ac omnia, & singula per Nos, ut infra, disponenda Catholicæ Fidei propagationi, Christifidelium ædificationi, & spirituali consolationi, Divinique Cultus incrementis, valdè profutura confidimus, eximium ejusdem Caroli Emanuelis Regis zelum, & religiosa desiderio plurimum in Domino laudantes, eaque Apostolicæ Nostræ benignitatis Ministerio prosequi volentes, necnon secundodicti Monasterii Commendæ cessionem admittentes, Motu proprio & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, in secundodicta Collegiata Ecclesia Sancti Mauritii Collegialitatem tantùm, ita ut illa ex nunc Collegiata esse desinat, & deinceps primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Donati in Cathedralem Ecclesiam a Nobis, ut infra, erigendæ subjective tantum unita, & annexa remaneat, necnon in uno, & altero Monasteriis præfatis quovis ea modo, aut ex aliorum quorumcumque Personis, seu per similem vel aliam liberam secundodicti Joannis Baptistæ quoad secundodictum, quo verò ad primodictum Monasteria, seu per liberam dicti Defuncti, vel quorumvis aliorum cessiones de illis, illorumque respective regimine, & administratione præfatis, in Romana Curia præfata, vel extra eam etiam coram Notario publico, & testibus sponte factas, aut Constitutionem felicis recordationis Joannis Papæ XXII. Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Execrabilis*, vel assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati, una, & altera Commendis præfatis cessantibus, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum provisio juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas sanctiones ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat, illaque ex quavis causa ad Sedem eandem specialiter, vel generaliter pertineat, & ad illa consueverit quis per Electionem assumi, eisque Cura etiam Jurisdictionalis immineat Animarum, & super regimine, & administratione præfatis inter aliquos Lis in illius petitorio vel possessorio, vel quasi molestia, cujus litis statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore Datæ præsentium Monasteria præfata aliis canonice commendata non existant, & de uno, & altero Monasteriis hujusmodi consistorialiter disponi consueverit, seu debeat, illorumque provisio ad Nos, & Sedem Apostolicam præfatam ex quavis causa pertineat, in primodicto Monasterio videlicet, cujus fructus, redditus, & proventus, ad sexcentum florenos auri in Libris Cameræ Apostolicæ, ut similiter accepimus, taxari reperiuntur, Abbatiam dumtaxat, & consuetudinem primodictum Monasterium commendandi, una cum illius Mensa Abbatiali, quæ, sicut etiam accepimus, seorsim, & separata a Mensa Conventuali reperitur; firmis tamen, & illæsis, ac salvis, & intactis in eorum Regulari statu remanentibus ipsius primodicti Monasterii Abbatia Claustrali, Conventuque, ac Mensa Conventuali, eorumque Juribus, membris, & pertinentiis universis; de præfati Caroli Emanuelis Regis consensu, Apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, & extinguimus, Ecclesiam vero, & Fabricam, seu Ædificium ejusdem primodicti Monasterii, in quo Ædificio dilecti itidem Filii Conventus, & Monachi Ordinis Cistercien. Congregationis Reformatorum S. Bernardi ad præsens inhabitant, quæque ad illius Abbatem perpetuum Commendatarium ante suppressionem, & extinctionem hujusmodi legitime spectabant, & pertinebant, eisdem Conventui, & Monachis nunc, & pro tempore existentibus dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, & appropriamus: Cum hoc tamen, quod iidem pro tempore existentes Conventus, & Monachi, in memoriam concessionis, & appropriationis Ecclesiæ, & Ædificii hujusmodi, ac in signum supremi Dominii, quatuor libras ceræ albæ quotannis die Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis futuro Episcopo Pinarolien. pro tempore existenti, vel alteri pro eo Missarum Solemnia in primodicta Collegiata Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam a Nobis per præsentes, ut infra, erigenda celebranti, per ejusdem primodicti Monasterii

Suppressio Collegiatæ S. Mauritii.

Et dictorum Monasteriorum.

nasterii Procuratorem præstare, & tribuere teneantur. In secundodicto autem Monasterio, illiusque Præpositura, & Ecclesia Sancti Laurentii de Plebe Martyrum nuncupati, præfatum Ordinem Sancti Augustini Canonicorum Regularium, necnon Conventualitatem, omnemque statum, essentiam, naturam, officia, & Instituta Regularia, ac etiam consuetudinem secundodictum Monasterium commendandi, firmis tamen in infrascripto sæculari statu remanentibus Præpositura præfata, illiusque titulo, & denominatione, de simili præfati Caroli Emanuelis Regis consensu, pari Apostolica auctoritate itidem perpetuo supprimimus, & extinguimus, necnon secundodictum Monasterium, illiusque Præposituram, & Ecclesiam præfatas, ac membra, loca, res, & proprietates ad Præposituralem & Conventualem Mensas ejusdem secundodicti Monasterii quomodolibet spectantia, & pertinentia, ac dilectos pariter filios modernum infrascriptum secundodicti Monasterii Priorem, ac Joannem Agnetem de Geneis, & Josephum Antonium de Roux, ac Dominicum de Reymond, & Franciscum Marchet, & Josephum Fantin, & Joannem Chalmas, ac Josephum Antonium Matthæum Bonardel, & Joannem Sertour, ac Joannem de Fazi Canonicos Regulares Ultien. dicti Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium in eodem secundodicto Monasterio una cum illius Priore præfato actu claustraliter viventes, necnon quoscumque alios Canonicos Regulares ejusdem Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium, qui in Congregatione Ultien. hujusmodi expresse professi existant; quique vagi sint, & in Ditionibus dicti Caroli Emanuelis Regis, aut alibi Conventualiter, seu Claustraliter non vivant, ad statum Sæcularem dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo redigimus, & immutamus, privilegiis tamen, Indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, præeminentiis, insigniis, prærogativis, honoribus, facultatibus, Indulgentiis, & aliis gratiis quibuscumque tam spiritualibus, quàm temporalibus, & mixtis, secundodicto Monasterio, illiusque Præposituræ, Ecclesiæ, & Conventui, ac Præpositurali, & Conventuali Mensis præfatis, ac Officiis, membris, locis, & Beneficiis, si quæ sint, Apostolica, vel alia quavis auctoritate hactenus quomodolibet concessis, ac etiam de Jure, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet competentibus, quoad ea tamen, quæ sunt in usu, ac Sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, seu statui sæculari, & ordinationibus per Nos in præsenti secularizatione præscriptis non repugnent, in omnibus & per omnia, perinde ac si status Regularis hujusmodi minime immutatus foret, salvis, firmis, & illæsis remanentibus. Insuper omnes, & singulos Canonicos Regulares præfatæ Congregationis Ultien. tam superiùs nominatos, & cognominatos, ac in secundodicto Monasterio ad præsens claustraliter viventes, quàm alios vagos, & in Ditione ipsius Caroli Emanuelis Regis, aut alibi versantes, & Conventualiter non viventes, ab omni Apostasiæ, & inhabilitatis macula, sive nota, nec non excommunicationis, aliisque sententiis, censuris, & pœnis, earumque, propter votorum suorum, ac Institutorum Regularium Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium hujusmodi transgressum, incursu, castitatis tamen voto excepto, ac ab omni obligatione, & vinculo observantiæ Constitutionum, Ordinationum, Institutorum, & consuetudinum Regularium dictæ Congregationis, & Ordinis hujusmodi, quem professi fuerunt, & a quacumque votorum ab ipsis emissorum, præfato Castitatis voto excepto, & regula, jejuniorum observantia, ciborum abstinentia, & habitus Regularis delatione, ita quod ipsi de cætero, quoad vixerint, in habitu, tonsura, Divinorum Officiorum celebratione, ceremoniis, ritu, incessu, victu, moribus, & vivendi modo, Presbyteris mere sæcularibus omnino, & ubique, sine ullo conscientiæ scrupulo se conforment, & pro Presbyteris mere secularibus habeantur, & censeantur, ac Jurisdictioni Ordinariorum Locorum, in quibus eos respective commorari contigerit, omnino subjaceant, in utroque foro Apostolica auctoritate præfata absolvimus, & totaliter liberamus, necnon cum omnibus Canonicis Regularibus ad secularem statum per Nos, ut præfertur, redactis præfatis, ut ipsi, & eorum singuli, quæcumque, & qualiacumque cum Cura, & sine Cura beneficia Ecclesiastica, etiamsi Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates etiam majores, & Principales, Personatus, Administrationes, & Officia etiam Curata, & Electiva etiam in Pinarolien. a Nobis per præsentes ut infra erigenda, aliisque Cathedralibus, Metropolitanis, Collegiatis, & aliis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ fuerint; si eis aliàs canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, aut alias assumantur ad illa, & instituantur in eisdem, in omnibus, & per omnia ad instar Presbyterorum sæcularium recipere, & obtinere, & dummodo plura simul non sint, quam quæ canonice permittuntur, quoad vixerint, retinere, nec non quascumque Pensiones annuas super similium, vel dissimilium Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac etiam Mensarum Archiepiscopalium, Episcopalium, & Abbatialum fructibus, redditibus, & proventibus, ac etiam distributionibus quotidianis, Apostolica eis auctoritate reservandas, aut in eos etiam canonice transferendas, etiam quoad vixerint, similiter in omnibus, & per omnia ad instar eorundem Presbyterorum Sæcularium percipere, exigere, levare, ac in suos usus, & utilitatem convertere libere, & licite valeant, eadem Apostolica auctoritate dispensamus. Itemque eis, & eorum singulis, ut de quibuscumque bonis, & rebus ad ipsos, & eorum quemlibet deinceps spectandis, & per eos post præsentem secularizationem, legitime tamen, & licite acquirendis, in favorem quarumcumque Personarum, de Jure tamen capacium, testari, vel aliàs disponere, eisque ab intestato decedentibus, legitimi eorum Heredes succedere, utque ipsi, & eorum singuli de cætero in quibuscumque bonis Paternis, & Maternis, ac aliorum Consanguineorum, seu Cognatorum suorum, vel aliorum quorumcumque, tam ex testamento, quàm ab intestato succedere, & illa donationis, legati, vel alio quovis Titulo consequi, & habere, exceptis tamen iis, ad quæ fuerit qualitercumque, & quomodocumque, ante eandem præsentem secularizationem, jus tertio quæsitum, sive sint bona, hæreditates, successiones, legata, Primogenituræ, & Fideicommissa quæcumque, tempore datæ præsentium aliis jam delata, & actu, ob antiquam incapacitatem, vel renunciationem ipsorum Canonicorum Regularium ad Sæcularem statum a Nobis per præsentes, ut præfertur, redactorum, jam aliis effective acquisita, & ab eis possessa; & dummodo non sint bona comprehensa in renunciationibus per eos antea factis, quæ propter præsentem secularizationis, & rehabilitationis gratiam, non valeant ullatenus revocari, vel infirmari, etiam libere, & licite possint, & valeant, auctoritate præfata concedimus, & indulgemus.

Erectio Oppidi Pinarolii in Civitatem.

Præviis autem suppressionibus, extinctionibus, & Secularizatione præfatis, primodictum Oppidum in Civitatem Episcopalem, Pinarolien., ut antea, nuncupandam, cum omnibus Juribus, honoribus, & prærogativis, quibus aliæ Civitates Pontificali Sede insignitæ, & earum Cives utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, atque uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum;

Primo.

Et Collegiatæ Ecclesiæ S. Donati in Cathedralem.

Primodictam vero Collegiatam Ecclesiam Sancti Donati in Cathedralem Ecclesiam, Archiepiscopo Taurinen. pro tempore existenti Metropolitico jure subjectam, sub Invocatione Sanctæ Mariæ, necnon Sanctorum Donati, & Mauritii præfatorum, ac in ea Sedem Episcopalem pro uno Episcopo Pinarolien. etiam nuncupando, qui eidem Ecclesiæ, illique Civitati Pinarolien., ut præfertur, nuncupandis, & Diœcesi etiam Pinarolien., ut infra, constituendæ præsit, Abbates inferiores, Prælatos, & alios ad Synodum convocet, & omnia, ac singula Jura, Officia, & Munia Episcopalia habeat, & exerceat, cum suis Capitulo, sigillo, arca, Mensa Episcopali, cæterisque Cathedralibus, & Pontificalibus Insigniis, nec non Juribus, jurisdictionibus, facultatibus, præeminentiis, prærogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, & Indultis realibus, personalibus, & mixtis, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ, earumque Præsules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, seu ex Indulto, aut privilegio particulari, similiter utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, atque uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum.

Et in ea Dignitatum ac Canonicatuum.

Utque primodicta Collegiata Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam, ut infra, erigenda ex omni parte perfectior reddatur, condignoque Capitulo, & Canonicorum etiam Dignitates inibi obtinentium numero condecoretur, prævia omnium, & singulorum Canonicatuum, & Præbendarum, nec non trium Beneficiorum de Jurepatronatus Laicorum, ut præfertur, existentium, ac servitium Chori annexum habentium, in secundodicta nuper Collegiata Ecclesia S. Mauritii nunc sine Collegialitate remanente fundatorum præfatorum, de ipsa nuper Collegiata Ecclesia S. Mauritii nunc sine Collegialitate, ut præfertur, remanente, ad primodictam Collegiatam S. Donati in Cathedralem Ecclesiam, ut infra, erigendam translatione, ita ut ex nunc de cætero tam Præpositi, quàm quindecim Canonicorum, ac sex Beneficia præfata pro tempore obtinentium servitium in Divinis Officiis, aliisque Functionibus præstandum, in unum coalescat, & ad unam nimirum primodictam Collegiatam in Cathedralem Ecclesiam, ut infra, erigendam redactum remaneat, cum facultate tamen se conferendi de per se, vel una cum toto infrascripto Capitulo, ad ipsam nuper Collegiatam Ecclesiam Sancti Mauritii nunc sine Collegialitate, ut præfertur, remanente in solemnioribus Anni Festivitatibus ad Sacras Functiones inibi peragendas: Insuper salvis, & integris omnino remanentibus Præpositura, & singulorum Canonicatuum, & singularum Præbendarum præfatorum fructibus, & oneribus, ita quod illam, & illos nunc, & pro tempore respective obtinentes, eisdem annuis redditibus, & emolumentis, quibus hactenus gavisi sunt, etiam deinceps gaudere, & e contra omnia onera eis respective incumbentia, ut priùs, adimplere, & supportare respective debeant, & teneantur, in eadem primodicta Collegiata Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam, ut infra, erigenda, præter Præpositura præfatam, quam Dilectus quoque Filius Josephus Maria Garombi ad præsens obtinet, & quæ deinceps secunda inibi Dignitas existat, ac cujus collatio, provisio, & omnimoda alia dispositio, dum illam pro tempore quomodolibet vacare contigerit, ad Sedem Apostolicam, vice, & loco Archidiaconatus a Nobis ut infra erigendi, ac Dignitatis inibi post Pontificalem majoris, & de infrascripto Jurepatronatus dicti Caroli Emanuelis Regis extituri, semper, & quandocumque, ut antea, spectet, & pertineat, ac præter quindecim Canonicatus, totidemque Præbendas præfatos, quorum quatuor Canonicatus, totidemque Præbendæ omnino liberæ collationis, etiam ut antea, existant, & ad alios quinque Canonicatus, totidemque Præbendas olim de Jurepatronatus Laicorum, ut præfertur, existentes, pro tempore respective vacantes, Nominatio, seu præsentatio Personarum idonearum, in eis, ad Nominationem, seu Præsentationem hujusmodi, per Ordinarium Loci, aut aliàs instituendarum, prout hactenùs ad Capitulum, & Canonicos unius, & alterius Collegiatarum Ecclesiarum præfatarum, cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis, aut si in eorum, & earum respective fundatione reservationes, & affectiones hujusmodi exclusæ reperiantur, aut specialiter, & expresse caveatur, illos, & illas semper censendos, & censendas esse de Jurepatronatus Laicorum, semper, & quandocumque, spectavit, & pertinuit, de cætero ad primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem Ecclesiam, ut infra, erigendæ Capitulum & Canonicos, etiam Præpositurum, aliasque Dignitates a Nobis etiam, ut infra, erigendas respectivè obtinentes, similiter, æque, & pariformiter omnino spectet, & pertineat.

In reliquis vero sex Canonicatibus, totidemque Præbendis de dicto Jurepatronatus Laicorum, ut præfertur, existentibus, Jurpatronatus, & præsentandi laicale hujusmodi iis, quibus illud de Jure respective competit, salvum, integrum, & illæsum omnino remaneat, ac præter sex Beneficia servitium Chori, ut præfertur, annexum habentia præfata, deinceps Mansionariatus, seu Beneficiatus nuncupanda, quorum unum omninò liberæ collationis, ut antea, remaneat, ad alia duo etiam de Jurepatronatus Laicorum olim, ut præfertur, existentia pro tempore respective vacantia, Nominatio, seu præsentatio Personarum idonearum in eis ad Nominationem, seu præsentationem hujusmodi per Ordinarium Loci, aut aliàs instituendarum, prout hactenus, ad Capitulum & Canonicos unius, & alterius Collegiatarum Ecclesiarum præfatarum, cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis præfatis, aut si etiam in eorum respective fundatione reservationes, & affectiones hujusmodi exclusæ reperiantur, aut etiam specialiter & expresse caveatur illa sempea censenda esse de Jurepatronatus Laicorum, semper, & quandocumque spectavit & pertinuit, de cætero itidem ad primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem Ecclesiam, ut infra, erigendæ Capitulum, & Canonicos etiam Præpositurum præfatam aliasque Dignitates a Nobis etiam, ut infra, erigendas obtinentes, æque, & pariformiter omnino spectet, & pertineat. In reliquis vero tribus posterioribus Beneficiis hujusmodi de Jurepatronatus Laicorum, ut præfertur, existentibus, Juspatronatus, & præsentandi laicale hujusmodi dictis respective Familiis, quibus illud de Jure competit, & quoad ultimodictum Beneficium hujusmodi, illi Familiæ, vel illis Familiis, cui, vel quibus per eventum primodictæ litis illud adjudicari contigerit, itidem firmum, salvum, & illæsum respective remaneat.

Ad augendum Capitularium præfatorum numerum, unum Archidiaconatum, qui inibi post Pontificalem major, pro uno Presbytero in Theologia Magistro, vel in utroque, seu saltem Canonico Jure Doctore, aut Licentiato in aliqua approbata Universitate Studii generalis, futuro primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem Ecclesiam, ut infra, erigendæ Archidiacono, a præfato Carolo Emanuele, & pro tempore existente Sardiniæ Rege Illustri, ratione præfati Ducatus Sabaudiæ, ad illum pro tempore vacantem præsentando, ac unum Archipresbyteratum, qui tertia, pro uno Archipresbytero, ac unum Cantoratum, qui quarta, pro uno Cantore, & unum Thesaurariatum, qu.

quinta, pro uno Thesaurario ab eodem Carolo Emanuele, & pro tempore existente Sardiniæ Rege, ratione Ducatus hujusmodi, ad eundem Thesaurariatum etiam pro tempore vacantem pariter præsentando, qui unam Missam qualibet hebdomada in suffragium Animarum supremorum Principum Regiæ domus Sabaudicæ defunctorum in perpetuum celebrare teneatur, ac unum Primiceriatum, qui sexta, inibi respective Dignitates existant, qui Archidiaconatus, & Archipresbyteratus, ac Cantoratus, & Thesaurariatus, necnon Primiceriatus præfati, quilibet illorum videlicet, sicuti etiam quæ Præpositura præfata, a sex ex ipsius primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem Ecclesiam, ut infra erigendæ, Canonicis etiam una cum suis respective Canonicatibus, & Præbendis, absque dispensatione Apostolica obtineri possint, & debeant, pro uno Primicerio, nec non duos alios Canonicatus, totidemque Præbendas, quæ nullo unquam tempore Juri optionis subjaceant, unum videlicet, & unam, qui Archidiaconatui, ac alterum, & alteram, qui Primiceriatui præfatis semper respective adhærere, & insimul cum eisdem Archidiaconatu, & Primiceriatu respective conferri, & absque dispensatione Apostolica obtineri etiam debeant; pro ipsis futuris Archidiacono, & Primicerio etiam Canonicis primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem Ecclesiam, ut infra, erigendæ extituris, ab ipso Carolo Emanuele & pro tempore existente Rege præfato, ratione Ducatus hujusmodi, ad unum, & alterum Canonicatus, unamque, & alteram Præbendas, ut infra, erigendos & erigendas hujusmodi, quomodolibet pro tempore respective vacantes, etiam præsentandis. Demum unam, quam Joseph Vagnono, in Theologalem, ac alteram Præbendas, quam Hiacynthus Benaudo modeni primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem Ecclesiam, ut infra, erigendæ Canonici dilecti quoque Filii ad præsens respective obtinent, & quorum ad id expressus respective accedit assensus, in Pœnitentiariam respective Præbendas, quæ itidem Juri optionis nullo unquam tempore subjaceant, ita ut deinceps de uno, & una Theologali, quos Joseph, ac de altero Canonicatibus, & altera Pœnitentiaria nuncupandis Præbendis hujusmodi, quos Hiacynthus præfati ad præsens, ut præfertur, respective obtinent, quoties deinceps illos, & illas pro tempore quomodolibet respective vacare contigerit, prævio Concursu disponi, ac uni, & alteri Presbyteris etiam Magistris in Theologia, aut in utroque, vel saltem Canonico Jure Doctoribus, aut in Decretis respective Licentiatis provideri debeat, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac gloriosissimæ Virginis Mariæ, eorumdemque Sanctorum Donati, & Mauritii honorem, Fideique Catholicæ exaltationem, Apostolica auctoritate præfata perpetuo erigimus, & instituimus.

Dismembratio Locorum & Ecclesiarum a Jurisdictione aliorum.

Præterea a Diœcesi Taurinen. quindecim, unum videlicet de Campione, & aliud de Fenile, ac aliud de Bibiana, & aliud Sancti Joannis nuncupatum, ac aliud de Angrogna, & aliud de Luserna, ac aliud de Turre, & aliud de Bobbio, ac aliud de Rorata, & aliud de Villar, ac aliud Sancti Germani etiam nuncupatum, & aliud de Inverso Pinasca, ac aliud de Primolo in Vallibus sita, necnon aliud de Buriasco superiori, & inferiori, ac reliquum de Bricherasio extra Valles posita respective Loca, aliaque viginti septem ad secundodicti Monasterii Præposituram a Nobis per præsentes, ut præfertur, ad Sæcularem statum redactam præfatam spectantia, & superiori Jurisdictioni pro tempore existentis Archiepiscopi Taurinen. subjecta, unum nempe de Oulx, & aliud de Bardenasche, ac aliud de Melesset, & aliud de Arnaud, ac aliud de Roche Mole, & aliud de Millaures, ac aliud de Bianlard, & aliud de Chiabran Beaulard, ac aliud de Sause de Oulx, & aliud de Sanolze, ac aliud de Salbeltrand, & aliud de Cesane, ac aliud de Turres, & aliud de Beussons, ac aliud de Fenilis, & aliud de Desertes, ac aliud De la Val, & aliud de Traverses, ac aliud De la Rua, & aliud de Pauriceres, ac aliud de Visseaux, & aliud de Fenestrelles, ac aliud de Mentolles, & aliud de Villaret, ac aliud de Chateau du Bois, & reliquum de Bausset, aliaque duo, in quibus Prior Monasterii Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatæ præfati Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium Oppidi Civitatis nuncupati Secusii Nullius Diœcesis Provinciæ Taurinen. a dicta Præpositura Ultien. ad Sæcularem statum a Nobis, ut præfertur, per præsentes redacta dependentis, sub Regulari forma, Archiepiscopus verò Taurinen. quandam sibi reservatam Jurisdictionem, hactenus respective exercuerunt, unum videlicet de Exilles, & alterum de Chatmont, respective Loca, ac in omnibus, & singulis Locis præfatis consistentes, & consistentia Collegiatas, Parochiales, & alias Ecclesias, Monasteria, Præposituras, Præpositatus, Prioratus, & alia quæcumque, quotcumque, & qualiacumque cum Cura, & sine Cura Secularia, & quorumvis Ordinum Regularia Beneficia Ecclesiastica, etiamsi, Secularia videlicet, Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia etiam Curata, & electiva etiam in Collegiatis, aliisque Ecclesiis; Regularia vero Beneficia hujusmodi, Præpositatus, Præposituræ, Dignitates etiam Conventuales, Personatus, Administrationes, & Officia etiam Claustralia, Cappellaniæ, & Cappellæ sint, & ad Dignitates, Prioratus, Præposituras, & Præpositatus hujusmodi consueverint qui per Electionem assumi, omniumque, & singulorum quadraginta quatuor Locorum hujusmodi utriusque sexus Personas, Habitatores, & Incolas tam Laicos, quam Clericos, Presbyteros, Beneficiatos, & Religiosos quoscumque, cujuscumque status, gradus, Ordinis, & conditionis existant, ab Ordinaria, non tamen Metropolitica, Jurisdictione, Potestate, & Superioritate Venerabilis Fratris Nostri moderni, cujus etiam ad hoc expressus accedit assensus, & pro tempore existentis Archiepiscopi Taurinen., dicta Apostolica auctoritate similiter perpetuo dismembramus, separamus, & eximimus.

Illorum illiusque subjectio Ecclesiæ Taurinen.

Eaque quadraginta quatuor posteriora Loca sic per Nos, ut præfertur, dismembrata, separata, & exempta, itemque primodictum Oppidum in Civitatem Episcopalem a Nobis per præsentes, ut præfertur, erectum, & ex prioribus viginti sex Locis præfatis alia viginti tria Loca, videlicet præfatum de Riva, ac dictum de Bardenasca, & præfatum de Abbatia, seu Sancti Verani, ac dictum Sancti Petri, & præfatum de Talucco, ac præfatum de Portis, & dictum de Villar Perosa, ac prædictum de Tagliareto, & præfatum de Pinasca & dictum de Perosa, & præfatum de Meana, ac dictum Sancti Secundi etiam nuncupatum, & prædictum de Mirandolo, ac præfatum de Turina, seu inverso Ponte, & dictum de Pomareto, ac prædictum de Facto, & Reclareto, & dictum de Perero, ac prædictum Sancti Martini etiam nuncupatum, & præfatum de Massello, ac dictum de Chiabran, & Maniglia, ac prædictum de Rodoreto, & præfatum de Prali vulgo nuncupata Loca propria Territorii primodicti Monasterii, illiusque Abbatiæ a Nobis per præsentes, ut præfertur, suppressæ, & extinctæ, ejusdemque primodicti Oppidi in Civitatem Episcopalem a Nobis per præsentes, ut præfertur, erecti, & posteriorum quadraginta quatuor, ut præfertur, dismembratorum, separatorum, & exemptorum, ac ex prioribus viginti sex Locis præ-

fatis

fatis dictorum viginti trium Locorum hujuſmodi, inſimul ad ſexaginta ſeptem Loca aſcendentium, univerſas Perſonas tam Seculares, quam Eccleſiaſticas, & quorumvis Ordinum Regulares Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, & alia Beneficia Eccleſiaſtica hujuſmodi, cum ipſorum Juribus, & pertinentiis univerſis, novæ Eccleſiæ Epiſcopali Pinarolien., illiuſque futuro Præſuli pro ſuis Civitate, Diœceſi, Clero, & Populo, ita quod liceat Perſonæ eidem Eccleſiæ Pinarolien. tam nunc a primæva illius erectione, & inſtitutione hujuſmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet Paſtoris ſolatio deſtitutæ in Epiſcopum, præficiendæ per ſe, vel alium, ſeu alios ejus nomine, veram, realem, actualem, & corporalem poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem adminiſtrationis ſpiritualis, & omnimodi Juris Diœceſani in primodicto Oppido in Civitatem Epiſcopalem a Nobis per præſentes, ut præfertur, erecto, necnon in omnibus aliis ſexaginta ſeptem Locis prædictis propria auctoritate libere apprehendere, & apprehenſam perpetuo retinere, ejuſdem moderni, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Taurinen., vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita, pari Apoſtolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, & aſſignamus, necnon ſupponimus, & ſubjicimus.

Subjectio trium Locorum Archiepiſcopo Taurinen.

Ne autem ex diſmembratione, & ſeparatione præmiſſis Territorium Eccleſiæ Taurinen. nimiam imminutionem patiatur, eidem moderno, & pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Taurinen. de alicujus compenſationis ſupplemento providere, ſimulque aprioti & commodiori Ordinariæ Juriſdictionis exercitio conſulere volentes, reliqua tria Loca ex prioribus viginti novem Locis hujuſmodi, nempe prædictum de Famolaſco, & præfatum de Mombello, ac dictum de Lagnaſco, Loca hactenus Juriſdictioni pro tempore exiſtentis Abbatis primodicti Monaſterii ſubjecta, prævia, quatenus opus ſit, eorundem trium Locorum a Territorio primodicti Monaſterii, illiuſque Abbatiæ a Nobis per præſentes, ut præfertur, ſuppreſſæ & extinctæ ſimili diſmembratione, & ſeparatione, præfato Territorio Eccleſiæ Taurinen. auctoritate præfata perpetuo adjungimus, unimus, & incorporamus, eaque ſic per Nos, ut præfertur, adjuncta, unita, & incorporata, nec non in eis conſiſtentes, & conſiſtentia Eccleſias, Beneficia, & utriuſque ſexus Chriſtifideles, Ordinariæ Juriſdictioni, poteſtati, & ſuperioritati ejuſdem moderni, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Taurinen. æque, ac pariformiter ſubjicimus, & ſupponimus.

Commutatio duorum Locorum inter dictum Archiepiſcopum, & Epiſcopum Salutiarum.

Et ulterius tam præfato Archiepiſcopo Taurinen., quam Venerabili etiam Fratri Noſtro moderno Epiſcopo Salutiarum, ut ipſi de eorum reſpective Territoriis unum Locum pro altero ad invicem commutando, Archiepiſcopus præfatus videlicet ultimodictum Locum de Lagnaſco præfato Epiſcopo Salutiarum, ipſe vero Salutiarum Epiſcopus alium Locum Civitati Taurinen. magis proximum, & æqualis fere conditionis, atque valoris eidem Archiepiſcopo in perpetuum reſpective concedere libere, & licite poſſint, & valeant; ita quod, ubi mutua conceſſio, & commutatio hujuſmodi, ut præfertur, facta fuerit, duo Loca hujuſmodi ab uno, & altero Territoriis, quorum ad præſens reſpective exiſtunt, Apoſtolica auctoritate præfata ſeparata, ſejuncta, & diſmembrata, ac ipſum de Lagnaſco Territorio Diœceſis Salutiarum, alterum vero a præfato Salutiarum Epiſcopo concedendum reſpective Loca Territorio Diœceſis Taurinen. pari Apoſtolica auctoritate perpetuo reſpective unita, annexa, & incorporata ſint, & eſſe cenſeantur eo ipſo, plenam, liberam, & omnimodam poteſtatem, licentiam, & facultatem eadem auctoritate concedimus, & impertimur.

Attributio Juris conferendi ſingulis, quibus comperit.

Collationem vero, proviſionem, & omnimodam aliam diſpoſitionem Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque in primodicto Oppido in Civitatem Epiſcopalem a Nobis per præſentes, ut præfertur, erecto, ac in omnibus & ſingulis Locis Pinarolien, Diœceſi etiam, ut præfertur, aſſignatis, & appropriatis præfatis conſiſtentium, de cætero ad pro tempore exiſtentem Epiſcopum Pinarolien. Ordinario Jure, in Locis autem de Famolaſco, & de Mombello præfatis, ac poſtquam commutatio præfata, ut præfertur, ſequuta fuerit, in alio Loco per dictum Epiſcopum Salutiarum intuitu commutationis hujuſmodi etiam, ut præfertur, concedendo, ad præfatum Archiepiſcopum Taurinen., ac demum in dicto Loco de Lagnaſco ad ipſum Epiſcopum Salutiarum, nunc & pro tempore exiſtentes itidem Ordinario Jure reſpective ſpectare, & pertinere debere, ſalvis tamen ſemper, & in ſuo robore permanſuris quibuſcumque reſervationibus, & affectionibus Apoſtolicis, & abſque aliquo illarum præjudicio, ac ſalvo quoque ſemper Patronatus, & præſentandi, ac nominandi Jure quoad Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, & alia quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica tam Præſentationis Eccleſiaſticæ, quam de Jurepatronatus Laicorum, ac illorum & Clericorum mixtim reſpective exiſtentes, & exiſtentia, ita ut ad illas, ac illos, & illa pro tempore reſpective vacantes, & vacantia, earum, & eorum reſpective Patroni, Laici nimirum, ut antea, Eccleſiaſtici vero, ceſſantibus dumtaxat reſervationibus, & affectionibus Apoſtolicis, Perſonas idoneas præſentare, & reſpective nominare poſſint, & valeant: Occurrentibus vero reſervationibus, & affectionibus Apoſtolicis præfatis, collatio, proviſio, & omnimoda alia diſpoſitio Beneficiorum præſentationis Eccleſiaſticæ exiſtentium, ad Sedem Apoſtolicam præfatam privative ſpectet, & pertineat, etiamſi Juſpatronatus, & præſentandi ad illa tranſierit de Laicali in Eccleſiaſticum; niſi tamen forte in eorum reſpective fundationibus ſpecialiter cautum eſſet, illa ſemper habenda eſſe tamquam de Jurepatronatus Laicorum, vel ipſa Apoſtolica Sedes ab illorum collatione expreſſe excluſa fuiſſet. Inſuper in prædictis viginti ſeptem Locis ad Præpoſituram ſecundodicti Monaſterii ad Sæcularem ſtatum a Nobis, ut præfertur, redacti antea ſpectantibus, & Diœceſi Pinarolien. etiam, ut præfertur, conceſſis, & aſſignatis, nec non in dictis Locis de Exilles, & de Chaumont, utpote quæ omnia poſita ſunt, & ſita in ea Delphinatus parte Regiæ Domui Sabaudicæ, ut præfertur, ceſſâ, quoad collationem Beneficiorum Eccleſiaſticorum inibi dumtaxat, & non alibi, reſpective conſiſtentium, Gallica Concordata in omnibus eſſe ſervanda. Itemque, cum in primodicto Oppido in Civitatem Epiſcopalem a Nobis, ut præfertur, erecto, & in præfatis viginti ſex Locis antea Juriſdictioni tunc exiſtentis Abbatis primodicti Monaſterii ſubjectis, vigeant uſus, & conſuetudines, ut ſimiliter accepimus, legitime introducti, & introductæ, ac diverſi, & diverſæ ab illis, qui, & quæ vigent in præfatis quindecim Locis a Diœceſi Taurinen. ut præfertur, diſmembratis, omnes reſpective uſus, & conſuetudines in primodicto Oppido in Civitatem Epiſcopalem a Nobis, ut præfertur, erecto, ac in ſingulis viginti ſex antea Juriſdictioni tunc exiſtentis Abbatis primodicti Monaſterii ſubjectis, ac in ſingulis quindecim a præfata Diœceſi Taurinen., ut præfertur, diſmembratis Locis præfatis, legitime tamen, reſpective ſervari ſolitos, & ſolitas, ac qui, & quæ hac-

tenus etiam legitime viguerunt, & vigent de præsenti, etiam deinceps servandos, & servandas esse, & fore, nihilque quoad hoc innovandum; ita tamen ut tam in primodicto Oppido in Civitatem Episcopalem a Nobis, ut præfertur, erecto, ac in singulis viginti sex Locis antea Jurisdictioni tunc existentis Abbatis primodicti Monasterii subjectis, quam in singulis quindecim Locis a Diœcesi Taurinen., ut præfertur, dismembratis præfatis, locum habeant Cancellariæ Apostolicæ Regulæ, ad quarum formam, & præscriptum cujuscumque generis Beneficia Ecclesiastica ab Apostolica Sede præfata, vel a pro tempore existente Episcopo Pinarolien. respective conferantur, Apostolica auctoritate præfata decernimus, statuimus, & declaramus.

Applicatio fructuum Mensæ Episcopali Pinarolien.

Mensæ autem Episcopali novæ Ecclesiæ Pinarolien. præfatæ omnia, & quæcumque ad Mensam Abbatialem primodicti Monasterii quomodolibet spectantia, & pertinentia bona, res, proprietates, & Jura universa, illorumque annuos redditus, obventiones, & emolumenta quæcumque ad annuam summam duodecim millium ducentarum & novem circiter librarum monetæ Pedemontanæ, scuta bis mille quadringenta quadraginta unum monetæ Romanæ constituentium, ut etiam accepimus, ascendentia, & gravata pro annua summa trecentarum, & sexdecim librarum similium certis dictæ Mensæ Abbatiali incumbentibus, nempe stipendio Concionatoris tempore Adventus, & Quadragesimæ, & Eleemosynis feria quinta majoris Hebdomadæ, nec non Cera in Processione Sanctissimi Corporis Christi, taleisque, & Canone trium minarum segalæ, ac manutentione Infantium expositorum vulgo Venturini nuncupatorum, oneribus; supportatis tamen per futurum Episcopum Pinarolien. pro tempore existentem oneribus hujusmodi; eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Cui etiam unitur Monasterium Ultien., cum suis Mensis, & reditibus.

Itemque, ut futurus pro tempore existens Episcopus Pinarolien. statum suum juxta Pontificalis Dignitatis exigentiam decentius, & honorificentius tenere valeat, eidem Mensæ Episcopali secundodictum Monasterium, ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redactum, una cum omnibus & singulis bonis tam mobilibus, quam immobilibus, & semoventibus, vasis etiam aureis, & argenteis, sacra, & pretiosa suppellectili, nec non membris, Molendinis, Domibus, Vineis, Prædiis, Animalibus, iisque omnibus, quibus Molendina, Domus, Vineæ, & prædia hujusmodi instructa reperiuntur, nec non Censibus, Canonibus, & Proprietatibus, juribus, prærogativis, præeminentiis, Jurisdictionibus, fundis & pertinentiis, necnon fructibus, redditibus, proventibus, decimis, obventionibus, & emolumentis universis, cujuscumque nominis, naturæ, speciei, qualitatis, & quantitatis existant, ad secundodictum Monasterium ad Sæcularem statum a Nobis, ut præfertur, redactum, illiusque Præpositum hactenus perpetuum Commendatarium pro tempore existentem, necnon Præpositurale, & Conventualem Mensas quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, & signanter summa quatuor millium centum & quinquaginta septem circiter librarum hujusmodi secundodicti Monasterii ad Sæcularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti Capitulo, & Canonicis Regularibus ab illius Præposito perpetuo Commendatario quotannis partim in pecunia numerata, partim vero in diversis rerum speciebus hactenus subministrata, insimul ad summam quindecim millium nongentarum & quinquaginta trium circiter librarum similium annuatim, ut pariter, accepimus, ascendentibus, super quibus, Mensæ videlicet Præpositurali præfatæ fructibus, redditibus, & proventibus nonnullæ Pensiones annuæ antiquæ, insimul summam bis mille librarum parium constituentes, diversis Personis Ecclesiasticis, aut alias Pensionum hujusmodi capacibus illas annuatim respective percipientibus dicta Apostolica auctoritate reservatæ reperiuntur, ut etiam accepimus, exceptis dumtaxat peculiaribus redditibus Sacristiæ Ecclesiæ ipsius secundodicti Monasterii ad Sæcularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti, pro annua consuetorum onerum, & Legatorum piorum eidem Sacristiæ incumbentium supportatione & implemento, salvis & intactis remansuris, eadem Apostolica auctoritate pariter perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus.

Ita quod futurus pro tempore existens Episcopus Pinarolien. etiam Præpositus Ultien. semper denominetur, & revera sit, & uti talis omnibus honoribus, prærogativis, præeminentiis, & redditibus tam novis, quam antiquis, quibus hactenus Præpositus perpetuus Commendatarius, & Capitulum Ultien. gavisi sunt, etiam in ea parte, quæ est in Regno Galliarum, & potissimum Jure nominandi ad cujuscumque generis Beneficia etiam Curata, per Canonicos quoque Regulares Congregationis Ultien. regi & gubernari solita, quibuscumque donationibus, & piis relictis secundodicto Monasterio, illiusque Ecclesiæ præfatæ, Capitulo, & Canonicis Regularibus nunc ad Secularem statum a Nobis, ut præfertur, redactis, aut eorum intuitu quomodolibet forsan factis nequaquam obstantibus, æque & pariformiter, ac sine ulla exceptione omnino fruatur, & gaudeat, & e contra nedum ad integram solutionem, & præstationem omnium, & singularum Pensionum præfatarum iis, quibus Pensiones ipsæ, ut præfertur, reservatæ existunt, quoad ipsi naturaliter vixerint, & unusquisque eorum respective vixerit, juxta singularum Literarum Apostolicarum super earundem Pensionum reservationibus respective confectarum seriem, continentiam, & tenorem, faciendam, efficaciter obligatus existat, verum etiam omnia, & singula onera, & obligationes, quæ in rerum speciebus, vel in pecunia numerata debeantur, & ex conventionibus particularibus, aut alio quocumque modo proficiscantur, aut juxta solitum exequendæ sint in Regionibus Galliarum Chariſſimo etiam in Christo Filio Nostro Regi Christianissimo subjectis, in perpetuum supportare, & adimplere omnino teneatur.

Propterea quæ liceat præfatæ Personæ eidem Ecclesiæ Pinarolien. tam nunc a primæva illius Erectione, & Institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet Pastoris solatio destitutæ in Episcopum præficiendæ, ejus, & dictæ Mensæ Episcopalis nomine, omnium & quorumcumque tam Mensæ Abbatialis primodicti Monasterii, quam Monasterii secundodicti ad Sæcularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti, ac illius Mensarum Præposituralis, ac Conventualis præfatarum, respective honorum, rerum, proprietatum, jurium, honorum, prærogativarum, præeminentiarum, Jurisdictionum, fundorum, pertinentiarum, decimarum, fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, & emolumentorum universorum præfatorum, veram, realem, actualem, & corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios, propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illaque respective locare, dislocare, arrendare, percipere, exigere, levare, & recuperare, ac in suos, & dictæ Mensæ Episcopalis usus, & utilitatem, necnon præfatorum, aliorumque infrascriptorum onerum supportationem convertere, cujuscumque licentia desuper minime requisita. Cum hoc tamen,

Onera ab Episcopo &

quod

Præposito supportanda.

quod idem futurus & pro tempore existens Episcopus Pinarolien., & futurus Præpositus Ultien., præter expressa, & super enunciata, alia quoque infrascripta onera, aliasque infrascriptas obligationes supportare, & adimplere debeat: videlicet quotannis præstare teneatur libras mille centum & octoginta quatuor dictæ monetæ Pedemontanæ, nempe quadringentas libras hujusmodi pro congrua Rectoris nunc & pro tempore existentis Parochialis Ecclesiæ Loci de la Rua, & ducentas sexaginta sex libras similes, & solidos tresdecim, ac quatuor denarios monetæ præfatæ, pro supplemento Congruæ debitæ nunc & pro tempore existenti Rectori alterius Parochialis Ecclesiæ Loci de Usseaux, ac alias libras octoginta pares Concionatori Loci de Chaumont, & viginti septem sextarios secalis calculatos in libris octoginta & una, pro Eleemosina in Feria quinta majoris hebdomadæ, ac alias libras centum trigintatres, & solidos sex, ac octo denarios ejusdem monetæ, pro manutentione Sacrorum Ornamentorum Sacristiæ Ultien., aliasque libras ducentas viginti tres, & solidum unum monetæ hujusmodi, ad quam summam calculantur argentum, & sextarii quindecim cum tribus quartis alterius sextarii similis vini, & sextarii quadraginta novem secalis Hospitali Ultien. a secundodicti Monasterii ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti Præposito pro tempore existente debitas; necnon alia annua onera, quibus Mensa Conventualis ejusdem secundodicti Monasterii ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti obnoxia reperitur; solvendi nimirum octo libras similes Sacristiæ præfatæ, aliasque libras quadraginta quinque pares, pro Pensione vitalitia cognominato Fantin la Combe debita, aliasque trecentas octoginta tres libras hujusmodi, repartiendas titulo distributionum inter præsentes, & interessentes Choro ad formam Legati a quondam tunc in humanis agente cognominato Vialà relicti, subire, & sufferre.

Itemque ad manutentionem tam primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ, in Cathedralem Ecclesiam a Nobis, ut præfertur, erectæ, quam secundodictæ illi annexæ Sancti Mauritii pro una medietate expensarum, quorum altera medietas Capitulo ipsius Ecclesiæ Pinarolien. incumbat, nec non impendere quidquid opus, & necesse fuerit tam pro reparatione aliarum Ecclesiarum fabricarum, & ædificiorum, quam pro manutentione bonorum Ecclesiæ Pinarolien., illiusque Mensæ Episcopalis hujusmodi, & secundodicti Monasterii ad sæcularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti, eidemque Mensæ Episcopali a Nobis similiter, ut præfertur, uniti & incorporati. Insuper duodecim mille centum & quinquaginta libras dictæ monetæ Pedemontanæ in pecunia numerata annuatim solvere, & exbursare, videlicet libras mille quingentas Archidiacono, aliasque libras septingentas & quinquaginta Thesaurario pro tempore existentibus primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem Ecclesiam a Nobis, ut præfertur, erectæ, pro dote, seu annuo redditu eorum respectivè Præbendarum Canonicalium, ac libras bis mille quingentas in usum distributionum quotidianarum Cleri superioris, & alias libras nongentas in similem usum distributionum quotidianarum Cleri minoris primodictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem Ecclesiam a Nobis, ut præfertur, erectæ, alias libras bis mille dicto Seminario Puerorum Ecclesiastico Pinarolien., reliquasque libras quatuor mille quingentas novem superius nominatis, & cognominatis Canonicis Regularibus ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redactis, quoad ipsi vixerint, & quilibet eorum respectivè vixerit, & deinde novem Presbyteris, servitiis & obsequiis Ecclesiæ secundodicti Monasterii ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti, ut infra, addicendis, & deputandis, ad rationem quingentarum librarum hujusmodi pro quolibet, pro eorum stipendio, & congrua sustentatione, quotannis in perpetuum solvere, & subministrare debeat, & teneatur.

Providentia pro regimine, & servitio Ecclesiæ Monasterii dismembrati.

Sanè cuicumque præjudicio, quod forsan Habitatores. & Commorantes in Montibus Jurisdictionis pro tempore existentis Præpositi secundodicti Monasterii ob secularizationem, aliaque præmissa in spiritualibus paterentur, tum ratione neglectus exercitii curæ Animarum, & consequutionis Indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, tum etiam ratione onerum Missarum, & Anniversariorum, quæ ceteroquin omitterentur, & respectivè non adimplerentur de more in Ecclesiis, Cappellis, & locis a Fundatoribus designatis, provida ratione occurrere volentes, pari Apostolicâ auctoritate decernimus, & statuimus, ut antiqua secundodicti Monasterii ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti Ecclesia in honorem præfati Sancti Laurentii de Plebe Martyrum nuncupati dicata, cum sacris Reliquiis inibi, ut antea, decenter asservandis, & custodiendis, nec non fabrica, & ædificia eidem Ecclesiæ Sancti Laurentii de Plebe Martyrum nuncupati hujusmodi annexa, sarta tecta remaneant, quodque idem futurus, & pro tempore existens Episcopus Pinarolien. etiam futurus Præpositus Ultien. in eisdem ædificiis necessariam assignet habitationem novem superiùs nominatis Canonicis Regularibus ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redactis, quoad ipsi vixerint, & inibi permanserint, & unusquisque eorum respectivè vixerit, ac etiam inibi respectivè permanserit, & deinde in perpetuum novem Presbyteris secularibus ab eodem futuro, & pro tempore existente Episcopo Pinarolien., & etiam futuro Præposito Ultien. ad ejus nutum amovibiliter ponendis, & deputandis, reliquâ præfatorum ædificiorum portione ad usum, & commodum ipsius Episcopi Pinarolien., & Præpositi Ultien. integrè remansurâ: Quodque duo habeantur in perpetuum Clerici eidem Ecclesiæ Sancti Laurentii, illiusque Sacristiæ præfatæ inservientes, ab eodem futuro, & pro tempore existente Episcopo Pinarolien., etiam futuro Præposito Ultien. pro tempore deputandi, & ad ejus nutum pariter amovibiles, quibus, utrique eorum videlicet, salarium ex peculiaribus, & separatis redditibus ejusdem Sacristiæ tribuatur. Ex eisdem autem novem Canonicis ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redactis, & deinde, illis deficientibus, ex novem Presbyteris secularibus in eorum locum deinceps subrogandis, unus magis idoneus, & prudens ab eodem futuro, & pro tempore existente Episcopo Pinarolien., etiam futuro Præposito Ultien. etiam pro tempore deputandus, aliorum octo sit Caput, & denominetur Vicarius Foraneus, quo quidem munere hac prima vice præfatus Joannes Agnes fungatur, ad quem in casibus necessariis facilior, & commodior pateat accessus, & a quo instantaneæ capiantur provisiones, ubi Episcopus Pinarolien. etiam Præpositus Ultien. præfatus, propter qualitatem viarum, & asperi itineris difficultatem, hyemali potissimum tempore, adiri a Diœcesanis nequeat, ipseque Joannes Agnes dumtaxat, donec vixerit, & servitio ipsius Ecclesiæ Sancti Laurentii addictus fuerit, gaudere debeat etiam aliquibus parvis emolumentis, quibus hactenus gavisus est in Gallia specie quadam Beneficii, quo ipse ad præsens fruitur; Alius vero sit, & nuncupetur Eleemosynarius, quo primo munere hac prima vice præfatus Dominicus fungatur, qui etiam præsit curæ, & regimini Hospitalis Ultien.,

quique similiter frui, & gaudere debeat, dum vixerit, eidemque Hospitali inservierit, salario, quo ad præsens gaudet, octoginta librarum parium ab ipsomet Hospitali persolvendarum, eisdem modo, & formâ, quibus hactenus pro suscepto munere hujusmodi persolutum fuit; Tertius demum sit, & esse debeat Sacrista, in quo munere continuare debeat primodictus Josephus Antonius modernus inibi Sacrista, qui simili modo gaudere etiam debeat parvis quibusdam emolumentis, quibus uti Sacrista præfatus ad præsens fruitur, & quorum oneri nova Mensa Episcopalis præfata obnoxia non sit. Ipsi autem omnes novem Canonici Regulares nuper ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti, seu Presbyteri seculares a futuro, & pro tempore existente Episcopo Pinarolien., etiam futuro Præposito Ultien. præfato identidem amovibiliter ad ejus nutum subrogandi, servitiis & obsequiis ipsius Ecclesiæ Sancti Laurentii ita sint addicti, ut quolibet anno undecim anniversaria cum cantu peragere, & mille quadringentas octoginta duas Missas lectas a piis Benefactoribus relictas celebrare, prout a Capitulo Regulari secundodicti Monasterii ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti, ante secularizationem hujusmodi, Anniversaria, & Missæ hujusmodi peragebantur, & respectivè celebrabantur, nec non Missam, & Vesperas diebus Festis de præcepto canere, iisque personaliter, & collegialiter interesse, Sacramentales utriusque sexus Christifidelium illuc confluentium Confessiones excipere, ipsique Ecclesiæ Sancti Laurentii, illiusque Choro, ad instar secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ laudabiliter inservire, ceteraque onera illius Sacristiæ, aliaque omnia ab eodem futuro, & pro tempore existente Episcopo Pinarolien. etiam futuro Præposito Ultien. congruè statuenda, adimplere omnino teneantur.

Pro eorum verò congrua sustentatione, & onerum præfatorum supportatione, & implemento, præter quingentas libras præfatas, unicuique eorum per futurum, & pro tempore existentem Episcopum Pinarolien. etiam futurum Præpositum Ultien. præfatum annuatim, ut præfertur, persolvendas, ac præter habitationem eis etiam, ut præfertur, assignandam, alias quoque superius memoratas trecentas octoginta quatuor libras annuas a præfato cognominato Vialà, ut præfertur, legatas, pro interessentia Choro, inter eos æqualiter dividendas, percipiant, & lucrentur; eisque præterea competat jus percipiendi emolumenta, & Eleemosynas unius Anniversarii, & trecentarum sexaginta quinque Missarum lectarum in præfata Ecclesia Sancti Laurentii, & aliarum quinquaginta duarum Missarum etiam lectarum in Cappella Sancti Romani, cum parva distributione die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum a præfata Sacristia Ultien. quotannis satisfaciendarum; itemque aliarum quadraginta Missarum similium ad Altare Sancti Angeli Custodis & unius Missæ solemnis etiam cum parva distributione eadem die Commemorationis Fidelium Defunctorum, pro quorum Legatorum satisfactione Hospitale Ultien. libras quadraginta quatuor circiter quotannis solvere tenetur. Cæterum si præfati novem nuper Canonici Regulares, ad sæcularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti, aut eorum aliquis, sponte & voluntariè discesserint, aut respectivè discesserit, ipsius Ecclesiæ Sancti Laurentii servitio derelicto, nec assignationem præfatarum quingentarum librarum, nec quidquam aliud prætendere valeant, aut respectivè valeat; Donec verò, & quousque apud ipsam Ecclesiam Sancti Laurentii permanserint, pro omnium præfatorum onerum implemento, ipsi nil aliud unquam, præter præmissa, a futuro, & pro tempore existente Episcopo Pinarolien., etiam futuro Præposito Ultien. præfato, petere, aut prætendere possint. Nos enim certas alias reservationes, sub quibus iidem novem nuper Canonici Regulares ad secularem statum a Nobis, ut præfertur, redacti, & in loco Ultien. apud dictam Ecclesiam Sancti Laurentii permansuri, suum super præmissis consensum præstiterunt, dicta Apostolica auctoritate omnino rejicientes, & de medio tollentes, ac pro non appositis haberi, & censeri debere decernentes, eorum consensum hujusmodi, hac in parte, Motu pari, & de simili potestatis Apostolicæ plenitudine, supplemus.

Facultas condendi statuta in nova Cathedrali.

Sive ex parte Religionis, ſive ex parte Profeſſi introducantur; & impedimentum ad reclamandum duraverit toto quinquennio. *ibid.*

Cauſæ in gradu reſtitutionis in integrum quandoque ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione Ordinariis, & aliis Superioribus commiſſæ fuere. XLVII. p. 222. 223.

Censura, Privilegium, ne quis inconſultâ Sanctâ Sede cenſuris irretiri poſſit, non afficit Ordinariorum ſententias. XL. p. 195.

Ideoque nec probat ab eorum Juriſdictione exemptionem. *ibid.*

Census ſolutio Apoſtolicæ Sedi, non inducit exemptionem ab ordinaria Epiſcopi juriſdictione, XL. p. 195.

Cenſus, non ſolum ſolvuntur ratione libertatis donatæ, ſed etiam protectionis. *ibid.* & ſeq.

Cenſus autem ſolutus ratione protectionis, minime officit juriſdictioni Epiſcopi, ſeu Ordinarii. *ibid.* p. 195. Vid. *Cauſæ Cenſuum.*

Centum-Cellæ. Ad Centumcellas Pontifex accedit. XXXIX. p. 188.

Ejus habitationem infrequentem agnoſcit, indeque ingratam, & inſalubrem. *ibid.*

Ideo ad promovendam ædificationem, plura ſtatuit de viſitandis ædificiis, deque cogendis Dominis ad reædificandum, vel ad vendendum; quorum executionem committiti Gubernator cum Conſilio Magiſtrorum viarum. XXXIX. per tot. p. 198. & ſeq.

Ad reſtituendam verò Commercii libertatem quoad domos, vel areas, & fundos Hypothecis, Fideicommiſſis, aliiſque vinculis obnoxia, nonnulla Privilegia concedit. *ibid.* pag. 188. & ſeq.

Utque etiam in ſuburbiis frequentius ædificetur, alia Privilegia ædificantibus concedit. *ibid.* p. 189. & ſeq.

A Fiſco immunes decernit domos, quæ ædificabuntur in ſuburbiis Centumcellarum. XXXIX. p. 190. Vid. *Commercii libertas.*

Vid. *Damnati ad Triremes.*

Chimiæ Cathedra in Archigymnaſio Urbis erigitur. LXII. p. 281.

Chirurgi, & Periti, pro recognitionibus, quas faciunt pro ſervitio Tribunalis Gubernii, & ſacræ Conſultationis, in Commiſſionibus extra Urbem, unde ſolvi debeant. XLIV. p. 207.

Chizzola, *Leander*, Archiaconus Brixienſis. XXV. p. 101.

Choreas extremâ die carnis privii ultra mediam noctem produci, vetatur. XLV. p. 211.

Cibaria Judicibus, & Notariis Gubernii ad Commiſſiones prodeuntibus de mandato ipſius Curiæ, vel Sac. Conſultationis, præſtari debent arbitrio Gubernatoris ex certa ſumma eorum cœtui in annos ſingulos aſſignata. XLIV. pag. 207. Vid. *Bona Reorum.*

Quid ſi adſit pars Fiſco adhærens. *ibid,* p. 369.

Citatio Defenſoris in omnibus actis, nec non omnium intereſſe habentium in cauſis nullitatis Profeſſionis, neceſſaria definitur ſub pœna nullitatis. XLVII. p. 221.

Clausura. Super Monialium Clauſura Conſtitutiones Apoſtolicæ, & Conciliares innovantur. XXVI. p. 105.

Et Ordo præſcribitur pro introductione Mulierum in Monaſteria. p. 105.

Epiſcopo licitum eſt, ad impertiendam Benedictionem Moniali in mortis articulo conſtitutæ, Monaſterium intrare. XXXIV. p. 162.

Sed ad hunc effectum intra Monaſterii ſepta ſe conferens, comites habere debet Ordinarium Confeſſarium dicti Monaſterii, aliumque Sacerdotem ipſius arbitrio eligendum. *ibid.*

Clemens Alexandrinus. De ejus nomine in Matyrologium Romanum ſub die 4. Decembris inſerendo, Controverſia proponitur. LIV. §. 19. pag. 244.

Ejus geſta ſtrictim attinguntur. *ibid.* §. 20.

Referuntur veterum Patrum, & Scriptorum teſtimonia de ejus Doctrina, & Sanctimonia. *ibid.*

Recentiorum quoque Elogia indicantur. *ibid.* §. 21. p. 244. & ſeq.

Uſuardi Martyrologium Clementis nomen inter Sanctos habet die 4. Decembris, ejuſque exemplum recentiora quædam Martyrologia ſequuntur. *ibid.* §. 22. pag. 245.

Clementis Operum Cenſuræ S. Gelaſii Papæ Decreto indicatæ, ex nonnullorum ſententia, cauſam dederunt Hæretici illius Operum corruptores. *ibid.* §. 23.

Alii duos Clementes Alexandrinos fuiſſe contendunt: alii aliis rationibus illius Operum defenſionem inſtituunt. *ibid.* §. 24. pag. 245.

Nihilominus Pontifex, Clementem pro Sancto colendum non putat: 1. Propter veterum Scriptorum ſilentium de illius vita, moribus, & morte. *ibid.* §. 26. pag. 245.

2. Quia nullum extat monumentum publici cultus ab Eccleſia eidem exhibiti. *ibid.* §. 27. p. 246.

3. Ob errorum maculas, ſive de induſtria, ſive incautè in ipſius operibus exiſtentes, quas notant Caſſiodorus, Photius, Petavius, aliique. *ibid.* §. 28. & 29. pag. 246. & pag. 245. præc. §. 26.

Maxime quia relatum Gelaſii Decretum illius opera in genere notat; ex ipſis autem plura interierunt, de quibus judicium ferri non poteſt. *ibidem.*

Errores eidem objecti verſantur circa Dogmata, quæ jam tunc ab Eccleſia Catholica defininita fuerant. *ibid.* §. 31. pag. 246.

Sancti, & Beati Titulus Clementi tributus, ad vitæ ſanctimoniam non refertur; ab aliis verò eidem conſultò denegatus fuit. §. 31. pag. 246. & ſeq.

Euſebii Textus Græcus *ſacrum* potius, quàm *ſanctum* exhibet, τοῦ ἱερέως. *ibid.*

Martyrologia Uſuardo antiquiora, & graviora, illius nomen omittunt. *ibid.* §. 33. & 34. p. 247.

Martyrologii Adonis Editiones, & Codices probatæ fidei, ejuſdem nomen non habent. *ibid.* §. 35. pag. 247.

Uſuardus etiam in aliis quibuſdam erravit, §. 36. pag. *ead.*

Ex his omnibus infertur, jure omiſſum eſſe Clementis nomen in editione Martyrologii Romani, a Cardinali Baronio procurata; nec aliquid hac in re immutandum eſſe. *ibidem.*

Clemens de Arostegui Ildefonſus Sacræ Rotæ Auditor, Auctor Tractatus ſub Titulo, *Concordia Paſtoralis*, laudatur. XXXIII. p. 167.

CLERICI a profanis Bacchanalium licentiis ſpecialiter abſtinere jubentur. XLV. pag. 160.

Clerici Regulares *S. Pauli.* Vid. *S. Caroli ad Catenarios.*

Clerici Seculares Doctrinæ Chriſtianæ. Vid. *Doctrina Chriſtiana.*

CLERICORUM REGULARIUM *Miniſtrantium Infirmis* Congregatio a S. Camillo de Lellis inſtituitur. XII. pag. 41.

A Gregorio XIV. approbatur. *ibidem.*

Ejus Congregationis utilitas, & fructus. *ibid.*

Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei *Scholarum Piarum* Congregatio a B. Joſepho Calaſanctio inſtituta. LVIII. pag. 271. 272.

Clericorum Regularium *Somaſchæ* Congregatio a B. Hieronymo Æmiliano inſtituta. XLIII. p. 204.

Clericis Secularibus vetari non debet tranſitus ad Claustra Regularia. XXV. pag. 102.

Clerici Seculares Eccleſiæ ſervitium deſerere non debent. *ibid.* pag. 102. & ſeq.

Nihilominus poſſunt ſanctioris vitæ ſtatum, etiam contradicente Epiſcopo, amplecti. pag. 102. 103.

Et ingredi Religionem non ſolum deditam vitæ contemplativæ, ſed etiam vitæ activæ. pag. 102.

COELIBATUS *Lex* in Clero a S. Siricio Papa firmata, & pœnis indictis ſtabilita. LIV. §. 55. pag. 251. & ſeq.

COLLEGIUM extingui poteſt de facto, & de jure: in quo differant hujuſmodi extinctiones. XXV. pag. 170.

COMMERCII MUTUI libertas inter ſubditos ejuſdem ſtatus, eſt de natura civilis ſocietatis, & tam fertilibus, quàm ſterilioribus locis, atque Provinciis, neceſſaria, & utilis. LIII. pag. 234.

Ea conceditur in perpetuum inter Provincias, & loca ditionis Eccleſiaſticæ. *ibidem* per tot. pag. 233. & ſeqq.

Exceptis Diſtrictu Urbis, Provincia Sabinæ, & Guberniis Viterbii, & Centumcellarum, ſicut etiam Statu Avenionenſi, & Ducatu Beneventano. *ibid.* pag. 234. & ſeq.

Et quidem terra, mari, flumine &c. dummodo ſegetes, & oleum per aquam convehenda extra Statum Eccleſiaſticum exportari nequeant. *ibid.* pag. 235.

Qua de re præſcribuntur cautelæ. *ibid.*

Ideo revocantur, & irritantur quælibet edicta, ſtatuta, & conſuetudines, quibus hujuſmodi libertas ubicumque prohibita fuerit. *ibid.* pag. 235.

Commercii mutui libertas nullum præjudicium inferre debet ſolutioni vectigalium pro tranſitu, introductione, extractione, & portorio legitimè impoſitorum, tam favore Cameræ Apoſtolicæ, quàm Communitatum, & privatorum. *ibid.* pag. 235. & 236. V. *Extractio.*

COMMISSARIUS ſubſtitutus Cameræ quid exequi debeat. VI. pag. 26.

COMMISSIONES Cauſarum contra diſtinctionem a Summo Pontifice firmatam factæ, nullæ cenſentur, niſi forte manu Pontificis ſignatæ fuerint. XXI. pag. 92.

Commiſſionum *Reviſor* quas clauſulas apponere debeat in commiſſionibus, ut ſecernantur Cauſæ Rotales a Prælatitiis. *ibid.* pag. 91.

Quid in caſu acceſſionis conſenſus partium. *ibid.*

Commiſſionum Reviſor in officio delinquens, quas pœnas incurrat. *ibid.*

COMMISSIONES CRIMINALES, quæ mittuntur a Tribunalibus Gubernii, & Sacræ Conſultationis, exequendæ ſunt a Judicibus, & Notariis Gubernii, qui certa ſalaria, & emolumenta percipiunt a Camera Apoſtolica. XLIV. pag. 207.

Nec aliud prætendere poſſunt præter cibaria, taxanda a Gubernatore Urbis. *ibid.*

Commiſſiones Criminales mitti poſſunt a Tribunalibus Cardinalis Vicarii, & Auditoris Generalis Camerae Apoſtolicæ, expenſis Accuſatoris, ſive adhærentis Fiſco, qui tamen congruum depoſitum pro viaticis, & cibariis facere debent. *ibid.* pag. 207. Vid. *Auditor Generalis.*

Mitti etiam poſſunt ex officio, ſed tunc ſolum, ubi adſit mandatum ſpeciale Sanctiſſimi. *ibid.* pag. 207.

Viatica, & Cibaria in his caſibus ſolvuntur a Camera Apoſtolica, quæ eadem repetit ab inquiſitis. *ibidem.* V. *Viatica & Cibaria.*

COMPOSITIONES. V. *Bona Cameræ.*

COMPLICUM nomina a pœnitentibus exquiri, & denegando abſolutionem, prohibetur. VIII. pag. 29. & ſeqq. V. *Confeſſarius.*

COMPUTISTERIA *Cameræ.* V. *Camera.*

COMPUTORUM *Congregatio.* V. *Congregatio.*

CONCILII *Congregatio.* V. *Congregatio Concilii.*

CONCILIUM TRIDENTINUM. V. *Tridentinum.*

CONDUCTORES Bonorum Cameræ. V. *Thesaurarii Provinciales, & Appaltatores.*

CONFESSARIORUM error, & perverſa praxis, exquirendi a pœnitentibus complicum nomina, & denegandi abſolutionem, niſi illa manifeſtarent, damnatur, & prohibetur ſub pœnis &c. VIII. pag. 29. & ſeq.

Et declaratur, quod hujuſmodi ſanctio generalis pro omnibus locis, & perſonis. XX. p. 87. & ſeq.

Confeſſarii hac in re delinquentes cum ſuſpicione prævi dogmatis, denunciandi ſunt Officio S. Inquiſitionis ab iis, qui eorum delictum quoquo modo cognoverunt. VIII. pag. 31.

Pœnitentes tamen, in caſibus, & cauſis propriis, non tenentur denunciare. *ibid.*

Inquiſitionis Officium contra hujuſmodi delinquentes procedere debet ad formam ſuarum conſuetudinum, & facultatum. *ibid.* pag. 31.

Pœnas vero prædictis infligendas. Vid. *ibid.*

Confeſſarii in præmiſſis delinquentes ſine ſuſpicione prævi dogmatis, judicandi ſunt a ſuis Ordinariis. *ibid.* pag. 31. & ſeq.

*Confeſſarius Ordinarius Monialium* unicus pro tota Communitate deputari debet. LVI. pag. 262.

Præterea extraordinarius iiſdem concedi debet bis, aut ter in anno, ex Decreto Concilii Tridentini. *ibid.*

Quod intellige non de ſingulis Monialibus peculiariter, ſed de tota Communitate. *ibid.* pag. 262.

Hic autem Confeſſiones omnium Monialium, quæ eidem confiteri velint, audire debet. *ibid.* pag. 262.

Moniales tamen non tenentur ſingulæ eidem peccata ſua confiteri, ſed ſufficit, ut omnes in Monaſterio degentes coram ipſo ſe ſiſtant. *ibid.*

Confeſſarii extraordinarii electio pertinet ad Ordinarium loci pro Monaſteriis ſibi immediate ſubjectis, ſeu ad Superiorem Regularem pro iis, quibus de cætero Confeſſarium Ordinarium deputare conſuevit. *ibidem.* pag. 263.

Confeſſarii, tam Ordinarii, quàm Extraordinarii, Monialibus deſignandi, qualitates perpendendæ. *ibidem* pag. 265.

Pro utriſque requiritur expreſſa approbatio Epiſcopi, ſeu Ordinarii localis. *ibid.*

Prælati Regularis negligentia in deputatione Confeſſariorum extraordinariorum ſuppleri debet ab Ordinario; Ordinarii vero incuria a Cardinali Majore Pœnitentiario. *ibid.* pag. 263.

Confeſſarius extraordinarius Monialibus peculiaribus denegari non debet in caſu gravis infirmitatis, etiam poſt alteram aut tertiam conceſſionem univerſo Monaſterio indultam. *ibidem.*


Et

Et si a Prælato Regulari denegetur Moniali sibi subjectæ, Ordinarius loci poterit eum deputare. LVI. pag. 263. & seq.

Idem procedit in casu, quo Monialis aliqua firmiter recuset Ordinario Monasterii Confessario confiteri. *ibid.* pag. 264.

Si vero Monialis extraordinarium peculiarem Confessarium optet pro spirituali dumtaxat consolatione & profectu, suadetur Ordinariis, & Regularibus Prælatis, ut faciles se exhibeant in hujusmodi concessionibus. *ibid.* pag. 264. & 265.

Pœnitentiarii Majoris jura in præmissis firma intelliguntur. *ibid.* per tot.

Pro Monialibus, quæ Regularibus subjectæ sunt, Extraordinarius Confessarius deputari potest tam e Clero seculari, quàm ex altero Ordine. *ibid.* pag. 265.

Verum semel saltem in Anno deputari jubetur Sacerdos vel secularis, vel alterius Ordinis ab eo, cujus est Monasterii Prælatus. *ibid.* pag. 265. & seq.

Hanc legem ab Innocentio Papa XIII., & Benedicto XIII., maturo præmisso examine, statutam, Pontifex declarat generalem esse, & ubique observandam, ipsequè expressè extendit ad omnia Monasteria Regularibus subjecta. *ibid.* pag. 266.

Et dat facultatem Episcopis, sive Ordinariis, supplendi hac in re Regularium Superiorum negligentiam & defectum. *ibidem.*

Vid. *Monialis.* Vid. *Conservatoria.*

Confessarius extra ordinem alicui Monasterio, vel Moniali Deputatus, expleto officio suo, abstinere debet ab accessu ad Claustra, nec commercium, etiam spiritualis causæ obtentu, cum Monialibus fovere. *ibid.* pag. 266. 267.

Confessarius Ordinarius, Monialium Confessiones excipere nequit, durante officio & deputatione Extraordinarii; nec alia ratione huic impedimentum afferre, ne munus suum implere valeat. *ibid.* pag. 266.

Confessarius Regularis Monialium, qui non est Monasterii Prælatus, Judex esse non debet in causis super nullitate earum professionum. XLVII. p. 221.

CONFESSORES eo sensu, quo a Martyribus distinguuntur, publico cultu in Ecclesia honorari cœperunt dumtaxat sæculo quarto. LIV. §. 27. pag. 246.

Nihilominus aliquam cultus rationem antea quoque a Fidelibus ipsis exhibitam fuisse, negari nequit. *ibidem.*

CONFIRMATIONIS *Sacramentum* conferri potest ab Abbatibus Cryptæ Ferratæ Episcopali Charactere præditis, semel singulis Annis, in illius Monasterii Ecclesia, per se ipsos. XXIII. pag. 160.

CONFIRMATIO Privilegiorum. V. *Privilegia.*

CONFRATERNITATIBUS, olim aggregatis Archiconfraternitati B. Mariæ Virginis de Planctu suppressæ, omnes Indulgentiæ præservantur. II. pag. 4.

CONGREGATIONES S. R. E. CARDINALIUM. Congregatio *Boni Regiminis* in rebus Oeconomicis Civitatis & Comitatus Firmi non aliter se ingerere debet, quàm sicut usitatum est in locis Provinciarum Cardinalibus Legatis subjectarum. XIX. pag. 86.

Et Ordinationes suas in vim specialis Commissionis pro tempore factas, dirigere debet Congregationi Firmanæ, non vero Gubernatoribus, aut Communitatibus dicti Comitatus, *ibidem.*

Congregatio *Computorum* Cameræ Apostolicæ quid servare debeat in controversiis Appaltatorum Camerarium. VI. §. 30. & 31. pag. 24.

Ad Congregationem *Concilii Tridentini*, vel ad Rotæ Auditorium, privativè spectant Causæ Matrimoniales ad Apostolicam Sedem delatæ. XXI. pag. 90.

Ad eamdem, vel ad alteram Episcoporum, & Regularium, vel ad Rotam, pertinent causæ nullitatis professionis Regularis per appellationem ad Apostolicam Sedem delatæ. *ibid.*

Ad ipsam Congregationem Concilii privativè spectant causæ nullitatis hujusmodi, ex capite non expleti Tyrocinii in Cœnobio pro Novitiis destinato, etiam in prima instantia, etiam intra quinquennium propositæ. XLVII. pag. 221.

Ejusdem Congregationis plura decreta ad decisionem hujusmodi causarum spectantia confirmantur. *ibidem* pag. 220. 221. & 223.

Signanter decretum in Causa *Sicula Restitutionis in integrum* super privativo jure Apostolicæ Sedis concedendi restitutiones in integrum adversus lapsum quinquennii. *ibid.* pag. 223.

Alia Decreta ejusdem. Vid. *Regulares: Confessarii &c.*

Ad Congregationem *Episcoporum, & Regularium*, vel ad Congregationem Concilii pertinent causæ nullitatis Professionum Regularium ad Sedem Apostolicam delatæ. XXI. pag. 90. XLVII. pag. 221.

Congregationi *Firmanæ* privativa jurisdictio asseritur, quoad Gubernium, tam Politicum, quàm Oeconomicum, Civitatis, & Comitatus Firmi. XIX. pag. 85.

Controversia super hoc agitata in Signatura Gratiæ coram Sanctissimo. *ibid.* pag. 85.

Congregatio Firmana singulis Mensibus in ædibus Cardinalis Præfecti cogenda est. *ibid.* pag. 86.

Congregationis Firmanæ Secretarius definitiva decreta interponere nequit sine Congregationis voto. *ibid.*

Congregatio *Oeconomica* a Summo Pontifice instituitur, & singulis mensibus semel haberi jubetur. VI. pag. 28.

Ejus officia, & nomina Cardinalium, & Prælatorum eidem adscriptorum. *ibid.*

Ejusdem Consilium super reformatione Tribunalium Urbis in Criminalibus. XLIV. pag. 205. & seq.

Congregatio *super residentia Episcoporum* aliàs instituta restituitur. XVIII. pag. 81. & 82.

Eadem sæpius in anno habenda: & ejus Praxis præfinitur. pag. 82. & 83.

Congregatio *Residuorum* quando adunari debeat. VI. pag. 26. & 27.

Quidam eidem interesse debeant, & quomodo se gerere. *ibid.*

Eadem denuntiare debet Pontifici debitores Cameræ. *ibid.* pag. 27.

Congregatio *Sacrorum Rituum* alia Generalis, alia Ordinaria. XLVI. pag. 215.

In illa coram Sanctissimo intervenientibus Cardinalibus, & Consultoribus, agitur de Virtutibus, Martyrio, aut Miraculis Servorum Dei. *ibid.*

In hac vero soli Cardinales cum Officialibus Congregationis, de aliis pluribus agunt, & inter ea, de revisione Operum Servorum Dei. *ibid.*

Hujus revisionis methodus exponitur. *ibid.* pag. 215.

Aliaque decreta, & consuetudines referuntur. *ibidem* per tot.

Congregationis Rituum decreta de retinenda Crucifixi Imagine super Altari. XVII. pag. 78. & seq.

In Congregatione Sacrorum Rituum unus locus perpetuò assignatur pro uno Presbytero Societatis Jesu. XLIX. p. 227.

Congregationes Clericorum Regularium. V. *Clerici Regulares.*

Congrui Jus statuitur in Civitate Centum Cellarum ad promovendam ædificationem. XXXIX. p. 188. & seq.

Consanguinei petentis Professionis nullitatem, citandi sunt in Judicio. XLVII. p. 221. 222.

Consecratio ab Episcopo electo, & confirmato suscipi debet intra tres menses. XXXVI. p. 177. 178.

Alioquin privatur Episcopatu, & fructus restituere tenetur. *ibid.*

Consensus *parentum* non requiritur, quando Filius rationis usu pollens, licet in potestate positus, Baptismum petit. XXVIII. §. 36. p. 124.

Vide *Baptismus.*

Consensus *partium* efficit, ut quælibet causa cujuscumque Judici, aut Tribunali committi valeat. XXI. p. 91.

Exceptis causis Matrimonialibus, & nullitatis Professionum. p. 90.

Et quod causæ Rotales committi nequeunt alicui Rotæ Auditori uti Prælato. p. 91.

De consensu partium in dictis casibus debet legitimè constare a tergo commissionis. XXI. p. 91.

Consensus in Resignationibus. Vid. *Resignationes, Notarii, Procuræ mandata.*

Consensus in alienationibus. Vid. *Bona Cameræ.*

Conservatorio puellarum, vulgo Zoccolette, conceditur jus ad unum Dotale subsidium. II. p. 6.

In Conservatoriis Mulierum, & puellarum, quibus unicus Ordinarius Confessarius designari solet, observari jubentur leges a Pontifice statutæ super deputatione Confessariorum extraordinariorum. LVI. p. 262. & pag. 266.

Consistoriales Orationes pro Canonizatione quinque Sanctorum. p. 62.

Consistoria Canonizationi prævia. Vid. in quinque Bullis Canonizationum a p. 35. & seq.

Consistorialis Aulæ Advocati. Vid. *Advocati.*

Consistorialis provisio, actus videlicet propositionis Episcoporum, sive Abbatum &c. in Consistorio, vim habet electionis, & confimationis. XXXVI. p. 177. & seq.

Constantini Magni memoria nunquam in Martyrologio Romano fuit inserta, licet inveniatur in Græcorum Menologiis, & de ejus cultu in Orientali Ecclesia nullum suboriatur dubium. LIV. §. 30. p. 246.

Constantinopolitanæ Civitatis occupatio a Turcis facta juxta Ecclesiæ Annales. XXXVI. p. 178.

Constantinopolis ut in Christianorum potestatem rediret, maximos sumptus plures Pontifices impenderunt. XXXVI. p. 179. & 180.

Constantinopolitanus *Patriarchatus* quando collatus fuit Cardinalibus Isidoro, Bessarioni, ac Riario, non reputabatur tamquam Titularis, ut alii Episcopatus in partibus infidelium siti. *ibid.*

Licet enim tunc Constantinopolis Turcarum potestati subesset. spes tamen erat Summis Pontificibus eam recuperandi. *ibid.* p. 179.

Consuetudo *Immemorabilis* inducit præsumptionem cujuscumque tituli, aut privilegii. III. p. 12.

Limita quoad illa, quæ adeo rationi adversantur, ut etiamsi postulentur, nunquam concedi soleant. *ibid.*

Ut Consuetudo Immemorabilis contra assistentiam juris allegari possit, requiritur, ut nihil contra eam factum, auditum, aut dictum unquam fuisse constet. XXXIII. p. 159.

Contumacium causæ quamprimum expediri jubentur. XLIV. p. 209.

Crucifixi *imago* super Altari requiritur ad celebrationem Missæ. XVII. p. 77.

Eaque non debet esse ita parva, ut Celebrantem lateat. *ibid.*

Crucifixi imago etiam apud Orientales super Altari ponitur. *ibid.*

Crucifixus pendens a Cruce an debeat in Altari constitui, etiamsi in majori Altaris tabula depictus, aut cælatus appareat. *ibid.* p. 78.

Crucifixi imago utrum collocari debeat in Altari, in quo positum sit Tabernaculum cum Sanctissima Eucharistia. *ibid.*

Crucifixi imago in Altari, quum Sacrum peragitur, satis dabiliter apponitur, etiamsi Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ibi publicè sit expositum. *ibid.* p. 78.

Crux super Altari, in quo Missa celebratur, exponenda, non nuda, sed cum imagine Crucifixi esse debet. *ibid.* p. 77.

Usus invaluerat collocandi Crucem parvam super Altari, ex quo apponi solebat alia minor tabula inter candelabra. *ibid.* pag. 77.

Pontifex id reprobat, & prohibet. *ibid.* & *per tot.*

Cryptæ Ferratæ Monasterium, Ordinis S. Basilii, a duobus SS. Monachis Bartholomæo & Nilo, sub initium seculi undecimi fundatum fuit. XXXIII. p. 159.

In eo Ritus Græcus constanter servatus fuit. *ibidem.*

Cryptæ Ferratæ Abbatis controversia cum Episcopo Tusculano pendens definitur. *ibid.* pag. 157.

Cryptæ Ferratæ Abbas, si jus Baronale habet, impediri nequit quoad illius exercitium ab Episcopo Tusculano. *ibid.* pag. 157.

Monasterio autem competit exemptio passiva ab Episcopo Tusculano. *ibid.*

Ecclesia Parochialis est, illiusque cura per Presbyterum ab Abbate nominandum exerceri debet. *ibid.*

Cryptæ Ferratæ Monasterio Territorii separati jura cum qualitate *Nullius* non competere statuitur, & ex quibus probetur. *ibid.* & pag. 158.

Monasterium ipsum cum annexis, intra Diœcesis Tusculanæ fines existere non dubitatur. *ibid.* p. 158.

Privilegia Monasterio ejusque Abbatibus antiquitus concessa, passivam exemptionem dumtaxat præseferunt. *ibid.* pag. 158. & seq.

Actus jurisdictionales ab Episcopo Tusculano exerciti in Territorio Cryptæ Ferratæ, destruunt immemorabilem consuetudinem ab Abbate allegatam. *ibidem.* pag. 159.

Ideo jurisdictio Ordinaria in Territorium Cryptæ Ferratæ, ejusque Clerum, & Populum, ad Episcopum Tusculanum pertinere definitur. pag. 159. 160.

Cryptæ Ferratæ Abbati varia Privilegia Pontifex de novo concedit. XXXIII. pag. 160.

Scilicet conferendi Sacramentum Confirmationis semel in Anno: approbandi Confessarios pro Sæcularibus in perpetuum: recipiendi examina testium super statu libero: judicandi causas Civiles mensæ Abbatialis &c. dicta pag. 160.

Cujabaensis *Prælatura* erigitur ex divisione Diœcesis Fluminis Januarii. XXII. pag. 94.

Cultus Servis Dei exhibitus sine auctoritate Apostolicæ Sedis, non tamen ab immemorabili, aut centenario tempore, ex Decretis Urbani VIII. sublatus fuit. XXIX. §. 5. pag. 139.

Temptus

Tempus centenarium, quo probatur exceptio ab hujusmodi Decretis, præcedere debet Annum MDCCXXXIV. XXIX. §. 8. pag. 141.

Vid. *S. Lucas Casalius.*

Cultus immemorabilis non sufficit, ut nomina Beatorum in Martyrologio Romano inserantur. LIV. §. 12. 13. pag. 243.

A CUNHA Cardinalis Inquisitor Generalis in Portugalliæ Regno laudatur. VIII. pag. 30.

CURA Animarum nemini committenda absque Ordinarii consensu, & approbatione. I. pag. 1.

Nec per Regulares independenter ab Ordinariis exercenda. Vid. *Regulares.*

D.

SANCTUS DAMASUS *Papa.* Vid. *Sanctus Hieronymus.*

DAMNATI ad triremes in carceribus detineri prohibentur ultra tres dies; sed statim ad Centumcellarum Civitatem transmitti debent, expensis Baroncelli Urbis. XLIV. pag. 208.

Exceptis tribus mensibus æstivis, ratione aëris insalubris. *ibid.* p. 371.

DATARIA *Apostolica* rationes reddere non tenetur Ratiocinatori Cameræ Apostolicæ. VI. pag. 24.

*Datarius.* Vid. *Resignationes.*

DEBITORES publici Ærarii, Mauritii Imperatoris Lege, Monasteria ingredi sunt prohibiti; quod a S. Gregorio reprehensum fuit, sed postea Sanctus Pontifex sententiam mutavit. XXV. p. 104. & seq.

DEFENSOR *Matrimonii.* Vide *Matrimonii Defensor.*

DEFENSOR *Professionis.* Vid. *Professio.*

DEFUNCTI. In die Commemorationis omnium Defunctorum in Aragonia a quolibet Sacerdote Sæculari duæ Missæ celebrabantur; a Regularibus vero tres. LXI. pag. 276.

Sed nunc a Pontifice nova Constitutione conceditur indultum pro tribus Missis celebrandis tam a Sæcularibus, quam Regularibus per totam Hispaniam, & Lusitaniam, aliasque Regiones ab his dependentes. *ibid.* p. 277.

DEPOSITARIA *Cameræ* Apostolicæ, quæ mandata exequi debeat. VI. p. 26. Vid. *Cameræ Apostolicæ.*

DEVOLUTIO. Vid. *Bona Cameræ.*

DIES FESTI de Præcepto. Vid. *Festi Dies.*

DIMISSORIALES LITERÆ Ordinarii originis pro ordinatione Regularium non requiruntur. XXVII. pag. 107.

Dimissoriales literæ Superiorum Regularium ad alium Antistitem dirigi nequeunt, præterquam ad Ordinarium loci. *ibid.* pag. 108.

Si tamen Episcopus Diœcesanus extra Diœcesim commoretur, vel Ordinationem consuetis temporibus non sit habiturus, ad alium dirigi poterunt. *ibid.*

Sed si illis juncta non fuerit legitima attestatio de absentia Episcopi, vel quod Ordinationes non sit habiturus, pro nullis haberi statuitur. XXVII. p. 108.

DISCIPLINA Ecclesiastica mutationes aliquas recipit; quæ si fiant auctoritate Superiorum, & justis de causis, reprehendi non possunt. LXIII. pag. 284.

DISPENSATIONES MATRIMONIALES vel a Dataria Apostolica, vel a Pœnitentiaria, vel a Sanctæ Inquisitionis Officio conceduntur. LIX. p. 272.

Dispensationes super gradibus prohibitis ad effectum contrahendi cum hæreticis, regulariter a Sancta Sede non conceduntur, nisi cum clausula: *abjurata prius hæresi.* LI. p. 231. & seqq. LIX. p. 272.

Dispensationes hujusmodi exequendæ non sunt, nisi Executori constet de veritate eorum, quæ in precibus exposita fuerunt. LI. p. 231.

Et nisi per authentica documenta constet, quod abjuratio hæresis Matrimonii celebrationem re ipsa præcesserit. *ibid.* & Const. LIX. p. 273.

Dispensatio, seu licentia pro contrahendo Matrimonio cum hæreticis, non adjectâ abjurandæ hæresis conditione, nonnisi raro, & ut plurimum favore Supremorum Principum, ob publicam, & gravem caussam, ab Apostolica Sede concessa reperitur. LI. pag. 231.

Et tunc plures cauthelæ præscribi consueverunt, ne conjux Catholicus perversionis periculum incurrat, neque Proles hæretici Parentis errores sequatur. *ibid.*

Dispensationum literæ ab Apostolica Sede concessæ, debent ab executoribus deputatis attentè perpendi, tum quoad earum veritatem, tum quoad conditiones appositas. *ibid.* pag. 232.

Item facultates dispensandi in genere concessæ, ne præscripti fines transiliantur. LIX. pag. 273.

DISPENSANDI FACULTAS, quæ ab Apostolica Sede datur Episcopis in remotis Regionibus degentibus, non excedit tertium gradum in contrahendis. LIX. pag. 273. & seq.

In contractis vero, si agatur de hæreticis conversis, ad secundum quoque gradum pertingit. *ibid.*

Hujusmodi facultas in usum deduci nequit cum hæreticis re ipsa non conversis, etiamsi conversionis spem, aut promissionem obtendant. *ibidem* pag. 272. & seq.

Dispensationes Matrimoniales concedens vigore Indulti, & Delegationis Apostolicæ, debet delegationis mentionem facere, & Indulti tenorem in dispensatione inferere, cum expressione temporis, ad quod fuit concessum, sub pœna nullitatis. *ibid.* pag. 272. & seq.

DISPENSATIO SUPER ÆTATE ad contrahendum matrimonium, quando malitia supplet ætatem, etiam ab Ordinario concedi potest. LI. pag. 232.

Et hæc non tam est dispensatio, quam declaratoria super casu, cui provisum est in jure. *ibid.*

Quando autem contrahentes rationis usum habent, sed nondum copulæ apti sunt, hujusmodi Dispensatio ab Apostolica Sede dumtaxat impetrari potest. *ibidem.*

Quia nemo, præter Papam, derogare potest Juri Canonico, quod requirit in contrahentibus hujusmodi actualem potentiam. *ibid.*

Dispensationes pro Regularibus non conceduntur, nisi de Superiorum Regularium consensu, vel ad eorum preces. XLVII. pag. 224.

DOCTRINAM CHRISTIANAM Parochi explicare tenentur. III. pag. 11.

Doctrinæ Christianæ Archiconfraternitas in Basilica S. Petri a Paulo V. erecta sub regimine Cardinalis Vicarii Urbis. II. pag. 4.

Ecclesiæ tunc illi concessæ, sicut & alia a Clemente XII. eidem unita, nimis angustæ, & ab Urbis centro nimis dissitæ erant. *ibid.*

Item ejusdem reditus nimis tenues pro oneribus piorum operum illi incumben. *ibid.*

Ideo Pontifex eidem concedit Ecclesiam S. Mariæ de Planctu, & assignat reditus alterius Archiconfraternitatis in dicta Ecclesia existentis, quam supprimit, *ibid.* pag. 5.

Cum onere adimplendi pia legata, aliaque onera. *ibid.* pag. 6.

Et

Et injunctâ lege erigendi Congregationem Adoleſcentum, qui in uberiori Catechiſmi explicatione exerceantur. *ibid.* p. 7.

DOCTRINÆ CHRISTIANÆ Congregatio Clericorum Sæcularium a Pio V. erecta, a Gregorio XIII. in S. Agathæ de Urbe conſtituta, & a Paulo V. & a Gregorio XV. confirmata. XLII. p. 201.

Hanc Congregationem Pontifex invenit ad deteriorem ſtatum redactam, abſque ſpe majoris incrementi; ideoque eam uniendo ſubjicit Provinciæ Romanæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Avenionenſis. *ibidem.*

Nec non omnia ejus bona, & fructus diſmembrat, & dictæ Congregationi Avenionenſi tribuit. *ibid.*

DOHANARUM Præſes quotannis rationes reddere tenetur. VI. p. 23.

In S. DOMINICI Civitate in Inſula Hiſpaniola Collegium Societatis Jeſu in publicam Univerſitatem Studiorum a Pontifice erigitur, & ejuſdem Societatis Præpoſiti Generalis curæ, & regimini ſubjicitur. XXXVII. pag. 185.

Ejuſque Miniſtris, Magiſtris &c. cumulativa Privilegiorum aliarum Univerſitatum indulgetur. *ibid.*

Nec non Rectori tribuitur facultas conferendi gradus, ſervata forma Decretorum Viennen. & Tridentini Conciliorum. *ibid.*

Quæ tamen facultas, de conſenſu partium, cumulativè quoque competit Priori Conventus Fratrum Prædicatorum ejuſdem Civitatis. *ibid.* p. 184. 185.

DOMUS Vid. *Congrui jus.* Vid. *Centumcellæ.*

DURANDI opinio de Nullitate Baptiſmi Infantibus collati ſine conſenſu parentum, reprobatur. XXVIII. §. 26. p. 119. 120.

## E.

ECCLESIÆ omnes, quæ in Diœceſi reperiuntur, Epiſcopo ſubjectæ ſunt. XL. p. 192.

Eccleſiis, & locis piis Centumcell. Pontifex indulget, ut in Suburbiis ædificando, in evidentem Eccleſiæ utilitatem pecunias erogaſſe cenſeantur. XXXIX. pag. 189. & 190.

Eccleſia S. Mariæ de Planctu de Urbe conceditur Archiconfraternitati Doctrinæ Chriſtianæ. II. pag. 5.

EDUCANDARUM puellarum admiſſio in Monaſterium fieri nequit ſine Apoſtolica licentia, & Ordinariorum examine. XXVI. p. 105. & 106.

ELECTIONIS, & confirmationis Epiſcoporum, locum ſupplet Proviſio Conſiſtorialis a Pontifice facta. XXXVI. pag. 177. & ſeq.

ELEEMOSYNÆ a Regularibus fieri, & diſtribui poſſunt, opportunis facultatibus obtentis. XXV. p. 104. & 105.

ELEEMOSYNA. Vid. *Miſſa.*

ELEEMOSYNARIUS REGIUS. Vide *Cappellanus Major.*

ELEVATIO Corporis Venerabilis Servi Dei Joſephi a Matre Dei committitur Promotori Fidei. LV. pag. 261. Vid. *Joſeph.*

EMPTIO *Segetum, Leguminum &c.* ad exercendam ſuper iis mercaturam fieri nequit, niſi in publicis foris. LIII. p. 235.

Res autem ita emptæ, ſtatim alio exportari, ibique venales proponi debent. *ibid.*

EMPHYTEUSIS. Vid. *Bona Cameræ Apoſtolicæ.*

ENUNCIATIVÆ expreſſiones non ſufficiunt ad probandam omnimodam exemptionem a juriſdictione Ordinarii. XL. p. 196.

EPISCOPALIS ordo, ratione ipſius Ordinis, præſtat dignitari Cardinalis Presbyteri, aut Diaconi, quia multa facit Epiſcopus ratione Ordinis, quæ Cardinales facere non poſſunt. XXXVI. pag. 223.

Epiſcopatus cum Cardinalatus Officio incompatibilis olim cenſebatur, nec alii Epiſcopi inter Cardinales erant, præter ſeptem prius, poſtea vero ſex, Suburbicarii. *ibid.* pag. 174.

Deiñ tamen uſus invaluit, ut etiam Cardinales Cathedralibus Eccleſiis præficerentur; idque approbatum fuit a Concilio Tridentino; dummodo ipſi Cardinales apud ſuas Eccleſias reſiderent. *ibid.*

Epiſcopatus non extinguitur per extinctionem Capituli XXXV. pag. 169. & ſeq.

Epiſcopatus Titulares Eccleſiarum in partibus Infidelium laudabiliter conferuntur, ubi hujuſmodi Epiſcopus opera aliquam Eccleſiæ utilitatem afferat. XXXVI. pag. 172. 173. & ſeq.

Epiſcopatus Titulares quando Cardinalibus conferendi ſint. *ibid.* p. 174. per tot.

EPISCOPUS habet Aſſiſtentiam juris pro omnimoda juriſdictione, ejuſque exercitio, in omnes Eccleſias, & loca ſita intra fines ſuæ Diœceſis. XXXIII. pag. 159.

Amplia, ut etiam Monachi, eorumque Monaſteria, & Eccleſiæ, juriſdictioni Epiſcopi Diœceſani ſubjiciantur, niſi de eorum exemptione conſtet. XL. pag. 192.

Actus juriſdictionis, etiam ſingulares, ab Epiſcopo exerciti in loco, aut territorio intra Diœceſis fines conſtituto, totam ipſius Ordinariam juriſdictionem probant, & præſervant. XXXIII. p. 159.

Epiſcopus non poteſt in totum jus Epiſcopale dimittere, & propria auctoritate Eccleſiam, aut Monaſterium a ſua ordinaria juriſdictione immunem efficere, id opus eſt Privilegio Apoſtolico. XL. p. 192.

Epiſcopi Diœceſani conſenſus a Romanis Pontificibus exquiri conſuevit ad concedendam Monaſteriis plenam exemptionem ab eorum ordinaria juriſdictione. XL. pag. 194.

Epiſcopis quanta obedientia, & reverentia debita ſit ab eorum Clericis. XXV. p. 103.

Epiſcopi juriſdictionem habent in Civilibus in omnes Regulares. VII. p. 29.

Item in Regulares extra Clauſtra degentes omnimodam juriſdictionem habent tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati. *ibid.*

Epiſcopi in Regulares Animarum curam exercentes in Indiis tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, & in eorum Eccleſias, in his, quæ ad hujuſmodi curam pertinent, legitimam juriſdictionem habent, ad formam Concilii Tridentini, & Conſtitut. Apoſtolicarum. I. pag. 3.

Ab Epiſcopo Diœceſano Ordines Regularibus conferri debent, prævio examine. XXVII. pag. 105. 106. per tot. & XL. p. 196.

Nec Regulares ad alium Epiſcopum recurrere poſſunt, niſi Diœceſanus a Reſidentia ſit abſens, vel Ordinationes in Temporibus non ſit habiturus. XXVII. pag. 108.

Epiſcopi non arctantur Privilegiis Regularium de Ordinibus ſuſcipiendis extra Tempora. *ibid.* p. 108.

Epiſcopi, qui Regulares contra præſcripta in Decreto Concilii Tridentini, & Clementis VIII. ad Sacros Ordines promovent, incurrunt pœnas in jure ſtatutas contra Ordinantes alienos Subditos abſque eorum Superiorum dimiſſoriis. *ibid.*

Vid. *Regularis.* Vid. *Ordinatio.*

Epiſcopi approbatio ſpecialis requiritur pro Confeſſariis, tam Ordinariis, quam Extraordinariis Monialium. LVI. pag. 265.

Ad Epiſcopum ſpectat Confeſſarios tam Ordinarios, quàm Extraordinarios deputare pro Monaſteriis Monialium ſibi immediatè ſubjectis. *ibid.* pag. 263.

Item

Monasteriis Monialium sibi immediatè subjectis, *ibid.* pag. 263.

Item Extraordinarios deputare pro Monasteriis, quæ Regularibus subsunt, si eorum Prælati neglexerint adimplere Decretum Concilii Tridentini, de hujusmodi deputationibus bis, aut ter in anno faciendis. *ibid.* p. 263.

Item pro hujusmodi Monasteriis, quibus a Prælato Regulari semel saltem in Anno oblatus non fuerit Confessarius è Clero Sæculari, vel alio Ordine Regulari, si ita expedire judicaverit. *ibi* p. 265. & 266.

Item pro Monialibus peculiaribus, quibus in gravi infirmitate a Prælato Regulari denegatus fuerit Confessarius extra Ordinem. *ibid.* p. 263.

Similiter pro iis, quæ insuperabili reluctantia affectæ sunt erga Confessarium Ordinarium. *ibid.* p. 264.

Episcopus in deputandis Confessariis extra Ordinem pro Monasteriis, aut Monialibus sibi non immediatè subjectis, in casibus sibi permissis, non tenetur eos eligere ex eo Ordine, cujus est Monasterii Prælatus. *ibid.* p. 265.

Episcopis Pontifex suadet, ut nimis difficiles non sint in concedendo Confessarios Extraordinarios Monasteriis, & Monialibus sibi subjectis id justè petentibus, etiam ultra præscriptum in Concilio Tridentino. *ibi* p. 264.

Item, ut regulam statutam pro Monasteriis Monialium in rigorosa Clausura viventium, similiter servent, quoad Conservatoria, Domos, & Monasteria sine Clausura. *ibid.* p. 262. 263.

Episcoporum olim privativum jus erat Benedictionem super populum impertiri. XLVIII. p. 226.

Episcopo licet in tota Diœcesi, & locis ipsius etiam exemptis populo benedicere. *ibid.*

Episcopo tantùm de jure competit Benedictionem trino ductu impertiri. *ibi.* p. 227. Vid. *Abbas.*

Episcopi in his, quæ pertinent ad Missarum celebrationem procedere possunt contra quoscumque etiam exemptos, tanquam delegati Sanctæ Sedis. XVII. p. 79.

Episcopus concedere nequit licentiam iterandi Sacrificium sine gravi necessitate. III. p. 11. & 12.

Ad Episcopum spectat licentiam concedere, ut Sanctissimum Sacramentum publice exponatur. V. p. 17.

Episcopis ampliatur facultas impertiendi benedictionem auctoritate Apostolica cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis. XXXIV. pag. 161.

Et adjicitur facultas subdelegandi Sacerdotes tam in Civitatibus, quàm in Diœcesibus, qui eam applicare valeant etiam de die. *ibi.* p. 163.

Episcopus tenetur sequi judicium Patroni Ecclesiastici in electione dignioris inter approbatos ab Examinatoribus, si nemo adversus Patroni judicium reclamet. IV. p. 13. & seqq.

Contra vero, si inter approbatos ab examinatoribus sit, qui reclamet a præelectione Patroni. IV. pag. 14. & 15.

Episcopus denegare nequit Clerico, atque etiam Canonico, & Parocho, licentiam ingrediendi Religionem. XXV. p. 103.

Episcopus juxta Innocentii IV. sententiam revocare potest Sæcularem Clericum a Claustris Religiosis, quando Ecclesia ex illius digressu gravius lædatur. XXV. p. 103.

Episcopus quomodo providere debeat Animarum curæ, dum Parochus Religionem ingressus nondum professionem emisit. p. 103.

Quomodo etiam quoad Beneficia Choralia. *ibid.*

Episcopi procedere possunt, & debent adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomina, nisi in ipso delicto de pravo dogmate suspecti sint. VIII. p. 31.

Episcopus electus, & confirmatus consecrationem petere debet intra tres menses, sub pœna amittendi fructus, atque etiam Ecclesiam. XXXVI. p. 177. 178.

Episcopi residentes in suis Diœcesibus a Sancta Sede beneficiis cumulantur. XVIII. p. 80.

Episcopi, etiam Cardinales, Residentiæ lege tenentur. *ibi.* p. 84. & XXXVI. p. 174.

Episcopis non licet abesse ab Ecclesia per tempora Adventus, Quadragesimæ &c. XVIII. p. 80.

Nisi forte eos Episcopalia munia in aliis Diœcesis locis detineant. *ibid.*

Episcopi post eorum promotionem, transacto mense, ad suam quisque Diœcesim se conferre tenentur. *ibid.*

Episcopi ratione visitationis Sacrorum Liminum quanto tempore a suis Diœcesibus abesse possint. *ibid.*

Episcopis postulantibus licentiam abessendi a propriis Ecclesiis caussa insalubritatis aeris, quid præcipiatur. XVIII. p. 83.

Quid petentibus hujusmodi licentiam aliis de causis. *ibi.* p. 82. & 83.

Episcopis qua forma, & quibus cautelis concedi debeat licentia abessendi a propriis Diœcesibus. *ibid.* p. 81.

Vid. *Residentia.*

Episcopi denunciare debent alios Episcopos non Residentes. *ibi.* p. 84.

Episcoporum onera, & officia diversi generis enunciantur. XXXIV. p. 162.

Episcopus juxta Tridentinam Synodum quotannis si non totam, saltem aliquam suæ Diœcesis partem lustrare tenentur. *ibi.* p. 162.

Episcopos Pontifex admonet, ut ad ægrotos personaliter accedant, benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis eisdem collaturi. XXXIV. p. 164.

Episcopos vehementer hortatur Pontifex ad exercenda publicè pia opera, præcipuè bacchanaliorum tempore. XLV. p. 214.

Utque eo tempore Sanctissimum Sacramentum per triduum exponi publicè curent. *ibid.*

Ideoque Fidelibus visitantibus Sanctissimum Sacramentum Pontifex concedit Indulgentiam Plenariam. *ibid.*

Episcopis in remotis degentibus, quæ facultates concedantur a Sancta Sede circa Dispensationes Matrimoniales. LIX. p. 272. 273.

Hi tamen in earum concessione mentionem facere tenentur de facultate a Sede Apostolica sibi impertita, sub pœna nullitatis. *ibi.* p. 273.

Vid. *Dispensatio.*

Episcopus duarum Ecclesiarum unitarum, an die Cœnæ Domini possit in utraque Missam celebrare. III. p. 10.

Episcopi Suffraganei, annua præstatione super Mensa Episcopali ipsis constitutâ, provideri debent de congrua sustentatione. XXXVI. p. 172. 173.

Episcopi Titulares validè, sed illicitè Ordines conferunt sine licentia Ordinarii in cujus Diœcesi degunt. *ibid.* p. 176.

Episcopus Titularis jurisdictionem exercere potest in Subditos Ecclesiæ sibi assignatæ, si ad Christianam Religionem convertantur. *ibid.* p. 177.

Episcopi quamplurimi imminutionem dierum Festorum a Pontifice postularunt. LXIII. p. 284.

Et plurium consilia Pontifex exquisivit super substantia, & modo hujusmodi reductionis.

Vid. *Festi dies.*

EQUITES S. STEPHANI. Vid. *S. Stephani.*

ERRORES circa dogmata nondum ab Ecclesia definita, excusandi sunt, & non officiunt Sanctitati, de qua aliunde constet. LIV. §. 31. p. 246.

EUCHARISTIÆ *expositio* non exigitur pro lucrandis Indulgentiis, visitantibus Ecclesiam concessis. V. p. 17.

Requiritur vero, quando id injungitur in concessione Indulgentiæ, ut in Oratione 40. horarum. *ibid.* p. 17.

Sed fieri non debet absque Episcopi licentia. *ibid.* p. 17.

An sit conveniens hujusmodi expositionis frequens usus. *ibid.* p 17.

Eucharistia in Azymo. Vid. *Azymum.* Vid. *Fermentatum.*

EXAMINI Diœcesani Episcopi ante Ordinationem subjici debent etiam Regulares. XXVII. p. 107.

Examen Reorum Inquisitorum, qui in carceribus Urbis detinentur, differri non debet ultra tres dies, nisi de licentia Capitis Tribunalis, sublata cuilibet Ministro & inferiori facultate aliter permittendi. XLIV. pag. 209.

Ideoque ad protrahendum examen requiritur causa gravis. *ibid.*

Licentia autem dari non debet generalis pro tempore indefinito, sed pro certis necessariis diebus dumtaxat. *ibid.*

Examen Operum Ven. Sororis Mariæ a Jesu de Agreda. Vid. *De Agreda.*

EXEMPTIO a jurisdictione Ordinariorum non præsumitur, sed concludenter probari debet. XL. 192.

Exemptio a jurisdictione Episcopi non probatur per enunciativas expressiones. *ibi.* p. 196.

Exemptio omnimoda a jurisdictione, correctione, & emendatione Ordinarii, non potest concedi ab ipsomet Ordinario, sed a plenitudine dumtaxat Apostolicæ potestatis concedi potest. *ibi.* p. 192. Vid. *Ordinarius.*

Exemptio ab Episcopi jurisdictione Monasterio tribui non potest a Fundatoribus sine Diœcesani Episcopi consensu. *ibi.* pag. 194.

Exemptio licet a Romanis Pontificibus ex potestate absoluta, etiam sine consensu Episcopi concedi possit Monasteriis, tamen Episcoporum consensum ante concessionem quærere consueverunt. *ibid.* p. 194.

Exemptionis concedendæ formula, quæ ab octavo usque sæculo in usu erat, refertur. *ibi.* p. 194.

Exemptiones Monasteriis, aliisque locis sacris a jurisdictione Episcoporum, & Ecclesiis Cathedralibus a Metropolitanorum jure, plerumque à Sede Apostolica concessæ sunt propter Præsidentium infestationes. *S. Gregorius VII. in Epistola ad Episcopum Taurinen. ibid.*

Simul tamen hujusmodi Monasteria, & Ecclesiæ sub immediata jurisdictione Sedis Apostolicæ constituta sunt. *ibid.*

Exemptio ab ordinaria, & spirituali Episcopi jurisdictione non infertur ex concessione immunitatis a potestate seculari. *ibid.* pag. 192.

Exemptio Monasterii a jurisdictione ordinaria Episcopi non inducitur ex facultate eligendi Abbatem. *ibid.* p. 193.

Item non ex libertate eligendi Advocatum, & Defensorem. *ibid.* & seqq.

Aut ex facultate illum dimittendi. *ibi.* p. 193.

Exempti ab Ordinariorum jurisdictione Apostolicæ Sedi immediatè submitti debent, ut colligitur ex Constitutionibus Nicolai IV. *ibi.* p. 194.

Exempti a jurisdictione Episcopi non sunt, qui Apostolicas dumtaxat protectiones obtinent. *ibid.* pag. 195.

Item, qui Privilegia obtinuerunt, ne censuris irretiri possint sine mandato Sedis Apostolicæ. *ibid.*

Exemptio ab ordinaria Episcopi jurisdictione ex solutione census Apostolicæ Sedi minime concludi potest. *ibid.*

Si enim census solvitur titulo tantum protectionis nihil detrahit jurisdictioni Episcopi. *ibid.* p. 195. 196.

Secus ubi solvitur ratione libertatis, & exemptionis. *ibid.*

Exemptio non inducitur ex facultate condendi statuta, & coërcendi contumaces. *ibid.*

Exemptionem non inducunt Privilegia honoris; ex. gr. usus Pontificalium. *ibid.*

Exemptionem non inducunt Privilegia recipiendi Ordines a quocumque. *ibid.*

Maxime si Privilegium datum appareat in odium Episcopi sordida lucra captantis e rebus sacris. *ibid.*

Exemptionem non probant Imperialia Diplomata Privilegiorum Apostolicorum confirmatoria, nisi quarentur in ipsis Apostolicis Privilegiis contineri conspicuum. *ibid.* p. 196. & seqq.

Exemptio passiva valde differt a jurisdictione activa in Clerum, & Populum. XXXIII. p. 158. & 159. Vid. *Jurisdictio.*

Vid. *Cryptæ Ferratæ Monasterium.*

Vid. *Territorium separatum.*

EXPOSITI. Vid. *Projecti.*

EXTRACTIO Segetum, Animalium, Lignorum de una in aliam Provinciam, Legationem, aut Civitatem Status Ecclesiastici, sub certis legibus permittitur omnibus, etiam non subditis in perpetuum. LIII. p. 234.

Inquisitiones, & processus pendentes, sicut etiam sententiæ latæ, sed nondum executioni traditæ adversus extractores segetum &c. de loco ad locum Status Ecclesiastici, annullantur, & irritantur. *ibid.* p. 235.

Et quoad triticum, aliasque segetes, quæ mense Junio colliguntur, libertas commercii de Provincia in Provinciam permittitur ab initio Septembris ad finem Maji. *ibi.* p. 236.

Quo vero ad eas, quæ serius leguntur, permittitur ab initio Octobris ad finem Junii. *ibid.*

Interdicta quibuslibet, etiam privilegiatis, eorumque generum extractione a Provincia per tres menses respectivè intermedios. *ibid.*

Et sublata cuilibet facultate concedendi licentias extrahendi. *ibid.*

Quod tamen non procedit quoad extractionem de loco ad locum ejusdem Provinciæ. *ibid.*

Extractio segetum, farinæ, & olei extra Statum Ecclesiasticum sine speciali Chirographo Papæ prohibetur sub gravissimis pœnis, sublata cuilibet facultate concedendi licentias extrahendi. *ibi.* p. 237.

Quo vero ad alias res mobiles, aut semoventes, remittitur arbitrio Legatorum, Præsidum, & Gubernatorum Provinciarum. *ibid.*

Extractio segetum, aliorumque per aquam, etiamsi directa dicantur ad alia loca Ditionis Ecclesiasticæ, nisi fiat cum præscriptis cautelis, reputanda erit pro extractione a Statu, & statutis pœnis punienda. LIII. p. 237.

Extractio cujusque rei de Provincia ad Provinciam quocumque tempore; atque etiam extra Statum Ecclesiasticum, permittitur pauperibus, qui spicas a Messoribus relictas colligunt. *ibid.*

Item Mercenariis, quibus pro mercede datur frumentum, vel quid simile. *ibid.*

Men-

Mendicantibus, qui Eleemosynæ loco, & pro victu Cœnobii ea colligunt. LIII. p. 237.
Ac denique iis, qui pro eduliis ad fora delatis, ea loco pretii recipiunt. *ibid.*

F.

Falsariorum malitia cavenda est Litterarum Apostolicarum executoribus. LI. p. 417.

Falsitas in pluribus antiquis exemptionum Privilegiis reperta. XL. p. 192.

Farfensis *Abbatia* ab Urbano VIII. singularibus Privilegiis, honoribus, & præeminentiis cumulata fuit. XXXII. p. 151.

Farfen. Abbatiæ jurisdictio nimis ampla, & extensa intra alienas Diœceses reperitur, ex eoque plura inconvenientia, & lites ortum habuerunt. *ibid.*

Ex Farfensis Abbatis jurisdictione Ecclesiæ, Monasteria, Oppida, & Loca Pia in variis Diœcesibus existentia dismembrantur; eaque Diœcesanorum jurisdictioni subjiciuntur. XXXII. p. 151.

Hujusmodi dismembratio ampliatur per schedulam postea editam. *ibi.* p. 155.

Dismembratio etiam plurium locorum, & Ecclesiarum a Gregorio XIII. facta favore Archiepiscopatus Firmani confirmatur. XXXII. p. 151. & 152.

Abbati tamen reservantur jura Patronatus Ecclesiastici in Ecclesias, & Beneficia dismembrata. *ibid.* pag. 155.

Si Abbas fuerit S. R. E. Cardinalis, in mensibus alias non reservatis, nominabit coram Ordinariis, in mensibus vero reservatis, seu in casibus aliarum reservationum, & affectionum, nominabit coram Pontifice. *ibid.* p. 155. 156.

Farinæ extractio de loco ad locum, de Provincia ad Provinciam Status Ecclesiastici, ac denique extra ipsum Statum, quomodo, & quando permittatur. LIII. p. 236. & seq.

Vid. *Extractio.*

Fermentati usus in Missa, si quando in Ecclesia Occidentali viguit promiscuè cum Azymo, nullibi tamen post sæculum decimum obtinuit. XXXIII. p. 159.

Ferrariæ Ducatus eo Privilegio gaudet, ut bona de directo Dominio Cameræ ab utilibus Possessoribus alienari possint per contractus inter vivos, de consensu tamen ipsius Cameræ. L. p. 229.

Festorum dierum solemnitates, quo Religionis spiritu a Fidelibus celebrandæ sint. LXV. p. 287.

Festorum dierum imminutio ab Urbano VIII. olim facta. LXIII. p. 283.

Nova eorumdem imminutio a multis Episcopis, aliisque gravibus Viris optata. *ibid.*

Pontifex nihil decreturus sine consilio, rationes in utramque partem colligit, & varios illius exequendæ modos demonstrat in peculiari Dissertatione, quæ per Ecclesias transmittitur. *ibi.* p. 283.

Acceptis quadraginta diversi Ordinis Consultorum sententiis, ex consensione majoris partis nihil generaliter præcipere statuit, sed peculiarem Episcoporum instantiam expectare. *ibid.* p. 283. 284.

Modum verò illum sibi servandum proponit, quem Tarraconensis Concilii Patres excogitarunt, ipsisque petentibus Benedictus XIII. approbavit. *ibid.* pag. 284.

Ut scilicet firmum remaneat præceptum audiendi Missam, sed liceat in aliquibus Festis laboriosa opera exercere. *ibid.*

Dissensiones inter doctos Viros diversa sentientes exortæ, cum in Ecclesiasticæ pacis perturbationem vergerent, a Pontifice sedantur, interdicta Scriptorum quorumcumque publicatione super hujusmodi reductionis negocio. *ibi.* p. 284. & 285.

Festorum aliquot dierum observantia in Regno Siciliæ citra Pharum, & in Diœcesibus Messanensi, & Panormitana reducitur juxta methodum supra expositam. LXV. p. 286. & 287.

Festis diebus personatos incedere fideles in universa Ditione Ecclesiastica prohibetur. XLV. pag. 210. & 211.

Item circumforaneos saltatores, scurrones, & hujusmodi, saltem matutinis horis, & ante expleta Officia Vespertina populum detinere vetantur. *ibi.* p. 212.

Feudum. Vid. *Bona Cameræ Apostolicæ.*

S. Fidelis a Sigmaringa Sacerdotis Professi Ordinis S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum Canonizatio. XI. p. 35. & seq.

Ortus illius in Constantiensi Diœcesi. *ibid.*
Ejus virtutes. p. 36.
Martyrium. p. 37.
Beatificatio. p. 38.
Canonizationis Decretum. p. 39.

Pro B. Fidelis a Sigmaringa Canonizatione Orationes Consistoriales. p. 63. & 66.

Fidei Christianæ Favor, Legum rigori congruas interpretationes adhiberi suadet. III. p. 9. XXVIII. pag. 115.

Filius an ingredi possit Religionem, cum Parentes ab ipso deserti inopia sint laboraturi. XXV. p. 103.

Filii in potestate sunt Patris, non vero Matris. XXVIII §. 15. p. 115.

Ubi tamen Fidei Christianæ favor intercedit, potest Mater, invito Patre, filios ad Baptismum offerre. *ibid.* §. 16.
Vid. *Baptismus.*

Filii Judæorum in Parentum potestate sunt. XXVIII. §. 9. p. 113.

Non ideo tamen ipsis relinqui debent, quando constat baptizatos fuisse, etiam illicite. *ibid.* §. 30. p. 121.

Vid. *Judæi.*

Firmanæ Civitatis Comitatus, & Castrorum Gubernium tam politicum, quàm œconomicum ad Congregationem Firmanam nuncupatam, privativè spectare decernitur. XIX. per tot. p. 85. & seqq.

Ejusdem Congregationis forma a Pontifice instauratur. *ibi.* p. 85.

Eidem tribuuntur facultates, quæ circa reliquam Ditionem Ecclesiasticam competunt Congregationibus Sac. Consultationis, & Boni Regiminis. *ibi.* p. 86.

Ejus autem Secretario interdicitur Decreta definitiva interponere sine Congregationis assensu. *ibi.* p. 86. & seq.

*Firmani Archiepiscopi* jurisdictioni subjiciuntur plures Ecclesiæ, & loca intra ipsius Diœceses fines constituta, quæ olim Abbatis Farfensis jurisdictioni subjecta erant. XXXII. p. 153.

Eidem tamen Abbati præservatur collatio Beneficiorum in hujusmodi Ecclesiis existentium, ad quæ scilicet ipse, tanquam Patronus Ecclesiasticus, præsentabit, Archiepiscopus vero Institutionem concedet. *ibid.* p. 153.

Archiepiscopus tamen plenum jus conferendi jure ordinario obtinebit quoad Ecclesias, & loca a Gregorio XIII. olim ab eadem Abbatia Farfen. dismembrata. *ibid.* p. 153.

Fluminis Januarii Diœcesis in quinque partes dividitur, & una earum antiquo Episcopatui relicta, ex aliis duo Episcopatus, & totidem Prælaturæ eriguntur. XXII. p. 93.

FOEMININUM genus sub masculino comprehensum censetur in legibus, ubi ratio legis æque procedit pro Masculis, ac pro Fœminis. XLVII. p. 220.

FORMULA Benedictionis cum Indulgentia Plenaria super populum impertienda a Regularibus, legitimam ad id facultatem habentibus. XLVIII. p. 226.

Formula Benedictionis cum Indulgentia Plenaria *in Articulo Mortis* impertiendæ Auctoritate Apostolica. XXXIV. p. 164. & 165.

Formula benedicendi Pallia Archiepiscopalia in Vigilia SS. Apostolorum Petri, & Pauli. LX. p. 275.

Formulæ, quibus concipiuntur literæ Dispensationum Apostolicarum pro Regionibus, in quibus Catholici cum hæreticis mixti habitant. LI. p. 232.

Item formulæ pro literis Dispensationis super defectu ætatis. *ibi.* p. 232.

Formulæ, quibus uti consuevit Sedes Apostolica, cum locum aliquem, seu Monasterium ab ordinaria jurisdictione Episcopi Diœcesani totaliter eximere intendit. XL. p. 194.

Formula *juramenti* præstandi a Procuratoribus Archiepiscoporum, & aliorum, quibus a Summo Pontifice Pallium conceditur. LX. p. 275.

Formula juramenti præstandi ab Alumnis Missionariis Seminarii Ordinis Prædicatorum in Monte Mario. LVII. p. 269.

FRANCANDI facultas, circa domus, & areas in Civitate Centumcellarum ad directum Ecclesiarum, aliorumque dominium spectantes conceditur Gubernatori cum opportunis legibus, & conditionibus. XXXIX. pag. 190.

S. FRANCISCUS SALESIUS non solum quater in anno indulgebat Monialibus Confessarium Extraordinarium; verum etiam earum pro tempore Superioribus commendatum reliquit, ut singulis Monialibus, quæ justis de causis Confessarium Extraordinarium peterent, haud se difficiles in eo concedendo præberent. LVI. p. 264.

Eosdem sensus fovebat Card. Barbadicus. *ibid.*

## G

GALLICANÆ Ecclesiæ veteres Ritus, Græcis antiquatis, in Siciliam invecti fuerunt sub Roberto Duce, & Comite Rogerio. XXIX. pag. 141. & 142.

Gallo-Siculum Officii Divini Breviarium a Mattheo Caldo reformatum Anno 1527. *ibi.* p. 141.

GANZANIGUM. Vid. *Medicina.*

S. GELASII PAPÆ Decretum de Libris Apocryphis, non ita intelligendum, ut Canonicos Libros dumtaxat a non inspiratis discernat; sed ut aliquam etiam sive falsitatis, sive erroris censuram inurat Libris, quos inter Apocryphos rejicit. LIV. §. 29. p. 246.

GOJASIENSIS Prælatura erigitur ex divisione Diœcesis Fluminis Januarii. XXII. p. 94.

GOTTI VINCENTIUS primum a Benedicto XIII. Cardinalis creatus, dein Episcopus Ecclesiæ in partibus infidelium sitæ consecratus fuit. XXXVI. p. 177. & 178.

GRÆCA Lingua legitur Evangelium, & Epistola in Missa Pontificali Papæ. XXXIII. p. 159.

Id olim fiebat per Monachos Basilianos Cryptæ Ferratæ; donec ad Alumnos Collegii Græci munus istud translatum est. *ibid.*

GRÆCI sine ullo proprii Ritus detrimento Latinorum Antistitum jurisdictioni subsunt. *ibi.* p. 159.

GRÆCI RITUS in Sicilia obtinuerunt a sæculo VIII. usque ad adventum Principum Normannorum, qui ejectis Saracenis, Divinum cultum restaurarunt juxta Ritus Ecclesiæ Gallicanæ. XXIX. p. 141. & 142.

S. GREGORIUS MAGNUS Episcopo Viennensi scribit de Clerico non retrahendo a suscepto Monasticæ Vitæ instituto. XXV. p. 101.

Item Imperatori Mauritio, de non prohibendo Militibus ingressu in Religionem. *ibi.* p. 104.

GREGORII XIII. constitutio de publicandis Beneficiorum resignationibus. X. p. 34.

Gregorius XIII. Martyrologii Romani correctionem fieri curavit. LIV. p. 240.

GUADAGNI Joannes Antonius Cardinalis laudatur XXXIII. p. 157.

Gubernatoris Urbis Tribunal certo Judicum, & Notariorum numero constare debet, quibus omnibus certa emolumenta assignantur. XLIV. p. 206.

Iisdem certa summa annua tribuitur pro expensis commissionum, ex qua siquid reliquum fuerit in fine Anni, inter omnes æqualiter dividendum erit. *ibid.* p. 207.

Gubernatori Urbis prohibetur ullum Judicem, Notarium, aut Substitutum admittere supra numerum à Pontifice statutum. XLIV. p. 206.

Gubernator Urbis Cibaria taxare debet pro Judicibus & Notariis ad Commissiones prodeuntibus. *ibid.* p. 207.

Idem annua scuta centum loco præmii partiri potest inter eos, qui digniores se præstiterint. *ibid.*

GUEVARA Ferdinandus Ninus a Clemente VIII. Cardinalis creatus: deinde cum Hispaniarum Inquisitor fuisset electus, ab eodem Clemente consecratus fuit Episcopus Titularis. XXXVI. p. 181. & 182.

Quo exemplo Pontifex Cardinalem *delle Lance* in Sardinibus Regis Sardiniæ Magnum Eleemosynarium Nocosiæ Archiepiscopum consecrandum duxit. *ibid.* per tot.

## H

HÆRESIS abjuratio præcedens requiritur tanquam conditio necessaria in Litteris Apostolicis Dispensationum, quæ super gradibus Consanguinitatis, vel Affinitatis, aliisve impedimentis petuntur, pro Personis diversæ professionis. LI. p. 231.

Hæresis abjurandæ promissio non sufficit, ut hujusmodi Litterarum Executor, seu Episcopus dispensandi facultatem ab Apostolica Sede habens, Dispensationes ipsas ad effectum perducat. LIX. p. 273.

HÆRETICI, ratione suscepti Baptismi ad amplectendam Fidem Catholicam cogi possunt. LIX. p. 273.

In locis tamen, in quibus toleratur, ut hæretici mixti cum Catholicis habitent, videndum quid ferat usus, & consuetudo. *ibid.*

Hæreticorum *Conjugia*, ex perpetua Sedis Apostolicæ disciplina, Catholicis interdicta sunt. LI. pag. 230. & 231.

Ejus disciplinæ recentiora argumenta afferuntur. *ibid.*

Si verò aliquando ex gravissimis causis permittuntur, opportunæ adjiciuntur cautelæ, quibus & Conjugis Catholici fides, & futuræ prolis Catholica educatio tuto collocetur. *ibi.* p. 231.

Hujusmodi Conjugia in aliquibus locis, in quibus hæretici cum Catholicis mixti vivunt, de facto ineuntur, & a Potestate Ecclesiastica, ne majora mala prove-

proveniant, dissimulando tolerantur. LIX. pag. 273. Verum Dispensationes super gradibus, aut impedimentis, ab Apostolica Sede pro ipsis non conceduntur, nisi adjecta conditione abjurandæ prius hæresis. *ibid.* & LI. p. 231.

Hebræi. Vid. *Judæi.*

S. Hieronymus Ecclesiæ Doctor florente ætate Romæ litteris operam dedit, deinde in Orientem digressus, rursumque in Urbem reversus sub Damaso Pontifice, ab hoc in Litterarum Apostolicarum scriptione adjutor adhibitus fuit. LIV. §. 62. p. 253.

Extincto Damaso, quum eorum, quorum ipsi vitia acriter insectatus fuerat, odia in eum erupissent, in Orientem iterum secessit, ubi in sacrarum Scripturarum interpretatione, & explanatione, Deo sic disponente utilissimam Ecclesiæ operam navavit. *ibid.* §. 63. ad 68. p. 253. & 254.

Hieronymus expulsus non fuit a S. Siricio Damasi Successore; an vero hic illius discessum prohibere debuerit, nonnisi temere judicari potest. *ibid.* §. 66 67. p. 254.

Sine Hieronymi opera, egregiæ a Siricio Epistolæ scriptæ fuerunt, summam doctrinam, majestatem, & pietatem redolentes. *ibid.* §. 67. p. 254.

Inter Siricium, & Hieronymum nulla simultas intercessit. *ibid.* §. 69. p. 254.

Quod enim contra priorem Hieronymi sententiam de bigamia definitum extat ab Apostolica Sede, id Innocentio potius, quàm Siricio, tribuendum. *ibid.* §. 71. p. 255.

Quæ verò Hieronymus in hæretico Joviniano culpavit, ea Siricius judicio suo damnasse dignoscitur. *ibid.* §. 72. p. 255.

Quod si, hoc judicio pendente, nimia Hieronymo visa est Siricii conniventia, id falsis rumoribus tribui debet, qui ex Italia in Palæstinam haud ægrè afferri potuerunt. *ibid.* §. 73. 74. p. 255.

Dum autem Hieronymus Siricii simplicitati a Rufino illusum narrat, nec dolum, aut crimen illi objicit, nec probat, ita cognitam in Occidente fuisse Rufini malitiam, ut ipsi perspecta erat. *ibid.* §. 76. 77. p. 255.

Denique Hieronymus Siricium in Domino morientem cum honore commemorat. *ibid.* §. 77. p. 256.

Quod autem cum ipso Siricio de Pontificatus honore ambitiosè decertaverit, id nonnisi per calumniam ex quibusdam S. Doctoris verbis deduci potest. *ibid.* §. 75. p. 256.

B. Hieronymi Æmiliani Congregationis Somaschæ Fundatoris Beatificatio. XLIII. p. 204.

Ejus vita, virtutes, & pia mors summatim referuntur. *ibid.* p. 204. & seq.

Series Actorum in Causa illius Beatificationis, virtutum, & miraculorum approbatio. *ibid.* p. 204. & 205.

Beatificationis Decretum. *ibid.* p. 205.

Hierosolyma a Gotifredo liberata Urbano II. vivente; deinde sub Urbano III. rursus in Barbarorum potestatem cecidit. XXXVI. p. 180.

Attamen Patriarchatus Hierosolymitanus adhuc a Summis Pontificibus provideri consuevit, ut patet ex serie Patriarcharum hujusmodi, quam Pontifex refert. *ibid.* p. 180.

Nec interim, donec spes reliqua erat recuperandæ Sanctæ Civitatis, pro Patriarchatu Titulari habebatur. *ibid.* & p. 181.

Hilarii Arelatensis sanctitas propter suspicionem errorum circa dogmata nondum ab Ecclesia definita, non obscuratur. LIV. §. 31. p. 246.

Himerius Episcopus Tarraconensis S. Damasum Pontificem consuluit de pluribus Ecclesiasticæ disciplinæ Capitibus. LIV. §. 54. p. 251.

Sed Damaso interim sublato, Apostolica Rescripta accepit ab ejus Successore S. Siricio. *ibid.*

Hispaniarum *Inquisitor Generalis* a Pontifice eligitur ad nominationem Regis Hispaniarum, XXXVI. p. 181.

Episcopali charactere insigniri solet. *ibid.*

In Hispaniarum, & Lusitaniæ Regnis, atque Ditionibus permittitur, ut ab omnibus Sacerdotibus Secularibus, & Regularibus, perpetuis futuris temporibus, in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, tres Missæ celebrentur. LXI. p. 277. Vid. *Missa.*

Hispaniarum Regis Catholici postulationes hac de re Pontifici oblatæ. *ibid.* p. 276.

Hispaniarum Rex instat pro ulteriori progressu causæ Ven. Ser. Mariæ a Jesu de *Agreda*, & pro absolutione examinis illius Operum, XLVI. p. 214. & seq.

Hispaniarum Regis providentia in erectione Collegii Societatis Jesu in Civitate S. Dominici in Insula Hispaniola. XXXVII. p. 184.

Homilia a Summo Pontifice habita inter Missarum solemnia in Basilica Vaticana die Natali Principium Apostolorum, in quinque Beatorum Canonizatione, pag. 70.

Hostiensis Episcopatus subsistit, licet Capitulum extinctum sit. XXXV. p. 170.

Humana *Civitas* in Piceno olim existens, circa finem sæculi XIV. destructa fuit. XXXV. p. 167.

Humanatensis Civitatis, & Diœcesis situs indicatur. *ibid.* p. 170.

Ejus Cathedra Episcopalis a Martino V. unita fuit Ecclesiæ Anconitanæ. *ibid.* p. 167.

Cujus unionis Bulla veteribus incomperta, & a D. Georgio recens edita refertur. *ibid.* p. 168.

Humanatensis Episcopi Titulus ab Episcopo Anconitano adhiberi præscribitur in Bulla unionis. *ibid.* p. 168. & 169.

Quod & factum fuisse ostenditur.

Sed cum intermissum fuerit, Pontifex id in usum revocari jubet. *ibid.* p. 169.

Humanatensis *Comitis* Titulus ab Episcopis Anconitanis usitatus. *ibidem.*

## I.

Sancti Jacobi Ecclesiæ in *Civitate Leonina* XX. loca Montium ad augenda Parochi emolumenta conceduntur. XLII. p. 202. & 203.

S. Jacobum de Marchia Dialogum adversus Fraticellos scripsisse, nequaquam probatum fuit. XLVI. p. 216.

Ideo, omissis disputationibus, super doctrina in eo Dialogo contenta, ad ulteriora processum est in Causa illius Canonizationis. *ibid.* p. 117.

De alia quæstione super ejusdem doctrina de Sanguine Christi, remissivè. *ibid.* p. 216.

Januarii Mensis Kalendæ ab Ethnicis impiè celebrari solebant ludis in honorem Jani, & Streniæ. p. 213. Hujusmodi impietates Fidelibus prohibitæ, & tandem omnino abolitæ. *ibid.*

Jejunii Præceptum ante sumptionem Eucharistiæ, non est juris Divini, sed Ecclesiastici. III. p. 12.

Jesu Societas a Pontifice laudatur. XLIX. p. 227.

Societatis Jesu Presbyteris unus locus inter Consultores Congregationis Sac. Rituum perpetuò assignatur. *ibid.*

Societatis Jesu Collegium in Civitate S. Dominici in Insula Hispaniola in publicam Studiorum universitatem erigitur. XXXVII. p. 185.

Ejusque Collegii Rectori tribuitur facultas conferendi gradus; cumulativa tamen cum Priore Fratrum Prædicatorum. XXXVII. p. 185.

In Societate Jesu Congregationes Generales ex Brevi Innocentii X. singulis novenniis haberi jubentur, & Officia ultra triennium exerceri prohibentur. XXIV. p. 98.

Societas Jesu variis temporibus instetit pro abrogatione hujusmodi Brevis. *ibid.* p. 98. & 99.

Illud tantum quoad triennalem Officiorum durationem abrogatum fuit ab Alex. VII. *ibid.*

Pontifex Innocentii Legem, quoad novennalem Congregationem abrogat. *ibid.* p. 100.

Et quoad præfinitionem termini triennalis Officiorum, abrogationem jam factam confirmat. *ibid.* p. 100.

In Societate Jesu vacatio Beneficiorum non inducitur per emissionem votorum simplicium. XXV. p. 103. & 104.

Sed in ipsius Congregatione Generali V. decretum fuit, illius Alumnos, expleto probationis biennio, Beneficia Ecclesiastica dimittere debere. *ibid.*

S. Ignatii Lojolæ Constitutiones pro bono regimine Societatis Jesu laudantur. XXIV. p. 98.

Ignorantia ætatis, qua quis Professionem Regularem emiserit, an integram præservet actionem ad reclamandum adversus Professionem emissam ante legitimam ætatem: *remissivè.* XLVII. p. 224.

Imagines plurium Sanctorum apponi possunt super Altari, in quo Sacrum peragitur. XVII. p. 77. Vid. *Altare.* V. *Crucifixus.*

Immemorabilis consuetudo. Vid. *Consuetudo immemorabilis.*

Imperialia *Diplomata* confirmatoria Privilegiorum Apostolicorum, nihil plus probant quoad exemptionem, quam quod in ipsis Apostolicis Privilegiis continetur. XL. p. 196. & 197.

Impubes. Vid. *Ætas.* V. *Dispensatio.*

In Indiis *Maris Oceani* S. Pius V. indulserat, ut Animarum Cura a Regularibus exerceretur independenter ab Ordinariis. I. p. 1. & 2.

Idque a Gregorio XIV. confirmatum fuit. *ibid.* p. 2.

Sed non constat Privilegium executioni demandatum fuisse. *ibid.*

Innocentius autem X. illud declaravit procedere in locis, in quibus esset defectus Parochorum. *ibid.* p. 2.

In Indiis Regulares ad curam non admittuntur, nisi cum examine, & approbatione Episcoporum. I. p. 2.

In Indiis tam Orientalibus, quàm Occidentalibus servari jubentur Decreta Concilii Tridentini, & Constitutiones Apostolicæ de jurisdictione Episcoporum in omnes animarum Curam exercentes. *ibid.* p. 3.

Indulgentiæ acquiruntur ab iis, qui rectè dispositi sunt, adimplendo opera in earum concessione injuncta. V. p. 17.

Indulgentiæ visitantibus Ecclesiam concessæ acquiri possunt, absque eo quod Sanctissimum Sacramentum expositum sit. *ibidem.*

Indulgentiæ Orationem Mentalem docentibus, & peragentibus de novo conceduntur. XXIII. p. 97.

Indulgentia Plenaria Orationem Mentalem quotidie per Mensem peragentibus, ac Confessis, & Sacra Communione refectis conceditur. *ibid.* p. 97. & 98.

Indulgentia Plenaria conceditur per omnes Ecclesiasticæ Ditionis Diœceses iis, qui confessi, & Sacra Communione refecti, Sanctissimam Eucharistiam expositam visitarint diebus Bacchanalibus. XLV. p. 214.

Indulgentia Plenaria *in Articulo Mortis* applicari conceditur auctoritate Apostolica ab Episcopis, & Ordinariis, etiam per alios subdelegatos. XXXIV. p. 163.

Ad eam acquirendam, injungitur specialiter ægris moribundis acceptatio Mortis in spiritu resignationis. *ibid.* p. 164.

Indulgentiæ Confraternitatum olim aggregatarum Archiconfraternitati B. Mariæ Virginis de Planctu præservantur. II. p. 6.

Indulta dandi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria *in Articulo Mortis* Episcopis ad triennium concessa, prorogantur ad vitam, seu usquequo Episcopus Ecclesiam obtinebit. XXXIV. p. 163.

Ea in posterum perpetua concedi debere statuitur, addita facultate subdelegandi etiam per Diœceses, & de die. *ibid.*

Similia etiam pro Ordinariis inferioribus expediri. *ibid.* p. 163.

Indulta hujusmodi non expirant morte Pontificis concedentis. *ibid.* p. 163. & 164.

Indultarii. S. R. E. Cardinales Indultum habentes conferendi Beneficia Ecclesiastica reservata, & affecta, quomodo se gerere debeant in præsentationibus ad Beneficia de jure Patronatus Ecclesiastico. XXXII. p. 153.

Infantes. V. *Baptismus.* V. *Judæi.* V. *Projecti.*

Inquilinus. Vid. *Prælatio.*

Sac. Inquisitionis Officium procedere debet juxta suas facultates, & stilum, contra Confessarios exquirentes a pœnitentibus complicum nomina, si suspecti sint de pravo Dogmate. VIII. p. 31.

Inquisitiones in domibus honestis, seu Apothecis demandari nequeunt a Ministris inferioribus Tribunalium, sed tantum ab ipsis Tribunalium Capitibus, seu illorum Locatenentibus criminalibus, per mandatum in scriptis in Processu inferendum. XLIV. p. 209.

Sed nec ab ipsis Capitibus Tribunalium, & Locatenentibus demandari debent, nisi habitis indiciis sufficientibus de accusationis veritate. *ibid.*

Inquisitiones, & Processus Criminales pendentes contra extractores Segetum, Animalium, lignorum &c. de loco ad locum Status Ecclesiastici, annullantur, & irritantur. LIII. p. 235.

Inquisitoris Generalis Officium, Charactarem Episcopalem postulat. XXXVI. p. 181.

Inquisitor Generalis Hispaniarum quomodo eligatur. *ibid.*

Inquisiti pro delictis, tenentur solvere viatica pro Commissionibus eorum causa expeditis. XLIV. p. 207.

Inquisiti in Carceribus detineri non debent sine examine, ultra tres dies. *ibid.* p. 209.
Vid. *Examen.*

Intentio contraria, quam quis se habuisse asserit in emittenda Religiosa Professione, an actionem in Foro externo tribuat, ad impugnandam Professionis validitatem, *remissivè.* XLVII. p. 224. 225.

Assertioni quidem ipsius Professi, sive ad Sacros Ordines promoti, etiam juratæ, non defertur in judicio, nisi gravibus adminiculis fulciatur. XXVIII. §. 50. p. 130. & seq.

De Intentione requisita in recipiendo Baptismo. *ibid.* §. 44. ad 52. p. 128. 129. 130. Vid. *Baptismus.*

Interpellatio a Neophyto fieri debet Conjugi infidelitate remanenti, an converti velit, & cohabitare sine contumelia Creatoris. XXXVIII. p. 186.

Quod si id ab ea recusetur, liberum Neophyto est aliud Matrimonium contrahere. *ibid.*

Introductio Segetum pro servitio Annonæ, Civitatum, & Oppidorum, observanda, seu de novo statuen-

tuenda decernitur, non obstante mutui commercii libertate a Pontifice indulta. LIII. pag. 235. & 236.

Segetes, & alia genera ita introducta, vel pro servitio ejusdem Annonæ alibi asservata, intra annum consumi, vel pro justo pretio emi jubentur. *ibid.*

INVESTITURÆ. Vid. *Bona Cameræ.*

S. JOANNIS DE MATHA Corpus olim Romæ in Ecclesia S. Thomæ in Formis Capituli S. Petri in Vaticano servabatur. LXVIII. p. 303.

Idem anno 1686. in Hispanias translatum, ac Matriti repositum fuit. *ibid.*

De cujus Corporis identitate tam anno 1669., quam 1715. controversia in Sac. Rituum Congregatione agitata fuit; & decretum fuit: *non constare de identitate. ibid.* p. 303. & 304.

Sed anno 1721. prodiit resolutio: *constare*: eaque ab Innocentio XIII. confirmata fuit.

Deinde obtentus est assensus Capituli Vaticani, ne Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis amplius tenerentur illud Romam reportare. *ibid.*

Pontificis opera in præmissis, dum Promotoris Fidei munus, & Canonicatum Basilicæ Vaticanæ obtineret. *ibid.*

Idem urnam marmoream, in qua Sancti Corpus diù jacuit, a Capitulo Vaticano sibi donatam, Ministro Generali dicti Ordinis dono dat. *ibid.* pag. 304.

Et omnia præmissa suis Literis Apostolicis confirmat. *ibid.*

Ven. JOSEPHI CALASANTII *a Matre Dei Scholarum Piarum* Fundatoris Corpus ex tumulo in Ecclesia S. Pantaleonis sito, in elevatum, nobiliorem-que locum collocari mandatur. LV. p. 261.

Leges & cautelæ in ejusmodi elevatione observandæ, sub directione Promotoris Fidei. *ibid.* p. 261.
Ejusdem Ven. *Josephi* solemnis Beatificatio. LVIII. p. 271.
Ubi plura de ejus vita, & virtutibus; de institutione Scholarum Piarum &c. Series Actorum in ejus Causa. *ibid.* p. 272.

In B. Josephi Festo Missam, & Officium celebrari permittitur in tota ejus Congregatione, aliisque Ecclesiis. *ibid.*

S. JOSEPHUS A LEONISSA Ordinis Fratrum Minorum Cappuccinorum inter Sanctos refertur. XIV. p. 51. & 52.
Illius ortus. *ibid.* 52.
*S. Josephi* virtutes. p. 52.
Ejus mors. p. 53.
Virtutum, & miraculorum approbatio. *ibid.* p. 54.
Beatificatio. p. 54. col. 1.
Nova Miracula approbantur. *ibid.*
Canonizationis Decretum. p. 101.
Pro B. *Josephi a Leonissa* Canonizatione Orationes Consistoriales. p. 63. & p. 66.

JOVINIANUS Hæreticus a S. Hieronymo in debitam infamiam adductus, & a S. Siricio Pontifice damnatus. LIV. §. 72. p. 255.

ISIDORUS Cardinalis ab Eugenio IV. creatus, in Græciam Legatus Apostolicus mittitur ad confirmandam Ecclesiarum unionem in Concilio Florentino sancitam. XXXVI. p. 178.

Dum Constantinopolis a Turcis capta fuit, mira arte mortem effugit, & a captivitate se subduxit. *ibid.*

Idem a Pio II. post mortem Patriarchæ Gregorii, qui Anno 1459. Romæ decessit, ad Patriarchatum Constantinopolitanum evectus fuit. *ibid.*

JUDÆI cur a Pontificibus in sua Ditione tolerentur. XXVIII. §. 13. p. 114. & seq.

Judæi sparsim per Ditionem Ecclesiasticam degentes, a S. Pio V. Sixto V. & Clemente VIII. in varia loca ejusdem Ditionis restricti fuere. *ibid.* §. 12. pag. 114.

Judæi sunt in servitute apud Christianos, non quidem pœnali, sed Civili. *ibid.* §. 11. p. 113.
Eorumque tolerantia efficit, ut nec vi, nec injuriis, contra Asyli jus, cum ipsis sit agendum. *ibid.* §. 13. p. 114. & seq.

Judæis Romæ semel in singulas hebdomadas Evangelium annuntiatur, ipsique hujusmodi prædicationi interesse coguntur. *ibid.* §. 59. in fine. p. 134.

Judæi non vi, sed instructionibus, & suasionibus, ad Fidem amplectendam adduci debent. *ibid.* §. 37. p. 125.

Sisebutus Hispaniarum Rex Judæos per vim ad Baptismum suscipiendum impulit. *ibid.* §. 38. p. 125.
Quod non fuit commendatum. *ibid.* §. 39.

JUDÆUS SEPTENNIO MAJOR si Catholicam Religionem amplecti se velle ostendat, & de hoc denuncietur, evocari, & interrogari debet de causa, qua motus est; & in Christiana Fide est instituendus. *ibid.* §. 40. p. 126.

In Judæorum conversione quænam diligentiæ adhiberi debeant, ut dignoscatur, quo spiritu ad Ecclesiæ societatem optandam adducantur. *ibid.* §. 41. p. 126. 127.

Judæus denunciatus de voto suscipiendi Baptismum, non statim retinendus est, nisi indices sint duo saltem testes per omnia conformes, aut omni exceptione majores. *ibid.* §. 56. p. 132.
Modus servandus in dubio. *ibid.*

JUDÆUS PUER, si Baptismum petiisse denuncietur, sed rationis usum non habere reperiatur, parentibus est restituendus. *ibid.* §. 40. p. 126.
Si autem ratione præditus inveniatur, & baptismum petat, sive completo, sive non completo septennio, baptizandus erit, etiam invitis parentibus. *ibid.* §. 32. p. 122. 123.
Si dubitetur de perfecto rationis usu, non statim restituendus erit, sed differri debet Baptismus, donec certa ratione utens, & auditis Fidei Christianæ documentis, voluntatem suam aperiat. *ibid.* §. 33. p. 123.

JUDÆORUM FILII, liberi arbitrii usum non habentes, invitis parentibus baptizari non debent. *ibid.* §. 4. p. 111. 112.
Confirmatur ex Doctrina S. Thomæ, & Ecclesiæ consuetudine. *ibid.* §. 5. p. 111.

Judæorum infantes parentibus orbi, & sub tutela degentes, absque Tutoris assensu baptizandi non sunt. *ibid.* §. 14. p. 115.

Judæorum filii infantes baptizari possunt, si in mortis periculo inveniantur. *ibid.* §. 8. p. 112.
Item si crudelem in modum à parentibus deserantur. *ibid.* §. 9. p. 113.
Quando autem infantes deserti dici debeant. Vid. *ibid.*
Item si ad Baptismum offerantur a Patre, etiam invita Matre. *ibid.* §. 15. p. 115.
Et etiam si a Matre offerantur sine Patris consensu. *ibid.* §. 16. p. 115.
Et quod ab Avo paterno, in cujus potestate sunt, ad baptismum offerri possint, utroque genitore invito. *ibid.* §. 17. p. 115.

Judæorum infantes oblati a parentibus, qui semel dixerunt, se Catholicam Fidem amplecti velle, etiamsi parentes a proposito recedant, sunt baptizandi. *ibid.* §. 18. p. 116.
Qui autem infantiam excesserint, non cogendi, sed retinendi sunt ad tempus, longe a parentum consuetudine, donec instructi, de statu suo deliberent. *ibid.*

Judæi infantes si validè baptizati fuerint invitis parentibus, eis restituendi non sunt, etiamsi spondeant se

se eos Christianis reddituros cum ad convenientem ætatem pervenerint, nihilque illis contra Fidem Catholicam tradituros. *ibid.* §. 30. p. 121.

Judæorum infantuli a Nutrice, aliove illicitè, sed validè baptizati, a Christianis educandi sunt; & cum ad rationis usum pervenerint, ad perseverantiam in Fide Catholica cogendi, *ibid.* §. 27. p. 119. & 120.

Judæorum filii supra infantilem ætatem constituti, quibus non expresse petentibus, collatum fuerit Sacramentum Baptismi, retineri debent, omnique ratione exploranda est eorum voluntas. *ibid.* Vid. *Baptismus.*

Judææ mulieres a Maritis, aut Sponsis ad Baptismum oblatæ, quando retineri debeant. *ibid.* §. 58. pag. 133.

Vid. *Sponsalia.* Vid. *Matrimonium.*

Judæi si accepto Baptismo ad Judæorum Scholam redeant, contra eos legibus agendum est, uti contra hæreticos *Judaizantes. ibid.* §. 29. p. 121.

Judæus, qui se ad Fidem convertit, conjugem hebræam interpellare debet, velit, nec ne, Christianam veritatem amplecti, & sine Creatoris injuria cohabitare. XXXVIII. pag. 187.

Quod si ipsa recuset, maritus liber efficitur, non tamen potest ei *Libellum repudii* Judaico Ritu mittere. *ibid.* p. 186.

Judæis conversis prohibetur, quovis modo, sive in Judæorum vico, seu *Ghetto*, sive extra, coram Notario, & Testibus Christianis, libellum repudii dare uxoribus, recusantibus se convertere. *ibid.* p. 187.

Eadem procedunt pro mulieribus conversis, quoad Maritos in Judaismo remanentes. *ibid.* p. 187.

JUDAIZANTES habentur, & contra eos de more proceditur; quicumque post Baptismum Repudii libellum Judaicis ritibus dederint conjugi non converso. XXXVIII. p. 331.

Atque etiam si id fecerint coram Notario, & testibus Christianis, licet tunc minori pœna plectendi sint. *ibid.*

Quod si intra vicum fiat, pœnæ statuuntur etiam contra universitatem Judæorum. *ibid.* p. 187.

JUDEX primæ instantiæ in causis nullitatis Professionis intra quinquennium promotis, est Ordinarius loci, & Superior Regularis simul. XLVII. p. 222.

Judex secundæ, & ulterioris instantiæ in iisdem, Antistes ille est, ad quem de jure appellatio defertur, sed unâ cum alio Superiore Regulari. *ibid.*

Judices inferiores, non obstante qualibet consuetudine, nequeunt sibi arrogare auctoritatem concedendi restitutiones in integrum adversus lapsum Quinquennii pro Regularibus. XLVII. p. 222. 223.

Judices, quæ cavere debeant, antequam sententiam proferant super Professionis nullitate. *ibid.* p. 224.

Monentur, ne a methodo præscripta recedant. *ibid.*

JUDICIUM nullitatis Professionis Regularis inniti debet rigorosis probationibus, & processui juxta juris ordinem profecto. *ibid.* p. 221.

In Judicio nullitatis Professionis citari debent omnes interesse habentes in sustinenda illius validitate. *ibid.* p. 221. & 222.

Judicium super nullitate Professionis Regularis, quando absolutum dicatur. *ibid.* p. 223.

JUDICES PECULIARES ab Innocentio XII. & a Benedicto XIV. suppressi. LXIV. p. 285.

Judex tamen Capitolinæ Cameræ, qui ab Urbis Conservatoribus nominatur, a suppressione exemptus declaratur, etiam in futurum, tamquam Judex Ordinarius. *ibid.* p. 285. & 286.

Ejusque eligendi facultas Conservatoribus confirmatur. *ibid.* Vid. *Capitolina Camera.*

Judices omnes Romanæ Curiæ non Ordinarii olim utebantur ad scribendum Notario, quem maluissent. XXI. p. 88.

Judices Commissarii ex Constitut. Julii II. uti debent Notario Archivii. *ibid.* p. 89.

JUDICUM, ET NOTARIORUM GUBERNII URBIS numerus, & emolumenta præfiniuntur. XLIV. p. 207. Vid. *Gubernatoris Tribunal.*

Judices, & Notarii Gubernii Urbis tenentur in Commissionibus inservire tam ipsi Tribunali, quam Congregationi super Status Ecclesiastici Consultationibus; nec quidquam præter Cibaria prætendere possunt. *ibid.* p. 207.

JURISDICTIO Episcoporum in Ecclesias Parochiales Regularium in Indiis Occident. & Orient. asseritur. I. p. 1. & seqq.

Jurisdictio Episcopi in omnes Ecclesias intra Diœcesis suæ fines constitutas, in Jure fundata est. XXXIII. p. 158. 159. & XL. p. 192.

Vid. *Episcopus.* Vid. *Exemptio.*

Jurisdictio activa in Clerum, & Populum valde differt ab exemptione passiva. XXXIII. p. 158. 159.

Jurisdictio Græcis Prælatis in Populum Latini ritus nunquam in Italia attributa dignoscitur. *ibid.* pag. 159.

JUS. Adversus Jus Divinum non præscribitur. III. pag. 12.

Nec adversus Jus Ecclesiasticum in his, quæ præcepta sunt Universalis Ecclesiæ. *ibid.*

JUS PATRONATUS Ecclesiasticum reservatur Abbati Farfensi in Ecclesias, & Beneficia olim ipsius jurisdictioni subjecta, quæ Pontifex subjecit Ordinariis, in quorum Diœcesibus sita sunt. XXXII. p. 153.

Vid. *Farfen.* Vid. *Patronus.* Vid. *Præsentatio.*

K

KIDDUSCIM vox hebraica, quæ a Judæis usurpatur ad denotandum Matrimonium de præsenti; cum sponsalia de futuro inter eos appellentur *Tenaim.* XXVIII. §. 63. p. 135.

L

LANFREDINUS Jacobus olim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis cum laude memoratur. XL. p. 197.

LANTES *Federicus* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis laudatur. XXXII. p. 151. & 152.

Delle LANZE Cardinalis a Rege Sardiniæ in Magnum Eleemosynarium electus, an sit ad Episcopatum Titularem promovendus. XXXIII. p. 172.

Idem Cardinalis ad Ecclesiam Archiepiscopalem Nicosiensem promovetur. *ibid.* p. 182.

LATERANENSIS Basilicæ Capitulo, & Clero, concessum fuit sub Clemente X., ut Officia propria Sanctorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum recitarent. LIV. §. 49. p. 250. & 251.

LATINI Ritus plebs Episcopo Græco subesse non permittitur intra Italiam. XXXIII. p. 159.

LEGATI Apostolici in Provinciis Ditionis Ecclesiasticæ nequeunt in emphyteusim, aut Feudum concedere bona Cameræ Apostolicæ devoluta. L. p. 228. 229. & seq.

Neque restitutiones in integrum adversus caducitates incursas, aut purgationes moræ, nec condonationes, aut compositiones super responsionibus non solutis, concedere. *ibid.*

Possunt

Possunt tamen renovationes concedere adveniente termino, de quo in prioribus Investituris conventum fuerit. L. p. 228.
Sed sub certis conditionibus; quibus servatis, renovationes investiturarum, & concessionum a Legatis factæ, tantum roboris habebunt, ac si a Summo Pontifice obtentæ fuissent. *ibidem.* p. 229.
Et consensum præstare nomine Cameræ Apostolicæ in alienationibus bonorum, ubi facultas ita alienandi concessa est, ut in Ducatu Ferrariensi. *ibid.* 228.

Lex privata, quæ afflatu Spiritus Sancti in Fidelium cordibus scribitur, dignior est Lege publica. XXV. p. 102. Vid. *Jus.*

Libellus Repudii. Vid. *Repudii libellus.*

Libertas. Vid. *Exemptio.*

Librorum quorumcumque editio super argumento imminutionis dierum Festorum de præcepto, prohibetur sub pœnis &c. LXIII. p. 283. & seqq.
Libri Rationum Cameræ Apostolicæ quot esse debeant, & quomodo retineri. VI. §. 11. pag. 21. & seqq.
Libri Servorum Dei. Vid. *Scripta.*

Lignorum extractio extra Ditionem Ecclesiasticam permittitur arbitrio Legatorum, & Præsidum Provinciarum. LIII. pag. 237. Vid. *Commercii literas.*

Limana Synodus Diœcesana VII. Parocho duarum Ecclesiarum præcipit, ut uno tantum loco celebret, si in alio adsit Sacerdos, qui possit Sacrum conficere. III. p. 9.
Limana Synodus Provincialis I., Regularibus, æque ac Secularibus, vetat animarum curam suscipere, sine Episcopi auctoritate. I. pag. 2.

Limina Apostolorum. Vid. *Relatio Status Ecclesiæ.*

Literæ Apostolicæ super Beneficiis resignatis expediri debent post duos ad summum Menses a Data Rescripti, quo admissa fuit resignatio. X. p. 34.
Et publicari debent ad normam Constitutionis Gregorii XIII. intra sex menses a Data concessionis computandos, si Beneficia citra Montes posita sint; vel intra novem, si ultra. *ibid.* pag. 34. & 35.
De Literarum hujusmodi expeditione docendum est in Officio Subdatarii, ad obtinendam prorogationem ad publicandum, etiam pro prima vice. *ibid.*
Literæ Apostolicæ super Dispensationibus Matrimonialibus, quomodo, & quibus adjectis conditionibus concedi soleant. LI. p. 231.
Literæ Apostolicæ executioni tradendæ non sunt ab iis, quibus diriguntur, si obreptionis, aut subreptionis vitio aperte laborent, aut si deficere comperiatur conditio, sine qua concessæ non fuissent. *ibid.* p. 231. & 232.

Locationes omnes Bonorum Cameralium certis temporibus initium, & finem deinceps habere, statuitur. *ibid.* §. 5. p. 18. & 19.

Locorum Montium Administrator Ratiocinatori Cameræ denunciare debet Attergationes, Translationes &c. in quibus Camera Apostolica interesse habeat. VI. §. 40. p. 26.

S. Lucæ Casalio publicus cultus in Oppido Nicosiæ præstatur. XXIX. §. 3. p. 138.
Hujusmodi cultum ab Apostolica Sede removeri frustra petitur, cum immemorabili usu firmatus appareat. *ibid.* §. 7. & seqq. pag. 140. & seq.
Sed frustra etiam petitur illum augeri, per concessionem Officii proprii, & confirmationem Patronatus Nicosiæ; deficiente approbatione ipsius Cultus, certâque notitiâ illius gestorum, & solemni Canonizatione. *ibid.* §. 18. pag. 145. & seqq.
De S. Lucæ Casalii vita, obitu, & sepultura disquisitio. *ibid.* §. 16. p. 143.

Lusitaniæ Rex novam Martyrologii Romani electionem in Urbe fieri mandat. LIV. p. 240. Vid. *Martyrologium.*

In Lusitaniæ Regno, aliisque Regionibus ab eo dependentibus, conceditur, ut in die Commemorationis omnium Defunctorum, tres Missæ ab omnibus Sacerdotibus celebrari possint. LXI. p. 277.
In Lusitaniæ Regno quomodo procedendum sit sive ab Ordinariis, sive ab Officio Inquisitionis, contra Confessarios exquirentes a pœnitentibus complicum nomina. VIII. p. 30. & 31. Vid. *Portugalliæ.*

M.

Malitia. Vid. *Ætas.*
Manfredonia. Vid. *Sipontum.*
De Marchia. Vid. *S. Jacobus.*
S. Marci Congregatio Fratrum Ordinis Prædicatorum, in Conventu S. Mariæ de Rosario, in Monte Mario prope Urbem, habet Seminarium Missionariorum, de quo Vid. Constitut. LVII. pag. 267. per tot.
Maris Commissarius excipitur ab obligatione reddendi rationem in Computisteria Cameræ, & qua de causa. VI. p. 24.
S. Mariæ Cryptæ Ferratæ. Vid. *Cryptæ Ferratæ Monasterium.*
S. Mariæ de Rosario, & Febri Ecclesia in Monte Mario a Joanne Victorio de Rubeis dotata, a Fratribus S. Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis primum possessa, mox a quibusdam Presbyteris Secularibus, demum a Congregatione S. Marci Ordinis Prædicatorum. LVII. p. 267. & seqq.
Apud eam fundatur Seminarium Missionariorum ejusdem Ordinis, sub dependentia a Congregatione Cardinalium de Propaganda Fide. *ibid.*

Mariannensis Episcopatus in Brasilia erigitur ex divisione Diœcesis Fluminis Januarii. XXII. p. 94.

Maritus in potestate habet uxorem, & si is, Judæus cum esset, Christianam Fidem amplectatur, potest uxorem ad Baptismum offerre. XXVIII. §. 58. p. 133. & seq.
Quo casu Mulieris voluntas per quadraginta saltem dies exploranda est. *ibid.* Vid. *Sponsus.*
Marius *Mons.* Vid. *S. Mariæ de Rosario, & Febri.*
Maronitæ, & Armeni Azymo utuntur in conficiendo Eucharistiæ Sacramento. XXXIII. pag. 159.
Martyrologii Romani editio nova Romæ fit, de mandato Sereniss. Portugalliæ Regis. LIV. §. 1. p. 240.
Martyrologii Romani correctio prima a Gregorio XIII. facta fuit, mox altera ab Urbano VIII. *ibid.* §. 2. p. 240.
Pontifex novam editionem, resecatis superfluis, aliisque necessariis adjectis, emendatissimam prodire curat. *ibid.* §. 4. & 5. p. 240. 241.
Plura Sanctorum nomina, quorum non pauca jam pridem addenda fuerant, in Martyrologio inseri jubet. *ibid.* §. 6. 7. 8. & 9. p. 241.
Martyrologio inserenda Sanctorum Elogia, a Sac. Rituum Congregatione examinari, nec sine Romani Pontificis approbatione re ipsa inseri debent. *ibid.* §. 3. p. 240.
Martyrologio inserenda non sunt eorum nomina, quorum solemnis Canonizatio facta non fuit, sed tantum Beatificatio. *ibid.* §. 7. p. 241. & §. 12. p. 243.

Nihilominus quorumdam Beatorum *Martyrum* nomina in eo inferenda decernit Pontif., ejusque rei causam affert. LIV. §. 7. p. 241.

Non tamen inferi vult eorum nomina, qui per æquipollens beatificati dicuntur, nimirum quorum cultus approbatus fuit, tamquam exceptus a Decretis Urbani VIII., sed super virtutibus, aut Martyrio, judicium formaliter prolatum non fuit. *ibid.* §. 12. p. 243.

Contra hanc regulam recentius inductam, frustra allegantur veteris disciplinæ exempla; in quibus observare licet majorem cultus generalitatem, eamque ab Apostolica Sede vel expresse, vel tacite approbatam. *ibi.* §. 13. p. 243. & §. 16. p. 244.

MASCULINUM genus etiam Fœmininum includit, quando ratio legis eadem pro Masculis, ac pro Fœminis militat. XLVII. p. 220.

MATHATIAS, an infantes tantum Judæos genere, an etiam Gentilium filios, invitis parentibus circumciderit. XXVIII. §. 6. pag. 111. & 112.

De *Matha*. Vid. *S. Joannes*.

MATHEMATICÆ Cathedra in Archigymnasio Urbis erigitur. LXII. p. 281.

MATHEO, Didacus Gonzalæ Ordinis Minorum, Apologiam scripsit pro opere Ven. Mariæ de Agreda. XLVI. p. 219.

MATRIMONIUM. Ad validitatem contractus Matrimonii rationis usus requiritur de jure naturali, & divino. LI. p. 222.

Potentia actualis ad copulam requiritur de jure positivo Canonico: super quo solus Pontifex dispensare potest. *ibid.*

Quando autem malitia supplet ætatem; idque Ecclesiastico Judici, etiam Ordinario, comprobatum est; Canones permittunt Matrimonium contrahi. *ibid.* V. *Ætas* V. *Dispensatio*.

Matrimonia Catholicorum cum hæreticis a S. Sede semper reprobata. LI. p. 230. & 231.

Et recentioribus Pontificis decretis denuo reprobata fuisse demonstratur. *ibid.* p. 231.

Matrimonium si quis cum hæretico contraxerit, pœnitentiam agere debet, & curare, ut conjugem a vera Fide aberrantem ad gremium Christi reducat. *ibid.*

Pro Matrimoniis inter hæreticos, aut cum hæreticis contrahendis, Dispensationes a S. Sede non conceduntur; nisi addita conditione de abjuranda prius hæresi. LI. p. 231.

Si de hujus conditionis implemento Episcopis executoribus non constiterit, Dispensationes non sunt exequendæ. *ibid.* p. 231. 232.

Vid. *Dispensatio*.

Matrimonium cum hæreticis contrahi, quibus casibus, quibusque de causis permittatur ab Apostolica Sede; quæ leges, & cautelæ in Licentiis, seu Dispensationibus apponantur. *ibid.* pag. 231.

Matrimonium nulliter contractum definitur in gradibus jure prohibitis, super quibus Dispensatio concessa fuit ab Episcopo, non servatis conditionibus in hujusmodi facultatis concessione sibi præscriptis. LIX. p. 273.

Matrimonium inter Judæos quomodo contrahatur, & quomodo a sponsalibus differat. XXVIII. §. 63. p. 135. & seq.

Matrimonium, quod inter duos Judæos erat, dissolvitur, si alter ex Conjugibus Baptismum susceperit, alter vero converti recusat, & cohabitare sine contumelia Creatoris. *ibid.* §. 58. pag. 133.

Super quo tamen legitimam interpellationem præcedere necesse est. *ibid.* & XXXVIII. p. 186. & 187.

Sed non permittitur libellum repudii Judaicis ritibus ei dare, XXXIII. *per tot.*

Vid. *Judæ*. Vid, *Repudium*.

Hujusmodi Matrimonii solutio tunc effectum habere censetur, quando Neophitus novas contrahit nuptias. XXVIII. §. 58. p. 133.

Et quod hæc opinio communior nunc sit, & in Tribunalibus Urbis recepta. *ibid.* p. 330.

An vero, dissoluto sic Matrimonio, Conjux alter in infidelitate remanens novas nuptias contrahere possit, in utramque partem probabiliter disputatur. *ibid.* p. 133. & 186. 187.

*Matrimonialium causarum* tractandarum Methodus a Pontifice præscripta optatos utilitatis fructus attulisse dignoscitur, XLVII. p. 220.

Matrimonii Defensor in singulis Diœcesibus constitutus, in omnibus actibus Judicii super nullitate Matrimonii citandus &c. *ibid.* p. 221. 222.

Matrimonii nullitas satis canonizata non censetur, ad hoc, ut partes transire valeant ad alia vota, nisi duæ saltem sententiæ conformes super ea emanaverint. *ibid.* p. 222.

MEDICINÆ oppidum, & annexæ terræ Ganzanighi & Villæfontanæ, juxta Bonifacii IX., & Martini V. dispositiones, sunt de Comitatu Bononiensi. XVI. pag. 74.

Lis inter dictas Terras, & Regimen Bononiense ab antiquo vertens deciditur. *ibid.*

Definitur, eas subesse debere Regimini Civitatis Bononiensis, ejusque potestati, & jurisdictioni. *ibi.* p. 74. & seq.

Et gubernari debere a Legato S. Sedis, & dicto Regimine Civitatis Bononiensis. *ibi* pag. 74. & 75.

Præterea teneri ad solutionem onerum Cameralium tam de præterito, quam de futuro. *ibid.* pag. 75.

Et quid respectu onerum præteritorum. *ibi* pag. 75.

Præservantur in dictis Terris ea officia, quæ soli Civitati Bononiensi privative non sunt attributa. *ibi.* p. 76.

MEDITATIO. Vid. *Oratio*. Vid. *Indulgentia*.

MENDICANNIBUS, qui Eleemosynæ loco, & pro victu Cœnobii frumentum colligunt, permittitur extractio quocumque tempore, etiam extra Statum Ecclesiasticum. LIII. p. 237.

MERCENARIIS, quibus pro mercede datur frumentum, vel quid simile, permittitur quocumque tempore extractio, etiam extra Statum Ecclesiasticum. *ibidem.*

In MESSANENSI Civitate, & Diœcesi permittitur reductio observantiæ plurium dierum Festorum de præcepto. LXV. p. 286. 287.

METUS. Vid. *Vis*.

MEXICANA Synodus anni 1585. a S. Sede approbata Episcoporum jurisdictionem asserit in omnes animarum Curam exercentes, etiam Regulares. I. pag. 2.

MILITES, Mauritii Imperatoris lege prohibiti sunt Monasticam vitam amplecti; sed contra hanc legem scripsit S. Gregorius Magnus. XXV. pag. 104. & 105.

Milites S. Stephani. Vid. *S. Stephani*.

MINISTRANTIUM INFIRMIS *Congregatio* in Urbe a S. Camillo de Lellis instituta, & a Sixto V. approbata, & privilegiis decorata. XII. p. 41. & 42.

Eadem in Ordinem Regularem, & Congregationem Clericorum Regularium erigitur a Gregorio XIV. *ibid.* pag. 41. & 42.

Eidem a Benedicto XIV. applicantur bona quædam *Reate* existentia, & ad Congregationem Doctrinæ Christianæ antea pertinentia. XLII. pag. 207.

MINORUM *S. Francisci de Observantia* Ministro Generali Pontifex scribit super Operibus Venerabilis Sororis Mariæ a Jesu de Agreda attributis. XLVI. p. 214.

MISSA. Ad Episcopos pertinet præscribere ea, quæ observanda, & evitanda sunt in celebratione Missæ; iisque, tamquam Apostolicæ Sedis Delegatis, omnes

omnes etiam exempti, hac in re obedire tenentur. XVII. p. 79.

In Missarum celebratione Crucifixi Imago super Altari retineri debet in memoriam Dominicæ Passionis, & Mortis. XVII. p. 78. & 79. Vid. *Crucifixi Imago.*

Præceptum audiendi Missam non impleviſſe cenſetur, qui ante Benedictionem ab Eccleſia diſcedit, ex ſententia Concilii Agathenſis. XLVIII. p. 225. & 226.

Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die ſolummodo celebrare. III. p. 9. & 10.

Decretum hujuſmodi antiquo tempore latum, hoc ſolum prohibere intelligebatur, ne ſine gravi, & juſta cauſſa, Miſſæ celebratio per unum eumdemque Sacerdotem iteraretur. *ibid.*

Sed a temporibus Innocentii III., & infra, ita intelligendum eſt, ut præceptum contineat de unica Miſſa in die. *ibid.* & p. 10. & 74. & ſeq.

Miſſarum trium celebratio die Natali Salvatoris noſtri, primùm a S. Theleſphoro inſtituta fuit. III. pag. 9. & LXI. p. 278.

Quæ conſuetudo aſſeritur, & commendatur. *ibi.*

Antiquis temporibus alii per annum dies erant Polyliturgici, quibus Miſſarum ſolemnia itcrare licebat. LXI. p. 280.

Sæpe etiam iterabantur Sacrificia, ſi Defuncti cadaver die Dominico, vel alio Feſto ad Eccleſiam deferebatur. *ibi* p. 279. & 280.

Ea conſuetudo juſtis de cauſis abolita eſt, & præſertim ob inductos abuſus circa Eleemoſynarum ſordidas exactiones. LXI. p. 280.

Nec præſenti tempore, præter dictam diem, permittitur Miſſæ iteratio, etiam ex cauſſa utilitatis, aut paupertatis Eccleſiæ, aut Presbyteri. III. p. 11.

Id ſolum permittitur Parocho duarum Eccleſiarum adeo inter ſe diſtantium, ut Populus utrique ſubjectus in unam earum totus convenire nequeat. *ibi.* p. 8.

Quod intelligendum eſt de diebus Feſtis tantummodo, in quibus adeſt præceptum audiendi Miſſam. *ibid.* p. 8. & 9.

Et dummodo neceſſaria ad id Ordinarii Superioris licentia accedat. *ibid.* p. 8. & 9.

Et ſufficit contrarium Synodalis Conſtitutionis præceptum, ut Parocho id minimè liceat, *ibi* pag. 13.

Præterea, ſi alius adſit Sacerdos, qui in una ex illis Eccleſiis celebrare poſſit, Parochus debet ab iteratione Miſſæ ſe abſtinere. III. pag. 9.

Etiamſi neceſſe ſit Catechiſmum populo explanare, quum id, vel per alium Sacerdotem, vel ab ipſo Parocho extra Miſſarum ſolemnia, fieri poſſit. *ibi* p. 11.

Miſſas duas die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ſinguli Sacerdotes ſeculares celebrabant in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Majoricæ, & in Principatu Cathaloniæ; Regulares verò tres. III. pag. 12. & LXI. pag. 276.

Idque antiquæ conſuetudini, & famæ Privilegii Apoſtolici innitebatur. *ibid.*

Rogante Hiſpaniarum Rege, ut mos iſte ad omnes Ditiones ſuas extenderetur; & Portugalliæ Rege ſimile Privilegium pro ſuis Ditionibus poſtulante, Pontifex tres Miſſas ab omnibus tam Secularibus, quàm Regularibus Presbyteris in dictis regionibus ea die celebrari indulget. LXI. p. 277.

Sed Applicationem Miſſarum de novo indultarum in ſuffragium omnium Defunctorum Fidelium in genere fieri jubet. *ibi.* p. 277.

Item pro celebratione, aut applicatione Miſſarum hujuſmodi, quamcumque Eleemoſynam ſub quocumque prætextu percipi prohibet; ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ. *ibi* pag. 277. & 278.

Rationes, & cauſſas, quibus adductus fuit Pontifex, ut Indultum concederet, eique hujuſmodi leges adjiceret, vid. *ibi* p. 278.

Eleemoſynæ perceptio pro celebratione, aut applicatione Miſſæ, antiquis, juſtiſque titulis innititur. LXI. p. 277.

Omnis tamen aviditatis ſpecies a celebratione Miſſarum arcenda eſt. *ibi* p. 279. & ſeqq.

In *Miſſa Præſanctificatorum* non fit tranſubſtantiatio vini per immerſionem Particulæ conſecratæ; & confutatur hac de re error Schiſmaticorum. III. p. 12.

Miſſa Præſanctificatorum iterari non poteſt, etiamſi in priori omiſſus fuerit hauſtus vini non conſecrati. p. 11. & 12.

Missionariis a Sede Apoſtolica conceditur Privilegium celebrandi Miſſam bis uno die, in caſu tamen neceſſitatis. *ibi* p. 11. & 12.

Miſſionariorum Seminarium. Vid. *S. Marci.*

Monachi de jure exempti non ſunt a juriſdictione Epiſcopi Diœceſani. XL. p. 192.

Monasteria in poteſtate Epiſcopi conſiſtere debent, juxta Canonicas ſanctiones, niſi conſtet de eorum exemptione, & ſubjectione Apoſtolicæ Sedi. *ibi* p. 192. & 194.

Monaſteriis concedi non conſuevit exemptio ſine Diœceſani Epiſcopi conſenſu. *ibi* pag. 194. Vid. *Exemptio.*

Monaſterium Cryptæ Ferratæ. Vid. *Crypta Ferrata.*

Monaſterium *Ultienſe* ſupprimitur pro erectione Epiſcopatus *Pinarolien.* LXVI. p. 289.

Monaſteria Monialium. Abuſus quidam circa introductionem Famularum in Monaſteria deteguntur. XXVI. p. 105. Vid. *Clauſura.*

Moniales comprehenduntur etiam in Decreto Concilii Tridentini præfinientis tempus quinquennii ad reclamandum adverſus Profeſſionem Regularem. XLVII. pag. 220.

Moniales Ordinario immediatè ſubjectæ in Cauſſis nullitatum Profeſſionum ejuſdem Ordinarii tantum judicium ſubire debent. p. 221.

Si autem Regularibus ſint ſubjectæ, judicare debebit unà cum Ordinario, etiam Prælatus Regularis Monaſterii. *ibi.*

Moniales, quæ fœminas quaſcumque in Monaſterio receperint, ſine Apoſtolica licentia, & ſolito examine, Canonicis cenſuris ſunt obſtrictæ. XXVI. p. 105. & 106.

Monialibus a Prælato Monaſterii deſignari ſolet unicus Confeſſarius Ordinarius. LVI. p. 262.

Præterea, ex ſententia D. Thomæ, & ex Decreto Concilii Tridentini, Extraordinarius alter Confeſſarius aliquoties concedi debet. *ibi* pag. 262.

Huic non tenentur ſingulæ peccata ſua confiteri, ſed tantum coram ipſo ſe ſiſtere. *ibi* pag. 262.

Monialibus, etiamſi bis vel ter in anno conceſſus ſit Confeſſarius extraordinarius, non tamen denegandus eſt in caſu gravis infirmitatis. *ibi* pag. 263. & ſeq.

Item in caſu inſuperabilis reluctantiæ adverſus Confeſſarium ordinarium. *ibi* p. 263. & 264.

Pro ſpirituali autem conſolatione, & profectu, non adeo difficulter concedendum eſſe ſuadetur. *ibid.*

Monialium Confeſſarii, ſive ordinarii, ſive extraordinarii, ab Ordinario loci expreſsè ad hunc effectum approbari debent. *ibi.* pag. 265.

Monialibus ſub Regularium regimine conſtitutis, ſemel in anno deputari debet Confeſſarius extraordinarius alterius Ordinis ab eo, cujus eſt Monaſterii Prælatus. *ibi* pag. 266.

Vid. *Confeſſarius.* Vid. *Epiſcopus.*

Monialibus ſine Clauſura viventibus, æquè ac aliis Mulierum Conſervatoriis, quibus unicus ordinarius Confeſſarius deputatur, extraordinarii quoque oblationem bis aut ter in anno fieri ſuadetur. LVI. p. 262.

MONOPOLIA ſuper ſegetibus, leguminibus, olivis &c. prohibentur ſub pœnis &c. LIII. pag. 235.

Monopolii nomine non intelligitur licita, & honeſta mercatura, qua merces in uno loco emptæ, ad alium locum vendendæ deferuntur. *ibid.*
Vid. *Exemptio.*

MONTIS ALTI Epiſcopi juriſdictioni variæ tradduntur Eccleſiæ, & loca ex Farſenſis Abbatis juriſdictione diſmembrata. XXXII. p. 153.
Vid. *Farſenſis.*

MONS MARIUS Vid. *S. Mariæ de Roſario.*

MONS PIETATIS Urbis, Depoſitariam Cameræ Apoſtolicæ deinceps adminiſtrare jubetur. VI. p. 18. §. 3. & 4.

In MORTIS Articulo conſtituti quorumcumque peccatorum abſolutionem, & Cenſurarum relaxationem a quocumque Presbytero obtinere poſſunt. XXXIV. p. 161. & 162.

Iiſdem Indulgentiam Plenariam facilè concedi optat Eccleſia. *ibid.* p. 161. & 162.

S. Cyprianus eorum reconciliationem a quocumque Presbytero, aut etiam Diacono fieri mandat. *ibi* p. 163. uti vide alia exempla Eccleſiaſticæ lenitatis erga eoſdem.

Mortis acceptatio inculcatur tanquam opus injunctum pro conſequenda Plenaria Indulgentia in Mortis Articulo. XXXIV. p. 164.

MUNDIBURDIUM nihil aliud, quam protectionem, & defenſionem ſignificat. XL. page 196. & 197.

## N.

NARRATIVA. Vid. *Enunciativa.*

In NEAPOLITANO Regno citra Pharum, & in Diœceſibus Meſſanenſi, & Panormitana Feſtorum dierum obſervantia reducitur. LXV. p. 286. & 287.

Neapolitani Regni Epiſcopis reſidentia ſpecialiter injungitur. XVIII. p. 84.

In Neapolitano Regno Nuntius Apoſtolicæ Sedis invigilare jubetur ſuper Epiſcoporum Reſidentia. *ibid.*

NEMAUSENSIS Synodus Anni 1284. Parocho permittit duarum Miſſarum celebrationem, ubi Parochiani omnes ad unicam nequeant convenire, nec alius adſit Sacerdos, ſervatâ tamen lege jejunii. III. p. 9.

SS. NILUS, & Bartholomæus natione, & Ritu Græci, Cryptæ Ferratæ Monaſterii Fundatores. XXXIII. p. 159.

NORIS, Henricus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Apologiam pro S. Siricio Pontifice ſcripſit. LIV. p. 250.

NOTARII, quorum opera, & ſcientia Judæi converſi libellum repudii dederint Conjugibus in Judaiſmo remanentibus, puniuntur pœnis pecuniariis, aliiſque &c. XXXVIII. p. 187. 188.

NOTARIUS ARCHIVII a Collegio Scriptorum Archivii deputatus, privativum jus habet ſcribendi in cauſſis, quæ committuntur Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, eorumque Congregationibus, & Prælatis Romanæ Curiæ, qui non ſunt Judices Ordinarii. XXI. pag. 89.

Ac etiam quando committuntur Sac. Rotæ Auditoribus, *uti Prælatis*, ſive Commiſſiones ſint cum Clauſula, *etiam extra Rotam, & abſque participatione Rotæ*, ſive non, *ibi* p. 89. & 91.
Vid. *Archivii Scriptorum Collegium.*
Vid. *Cauſſæ.*

Notarii *Datariæ*, *& Cancellariæ* recipere non debent, aut extendere conſenſus ſuper beneficiorum reſignationibus, ubi mandata Procuræ ad reſignandum habeant datam anteriorem octo menſibus, ſi citra, vel duodecim, ſi ultra montes facta fuerint. X. p. 34.

Notariorum *Tribunalis Gubernii* Urbis numerus præfinitur, iiſque certa emolumenta aſſignantur. XLVI. p. 206.

Hi tenentur in Commiſſionibus inſervire tam ipſi Tribunali, quàm Congregationi ſuper Conſultationibus; nec quidquam prætendere poſſunt, præter Cibaria. *ibi.* p. 207.

Notario Gubernii in capite (vulgo *Caponotaro*) quingenta ſcuta annua aſſignantur loco quartæ partis Viaticorum, aliorumque emolumentorum, quæ antea ad eum pertinebat. XLIV. p. 207.
Vid. *Gubernatoris Tribunal.*

Notarii *Rotæ* privativum Jus habent ſcribendi, & actitandi in omnibus Cauſis, quæ committuntur Rotæ Auditorio, atque etiam ejus Auditoribus, cum clauſula *extra Rotam, & abſque participatione Rotæ*, dummodo ipſis non committantur *uti Prælatis.* XXI. p. 89.
Vid. *Cauſſæ.* Vid. *Rota.*

NOVITII Regulares admitti debent juxta formam Decretorum Clementis VIII., & Conſtitutionum Ordinum peculiarium; nec ſine gravi cauſa minuendum ipſis eſt probationis tempus. XLVII. pag. 223. & 224.

NOVITIATUS expleri debet in Cœnobio ad inſtitutionem Novitiorum deſignato, ſub pœna nullitatis Profeſſionis. *ibidem.* p. 221.

De NULLITATE *Profeſſionis Regularis* reclamatio non admittitur poſt elapſum quinquennium, ex quo emiſſa fuit. *ibidem.* pag. 220. & 222.

Salva auctoritate Sedis Apoſtolicæ concedendi reſtitutionem in integrum. *ibi.* pag. 223.

Item non admittitur reclamatio illius, qui habitum Regularem ſponte dimiſit, niſi ad Monaſterium redierit &c. *ibid.* pag. 221.

Cauſſæ ſuper nullitate Profeſſionis Regularis quomodo, & coram quibus agitari debeant, & quando finitæ dici poſſint.
Vid. *Cauſſæ.* Vid. *Profeſſio &c.*

NULLIUS DIŒCESIS denominatio non ſemel attributa dignoſcitur Monaſteriis, & locis, quæ paſſiva dumtaxat gaudent exemptione. XXXIII. p. 159. 160.

NUNTIIS Sedis Apoſtolicæ injungitur, ut ſuper Epiſcoporum Reſidentia invigilent. XVIII. pag. 84.

Nuntii Apoſtolici in Computiſteria Camerali rationes exhibere tenentur de pecuniis Cameræ a ſe adminiſtratis. VI. pag. 24.

## O.

OCCULTATIO impedimenti, ſive defectus, de quo quis in actu Profeſſionis interrogatus fuit, addita declaratione, quod Religio ipſum cum eo impedimento, aut defectu admittere non intendebat, an allegari poſſit ab ipſo Profeſſo, ad obtinendam declarationem nullitatis Profeſſionis. XLVII. p. 220. & 224.

ODENHEIMENSE Monaſterium è ſtatu Regulari ad Secularem redactum, & in Collegiatam Eccleſiam erectum fuit ab Alexandro VI. XL. p. 197.
Vid. *Bruchſal.*

OFFICIA propria Sanctorum non conceduntur, niſi præceſſerit ſaltem approbatio Cultus; Item ſi non habeantur geſta authentica. XXIX. p. 145. §. 18.

S. OFFICII Tribunal. Vid. *Inquiſitionis.*

OLEI emptio, & extractio. Vid. *Commercium.*
Vid. *Extractio.*

ORATIO in communi suadetur, & laudatur. XXIII. pag. 97.

Orationum Vocalium recitatio laudatur, & confirmantur Indulgentiæ eas recitantibus concessæ. *ibi.* pag. 97.

Orationis Mentalis exercitium docentibus, illâmque peragentibus novæ Indulgentiæ conceduntur. *ibid.*

Orationem Mentalem per mensem peragentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, Indulgentia Plenaria conceditur. *ibi.* pag. 97.

ORDINARIORUM plena jurisdictio intra Diœcesum suarum fines, habet pro se assistentiam juris; adeo, ut qui se ab illa exemptos contendunt, probationibus certis, & manifestis exemptionem suam constabilire teneantur. XL. p. 192.
Vid. *Exemptio.*
Et in casibus dubiis sempor judicari debeat pro Ordinarii jurisdictione. *ibi.* p. 198.

Ordinarii jus in Regulares extra Claustra degentes, aut se asserentes ad alium Ordinem translatos. VII. p. 29. & seqq.

Ordinarius loci Extraordinarium Confessarium Monialibus sibi subjectis designat. LXI. p. 263.
Item iis, quæ Regularibus subjectæ sunt, in pluribus casibus ad supplendam negligentiam Prælati Regularis. *ibi.* p. 263. 264. Vid. *Episcopus.*

Ordinarii approbatio specifica *pro Monialibus* necessaria est omnibus Confessaris Monialium, tam Ordinariis; quàm Extraordinariis, etiam Regularibus, & iis, qui deputantur a Regularibus Superioribus, vel a Cardinale Majore Pœnitentiario, etiam Sede Apostolica vacante. *ibid.* p. 265.

Ordinarius loci, cum Superiore Regulari simul, cognoscere debet causas super nullitate Professionis Regularis intra quinquennium promotas, sive Actio sit a Religione promota, sive a Professo. XLVII. p. 220. & 222.
Nec Regularis Superior ita illi jus suum cedere potest, ut solus ipse judicet. *ibid.*

Ordinarius solus judicat in Causis nullitatum Professionum Monialium ei immediatè subjectarum. *ibi.* p. 221.
Si vero fuerint Regularibus subjectæ, unâ cum Superiore Regulari procedere debet. *ibid.*

Ordinario in Causa hujusmodi dissentiente a judicio Superioris Regular., causa devolvitur ad Sanctam Sedem. *ibid.*

Ordinarii procedere debent adversus inferentes vim, & metum, ut quis Religionem ingrediatur, & Professionem emittat. *ibid.* p. 224.

ORDINATIONES Regularium an ad Episcopos Diœcesanos privativè spectarent, olim disputatum fuit. XXVII. p. 106.
Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. spectare decreverunt, nisi Episcopus extra Diœcesim maneat, aut Ordinationes non sit habiturus. *ibid.*
Id confirmatur ab Innocentio XIII., exceptis iis Regularibus, quibus Privilegium recipiendi Ordines a quocumque post Concilium Tridentinum specialiter concessum fuerit. *ibid.* p. 107.
Idipsum confirmat BENEDICTUS XIV. sub pœnis contra suscipientes Ordines ab eo, qui non est proprius Episcopus, & contra Ordinantes alienos Subditos sine eorum Ordinarii licentia, in jure statutis. *ibi.* p. 108.
De absentia vero Episcopi a propria Diœcesi, vel quòd Ordinationes in temporibus habiturus non sit, authentica documenta afferri jubet; iisque deficientibus, Dimissorias nullas haberi decernit. *ibid.* p. 108.

Privilegia *recipiendi Ordines a quocumque*, nisi post Tridentini Concilii Confirmationem alicui Ordini Regulari nominatim, & directè, non autem in communicatione Privilegiorum, concessa fuerint vel ante illud concessa, postmodum in forma specifica, cum insertione veteris Indulti, confirmata sint, nullatenus suffragari decernit. *ibid.*
Privilegia recipiendi Ordines a quocumque, quibus in casibus, & qua moderatione in usum deducenda sint. *ibid.*
Hujusmodi Privilegii concessio per se non probat exemptionem ab Ordinarii jurisdictione; quum maximè olim in odium Simoniacæ Pravitatis indulgeri contingeret. XL. p. 143.
Privilegia *recipiendi Ordines extra tempora* Regularibus indulta, non arctant Episcopos Diœcesanos ad eos ordinandos extra tempora, vel dimittendos ad Ordinationem alibi suscipiendam. XXVII. p. 108.
Ordinatio *ad titulum Religiosæ paupertatis*, an ratificare censenda sit Professionem initio nullam. XLVII. p. 224.
ORIGENES in Clementis Alexandrini Schola Sacras Literas didicit. LIV. §. 20. p. 244.
Origenistarum errores a Rufino in Occidentem invectos, sub S. Siricio Pontifice patefactos non fuisse, probatur ex S. Hieronymi Testimoniis. *ibid.* §. 86. 87. 88. p. 258. & 259.
Idem probatur ex eo, quod Rufinus Roma digressus, in aliorum Sanctissimorum Ecclesiæ Catholicæ Antistitum gratiam se insinuavit. *ibid.* §. 89. 90. 91. p. 259. & 260.
Eorumdem perfidia S. Anastasio Siricii successori non statim innotuit. *ibid.* §. 92. p. 260.
Sunt etiam, qui negent Rufinum ab Anastasio damnatum fuisse. *ibid.* p. 260.
Ex his omnibus vindicatur S. Siricii memoria adversus eos, qui conniventiæ in prædictos hæreticos illum insimulant; & ostenditur, simplicitatem a S. Hieronymo illi tributam, eo sensu, accipiendam esse, quo virtutem significat. *ibid.* §. 93. p. 260.
OSCENSI Episcopo scribitur super ea quæstione, an, & quando liceat Parocho duabus Ecclesiis præposito, Missæ Sacrificium bis uno eodemque die celebrare. III. p. 1. & 2.
OSTIENSIS Episcopatus subsistit, licet Capitulum extinctum sit. XXXV. p. 170.

## P.

PALLIA Patriarchis, & Archiepiscopis ab Apostolica Sede concedi, & mitti consueverunt, a primis usque Ecclesiæ sæculis. LX. p. 274.
Eadem antea solemni Ritu benedicta fuisse non dubitatur. *ibid.*
Palliorum Benedictio in Ecclesia S. Petri, præviis Cleri Vigiliis, aliisque Sacris Cœremoniis, fieri solebat. *ibidem.*
Ritus hujusmodi nonnullas mutationes subierunt, quas vid. *ibi.* pag. 274.
Palliorum Benedictionem in posterum a Summo Pontifice fieri statuitur in pervigilio Apostolorum, post Vesperas in Vaticana Basilica celebratas. *ibid.*
Vel absente Pontifice, ab eo Cardinale, qui Pontificalia peregerit. *ibid.*
Hujusmodi Benedictionis Ritus, & Formula statuitur. *ibid.* p. 274.
Pallia Archiepiscopalia in Vaticana Basilica prope corpus S. Petri semper asservari jubentur in capsula argentea auro obducta, quam Pontifex dono dedit. *ibi.* p. 275.
Ejus Arculæ custodia ad Altaristam Canonicum spectat. *ibid.*
Pallium suscipientes absentium Antistitum nomine, qua forma juramentum emittere debeant. *ibid.* pag. 275.

In Panormitana Civitate, & Diœceſi Feſtorum obſervantia reducitur. LXV. p. 286.

Parochiales Eccleſiæ Regularium in Indiarum Regionibus ſubſunt Epiſcoporum juriſdictioni. I. pag. 1.

Parochiales juris Patronatus Eccleſiaſtici. Vid. *Patronus.*

Parochi Eccleſiarum Regularium, ſive Regulares, ſive Seculares ſint, ſubſunt juriſdictioni Epiſcopi in iis, quæ animarum curam reſpiciunt. I. pag. 1.

Parochi Regulares curam animarum aſſumere nequeunt ſine examine, approbatione, & conſenſu Ordinarii, *ibid.*

Parochus duarum Eccleſiarum unitarum curam exercens, quando Miſſam eâdem die iterare poſſit. III. pag. 8. & 9. Vid. *Miſſa.*

Parochi Doctrinam Chriſtianam explicare tenentur. *ibi* pag. 11.

Parochus relinquere non poteſt Animarum curam inconſulto Epiſcopo. XXV. p. 103.

Quod ſi Religionem ingredi voluerit, Epiſcopus ipſi licentiam denegare nequit. *ibid.*

Vid. *Epiſcopus.*

Passioneus Dominicus S. R. E. Cardinalis laudatur. XXXII. p. 151.

Patria potestas, neque Divino, neque naturali, aut Gentium jure inducta, ſed legibus Romanorum. XXVIII. §. 9. p. 113.

Ea ab Imperatore Antonino ad omnes Imperii Romani ſubditos ampliata eſt; & conſequenter ad Judæorum nationem. *ibid.*

Ea amittitur a Parentibus, ſi liberos exponant, & abjiciant. *ibid.*

Patria poteſtas reſidet apud Patrem, non vero apud Matrem. *ibi* §. 15. p. 115.

Ut tamen Infidelium filius licitè baptizetur, ſufficit, quod a Matre ad Baptiſmum offeratur, etiam diſſentiente Patre. *ibi* §. 16. Vid. *Avus.*

Patria poteſtas non officit, quin baptizetur Filius adultus, ſive adoleſcens, qui ſponte Baptiſmum petit. *ibi* §. 36. p. 124.

Patriarchæ in Eccleſia Orientali non habent juriſdictionem in Monaſteria in Diœceſibus Epiſcoporum ſita, niſi in eorum fundatione per ſtauropegium ea ſibi ſubjecerint. XL. p. 194. & 195.

Patronus Civitatis, Nationis &c. non conſtituitur *Sanctus* aliquis, niſi ab Eccleſia univerſa titulo Sancti colatur. XXIX. §. 21. p. 147.

Patroni plures Sancti, quando in eodem loco conſtituantur. *ibid.*

Patronus Eccleſiaſticus tenetur præſentare ad Eccleſiam Parochialem digniorem inter approbatos ab Examinatoribus. IV. p. 13.

Etiamſi de prælectione dignioris non fuerit ei facta interpellatio. *ibid.*

Patroni Eccleſiaſtici judicium in dignioris electione, an Epiſcopus ſequi debeat. IV. p. 13. & 14.

Reſpondetur affirmativè, ſi nemo quæratur de prælectione Patroni. *ibi* p. 14.

Sed ſi inter approbatos aliquis reclamet a mala prælectione Patroni, Epiſcopus ſequi non tenetur illius judicium. *ibid.*

Vid. *Appellatio.* Vid. *Præſentatio.*

S. Pauli Epiſcopatus in Braſilia erigitur ex diviſione Diœceſis Fluminis Januarii. XXII. pag. 93.

S. Paulinus Vir Conſularis, poſtea Presbyter, ac Epiſcopus Nolanus, S. Anaſtaſio Papæ acceptiſſimus fuit. LIV. §. 78. p. 256.

Non ita benevolum habuit S. Siricium Anaſtaſii Deceſſorem; quod an ipſius Pontificis ſanctitati officiat, exquiritur. *ibid.* §. 78. & ſeqq.

S. Paulinus quum laicus, & uxoratus eſſet, ab Epiſcopo Barchinonenſi repente Presbyter ordinatus fuit. *ibi* §. 79. p. 257.

Id probari non potuit Siricio, qui nuper legem de ſervandis interſtitiis in Ordinationibus Clericorum edixerat. *ibi* §. 82. p. 257.

Ob hanc rem Siricius aliquandiu alienum ſe præbuit a conſuetudine Paulini, quem tamen deinde benignius excepit. *ibi.* §. 83. p. 257. & 258.

Paulini, & Siricii Pontificis diſſenſio Charitatem Chriſtianam non vulneravit. *ibi* §. 84. p. 258.

S. Paulinus, æquè ac alii ejus ætatis Sanctiſſimi Viri, Melaniam Origeniſtarum fautricem, & Rufinum Origenis librorum interpretem, quorum vitæ probitatem noverant, errores ignorabant, in pretio habuit. *ibi* §. 90. & 91. p. 259. & 260.

Pauperum Advocatus, & Procurator, atque etiam Deputati Charitatis Pontifici deferre jubentur vexationes reis inquiſitis illatas contra diſpoſitiones Conſtitutionis XLIV. *ibi* p. 209.

Periti, ſeu Chirurgi, pro recognitionibus, quas faciunt pro ſervitio Tribunalis Gubernii, & Sacræ Conſultationis in Commiſſionibus extra Urbem, unde ſolvi debeant. XLIV. pag. 207.

Persona. Perſonatos incedere diebus Feſtis a Pontifice prohibetur. XLV. p. 211.

S. Petrus Regalatus Sacerdos Ordinis Minorum S. Franciſci canonizatur. XIII. pag. 46.

Ejus Ortus. *ibid.*

Ordinem Minorum ingreditur, & antiquam in eo obſervantiam inſtaurat. *ibi* p. 47.

Illius Virtutes, & Miracula approbantur. *ibid.* pag. 48.

Canonizationis Decretum. *ibi* p. 50.

Pro B. Petri Regalati Canonizatione Orationes Conſtoriales. p. 64. & 67. 68.

S. Philippi de Argyrio Corporis inventio. XXIX. §. 14. p. 143.

S. Philippi Argyrienſes duo fuere. *ibid.* §. 16. pag. 143.

S. Philippi Evangeliſtæ domus, in qua quatuor erant illius Filiæ virgines prophetantes, ( de qua in Act. Apoſt. ) Ordini S. Dominici comparatur, in qua quatuor Virgines ſolemnis Canonizationis honores meruerunt. Append. 69.

S. Philippus Nerius, quod Bacchanalium tempore Chriſtianas occupationes inſtituit, laudatur. XLV. p. 213.

Pinarolien. Civitatis decora enunciantur, in eaque erigitur Cathedra Epiſcopalis. LXVI. p. 287. 288. ubi vide hujuſmodi Epiſcopalis Menſæ conſtitutionem; item Capituli erectionem &c.

De Planctu. Archiconfraternitas Beatæ Mariæ Virginis de Planctu ſupprimitur. II. p. 4. & 5.

Ejuſque Eccleſia Archiconfraternitati Doctrinæ Chriſtianæ conceditur. *ibi* p. 5.

Præſervatis tamen Indulgentiis pro Fratribus *ejuſdem* ſuppreſſæ Archiconfraternitatis, nec non *pro* Confraternitatibus eidem olim aggregatis, & piorum onerum implemento, alteri Archiconfraternitati injuncto. *ibid.*

Pœnæ adverſus baptizantes Hæbræorum filios illicito modo, & ſine conſenſu parentum. XXVIII. §. 31. p. 121.

Pœnæ contra Confeſſarios exquirentes à pœnitentibus complicum nomina, cum denegatione Abſolutionis. VIII. p. 31.

Pœnæ adverſus Epiſcopos in propria Diœceſi non reſidentes. XVIII. p. 82.

Pœnæ contra impedientes libertatem mutui Commercii inter ſubditos Ditionis Eccleſiaſticæ, ſeu contravenientes Conſtitutioni hac de re editæ. LIII. p. 238.

Pœnæ contra imprimentes, aut publicantes Libros, Scripturas &c. circa imminutionem Dierum Feſtorum de Præcepto. LXIII. p. 285.

Pœnæ in Presbyteros, qui vigore indulti Pontificii plures Miſſas in die Commemorationis omnium Fidelium

lium Defunctorum celebrantes, aliquid plus Eleemosynæ loco acceperint, quam pro unica Missa, juxta locorum consuetudines, aut Leges Synodales, percipi solet. LXI. pag. 277.

In Poenitentiæ Sacramenti administratione perversa praxis introducta damnatur; & prohibetur sub pœnis &c. VIII. pag. 29. & XX. p. 87. Vid. *Confessarius.*

Ad Poenitentiariæ Apostolicæ Scriptorum officium non admittantur, qui alienis servitiis, vel alteri incompatibili officio addicti sint. XLI. p. 199.
Iisdem injungitur, ut Procuratorum seu Secretariorum officia frequentent. *ibid.*

Pœnitentiariæ Apostolicæ Secretarii, seu Procuratores, ipsius Officii praxim didicisse debent in prævio exercitio muneris Scriptoris. XLI. pag. 199.
Tam Procuratores, quàm Scriptores hujusmodi, per concursum eligendi sunt. *ibid.* pag. 199.

Poenitentiario Majori S. R. E. Cardinali injungitur præmissorum executio. XLI. p. 199. & seq.

Ad Pœnitentiarium Majorem pertinet supplere negligentiam, tam Ordinariorum localium, quàm Regularium Superiorum Monialium, in deputationibus Confessariorum in casibus a Concilio Tridentino præscriptis, aliisque recensitis in Constit. XLVI. *ibid.* pag. 263.

Pœnitentiarius Major, etiam vacante Apostolica Sede, Monialibus deputare nequit Confessarios, qui ab Ordinariis locorum pro Monialibus expressè approbati non fuerint. *ibid.* p. 265.

Poenitentiariis Minoribus Basilicæ Lateranensis, Ordinis Minorum Reformatorum, inopia laborantibus, annui reditus augentur in scutis ducentis, ex Officio Sigillatoris Pœnitentiariæ Apostolicæ dismembratis. XXX. pag. 148. 149.
Item in aliis scutis centum ex redditibus Pœnitentiariæ arbitrio Pœnitentiarii Majoris aliàs permissis. *ibid.*

Præterea eorum Collegio assignantur mulctæ ejusdem Officii Pœnitentiariæ. *ibid.*
Hujusmodi autem assignatio declaratur, quod facta fuerit eorum Collegio per modum Eleemosynæ. XXXI. p. 150.
Alia beneficia eorum Collegio collata indicantur. XXX. p. 137.

Poloniæ Primati, Archiepiscopis, & Episcopis scribitur de concessione, & executione Dispensationum Matrimonialium. LI. p. 230. & LIX. pag. 272. Vid. *Dispensatio.*

Poloniæ Antistites monentur, ut dispensationes a Sede Apostolica concessas executioni trahituri, earum tenorem attentè perpendant. LI. p. 230. & 231. p. 232.

Iidem iterum monentur, ut facultates dispensandi sibi attributas examinent, earumque fines nequaquam excedant. LIX. p. 273.

Pontifex Romanus, non autem ullus inferior Antistes, potest dispensare in iis, quæ sunt de jure communi Canonico. LI. p. 232.

Pontifex ex absoluta potestate, etiam inconsulto Diœcesis Episcopo, potest concedere exemptionem ab Ordinaria jurisdictione. XL. pag. 194.
Vid. *Exemptio.*

Pontificalium usus, quo quis ex Privilegio gaudeat, non probat illius exemptionem ab Ordinaria jurisdictione. XL. p. 197.
Ideò in Cap. *ut Apostolicæ de Privil. in VI.* distinctio fit inter Prælatos Pontificalibus utentes, qui exempti sunt, & eos, qui non sunt exempti. *ibid.*

Populoniæ Episcopatus translatus est ad Civitatem Massæ cum retentione Tituli. XXXV. pag. 170.

Portuensis Episcopatus subsistit, licèt Capitulum extinctum fuerit. XXXV. p. 170.

Portugallensi Episcopo scribitur super clausura Monialium, eique diversa mandata dantur, & facultates conceduntur. XXVI. p. 105. & 106.

Portugalliæ Regi præservatur, & conceditur Juspatronatus in duos Episcopatus, duasque Prælaturas in Brasilia erectas ex divisione Diœcesis Fluminis Januarii. XXII. pag. 94. Vid. *Lusitania.*

Possessio Beneficiorum resignatorum capienda est intra sex menses a Data concessionis gratiæ, si Beneficia sint citra montes, vel intra novem, si ultra. X. p. 34. & 35.

Possessores Domorum. Vid. *Viarum refectio.*

Præcedentiæ Ordo inter Votantes Signaturæ Justitiæ, & Gratiæ servandus. IX. p. 32. & 33.

Prædicatorum Ordo laudatur. p. 69.

Prædicatorum Ordo acquirit Ecclesiam, & domum S. Mariæ de Rosario & Febri in Monte Mario prope Urbem. LVII. p. 268.
Ibique instituit Seminarium Missionariorum, de quo vid. eamdem Constit. LVII. pag. 267. per tot. & seq.

Prædicatorum Cœnobii Prior in Civitate S. Dominici in Insula Hispaniola jus habet confetendi gradus in scientiis, quæ ibi docentur. XXXVII. p. 184.

Præeminentia non semper desumitur à potestate Ordinis, sed sæpe etiam a Dignitate, & Officio. XXXVI. p. 176.
Vid. *Præcedentia.*

Prælationis Jura, ejusque gradus statuuntur in emptione domuum, quæ in Civitate Centumcellarum vendentur vigore Constitutionis a Sanctissimo Domino Nostro editæ. XXXIX. pag. 189.
Item in spontaneis venditionibus. *ibid.* pag. 190.

Prælatus. V. *Abbas.* V. *Exemptio.* V. *Superior.*
Prælatis inferioribus Jurisdictionem habentibus in Clerum, & populum conceditur facultas impertiendi Benedictionem in Articulo Mortis. XXXIV. p. 163.

Præscriptio induci nunquam potest adversus Jus Divinum, raro autem adversus Jus commune Ecclesiasticum. III. p. 12.

Præsentatio ad Beneficia de Jurepatronatus Ecclesiastico in mense Apostol. Sedi non reservato fieri debet coram Ordinario. XXXII. p. 153.
Si autem Patronus sit S. R. E. Cardinalis, habens Indultum conferendi Beneficia etiam reservata, quando præsentat vigore Indulti, præsentatio fieri debet coram Pontifice. *ibid.* p. 154.
Vid. *Patronus.*

Præsides Provincarum Ditionis Ecclesiasticæ, quibus facultatibus gaudeant, quoad extractiones Animalium, Lignorum &c. LIII. p. 237.
Item quoad novas Investituras bonorum Cameræ Apostolicæ devolutorum, & quoad præstationem consensus in eorum alienationibus. L. p. 228.
Vid. *Legati.*

Præsumptio Concessionis Apostolicæ non admittitur in iis, quæ nunquam a Sede Apostolica concedi solent. III. p. 12.

Presbyteri simplices olim non poterant populo benedicere. XLVIII. p. 225. & 226.
Quod tamen eisdem modò permittitur in fine Missæ. *ibid.*
Vid. *Benedictio.*

Presbyteris olim, pluribus per annum diebus, & in variis casibus, permittebatur Sacrificium Missæ iterare. LXI. p. 278.
Vid. *Missa.*

Privativæ facultates vendendi, aut emendi, præterquam concessæ a Summo Pontifice favore conductorum Cameralium, sive Communitatum, aut privatorum, nullæ, & irritæ declarantur. LIII. p. 235.

PRIVILEGIA non attenduntur, nisi de eorum veritate doceatur. XL. p. 192.

Privilegiorum confirmatio in forma specifica, & communi. XXVII. p. 108.

Privilegia Regularium a Gregorio XIII. redacta fuerunt ad terminos Juris. *ibid.* pag. 106.

Privilegia recipiendi *Ordines a quocumque*, abolita fuerunt in Concilio Tridentino, ideoque nisi post Confirmationem ipsius Concilii ex integro concessa fuerint, minime suffragantur. XL. pag. 197. & seq. Vid. *Ordinatio.*

Privilegia Regularium *recipiendi Ordines a quocumque*, an, & quibus suffragentur. XXVII. p. 108.

Privilegia Regularium suscipiendi Ordines *extra tempora*, Episcopos non arctant ad eos ita ordinandos. *ibid.* p. 108.

Et quid in eorum usu observandum. *ibid.* p. 108.

Privilegia honoris non inducunt exemptionem ab ordinaria Episcopi jurisdictione. XL. p. 197.

Privilegium, ne locus, aut personæ Ecclesiasticis Censuris subjiciantur, sine mandato Sedis Apostolicæ, non probat loci, aut personarum exemptionem ab ordinaria Episcopi jurisdictione. XL. pag. 195.

Hujusmodi privilegia, præterquam Regibus, Reginis, eorumque Filiis, aut Ordinibus Regularibus universim concessa, ad Ordinariorum sententias, & Processus non extenduntur. *ibid.*

PROBATIONES in Causis super nullitate Professionis quales esse debeant. XLVII. p. 221. & 224. Vid. *Scriptura.* Vid. *Testes.*

PROCESSUS confectio in causis Beatificationum, & Canonizationum, quatenus Episcopis causam præbeat abessendi a propriis Diœcesibus. XVIII. p. 83. & 84.

Processus Ordinarii in causis Beatificationum, & Canonizationum, ut validi sint, non debent necessariò fieri ad normam Litterarum Remissionalium Congregationis S. Rituum; sed tamen ad tramites Juris communis construi debent. XLVI. p. 221.

Processus in causis nullitatis Professionis Regularis fieri debet, juris ordine servato, aliàs sententia nulla erit. XLVII. p. 223.

Processus confectio in Causis Restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii, de Sanctæ Sedis Mandato Ordinariis committitur. XLVII. pag. 223.

Et cum assistentia Defensoris Professionis confici debet. *ibid.* p. 221. & 222.

PROCURÆ mandata ad consentiendum in resignationibus Beneficiorum, recipi, & extendi non debent, si antiquiorem datam habeant, quam præscriptum est in Constitut. X. p. 34. Vid. *Resignationes.*

PROCURATORES, seu Secretarii Pœnitentiariæ. Vid. *Pœnitentiaria.*

PROCURATOR FISCALIS Generalis bis in mense rationem petere debet a suis Substitutis de expeditione Causarum, & processuum contra contumaces. XLIV. p. 209.

Procurator pauperum. Vid. *Pauperum Procurator.*

PROFESSIO solemnis in Ordine Regulari emissa, inducit vacationem beneficiorum. XXV. p. 103. Vid. *Vota.*

Professio in Ordine Regulari strictiore emissa, ab eo, qui antea in laxiori professus fuerat, pendente judiciali oppositione priorum Superiorum, valida, aut invalida censenda erit, prout sententia pro una, aut altera parte emanaverit. XXV. p. 104.

Professio Regularis post quinquennium, juxta Conc. Trid., impugnari nequit. XLVII. pag. 220.

Ad Professionem suam impugnandum non admittitur Regularis, qui Claustra deseruit, & habitum Religionis deposuit; nisi redeat &c. *ibid.* p. 221.

De causis, ex quibus impugnari potest validitas Professionis Regularis. Vid. *Ætas.* Vid. *Intentio.* Vid. *Novitiatus.* Vid. *Occultatio.* Vid. *Vis & Metus.*

Professionum Regularium Causæ intra quinquennium promotæ judicari debent ab Ordinario loci, & Superiori Regulari simul. *ibid.* p. 220.

Etiamsi causa intra quinquennium introducta, & non prosequuta fuerit, sed post quinquennium reassumpta. *ibid.* p. 221.

Quoad Moniales tamen Ordinario immediatè subjectas, solus Episcopus judicat. *ibidem.* Vid. *Causæ.*

In judicandis Professionum Regularium Causis, nova Methodus servanda præscribitur. *ibidem* pag. 220.

Summaque diligentia, & circumspectio Judicibus commendatur. *ibid.* p. 224.

Judicia hujusmodi inniti debent Processibus legitimis, in quibus Testes formiter examinentur, rejectis attestationibus extrajudicialibus. *ibid.* p. 221.

In eodem citari debent omnes interesse habentes, & potissimum Defensor Professionis ex officio deputatus. *ibid.* p. 221. 222.

Unica sententia pro Nullitate prolata, executioni demandari nequit. *ibid.* p. 222.

Quid servandum in ulterioribus instantiis. *ibid.* p. 222.

PROFESSIONUM DEFENSOR in singulis Diœcesibus constituitur, ejusque officia designantur. XLVII. p. 222.

Quomodo ejus mercedi consulatur. *ibid.* p. 222.

Professionum Defensor, in constructione Processus, Interrogatoria dare debet, & in omnibus judicii Actibus citandus est. *ibid.*

Professionum Defensor, si sententia lata fuerit pro nullitate Professionis, ex officio appellare debet. *ibid.*

Professionum Defensor deputari, & assistere debet propositioni causæ apud Sanctam Sedem super concessione restitutionis in integrum. XLVII. p. 223.

Idemque assistere debet confectioni Processus remissorialis. *ibid.*

PROFESSI ad petendam Professionis nullitatem, ut plurimum ex Animarum mobilitate inducuntur. *ibid.* p. 224.

Professus, unica tantum sententiâ prolata pro nullitate Professionis, nequit Religionem deserere. *ibid.* p. 222.

Et si habitum dimittit, incurrit pœnas contra Apostatas comminatas. *ibid.*

Professus obtenta restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, è Claustris egredi nequit. *ibid.* p. 223.

Sed expectare debet Judicis Ordinarii Judicium super Professionis nullitate. *ibid.*

Vid. *Restitutio.*

PROJECTI, quando censeantur Infidelium filii, ad hoc, ut sine consensu parentum, baptizari possint. XXVIII. §. 10. p. 113.

Projecti infantes, quando baptizandi sint sub conditione. *ibid.* §. 31. p. 122.

PROMOTORI FIDEI committitur elevatio corporis Ven. Josephi a Matre Dei Scholarum Piarum Fundatoris. LV. p. 261.

PROPRIETAS. Pertinentia Ecclesiæ, aut Monasterii ad jus, & proprietatem Sedis Apostolicæ, importat exemptionem ab Ordinarii jurisdictione. XL. p. 195.

Dummodo hujusmodi pertinentia non enunciativè, sed dispositivè a Pontifice asseratur. *ibid.* pag. 196.

PROROGATIONES temporis ad publicandas resignationes Beneficiorum, ne quidem pro prima vice concedi debent, literis super resignatione non expeditis. X. pag. 34. & 35.

Post literarum etiam expeditionem, unica tantum prorogatio conceditur, & non ulterior, nisi de impedimento ad publicandum doceatur. *ibid.*

PROTECTIO Apostolica non inducit exemptionem ab Episcoporum jurisdictione. XL. pag. 195.

Protectio Sedis Apostolicæ pro bonis a Monasterio possessis, & acquirendis, sub lege annui census concedi consuevit. *ibid.* pag. 195. & 196.

PROTOMYSEOS Jus. Vid. *Congrui jus.* Vid. *Prælatio.*

PROVISIO CONSISTORIALIS. Vid. *Electio.*

PUBLICATIO literarum resignationum Beneficiorum, intra certum tempus omnino fieri jubetur. X. pag. 33.
Vid. *Resignationes.*

PURGATIO Moræ. Vid. *Bona Cameræ.*

Q.

QUADRAGESIMÆ Jejunium, qua sanctitate inchoandum sit. XLV. pag. 210. & seq.

QUINQUENNIUM ad reclamandum adversus Professionem Regularem a Concilio Tridentino præfinitum. XLVII. pag. 220.

Quinquennium prædictum computatur a die emissæ Professionis. *ibid.* pag. 220.
Etiamsi caussa allegenda, sit metus, qui ultra quinquennium perduraverit. *ibid.*
Adversus lapsum Quinquennii restitutionem in integrum a Sancta Sede concedi, justis de caussis inductum fuit. *ibid.* pag. 222. & 223.
Vid. *Restitutio.*

QUIRINO Angelo Mariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Episcopo Brixiæ, scribitur super libero ingressu Clericorum Secularium in Ordines Regulares. XXV. pag. 101.

R.

RATIONIS usus circa septennium inchoari solet XXVIII. §. 32. pag. 122.
Et reprobatur sententia Nattæ, & Bursati, qui requirunt ætatem duodecim annorum. *ibid.*
Immo quandoque contingit, ut ante septennium quis ratione præditus inveniatur. *ibid.*
Vid. *Ætas.* Vid. *Baptismus.* Vid. *Matrimonium.*

RATIOCINATORIS Cameræ Apostolicæ officia, & onera diversi generis. VI. pag. 24. & 25.

Ratiocinator Cameræ quot Ministros retinere debeat pro Scriptura librorum rationum Cameræ. VI. p. 22.

Ratiocinatori Cameræ Apostolicæ injungitur, ut curet, Ærarium Apostolicum non gravari pro Commissionibus criminalibus, vel pro deportationibus damnatorum, ultra id, quod statutum est in Constitutione XLIV. per tot. pag. 208. 209.

Ratiocinator *Palatii Apostolici* rationes reddere tenetur Cameræ Apostolicæ. VI. pag. 24.

REATINI Episcopi Jurisdictioni variæ subjiciuntur Ecclesiæ, & loca, ex Farfensis Abbatis jurisdictione dismembrata. XXXII. pag. 153.

Reatina domus Clericorum Doctrinæ Christianæ S. Agathæ supprimitur, ejusque bona inter alia loca pia distribuuntur. XLII. pag. 202.

REGALIÆ Camerales, diversis Ministris, & Officialibus præstari solitæ, taxantur in certis annuis summis. VI. §. 5. pag. 18.

REGULARES, quibus a Sancta Sede concessa est facultas impertiendi benedictionem super populum cum Indulgentia Plenaria, quo ritu id facere debeant. XLVIII. pag. 226.

Regulares omnes in Civilibus subsunt jurisdictioni Episcopi. VII. pag. 29.

Regulares extra Claustra degentes, Episcopi jurisdictioni, & correctioni subsunt. *ibid.*

Regulares Animarum curam exercentes, subsunt jurisdictioni Episcopi in iis, quæ pertinent ad ipsam curam, & Sacramentorum administrationem. I. p. 1. Vid. *Parochus.*

Regularibus, ut in Indiarum Regionibus curam Animarum, independenter ab Ordinariis, exercere possent, indulserat S. Pius V. *ibid.* p. 2.
Idque a Gregorio XIV. confirmatum fuit. *ibid.*
Sed hoc indultum effectu caruisse demonstratur ex pluribus. *ibidem.*

Regulares omnes curam in Indiis exercentes ex Decreto Clementis VIII. Ordinariis subjiciuntur. *ibid.* pag. 2.
At in his, quæ curam non concernunt, suis Superioribus subjecti remanent ex dicto Decreto. *ibidem.* pag. 2.

Regulares omnes curam ubique exercentes Ordinariis locorum subjecit Gregorius XV. *ibid.*
Pontifex, inspecta etiam hodierna disciplinâ in Indiis Orientalibus vigente, omnes Regulares in Indiarum Regionibus ad animarum curam deputatos, Ordinariorum approbationem expectare, eorumque jurisdictioni subesse jubet. *ibid.* pag. 3.

Regulares, an a quocumque Catholico Antistite indistinctè ordinari possint, an verò id juris privativi sit illius Episcopi, in cujus Diœcesi degunt. XXVIII. pag. 106.

Regulares tenentur Ordines recipere ab Episcopo Diœcesano. *ibid.* & XL. pag. 196.
Vid. *Ordinatio.*

Regulares, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinari debent. XXVII. pag. 107.

Regulares Superiores, qui Subditis contra Concilii Tridentini præscriptum Dimissorias literas concedunt, quas pœnas incurrant. *ibid.*
Quas vero, qui sic promoti fuerint. *ibid.*

Regulares, juxta Concilii Tridentini Decretum, habent quinquennium ad reclamandum adversus nullitatem Professionis. XLVII. pag. 220.
Vid. *Quinquennium.*

Regularis non admittitur ad impugnandam validitatem suæ Professionis, nisi constet eum in Claustris morari. *ibid.* pag. 221.

Regulares intra quinquennium reclamantes subire debent Judicium Ordinarii, & Superioris Regularis simul. *ibid.* pag. 220.
Pontifex tutiorem Methodum servandam præscribit in caussis nullitatis Professionum Regularium. *ibid.* pag. 220. & seqq.
Vid. *Caussa.* Vid. *Professio &c.*

Regulares habitum dimittentes ante finem caussæ super Professionis nullitate, Apostatæ censentur. *ibid.* pag. 222. & 223.

Regulares, quibus cautelis ad habitum, & ad Professionem admitti debeant. *ibid.* pag. 223.

Regularibus non conceditur translatio, nisi ad Ordines, in quibus viget Claustralis, & Regularis observantia. VII. pag. 29.

Regularibus ab Ordine laxiori ad strictiorem transferri cupientibus, an, & quomodo convenire necesse sit inter utriusque Ordinis Superiores. XXV. pag. 104.

Regulares Superiores, an expectare debeant consensum Episcopi, ut Clericum Secularem ad habitum suæ Religionis admittere possint. *ibid.*

Regularium Superiorum, quæ partes sint in Judiciis super nullitate Professionum Regularium. XLVII. pag. 220. & 221.

Item, qui dicendi sint Superiores in hujusmodi casibus, ad effectum judicandi. XLVII. pag. 220. & 221.

Regularis Superior adstinere nequit a judicio ferendo; sed tamen potest alium sive Regularem, sive Secularem Judicem subrogare. *ibid.* pag. 221.

Regulares Monialium Superiores, quid præstare debeant in deputandis Confessariis extra Ordinem. LVI. pag. 265. Vid. *Confessarius.*

Regularis vita nec omnibus apta est, nec eidem amplectendæ semper est locus. XXV. pag. 102.

Rei. Vid. *Damnati.* Vid. *Inquisiti.*

Religionis status etiam minus sublimis, perfectior habendus est statu Ecclesiastici Secularis. XXV. pag. 102. Vid. *Clerici Seculares.*

Religionem, an Senes, Milites, & Debitores publici Ærarii ingredi possint. *ibid.* pag. 104. & 105.

Religio, æque ac Professus, quinquennium habet ad reclamandum adversus nullitatem Professionis. XLVII. pag. 220. Vid. *Professio.*

Renovationes. Vid. *Bona Cameræ Apostolicæ.*

Renunciatarii Regularis Professi reclamantis de nullitate Professionis, citari debent, & audiri in judicio super hujusmodi nullitate. *ibid.* p. 221. & 222.

Repudium in veteri Testamento permissum fuit Judæis ob eorum cordis duritiem. XXXVIII. p. 186. Sed in nova lege gratiæ vetitum est. *ibid.*

Repudii libellum non licet Judæis ad Fidem conversis dare Uxoribus in Judaismo remanentibus. *ibidem* pag. 187.

Repudii libellum, si quis Neophitus Rabinicis superstitionibus inveniatur dedisse Uxori recusanti se convertere, in eum, tanquam *Judaizantem*, animadvertendum esse statuitur. *ibid.* pag. 187.

Si autem id fecerit coram Notario, & Testibus Christianis, minori pœna plectendus erit. *ibid.*

Residentia Episcoporum in propriis Diœcesibus præcipitur. XVIII. pag. 79. & 80.

Causæ abessendi quænam sint, & quomodo licentia abessendi concedatur. *ibid.* & pag. 83. Vid. *Episcopus.*

Super Residentia Episcoporum Congregatio peculiaris in Urbe ab Urbano VIII. instituta, a Pontifice instauratur, eique certa agendi Methodus præscribitur. *ibid.* pag. 81. & 82.

Super eâdem invigilare jubentur Nuntii Apostolici, & singuli Episcopi. *ibid.* pag. 83. & 84.

Residuorum Congregatio. Vid. *Congregatio.*

Resignationes cum reservatione Pensionum, & pacto eas cassandi damnatæ, & prohibitæ. X. pag. 33. & 34.

Resignationum fraudes, ad eludendam Gregorii XIII. Constitutionem, aperiuntur, iisque remedia comparantur. *ibid.* pag. 34.

Resignationes Beneficiorum expleri nequeunt cum mandatis procura ante certum tempus confectis. *ibid.*

Resignationes Beneficiorum, & Provisiones in vim earum factæ, intra certum tempus publicari debent. *ibidem* pag. 33.

Et possessio Beneficiorum resignatorum intra certum pariter tempus est capienda. *ibid.*

In casu Impedimenti, saltem literæ Exequutoribus præsentari debent. *ibidem.*

Vid. *Prorogationes.*

Restitutiones in integrum, adversus lapsum temporis ad publicandum literas resignationum, quando concedi possint. X. pag. 34. & 35.

Restitutiones in integrum adversus devolutiones, aut caducitates incursas. Vid. *Bona Cameræ Apostolicæ.*

Restitutio in integrum pro Regularibus Professis adversus lapsum quinquennii, non sine gravibus causis introducta fuit. XLVII. pag. 222. & 223.

Est remedium extraordinarium, cujus concessio soli Apostolicæ Sedi reservata est. *ibidem.*

Restitutionis in integrum concessio ex speciali dispensatione quandoque Ordinariis delegata fuit. *ibid.*

Restitutio in integrum non conceditur, nisi post confectionem formalis Processus. *ibid.* p. 223.

Restitutionis in integrum judicium, qua Methodo, & forma perfici debeat. *ibid.* p. 223.

Restitutio in integrum non censetur concessa, nisi, iterata causæ propositione, confirmata fuerit. *ibid.*

Restitutionis in integrum concessio non sufficit, ut quis è Claustris egredi possit, sed expectari debet subsequens Ordinarii judicium super controversa Professionis validitate. XLVII. p. 223. & 224.

Revisor Commissionum. Vid. *Commissionum Revisor.*

Riarius Petrus S. R. E. Cardinalis creatus ab Eugenio IV., postea Patriarcha Constantinopolitanus a Sixto IV. XXXVI. pag. 178.

Sacrorum Rituum Congregatio distinguitur in Generalem, & Ordinariam. XLVI. p. 215.

Generali intervenit Summus Pontifex cum Cardinalibus eidem Congregationi adscriptis. *ibid.*

Ordinariam verò constituunt soli Cardinales, unà cum Secretario, Protonotario Apostolico, & Promotore Fidei, atque in hac, præter cætera, agitur etiam de revisione Operum conscriptorum a Servis Dei, quorum Beatificatio promovetur. *ibid.* p. 215.

In Congregatione Sacrorum Rituum unus Consultoris locus perpetuò tribuitur Presbyteris Societatis Jesu. XLIX. p. 227.

Methodus, quæ a Sacrorum Rituum Congregatione observatur in Servorum Dei librorum revisione. XLVI. p. 215.

Ritus Græcus in Monasterio Cryptæ Ferratæ a Fundatione constanter servatus. XXXIII. p. 159.

Ritus Græcus in Siciliam invectus est sæculo Ecclesiæ octavo, & usque ad undecimum ibi generaliter observatus fuit. XXIX. p. 141. & 142.

Huic sub Principibus Normannis, post expulsionem Saracenorum, substitutus fuit Ritus Latinus juxta disciplinam Ecclesiarum Galliæ; Indeque sacrorum Officiorum ordo peculiaris exortus est, *Gallo-Siculus* dictus. *ibidem.*

Rothomagensis Synodus vetat, ne quis audeat bis Missam celebrare, nisi in casu necessitatis, & ubi sit Sacerdos unicus. III. p. 9.

Rotæ Tribunal laudatur; ejus Auditorii consilio Romani Pontifices uti consueverunt in causarum definitionibus: quorum exempla Pontifex non *semel* est sequutus. XL. p. 191.

Rotæ Auditores in Subdiaconorum Officio Pontifici solemniter celebranti ministrant. LX. pag. 274.

Eorum Decano traduntur Agni, ex quorum velleribus sacra Pallia conficiuntur. *ibid.* p. 275.

Idcirco iidem deputantur ad deferenda eadem Pallia coram Pontifice, quum solemnem eorum Benedictionem perficiet. *ibid.* p. 274.

Ad Rotæ Tribunal in secunda instantia pertinent causæ graviores, quæ in Urbe in prima instantia judicatæ fuerint coram Cameræ Auditore, vel Cardinali Vicario. XXI. p. 89. & 90.

Item causæ graviores in partibus judicatæ, & per appellationem ad Curiam devolutæ, vel immediatè, vel post alteram instantiam coram A. C., aut coram Cardinali Vicario expletam, arbitrio Appellantis. *ibidem.*

Ad Rotæ Tribunal, vel ad Congregationem Concilii privativè spectant causæ super fœdere Matrimonii, & nullitate Professionis Regularis. *ibid.* p. 90.

In

In Rotæ Auditorio post primam, aut ulteriorem causæ propositionem in Turno Ordinario, si suffragia æquentur, causa ipsa proponenda erit, *videntibus quinto, sexto, & septimo.* XXI. pag. 92.

In iis verò causis, quæ *videntibus omnibus* proponuntur, *Auditor proponens* suffragium ferre debebit, vel non, prout aliorum suffragantium numerus per erit, vel impar. *ibid.*

Rotæ Auditorio committi nequeunt causæ Prælatitiæ, vel ad Capitolii Curiam spectantes, nisi de omnium partium consensu. *ibid.* pag. 91.

Rotæ Auditoribus tanquam *Prælatis*, committi nequeunt causæ de sui natura Rotales, ne quidem de partium consensu. *ibid.* Vid. *Causæ.*

Rotæ Notarii. Vid. *Notarii.*

De Rubeis, Joannes Victorius, dotem reliquit pro Conventu S. Mariæ de Rosario, & Febri in Monte Mario prope Urbem. LVII. pag. 267. & 268.

Rufinus Siricii tempore de hæresi convictus non erat; ideoque ab eodem Siricio literas accepit communicatorias. LIV. §. 76. pag. 255. & 256.

Idem a Sanctis Augustino, Paulino, Cromatio, aliisque in pretio est habitus. *ibid.* §. 90. pag. 259. & 260.

Sunt etiam, qui negent, ab Anastasio Siricii Successore damnatum fuisse Rufinum. *ibid.* §. 92. pag. 260.

S

Sacerdos simplex benedictionem super populum impertiri nequit, præterquam in fine Missæ, nisi forte id ipsi demandetur jure delegato. XLVIII. pag. 225. & seqq. Vid. *Presbyter.*

Quo ritu Benedictionem impertiri debeat, præsente Episcopo Diœcesano. *ibid.* pag. 405.

Sacramentorum simulatio licita non est, etiam ad evitandum mortis periculum. XXVII. §. 20. & 21. pag. 117. 118.

SS. Sacramentum Eucharistiæ publicæ Fidelium veneration exponendum non est, sine licentia Episcopi, seu Ordinarii loci. V. pag. 17.

Vid. *Eucharistia.*

S. Salvatoris Majoris Abbatia. Vid. *Farfen.*

Sanctitas, non in una, vel altera virtutum specie, sed in complexu omnium virtutum in gradu heroico usque ad obitum exercitarum, consistit. LIV. §. 26. pag. 245.

Sanctitati alioquin probatæ non officiunt errores circa Dogmata nondum ab Ecclesia definita. *ibid.* §. 31. pag. 246.

Sancti vocabulum, primis Ecclesiæ sæculis, Christianis omnibus, ob Religionis Sanctitatem, tributum. LIV. §. 32. pag. 246. & 247.

Sequenti tempore Dignitatis Ecclesiasticæ titulus fuit: seriùs autem ad probatam vitæ sanctimoniam indicandam privativè ttanslatum fuit. *ibid.*

Sanctorum Nomina, & elogia in Martyrologium inferri nequeunt, sine auctoritate Congregationis Sacrorum Rituum. LIV. §. 3. pag. 240.

Sanctorum Nomina in Martyrologio inferenda non sunt, nisi publicus cultus ipsis per solemnem Canonizationem decretus, vel saltem ab antiquis temporibus universalis Ecclesiæ consensione præstitus fuerit. *ibidem* §. 15. & 16. pag. 243. & 244.

Sanctorum Nomina, quæ in novissima Martyrologii Romani editione, Pontificis jussu, inserta fuerunt. Vid. dicta Const. LIV. §. 6. 7. & 8. pag. 241. & seqq. Vid. *Patronus.*

Sapientia. Vid. *Archigymnasium.*

Sardiniæ Regis Magnum Eleemosynarium Episcopali Charactere præditum esse oportet. XXXVI. pag. 182.

Saxones Caroli Magni jussu compulsi sunt Baptismum suscipere. XXVIII. §. 38. pag. 125.

Sed notandum, quod antea ipsi declaraverant, & sponderant se Baptismum suscepturos. *ibid.* §. 39. pag. 125. & 126.

Scholarum Piarum Fundator. Vid. *Joseph Calasanctius.*

Scripta Servorum Dei diligenter examinari oportet in Congregatione Rituum, antequam ad aliquem actum inquisitionis in eorum Beatificationis causa procedatur. XLVI. pag. 215.

Hujusmodi examen qua methodo fieri soleat, quidque in ipso præcipuè spectetur. Vid. *ibid.* pag. 215. & 216.

Ante omnia constare oportet, quod a Servo Dei conscriptum fuerit Opus, de quo agitur; alioquin examen prætermittitur. *ibid.* pag. 216.

Nec sufficit id a Postulatoribus admitti. *ibid.*

Scriptores Archivii. Vid. *Archivii Scriptores.*

Scriptorum *Pœnitentiariæ Apostolicæ* Officia prævio semper concursu conferri debent. XLI. pag. 199. & 200.

Nec iis conferenda sunt, qui alienis servitiis, aliisve officiis incompatibilibus addicti sint. *ibid.*

Scripturæ authographæ probatio *per Testes habentes notam manum*, insufficiens censetur, nisi legitimis adminiculis fulciatur. XLVI. pag. 217.

Quænam esse debeant hujusmodi adminicula. *ibidem* pag. 217. & 218.

Scripturæ authographæ probatio per *comparationem* cum aliis Chirographis ejusdem personæ, inter semiplenas, seu subsidiarias recensetur. *ibid.* pag. 217.

Secretaria Brevium rationes exhibere non tenetur Ratiocinatori Cameræ. VI. pag. 24.

Secretarii Cameræ copias Chirographorum, & Instrumentorum Cameralium communicare debent Ratiocinatori ipsius Cameræ. *ibid.* pag. 26.

Secretarii Pœnitentiariæ Apostolicæ. Vid. *Procuratores.*

Segetum extractio de una in aliam Provinciam, Legationem, aut Civitatem Status Ecclesiastici, sub certis legibus permittitur omnibus, etiam non subditis, in perpetuum. LIII. pag. 234.

Extra Ditionem Ecclesiasticam fieri prohibetur, sine speciali Chirographo Papæ. *ibid.* pag. 234. & 235.

Et de una in aliam Provinciam, quoad aliquas segetes, in mensibus Junio, Julio, & Augusto; & quoad alias, in mensibus Julio, Augusto, & Septembri. *ibid.* pag. 236.

Seminarium Missionariorum Ord. Prædic. Congregationis S. Marci constituitur in Monte Mario prope Urbem, sub dependentia a Congregatione Cardinalium de Propaganda Fide. LVII. p. 267. & seq.

Ejus Seminarii regulas vide. *ibid.* pag. 270. & seq.

Senectus impedimento non est quominus, quis in Religionem recipiatur. XXV. p. 104. & 105.

Sententiæ nondum executioni traditæ contra extractores Segetum, Animalium, Lignorum &c. de loco ad locum Status Ecclesiastici, annullantur, & irritantur. LIII. pag. 235.

Sententiâ unicâ latâ in prima instantia *super nullitate Matrimonii*, non licet ad secunda vota transire. XLVII. pag. 222.

Sed duas conformes sententias ad hunc effectum prodiisse oportet. *ibid.*

Id ipsum a Pontifice statuitur pro causis super *nullitate Professionum Regularium*; & reclamanti prohibetur, è Claustris exire post unicam sententiam. *ibid.* p. 222.

Nisi quis antea per duas conformes resolutiones obtinuerit restitutionem in integrum adversus lapsum quinquennii. *ibid.* pag. 223. & 224.

Sententia super nullitate Professionis expectanda est, etiam post legitimè obtentam restitutionem in integrum,

grum, ad hoc, ut reclamans è Clauſtris migrare poſſit. XLVII. pag. 223.

Sententiæ, quæ proferuntur in Cauſſis nullitatis Profeſſionis Regularis, poſtquam a Sancta Sede conceſſa fuit in integrum reſtitutio, ut plurimum ſunt pro profeſſionis invaliditate. *ibid.* pag. 223.

Sententia ſuper nullitate Profeſſionis prolata, abſque Proceſſu ſecundum juris ordinem confecto, nulla definitur. *ibidem* pag. 221. 222.
Item, ſi citati non fuerint omnes intereſſe habentes in ſuſtinenda illius validitate. *ibid.*

Servitus alia pœnalis eſt, & durior, alia civilis, quæ non omnia libertatis jura tollit. XXVIII. §. 11. pag. 113.
Ad hoc genus referenda eſt ſervitus, qua Judæi apud Chriſtianos haberi dicuntur. *ibid.*

Servitutum realium, aut mixtarum Cauſſæ graviores levioreſve cenſendæ ſunt, prout major, aut minor eſt prædii ſervientis æſtimatio, & Cauſſa Itala eſt, aut Ultramontana. XXI. pag. 90. & 91.

Servis jure belli in poteſtatem, & dominium redactis, an eorum filii infantes, ipſis etiam invitis, baptizari poſſint. XLVIII. §. 6. pag. 111. & 112.

Severus Sulpicius. Vid. *Sulpicius.*

Sicilia. Utriuſque Siciliæ Rex Carolus Cauſſam Beatificationis Ven. Mariæ a Jeſu de Agreda promoveri curat. XLVI. p. 214.
Idem Pontificem in Urbe inviſit, & cum eo agit de imminutione dierum Feſtorum de præcepto. LXIII. pag. 283.
In *Regno Siciliæ* citra Pharum, & in Diœceſibus Panormitana, & Meſſanen. ultra Pharum, reducitur obſervantia diverſorum dierum Feſtorum. LXV. pag. 286. & 287.

Sicilia Græcis Ritibus uſa eſt ab octavo Eccleſiæ ſæculo, uſque ad undecimum. XXIX. §. 11. pag. 141. & 142.
Poſt expulſionem Saracenorum ope Principum Normannorum, Ritum Gallicanum amplexa fuit; ex eoque *Gallico Siculus* ritus conflatus eſt. *ibid.*
Tandem Romanis ritibus ſe conformavit. *ibid.*

Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ votantibus Præcedentiæ leges ſtatuuntur, juxta reſpectivam in Tribunali antiquitatem. IX. pag. 32.

Silvæ Candidæ Epiſcopatus ſubſiſtit, licet Capitulum extinctum ſit. XXXV. pag. 170.

S. Siricli Papæ, & Confeſſoris nomen in Martyrologio Romano Gregorii XIII. & Urbani VIII. juſſu emendato, prætermiſſum fuit. LIV. §. 49. p. 250. & 251.
Pro eo ſcripſerunt Franciſcus Maria Florentinus, Henricus Cardinalis Noriſius, aliique. *ibid.* §. 50. pag. 250. & 251.

De Siricii Sanctitate, ſplendidum extat teſtimonium in Epiſtola Valentiniani Imperatoris. *ibid.* §. 53. pag. 251.
Siricius Sanctiſſima decreta condidit ad Eccleſiaſticam diſciplinam firmandam, aut reſtaurandam. *ibid.* §. 54. 55. pag. 251.
Idem Jovinianum, Auxentium, Bonoſium, alioſque hæreticos damnavit; Manichæos, & Priſcillianiſtas ejecit. *ibid.* §. 56. 57. pag. 252.

Eumdem poſt obitum SS. Patres, ac Pontifices, & Catholicæ Synodi elogiis cumularunt. *ibid.* §. 58. pag. 252.
Illius nomen inter Sanctos ab Eccleſia agnitos exhibent Martyrologia Bedæ, Rabani, & Monaſterii S. Cyriaci de Urbe, tum illud a Florentinio editum, & alia, quæ Cardinali Baronio cognita eſſe non potuerunt. *ibid.* §. 59. p. 252.

S. Siricii erga S. Hieronymum agendi ratio vindicatur. *ibid.* §. 61. 62. pag. 253.
S. Hieronymi duriora quædam verba in S. Siricium prolata excuſantur. *ibid.* §. 73. 74. pag. 255. ſeq. Vid. *S. Hieronymus.*

S. Siricius Rufini erroneam doctrinam cognitam habere non potuit. *ibid.* §. 76. 77. pag. 256.
Nec Origeniſtarum errores ſub Siricii Pontificatu in publicum prolati fuerunt, ut ab eo damnari potuerint. *ibid.* §. 85. &c. pag. 258. & ſeqq. Vid. *Origeniſtæ.*
S. Siricius non ſine cauſſa a S. Paulini Nolani neceſſitudine initio abſtinuit. *ibid.* §. 89. 90. p. 259.
Poſtea tamen eidem ſe benevolum præſtitit. *ibid.* §. 91. pag. 257. & 258.
Vid. *S. Paulinus.*

S. Siricius non immatura morte ſublatus fuit; qui ſeptuagenario major eſſet, & ſediſſet annos XV. *ibid.* §. 93. pag. 260.

S. Siricii Sanctitas, & Patrum illuſtri teſtificatione, egregie factorum monumentis, & Eccleſiæ cultu, & objectorum refutatione a Pontifice comprobata eſt. *ibid.* §. 94. pag. 260. 261.
Ideo illius nomen Martyrologio Romano *ſub die* 26. Novembris jure inſcribendum decernit. ibid.

Siroli Eccleſia in Diœceſi Humanatenſi ſita eſt. XXXV. pag. 170. & 171.

Socius in Dominio domus, præfertur vicino in ipſius emptione. XXXIX. pag. 189.

Sollicitatoribus Cameræ Apoſtolicæ plura præſcribuntur Officia, arbitrio Theſaurarii Generalis inter eos diſtribuenda. VI. p. 23. & p. 26. & 27.

Somaschæ Congregatio Clericorum Regularium Beato Hieronymo Æmiliano fundata. XLIII. p. 22.

Sorbonæ Facultas Theologica Pariſienſis cenſuram edidit operis *de Myſtica Civitate Dei* Ven. Mariæ de Agreda. Quid de hac cenſura ſenſerit Cardinalis de Aguirre. XLVI. pag. 219.

Spicarum collectoribus permittitur extractio ejuscumque tempore, etiam extra Statum Eccleſiaſticum. LIII. pag. 237.

Spirensis Epiſcopi juriſdictio in Eccleſiam Collegiatam Beatæ Mariæ Virginis in Bruchſal, ejuſque Capitulum, firmatur per Epiſtolam Decretalem. XL. pag. 191. & ſeqq.

Spoletani Epiſcopi juriſdictioni variæ ſubjiciuntur Eccleſiæ, & loca ex Farfenſis Abbatis juriſdictione diſmembrata. XXXII. pag. 153.

Spoliorum Commiſſarii rationes reddere tenentur in Computiſteria Cameræ Apoſtolicæ. VI. pag. 24.

Sponsalia apud Judæos majorem Sponſo tribuunt poteſtatem in Sponſam, quam inter Chriſtianos; itaut corruptor alienæ Sponſæ, pro adultero habeatur, & adulterii pœna puniatur. XXVIII. §. 55. pag. 134.
Hinc eſt, ut Sponſus a Judaiſmo ad Fidem Chriſti nam converſus, hujuſmodi poteſtatis jure, ad Baptiſmum offerre poſſit Sponſam; quæ ſic oblata, retinenda eſt, & probanda. *ibid.*

Sponſalia apud Hebræos inter Sponſum ex una, & Sponſæ parentes, aut proximiores agnatos, ex altera parte, contrahuntur; vocantur autem eorum lingua *Tenaim.* *ibid.* §. 63. pag. 135. & ſeq.

Sponſalia Judæorum tunc valida, & rata cenſentur, quum in ſcriptis legaliter redacta ſunt, addita Teſtium ſubſcriptione, vel juramento coram Teſtibus præſtito, inter partes conventa. *ibid.* §. 65. 66. pag. 136.

Sponſalia ita contracta non obligant Mulierem deſponſatam ad contrahendum Matrimonium; ſed ſi ipſa recuſet, inobedientiæ erga parentes tantummodo arguitur. *ibid.* §. 64. pag. 136.
Si tamen copula poſt ſponſalia ſequatur, utraque pars adigitur ad contrahendum matrimonium, non tam vigore contractus, quam in pœnam commiſſi reatus. *ibid.* pag. 67. pag. 136.

Sponsalia etiam validè, ut præfertur, contracta, facilè inter hebræos dissolvuntur, auctoritate Rabbini, qui contrahentes a juramento absolvit. XXVIII. §. 66. pag. 136.

Sponsus a Judaismo ad Fidem conversus si Sponsam offerat ad Baptismum, contractorum sponsalium probationes exhibere tenetur. *ibidem*. §. 69. pag. 136.

Si probetur sponsalia legitime, juxta nationis suæ mores, contraxisse, *Sponsa* ad Catechumenorum Domum deferri debet, ibique quamdiù oportebit, non tamen ultra quadraginta dies, retineri, & probari. *ibidem*. §. 70. pag. 137.

Si autem probationes tales exhibeat, quæ juxta Christianorum dumtaxat Leges, valida sponsalia evincerent; tunc Mulier extra vicum evocari, & in Ecclesia, aliove idoneo loco, de amplectenda Fide interrogari debet; non tamen retineri, nisi conversionis spem ostendat. *ibidem* §. 69. pag. 136. & 137.

Stauropegium Patriarchis Orientalibus usitatum, est jus figendi Crucem, quum novum Monasterium in Diœcesi alicujus sui Suffraganei extruitur. XL. pag. 195.

Quo facto, Monasterium hujusmodi ab Episcopi Diœcesani jurisdictione exemptum, & Patriarchæ immediatè subjectum remanet. *ibid.*

S. Stephani Abbatis & ducentorum Monachorum S. Petri de Cardegna Martyrum Nomina, Summi Pontificis curâ Martyrologio Romano inscripta fuerunt, post centum, & ultra annos, ex quo Clemens VIII. id fieri jusserat. LIV. §. 4, pag. 240.

S. Stephani Papæ, & Martyris *Militia* pluribus Privilegiis a Sede Apostolica decorata fuit. LII. pag. 233.

Ejus *Militibus* conceditur, ut ense præcincti coram Romano Pontifice apparere possint. *ibidem* pag. 233.

Subsidia Dotalia, quæ antea ab Archiconfraternitate Beatæ Mariæ Virginis de Planctu distribuebantur, in posterum ab Archiconfraternitate Doctrinæ Christianæ distribui jubentur. II. pag. 6.

Adolescenti, qui in Doctrina Christiana frequentanda diligentior fuerit, conceditur nominatio ad unum Subsidium hujusmodi. *ibidem* pag. 7.

Suffraganei. Vid. *Episcopi Suffraganei.*

Sulpicius Severus Discipulus S. Martini, ejusque vitæ Scriptor, laudatur a S. Paulino Nolano, a Paulino Petrocoriensi, Venantio Fortunato, Gregorio Turonensi, aliisque. LIV. §. 39. pag. 248.

De eo tamen scribit Gennadius, Pelagianis in senectute adhæsisse; & in ipsius dialogis Millenariorum errores agnoscere licet; unde & ipsius opuscula a Gelasio Papa inter apocrypha recensentur. *ibidem* §. 40. pag. 248.

Sulpicius hic nunquam Episcopus fuit; Presbyterum verò fuisse unius Gennadii testimonio comprobatur. *ibidem* §. 43. pag. 249.

Illius autem Nomen Martyrologio adscriptum non fuit, sed S. Sulpicii Bituricensis Episcopi, de quo infra, *ibidem.*

S. Sulpicius Severus *Bituricensis Episcopus* in Martyrologiis laudatus ad diem 29. Januarii, nil commune habet cum Sulpicio Severo Discipulo S. Martini. *ibidem* §. 47. pag. 250.

Unde meritò ab ejus elogio expunctum fuit additamentum illud *Discipuli S. Martini. ibidem* §. 46. 47. pag. 249. & 250.

S. Sulpicius alter *Bituricensis Episcopus* cognomento Pius, in Martyrologiis memoratur die 17. Januarii. *ibidem.*

Superiores Regulares, quæ observare debeant in Tyronum admissione. XLVII. p. 223. & 224.

Superiorum Regularium consensus exquirirur a S. Sede, in concedendis dispensationibus pro Regularibus. *ibidem.*

Superiores Regulares non possunt suis subditis concedere literas dimissorias ad recipiendos Ordines ab alio, quàm ab Episcopo Diœcesano, nisi hic a Diœcesi absit, vel Ordinationes in temporibus non sit habiturus. XXVII. pag. 106.

Eorum Dimissoriæ nullæ declarantur, nisi adjuncta habeant documenta de absentia Episcopi Diœcesani, sive quod Ordinationes habiturus non erit. *ibid* pag. 108.

Vid. *Episcopus.* Vid. *Ordinatio &c.*

Superiores Regulares Monasteriorum Monialium, bis, aut ter in anno Confessarium extraordinarium offerre tenentur universæ Communitati. LVI. pag. 263.

Et quidem semel saltem in anno hujusmodi Confessarium deputare debent è Clero seculari, vel ex alio Ordine Regulari. *ibidem* pag. 266.

Singulis autem Monialibus peculiarem Confessarium extra ordinem in pluribus casibus denegare non debent. *ibidem* pag. 263. & seq.

Vid. *Confessarius.* Vid. *Episcopus.*

Superiores Regulares non se opponentes Regularibus petentibus Professionis nullitatem, officio deesse censentur. XLVII. pag. 224.

Superior Regularis, unâ cum Ordinario loci, cognoscere debet causas super nullitate Professionis Regularis intra quinquennium promotas, sive actio sit a Religione intentata, sive a Professo. *ibidem* pag. 220. & 222.

Idem statuitur si causa intra quinquennium legitimè introducta, post quinquennium denuo instauretur. *ibidem* pag. 395.

Superior Regularis similiter cum Ordinario cognoscere debet causas nullitatum Professionum Monialium sibi subjectarum. XLVII. pag. 221.

Superior Regularis ad effectum cognoscendi causas super nullitate Professionis, est Prælatus Localis Monasterii, Conventus &c. *ibidem.*

Superior Regularis Conjudex in hujusmodi causis existens, juri suo cedere nequit, sed alium potest subdelegare. *ibidem.*

Superiore Regulare dissentiente a judicio Episcopi in causa nullitatis Professionis, causa devolvitur ad S. Sedem. *ibidem.*

Superior Regularis alius a primo, unà cum Judice secundæ, aut ulterioris instantiæ, semper in causis hujusmodi judicare debet. *ibidem* pag. 222.

Si in loco Judicis secundæ, aut ulterioris instantiæ, non adsit Superior Regularis ejusdem Ordinis, assumendus erit Superior Monasterii vicinioris ipsius Ordinis, vel alius Judex Ecclesiasticus, deputatus ab eo, ad quem pertinet. *ibidem* pag. 222. & seq.

Superior Regularis in causis nullitatis Professionis non admittitur ad judicium ferendum, quum causa apud Sedem judicatur quacumque de causa. XLVII. pag. 223.

Etsi agatur de causa infra quinquennium promota. *ibidem.*

Syponti mos invaluerat, ut Feria V. majoris hebdomadæ, Archiepiscopus, sacro Chrismate in Civitate confecto, ad Garganum montem se conferret, ibique alteram Missam celebraret. III. pag. 10.

Id ab Honorio Papa III. vetitum fuit. *ibidem.*

## T.

Tarraconense Concilium Provinciale Festorum dierum imminuendorum Methodum excogitat, quæ a Benedicto XIII. approbatur. LXIII. pag. 283.

Nimirum, ut omnibus diebus Dominicis, aliisque solemnioribus Festis, Fideles Missæ interfint, & ab operibus servilibus abstineant; in aliis verò Missam audiant, sed operari possint. LXIII. pag. 283.

Eamdem Methodum sequitur Benedictus XIV. in concedendis hujusmodi imminutionum Indultis. *ibidem* pag. 284. 286. & 287. & LXV. pag. 286. 287.

S. Telesphorus primum instituit, ut in die Nativitatis D. N. Jesu Christi ab unoquoque Sacerdote Missarum solemnia ter celebrentur. III. pag. 9.

Tempora Ordinationum. Vid. *Episcopi.*

Vid. *Ordinationes.*

Tenaim vox Hebraica, qua sponsalia de futuro vocantur apud Judæos; Matrimonium verò de præsenti vocatur *Kidduscim.* XXVIII. §. 63. pag. 135. & 136.

Territorium separatum Prælato inferiori competere non censetur in loco intra certam Diœcesim existente, nisi constet de Privilegio Apostolico, aut de immemorabili consuetudine. XXXIII. pag. 158. Vid. *Exemptio.*

Territorii separati jura ex mera denominatione *nullius Diœcesis* non probantur. XXXIII. pag. 159. & 160.

Testis unicus non probat de jure. XXVIII. §. 55. pag. 132.

Limita, ut collatio Baptismi per unicum Testem fide dignum probari possit. *ibidem* §. 31. pag. 208.

Item limita, quando Testis unicus, legitimis præsumptionibus, & validis conjecturis adminiculatus est. *ibidem* §. 55. pag. 132.

Testes in Judiciis Civilibus, & Canonicis admittuntur etiam *Mulieres. ibidem.*

Testes *habentes notam manum*, identitatem Scripturæ authographæ non probant, nisi validis adminiculis fulciantur. XLVI. pag. 217.

Quæ debeant esse hujusmodi adminicula. *ibid.*

Testes examinati *turmatim*, invalidam probationem constituunt; sed de substantia examinis formalis est, ut singuli seorsim audiantur. *ibidem* pag. 217.

Theodori Pontificis nulla mentio fit in Martyrologio Romano, aliisque Ecclesiæ monumentis, ex quibus de cultu illi exhibito constare turò possit. LIV. §. 48. pag. 250.

Hinc ejus nomen in nova Martyrologii editione non admittitur. *ibid.*

S. Theresiæ opera non aliena industria, sed ipsius tantùm studio composita fuisse probatum fuit. XLVI. pag. 217. & 218.

Thesaurarius Generalis non tenetur speculiariter rationes exhibere in Computisteria Cameræ Apostolicæ. VI. pag. 24.

Thesaurarii Generalis officia, & facultates diversi generis, in Congregationibus Cameralibus, & in directione œconomiæ Cameræ Apostolicæ. Vid. Const. VI. pag. 18. per tot.

Thesaurarii *Provinciales* documenta solutionum exhibere debent in rationum redditione. VI. §. 6. pag. 20.

Iidem rationes singulorum Annorum intra tres menses Anni sequentis exhibere tenentur. *ibidem* pag. 23.

Theudaldus Marchio celebre Monasterium S. Benedicti in Polirone fundavit in Statu Mantuano. XL. pag. 193.

Quo in Monasterio Monachis tribuitur facultas eligendi Abbatem &c. *ibidem.*

Ex hoc non inducitur exemptio ab Episcopi jurisdictione. *ibidem* & seq.

S. Thomæ Aquinatis auctoritas de non conferendo Baptismo Infidelium filiis infantibus, contra voluntatem parentum. XXVIII. §. 4. & seqq. pag. 111.

Ejusdem Doctrina de intentione in adulto requisita, ut validè batizbetur. *ibid.* §. 43. pag. 127. & 128. & §. 51. pag. 131.

Ejusdem Sententia de non prohibendo Clericis secularibus ingressu in Ordines Regulares. XXV. pag. 102.

Item illius monitum de Confessario extra ordinem facilè concedendo Religiosis viventibus in communitate, cui unicus Confessarius ordinarius est assignatus. LVI. pag. 262.

Tigni ferendi servitus statuitur inter Domos Centumcellarum, cum opportunis Legibus. XXXII. pag. 19.

Tiraso-nensis Episcopus, Processum conficit auctoritate ordinaria, super fama Virtutum, & Miraculorum Ven. Mariæ a Jesu de Agreda, authographum illius Operis *de Mystica Civitate Dei* recognoviisse fertur. XLVI. pag. 217. Vid. *in verbo* Agreda.

Toletanum Concilium censet Clericis non interdicendum esse ingressum in Ordines Regulares. XXV. pag. 102.

Transitus Regularium ab Ordine laxiore *ad* strictiorem impediri non debet sine causa. *ibid.* pag. 104.

Si Superiores duorum Ordinum dissentiant, judicium ad Sedem Apostolicam devolvitur. *ibid.* pag. 104.

Transitus concedi solet a Sede Apostolica, cum derogatione super consensu Superioris Ordinis laxioris. *ibid.* Vid. *Regulares.*

Translatio Regularibus non conceditur ad Ordines, in quibus non vigeat Claustralis observantia, nec ad Ordines Militares, aut Hospitalarios. V. pag. 29.

Quomodo se gerere debeant Episcopi cum hujusmodi Regularibus se translatos asserentibus. Vid. *ibidem.*

Transubstantiatio vini in Sanguinem Christi non fit in Missa Præsanctificatorum per immersionem Particulæ consecratæ in Calicem. III. pag. 11.

Tridentini Concilii decreta enunciantur, & impleri jubentur, circa jurisdictionem Episcoporum in omnes animarum curam gerentes, & in Ecclesias, quibus adnexa est hujusmodi cura. I. pag. 2. & XXXIII. pag. 158.

Item super Electione dignioris inter approbatos ad animarum curam. IV. pag. 13. & seq.

Item super jurisdictione Episcoporum in Regulares extra Claustra degentes. VII. pag. 29.

Item super facultatibus Episcoporum circa ea, quæ observari debeant, aut evitari in celebratione Missæ. XVII. pag. 79.

Item super residentia Episcoporum, & super eorum absentiæ causis. XVIII. pag. 79. & 80. & seq.

Item super Ordinationibus Regularium. XXVII. pag. 107.

Et super abolitione Privilegiorum recipiendi Ordines a quocumque, vel extra tempora. *ibid.* pag. 108.

Item de non ordinandis sine causa Episcopis Titularibus, & de his, quæ hujusmodi Episcopis permittuntur. XXXVI. pag. 172. & 173.

Item de reservatione Causarum Criminalium judicio Episcopi, seu Ordinarii, exclusis Archidiaconis, Decanis &c. XL. pag. 197. & 198.

Item de abstinentia Clericorum a luxu, conviviis, Choreis, aleis. XLV. p. 212.

Item de non recipiendis Regularium recursibus adversus Professionis validitatem post elapsum a die Professionis Quinquennium; vel si reclamantes extra Claustra degant, aut habitum dimiserint. Et de forma servanda in hujusmodi Judiciis. XLVII. pag. 220.

Item de coërcendis iis, qui Mulieres cogunt ad ingrediendam Religionem. *ibid.* pag. 224.

Item de Confessariis extra Ordinem, bis, aut ter in Anno exhibendis Religiosarum Mulierum Communitatibus. LVI. pag. 262.

SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordo a Pontifice laudatur. LXVIII. pag. 304.

Vid. *S. Joannes de Matha.*

S. Turribii Archiepiscopi Limani decretum de Regularium dependentia ab Ordinarii jurisdictione in sui-

cipien-

cipienda cura Animarum, ejusque exercitio. I. pag. 1. & 2.

Ejusdem laudatur Decretum de celebratione duarum Missarum in unico die per unum, eumdemque Parochum, in casibus permissis. III. pag. 8. & 9.

TUSCULANI Episcopi controversia jurisdictionalis cum Abbate Cryptæ Ferratæ pendens, definitur. XXXIII. pag. 157.
Intra Diœcesis Tusculanæ fines Monasterium Cryptæ Ferratæ existit. *ibid.* pag. 158.

Tusculana Ciceronis Villa, in loco, ubi nunc est dictum Monasterium, fuisse putatur. *ibidem* pag. 158.

Tusculani Episcopi jurisdictio Ordinaria in Territorium Cryptæ Ferratæ asseritur. *ibidem* pag. 158.

Eidem reservatur jus cognoscendi causas Matrimoniales, tam super separatione Thori, quam super validitate Matrimonii contracti in Parochia Cryptæ Ferratæ. *ibid.* pag. 160.

TUTORES loco Parentum sunt Filiis orbis. XXVIII. §. 14. pag. 115.

Itaque, ubi Parentum consensus necessarius esset, ut Baptismus licite infanti administretur, Tutorum similiter consensus requiritur. *ibid.*

## V.

VACATIO Beneficiorum inducitur per solemnem Professionis emissionem. XXV. pag. 103. & seq.

Non vero per Votorum simplicium emissionem in Societate Jesu, transacto probationis biennio. *ibidem* pag. 103.

Decretum est autem in Congregatione Generali quinta ipsius Societatis, ut quilibet, expleto biennio, Beneficia Ecclesiastica dimittat. *ibidem.*

VALENTI Sylvius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, de Urbis Archigymnasio benemeritus, laudatur, LXVII. p. 282.
Eidem conceditur ad vitam jus disponendi de locatione, & extractione reddituum applicatorum pro dote duarum Cathedrarum recens erectarum. *ibidem.*

VALENTI Ludovicus Utriusque Signaturæ Referendarius, & Fidei Promotor, pro Elevatione Corporis Servi Dei Josephi Calasantii deputatur. LV. p. 261.

VALENTINIANUS Imperator, cum adhuc puer esset, blanditiis, & suasionibus Matris deceptus, Arianorum erroribus imbutus fuit; sed postea resipuit. LIV. §. 53. pag. 251.

Ejus testimonium S. Siricio Pontifici honorificum refertur. *ibid.* p. 251.

VATICANÆ Basilicæ prærogativa est, ut in ea benedicantur *Pallia*, quæ a Romano Pontifice Patriarchis, & Archiepiscopis mittuntur. LX. pag. 274. & seq.

Et in eadem asserventur propè corpus B. Petri. *ibidem.*

Ipsius Basilicæ Altaristæ injungitur cura arculæ a Pontifice donatæ, in qua ipsa Pallia asservantur. *ibid.* pag. 275.

Vaticanæ Basilicæ *Archipresbyter* dimissorias literas Clericis suæ Basilicæ addictis dare, & Sacramentum Confirmationis administrare potest. XXXVI. pag. 176.

Vaticanæ Basilicæ Clero concessum est a Clemente XI., ut de singulis Sanctis Pontificibus Romanis *Officia propria* recitent. LIV. §. 50. pag. 250. 251.

VECTIGALIA pro introductione, & extractione Segetum, Animalium &c. legitimè imposita, tam favore Cameræ Apostolicæ, quàm communitatum, & privatorum, solvi jubentur, non obstante indulta mutui Commercii libertate. LIII. pag. 235. & 236.

VIARUM Urbis reparationi mature consuli jubetur, nec unquam possessoribus domorum adjacentium denegari licentiam easdem sua impensa restaurandi. LXVII. pag. 300. & 301.

De Viis ex integro reficiendis consultandum inter Adjacentes, coram Præside, aut Magistro Viarum congregatos. *ibidem* pag. 300. & 301.

Viarum refectio a possessoribus adjacentibus de proprio fieri poterit, & per Fabros ab eisdem deputatos, etiam quoad lineam Meditullii, juxta normam tamen a Peritis, & Officialibus Tribunalis præscriptam; dummodo id se facturos profiteantur, intra certum legitimum tempus. *ibid.* pag. 301.

Ipsis autem in tempore non profitentibus, vel in ipsa reparatione, aut refectione cessantibus, Tribunal Viarum, jure suo illas restaurari, aut refici curabit, & sumptus exiget a Possessoribus. *ibid.* pag. 301.

Viarum sternendarum forma, quæ nunc reperitur, in posterum conservari jubetur, sine variatione materiæ, cœmenti, aut declivii. *ibidem.*

Ad Viarum reparationem, & refectionem, solos possessores adjacentes, nunquam verò simplices utentes, teneri decernitur. *ibid.* pag. 302.

Viarum Urbis visitatio quotannis, initio Veris, & Autumni, a Magistris Viarum fieri debet. LXVII. pag. 300.

Viarum vero Consularium, earumque divisionum, semel in Anno ab ipsis Magistris; a Præside autem quoties ipsi opportunum videbitur. *ibidem* pag. 302.

Harum refectioni quomodo consulendum. *ibidem* pag. 302.

VIARUM TRIBUNAL refectioni Viarum ex integro manum admovere nequit, nisi elapsis tribus diebus à die decreti, ut adversus illud recurrere possint, qui se gravatos contendant. LXVII. p. 300. & 301.

Viarum Tribunal quando possit per suos operarios ex officio vias Urbis reficere, & impensam inter adjacentes possessores partiri. *ibid.* p. 301.

A decretis, mandatis, & sententiis *Tribunalis Viarum* non admittitur inhibitio, aut appellatio suspensiva, quando agitur de exigendis Taxis a Principe impositis, de conductoribus cogendis ad solutiones, aut ad implenda promissa, & de rationibus, seu residuorum solutionibus exigendis. *ibid.* pag. 301.

Ab aliis autem ipsius Tribunalis decretis, Mandatis, atque sententiis, ad plenam Cameram appellari poterit, etiam ad effectum suspensivum. *ibid.*

VIARUM PRÆSIDI, & Magistris injungitur frequens viarum visitatio, ac sollicitudo, ut mature restaurentur, seu reficiantur. LXVII. pag. 300. & seq. pag. 303.

Viarum Præses quomodo cogere debeat conductores Viarum extra Urbem, ad reficiendas eas, quæ refectione indigent; cum facultate mittendi Commissarios &c. *ibid.* p. 302.

Eidem adimitur facultas eligendi Procuratorem Fiscalem Tribunalis in locum illius, qui ab officio remotus fuerit ob neglectum Pontificiæ voluntatis hic expressæ implementum, *ibidem.*

Viarum Præses de pecuniis Cameralibus a se administratis, quotannis rationem reddere tenetur. VI. pag. 23.

VIARUM MAGISTRI licentias denegare nequeunt Possessoribus, qui vias Urbis sibi proximas propriis impensis restaurare velint. LXVII. pag. 300. 301.

Viarum Magistri singulis annis ante finem mensis Maji visitare debent vias extra Urbem suæ curæ respectivè commissas; diebus antea ad Conductorum notitiam intimandis. *ibidem* p. 302.

Hujuſmodi viſitationum Relatio in ſcriptis exhiberi debet in Congregatione Tribunalis Viarum, & in Actis Notarii ejuſdem Tribunalis, nec non Summo Pontifici præſentari, per organum Auditoris Sanctitatis Suæ. LXVII. p. 302.

Magiſtri Viarum in viſitationibus deficientes, amittunt annuum emolumentum ſeutor. 200. ipſis præſtari ſolitum. *ibid.* p. 302.

Idque emolumentum ipſis perſolvi prohibetur ante finem Maji, ſeu legibus hujuſmodi non impletis, ſub pœna dupli &c. *ibidem.*

VIARUM PROCURATOR FISCALIS viſitationum, & relationum confectionem urgere, expeditionem manus Regiæ petere contra Conductores in conventionum implemento ceſſantes, & Officialium Tribunalis negligentiam Pontifici denunciare tenetur. LXVII. p. 302.

Idem in præmiſſis deficiens, ab Officio removeri debet, aliuſque in ejus locum eligi a Cardinali S. R. E. Camerario. *ibidem.*

Eadem ſtatuuntur *de Notario Tribunalis Viarum*, ſi relationes viſitationum viarum, ſuis temporibus, ad Pontificem deferre prætermittat. *ibid.*

VIATICA, quæ a reis inquiſitis exiguntur pro Commiſſionibus a Tribunali Gubernii Urbis, aut a Congregatione Sac. Conſultationis contra eos expeditis, ad Cameram Apoſtolicam pertinent, quæ Judicibus, & Notariis Criminalibus certa ſalaria, & emolumenta perſolvit. XLIV. pag. 207. Vid. *Bona Reorum.*

Viatica, & Cibaria pro Commiſſionibus ad inſtantiam Accuſatoris, vel Adhærentis Fiſco expeditis, ſolvi debent ab ipſo Accuſatore, vel Adhærente; qui ea repetere nequit ab Acuſato, ſeu inquiſito, niſi poſt ſequutam condemnationem. *ibid.*

Viatica, & Cibaria pro Commiſſionibus expeditis ex Officio a Tribunalibus Cardinalis Vicarii, aut A. C. de ſpeciali mandato Sanctiſſimi, a Camera Apoſtolica ſolvuntur, quæ eadem repetit ab inquiſitis. *ibid.* pag. 208.

Si autem deſit mandatum ſpeciale manu Papæ ſignatum, tunc ſolvenda erunt ab ipſo Judice, qui Commiſſionem tranſmittit. *ibid.*

Item ſi Judices, & Notarii neglexerint deſcriptionem bonorum inquiſiti, eamque deſcriptionem in Proceſſu non inſeruerint, nihil pro Viaticis, & Cibariis repetere poſſunt a Camera Apoſtolica. *ibidem.*

VICARIUS Metropolitani in Synodis Provincialibus antefertur Epiſcopis Suffraganeis, ob auctoritatem, quam obtinet, & ratione Perſonæ, quam repræſentat. XXXVI. p. 176.

VICARIO URBIS Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali injungitur, ut in deputatione Conſeſſariorum Extraordinariorum pro Monaſteriis, & Conſervatoriis ipſius Urbis, Pontificis menti ſe conformet, & ſtatutas leges a Regularibus, aliiſque obſervari curet. LVI. pag. 266.

In ejuſdem Tribunali ſervari jubentur leges a Pontifice conditæ de ordine tractandi cauſſas ſuper nullitate Profeſſionum Regularium, quæ intra quinquennium apud Ordinarios Judices promoveantur. XLVII. pag. 169. 170.

Vicarius Urbis, tamquam Præfectus Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum, facultatem ab Urbano VIII. habet concedendi Epiſcopis ex juſtis cauſſis, licentiam abeſſendi a Diœceſi per quadraginta dies. XVIII. p. 81.

Vicarii Urbis *Promotor Fiſcalis*, idem conſtituitur Fiſcalis Promotor Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum, cum jure ſuffragii conſultivi. *ibidem* pag. 82.

Vicarius Urbis Commiſſiones pro cauſis criminalibus expedire poteſt, expenſis Accuſatoris, ſive Adhærentis Fiſco; facto nimirum ab hoc congruo depoſito pro viaticis, cibariis &c. & data fidejuſſione pro reliquo. XLIV. p. 207.

Deficiente autem Accuſatore, ſeu Adhærente, Commiſſiones expedire nequit, ſed demandare debet inquiſitiones Ordinariis Eccleſiaſticis locorum, ſeu alibi exiſtentibus, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis. *ibid.* p. 208.

Quod ſi expedire judicetur eas ex Officio ab Urbe mittere, vel eaſdem injungere Judicibus extra locum delicti exiſtentibus; reportare debebit Commiſſionem ſpecialem manu Papæ ſignatam, & ab Auditore Sanctiſſimi ſubſcriptam, aliàs expenſas ſolver de proprio. *ibidem.*

VICINUS pluribus partibus, præfertur aliis vicinis in emptione domus. XXXIX. p. 189.

Vid. *Prælationis Jus.*

VILLA FONTANA. Vid. *Medicina.*

VINCENTII LIRINENSIS ſanctitas, propter ſuſpicionem errorum circa Dogmata nondum ab Eccleſia definita, non obſcuratur. LIV. §. 31. p. 246.

VIS, & METUS diſtinguitur in gravem, & levem, habito etiam reſpectu ad perſonam, cui infertur. XLVII. p. 224.

Vis, & metus adhiberi non debet, ut Judæi in Chriſtianorum regionibus aſyli jure gaudentes, *Baptiſmum* ſuſcipiant. XXVIII. p. 114. & ſeq.

Auctoritates afferuntur, & exempla explicantur. ibi p. 125. & ſeq.

Et de jure Principum in eos, quos jure belli ſubjecerint. *ibidem* p. 126.

Si quis per Vim, & Metum dicat ſe baptizatum fuiſſe; videndum an violentiis cedendo conſenſerit, an vero diſſentiens aqua Baptiſmi ablutus fuerit; In primo enim caſu validè baptizatus cenſebitur, ſecus in ſecundo. *ibidem* p. 130.

Vim, & Metum inferentes, ut quis *Religionem* ingrediatur, aut *Profeſſionem* emittat, ab Ordinariis puniendi ſunt, pœnis a Concilio Tridentino ſtatutis. XLVII. p. 223. & 224.

Vis & Metûs auctores, qui a reclamante, vel a Teſtibus ab ipſo inductis, indicati fuerint, citari debent in judicio ſuper nullitate Profeſſionis. *ibidem* pag. 221.

Vis, & metus incuſſus ad cogendum aliquem, ut Profeſſionem Regularem emittat, etiamſi perſeveraverit per quinquennium, & ultra; non ideo tamen prorogatur quinquennium a Concilio Tridentino conceſſum ad reclamandum. *ibid.* p. 222. & p. 274.

Attamen ex Apoſtolicæ Sedis æquitate inductum eſt remedium reſtitutionis in integrum, de quo *ibidem* p. 222. & 223.

VISITATIO SS. LIMINUM. Vid. *Relatio Status Eccleſiæ.*

ULTIENSE Monaſterium, ſeu Præpoſitura S. Laurentii de Plebe Martyrum ſupprimitur, ejuſque bona Menſæ Epiſcopali Pinarolien. noviter erectæ uniuntur. LVI. p. 289. & ſeq.

VOLUNTAS. Vid. *Baptiſmus.* Vid. *Intentio.*

VOTA. Vid. *Profeſſio.*

VOTA ſimplicia, quæ in Societate Jeſu poſt biennium probationis emittuntur, Beneficiorum vacationem non inducunt. XXV. p. 103. & 104.

VOTANTIBUS Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ præſcribitur Præcedentiæ lex, juxta reſpectivam antiquitatem. IX. p. 32.

URBANUS VIII. Martyrologii Romani emendationem fieri curavit; eique perficiendæ doctorum Virorum Congregationem deputavit. LIV. §. 2. p. 240. & §. 46. pag. 249. & 250.

USUAR-

USUARDUS in Martyrologio ſuo concinnando, antiquioribus Martyrologiis Hieronymi, Bedæ, Rabani, Vandelberti, & Adonis uſus eſt. LIV. §. 34. pag. 247.

Itaque, quod in illis non reperitur, ſed ab ipſo Uſuardo additum dignoſcitur, ad examen revocari decet. *ibid.* §. 36. pag. 247. & 248.

Uſuardi error circa Feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis notatur. *ibidem.*

UXOR in poteſtate Mariti eſt juxta Legem Moyſis. XXVIII. pag. 134.

Ideo Maritus a Judaiſmo ad Eccleſiæ Fidem converſus, eam ad Baptiſmum offerre poteſt. *ibidem.* Vid. *Judæi.*

B.

ZOCCOLETTE. Conſervatorio S. Clementis, quod vocant *delle Zoccolette* in regione Arenulæ Urbis, annuum Subſidium Dotale aſſignatur. II. pag. 6.

*FINIS TOMI XVII.*



MAGNUM
BULLARIUM
ROMANUM:
TOM. XVII. XVIII. IX.

1746
1757

Th
475a